14 251/20



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

MATTHIAE BELII,

NOTITIA HVNGARIAE NOVAE

GEOGRAPHICO HISTORICA.

PARTIS PRIMAE

CIS-DANVBIANAE,

TOMVS QVARTVS.

Digitized by Google

Digitized by Google

NOTITIA HVNGARIAE NOVAE HISTORICO GEOGRAPHICA,

DIVISA IN PARTES QVATVOR,

QVARVM

PRIMA, HVNGARIAM CIS-DANVBIANAM; ALTERA, TRANS-DANVBIANAM; TERTIA, CIS-TIBISCANAM; QVARTA, TRANS-TIBISCANAM:

Vniuerſim XLVIII. Comitatibus Deſignatam,

EXPROMIT.

Regionis Situs, Terminos, Montes, Campos, Fluuios, Lacus, Thermas, Cæli Solique ingenium, Naturæ munera & prodigia; Incolas variarum Gentium, atque harum mores; Prouinciarum Magiſtratus; Illuſtres Familias; Vrbes, Arces, Oppida, & Vicos propemodum omnes; Singulorum præterea, Ortus & Incrementa, Belli Pacisque Conuerſiones, & præſentem Habitum;

Fide optima, Adcuratione ſumma,

EXPLICAT.

OPVS, HVCVSQVE DESIDERATVM, ET IN COMMVNE VTILE.

SACRATISSIMIS AVSPICIIS

D. CAROLI VI. CAESARIS,

ET REGIS INDVLGENTISSIMI,

ELABORAVIT

MATTHIAS BEL.

ACCEDVNT

SAMVELIS MIKOVINII.

Mappæ, ſingulorum Comitatuum, Methodo Aſtronomico-Geometrica, concinnatæ.

TOMVS QVARTVS.



ECOLE SAINTE GENEVIÈVE
B D H

VIENNAE AVSTRIAE, Impenſis PAVLLI STRAVBII Bibliopolæ.
Typis IOHANNIS PETRI VAN GHELEN, Typographi Regii.
ANNO MDCCXLII.

GF

Digitized by Google

Digitized by Google

SERENISSIMAE

MARIAE THERESIAE,

DIVI CAESARIS CAROLI SEXTI FILIAE,

NEPTI LEOPOLDI MAGNI,

PRONEPTI FERDINANDI III. ABNEPTI FERDINANDI II.

MAXIMILIANI II. DENEPTI, ET EX ANNA HVNGARA,

FERDINANDI I. VLTRA TRINEPTI,

QVAE DEI EST GRATIA,

REGINAE HVNGARIAE,

BOHEMIAE, DALMATIAE, CROATIAE,

SCLAVONIAE, BOSNIAE, RAMAE, SERVIAE,

GALLICIAE, LODOMERIAE, CVMANIAE,

BVLGARIAE, HAEREDI VNDIQVAQVE

CONSVMMATISSIMAE,

PIAE, IVSTAE, CLEMENTI;

ARCHIDVCI AVSTRIAE,

DVCI BVRGVNDIAE, BRABANTIAE, MEDIOLANI,

STYRIAE, CÀRINTHIAE, CARNIOLAE, MANTVAE,

PARMAE, PLACENTIAE, LIMBVRGI, LVXENBVRGI,

GELDRIAE, WURTENBERGIAE, ET VTRIVSQVE SILESIAE;

PRINCIPI SVEVIAE ET TRANSILVANIAE,

MARCHIONI SACRI ROMANI IMPERII,

BVRGOVIAE, MORAVIAE, SVPERIORIS

ET INFERIORIS LVSATIAE;

COMITI HABSPVRGI, TIROLIS, NAMVRCIAE,

FERRETIS, KYBVRGI, GORITIAE, GRADISCAE,

ET ARTESIAE;

LANDGRAVIAE ALSATIAE,

DOMINAE MARCHIAE SLAVONICAE,

PORTVS NAONIS, SALINARVM,

ET MECHLINIAE;

RELIQVA.

Digitized by Google

SERENISSIMI
DVCIS LOTHARINGIAE, ET BARRI,
MAGNI DVCIS HETRVRIAE,
CONIVGI DIVINISSIMAE,
DOMINAE DOMINAE INDVLGENTISSIMAE,
FELICITATEM!
CVM PERPETVITATE CONIVNCTAM,
TOTO ANIMO NVNCVPAT,
ATQVE
HVNGARIAE NOTITIAM HANC,
SACRATISSIMIS
D. CAROLI SEXTI AVSPICIIS,
DESCRIBI COEPTAM,
PRO DEDITISSIMAE VOLVNTATIS OBSEQVIO,
DICARE, DEDICARE, CONSECRARE
PERGIT
ANIMO HONESTE OBSTINATO,

SVBIECTISSIMVS
MATTHIAS BEL,
AVCTOR.

Digitized by Google

AD LECTOREM.



Rodit tandem, quæ DEI eſt gratia, quartus commentariorum de HVNGARIA NOVA, tomus. Hic vero, iniquus forem, niſi aperte, & ex vero profiterer, LECTOR beneuole! quemadmodum euenerit, vt opus hoc noſtrum, tanta D. CAESARIS cœptum adprobatione, continuatumque poſtea, ſucceſſu, ad inuidiam vſque felici, tam diu adhæſerit, tenueritque ſuſpenſam exſpectatione rempublicam litterariam. Tametſi enim, proximos, qui abiere, annos, duros oppido, & vix pluribus retro ſeculis, facile adnotandos, ſatis, apud æquos iudices, ad eius moræ excuſationem, valituros confido; ſic tamen exiſtimo, ediſſerendum eſſe propalam, quantopere, tota ea, quæ luſtro hoc deſæuiit, tempeſtas, retardarit molitiones noſtras, ex ſe refractarias omnino, & ſexcentis remoris obnoxias.

II. Ac bella quidem, maligniſſimo prouentu, ex bellis, pridem ſeri cœpta, propagataque in ærumnoſam vſque patriam; cum *Muſas Hungaricas*, ſuo quodam fato, ſqualentes & calamitoſas, in eam vniuerſim fortunam præcipitauerunt, cuius atrocitatem, haud reminiſci poſſis, ſine dolore exquiſitiſſimo; tum mihi, ad omnes licet fortunæ caſus, haud imparato, non ſtilum modo, tenaci e manu, propemodum eliſerunt; ſed cunctas ſimul, honeſtiſſimorum ſtudiorum, quæ conſectamur, deſtinationes fere interuerterunt penitus. Nimirum, reſtinguebatur, pius ille, quo inflammabamur olim, patriæ illuſtrandæ ardor; cum eminus cerneremus, recuperatas nuper, vnius belli prouentu, regiones, igne ac ferro euaſtari, & ſub iugum raptari denuo, clade, etiam diriſſima, infinitis modis atrocius. Aptior tunc ſane, magisque ad complorandum, quam ad exaggerandum res patriæ, idonea materies, ſufficiebatur: quando, de ſua quisque ſalute, conſilio, pignoribus, fortunis, immo, de tota circumquaque rerum ſumma, videbatur deſperare.

III.

Digitized by Google

III. Hæc belli fuere mala, ancipitis profecto, & eo funeſtioris periculi, quo magis orbis melior pertimeſcebat, ne barbarus ille, & vltra omnem modum ſanguinolentus hoſtis, cladem, ſi perruperit, in rebus Chriſtianis edat, vix vlli, quarum innumeras pertulimus, temere comparandam. Ergo, inter ſacrum & ſaxum, trepidi agebamus ad vnum omnes; dum, conſobrinum bello, peſtilentiæ virus, pullulare primum lentius, mox ſparſim inualeſcere, ac denique, vicos, oppida, vrbes, quin integras, atque viciniſſimas nobis prouincias, omnium atrociſſime cœpit deuaſtare. Tunc vero demum, quod noſtro hoc collimitio, intemeratum hactenus a belli iniuriis, ſuperabat, non potuit non, immanem in modum, perturbari; cum, pro difficillimi temporis ingenio, diſſui iſthic, mutuam illam hominum & *Muſarum* ſocietatem; circumcludi alibi oportuit, quod purum adhuc durauerat, ab immedicabili contagionis malo. Quid proinde, triſti hoc rerum habitu, *Muſæ* noſtræ agerent? non a litteratorum modo conſortio prorſus reſciſſæ; verum, eo vſque ſimul perculſæ, vt non iam de ornamentis ſuis; ſed de ſalute, cogitationem ſuſcipere cogerentur. Enim vero, de morte tunc, præcipiti ea, & in primis funeſta, meditari, multo fuit procliuius; quam moliri immortalis quidpiam, & laturum poſteritatis adprobationem.

IV. Satis, gemina hæc clades, cum ad omnium, tum ſingulorum calamitatem cumulandam, momenti habuit: cui tamen tolerandæ, eo, cum *Muſis* noſtris, ſufficiebamus commodius; quod bellum quidem, poſt hominum memoriam, damnoſiſſimum, inopina pace terminatum; peſtilentiæ vero contagium, quæ DEI fuit benignitas, peruigili AVGVSTI CAESARIS prouidentia, vniuerſa ſenſim regione, depulſum eſt. Itaque, redeunte pace, redibat ſimul,

Fulgente decorus arcu
PHOEBVS, *acceptusque nouem* CAMENIS,
Qui ſalutari leuat arte feſſos
Corporis artus. (a)

re-

(a) HORATIVS, Carmine Seculari ver. 61.

redibat inquam, refouebatque *Muſas* exanimes; noſtras autem, nouo animatas ſpiritu, in ſpem haud dubiam vocabat, ſucceſſuum vndiquaque felicium: cum, nec opinato, luctuoſiſſima, per orbem, fama diditur:

Ereptvm rebvs hvmanis Caesarem!

Cuius quidem caſus magnitudine, proſtrati obtritique hærebamus omnes; ego vero,

Non aliter ſtupui, quam qui Iouis ignibus ictus,
Viuit, & eſt vitæ neſcius ipſe ſuæ. (*b*)

V. Parce, qui hæc legis, dolori noſtro! iuſtus eſt enim, neque ſatis conteſtandus, tametſi in lacrumas dimanauerit, etiam ſanguineas:

Multis Ille *bonis flebilis occidit,*
Nulli flebilior, quam mihi. (*c*)

Mihi, inquam, cui, huius, tam vaſtæ atque operoſæ deſtinationis, auctor ſtatorque, ſapientiſſimus, munificentiſſimus, exſtitit; quique vnus omnium, de ſtudiis noſtris optime exiſtimabat; vna hac ſtrage, diſpendio, haud vnquam reparando, ſubductus, ereptus eſt. Ille, inquam, Caesar, qui audiendis nobis, toties facilem ſe ac prolixum exhibuit, & cui nos ætatem, vltra communem modum diuturnam, atque Avgvsti illa, multis modis feliciorem, haud, fictis, precibus, voueramus, vt

Serus in cælum redeat diuque
Lætus interſit populo Quirini,
Neue tot noſtris vitiis iniquum
Ocior aura
Tollat. (*d*)

Quibus quidem votis, benigne fauturum cæleſte numen confidebamus; quando conſtabat apud omnes, vnius incolumi-

)( )(

(*b*) Ovidivs, Triſtium I. Eleg. III., 11.
(*c*) Horativs Carm. Lib. 1. Ode XXIV., 9.
(*d*) In Epiſtola Nuncupatoria, Tomi II., ex eodem noſtro, Carm. Lib. I. Ode II, 45.

mitate vitaque CAESARIS, totius Christiani orbis salutem, contineri: quidni & *Musarum* nostrarum? Ergo,

Quis desiderio sit pudor aut modus,
Tam magni capitis? (e)

Profecto, quoties mente recolimus, quam parum esset, quod pro tanto principe luximus, præ eo, quod eluximus nondum; senescat dolor noster, fiatque contumax, oportet. Ergo,

Sæue nimis, lacrimis quisquis discrimina ponis,
Lugendique modos. (f)

VI. Præluſit, huic, tam acerbæ calamitati, fatorum, iuxta & hominum, iniquitas alia: quando, fata quidem, viros nobis ante surripuerunt, omni consilio, ope, atque conatu, id elaborantes, vti, & AVGVSTVM, suapte benignum, studiis nostris perpetuum adsererent; & nihil non agerent, quod honestissimo instituto, siue sustentando, siue ornando exaggerandoque, vtile ac necessarium, existimauerunt. Nolo mortuorum nomina celebrare, ne viuis diffidere videar. Nam, superant omnino adhuc, summi sapientissimique viri, qui hanc sibi curam sumunt, ne in tanta rerum omnium difficultate, productum eo vsque opus, aut sufflaminetur porro, aut, quod cupidissime optant Zoyli, penitus interuertatur. Adeo, hodieque,

Di me tuentur, Dis pietas mea
Et Musa cordi est. (g)

VII. Nocentior multo, neque dedolendus satis, hominum, quibus demandata fuit operis procuratio, torpor, aut nescio quid? existit. Quem, si pro eo, ac meruit, queri vellem, laborem sane conscisscerem, non mihi molestum minus, quam grauem his, quorum conscientia, de se id prædicari, dictitaret. Satis sit indicauisse, toto fere quadriennio, retardatum fuisse opus, intempestiuorum hominum artibus: communi id quidem eruditorum, qui se huic generi,

(e) HORATIVS Ibid. v. 1.
(f) Statius, Silv. Lib. II., 6.
(g) HORATIVS, Carmin. Lib. I. Ode XVII., 13.

Digitized by Google

ri, in edendis commentationibus ſuis, permittere neceſſum habent, malo; at noſtro, tanto exquiſitiore, quanto magis totius operis intererat, pridem, & fauente adhuc CAESARE, lucem publicam adſpexiſſe. Nunc, *poſt bellum auxilium!*

VIII. Iſta fuere, *Amice Lector!* quæ non retentarunt tantum; ſed repreſſerunt etiam hactenus, elucubrati pridem, ſumma diligentia, & cupide adeo exſpectati operis, editionem. Nam, de noſtro quidem labore, ita ſentias velim, eo, vniuerſum, quæ DEI eſt gratia, opus deductum eſſe, vt, quod eius eſt reſiduum, ſtatim ab hoc momento, typis tradi poſſet excudique: ſi, & tempora amiciora eſſent *Muſis*, & homines, æqui ac iuſti, obſeruantiores. Sciunt id, ſummi quique, atque eruditiſſimi viri, quibus viſæ ſunt lucubrationes noſtræ; viſæ autem ſunt, in ea, qua fuit hoc anno, celebritate, vrbs noſtra, bene multis; non emaculatæ modo, & in tria volumina diſpertitæ; ſed adprobatæ etiam ab his, quibus cenſendi laboris prouinciam, D. CAESAR, magno lucubrationum noſtrarum commodo, demandauerat.

IX. Hæc ita ſe habent omnino: vt ſit, cur reſorbeat, procaces, quas ob hanc operarum cunctationem, in nos iecit, contumelias, genus illud hominum, cui volupe eſt, ad omnem occaſionem, ab aliquo, maligne tamen, inſultare, laudatiſſimis aliorum cœptis; cum ipſi contra, præ mentis, ne quid durius pronunciem, anguſtia, nunquam præclaræ quidpiam cogitationis, aut animo conceperunt, aut ediderunt publice. Quod nos tamen feciſſe, facturosque eſſe, dum, numine propitio, vita viresque ſuffecerint, doleant infelices illi obtrectatores: donec, criminandi pœnitentia, dedoluiſſe eos condocuerit, plebeium hunc, & viris doctis, quales videri cupiunt, indignum morem, an crimen?

X. Sed, rogas fortean, o bone! Sint hæc ita! quid vero tandem, de reliqua operis mole, in hac rerum omnium perturbatione, aut voles, aut poteris ſtatuere? Et primo quidem ſic habe: *Terram me videre*, eſſeque in ſpe certiſſima, haud nos deſertum iri ab idoneis præſidiis, quibus, quod eſt,

in laborioſiſſimis commentariis reſiduum, publica luce donari queat. Dicam apertius, quorſum me ducat fiducia. Succeſſit, in cœleſtiſſimi patris, D. CAROLI, locum, filia diuiniſſima, MARIA THERESIA, quam ſexus feminam, virtutes REGEM formauere. Nihil HVIC, ſiue carius, ſive commendatius, HVNGARIA ſua eſt; hac in primis tempeſtate, dum rebus vndiquaque trepidis, opportune, & auxilia ſufficit, & firmamenta. Enim vero:

Non minus hinc læti trahimus ſolatia, quam ſi
Præcipiti conuulſa noto proſpectet amicam
Puppis humum. (*h*)

Atque, erit profecto, erit inquam, præter exſpectationem, euentus, qui res noſtras, ex his fluctibus, tandem in portum inuehat; eo, (*i*)

Quod, magis atque hominum pollet IOVIS *vſque voluntas.*

XI. Tunc, & iſtud TE monitum volo: eo nos pridem conſilio, ac prouidentia, fuiſſe vſos, vt, cum

Vitæ ſumma breuis ſpem nos vetat inchoare longam; (*k*)

viri, nobis obdormiſcentibus, ſuperuiuerent, docti, & ſtudiorum noſtrorum vnice obſeruantes, quique, curarum hasce reliquias, lubenti animo, ſuas facerent, immo penitus conficerent. Filios præterea, *Carolum Andream*, & *Matthiam Godofredum*; (nam, ſecundo genitus, *Iohannes Theophilus*, totus licet, ac præcipue quidem, ad litteras percolendas, a natura factus, præpoſtero quodam inſtituto ſuo, armatæ *Palladi*, adhæſiſſe maluit, quam ſub *Apolline*, cum *Muſis* facere;) ita, diuino munere, partim educaui iam, partim educare pergo; vt, & iisdem hiſce ſacris, curate initiarentur, neque paternarum lucubrationum eſſent ignari. Quibus ideo, teſtamento quaſi, pulcherrimam eam procurationem, nuncupaui: qua ſane, communicatis mutuo conſiliis opeque, nullo, ſaltem leui ac iucundo negotio, defungi poterunt: quando, in toto ſcriptionis genere, vix quidquam reſtat ad conſummandum, quam, ne deſint, qui adtendant, vt deſignata ſemel operis vniuerſi compages, eodem, quo primum iniit, tenore atque

(*h*) STATIVS, ibid.
(*i*) HOMERVS Iliad. II.
(*k*) HORATIVS, Carm. Lib. I. Ode IV.,

Digitized by Google

que adcuratione, ad calcem decurrat. Sed de his, plus ſatis.

XII. Iam docendus mihi es *Lector!* quid, toto hoc volumine, quod in manus *Tibi* tradimus, quaque diligentia, expromſerimus. Hiſtoria eſt nimirum, quatuor HVNGARIAE CIS-DANVBIANAE Comitatuum: *Neogradienſis, Barſchienſis, Nitrienſis*, & qui ſecundo loco poni debuerat, *Hontenſis* vtriuſque. *Trentſinienſem*, & *Aruenſem*, coadunare his, in animo fuit; ſed eam tamen deſtinationem, moles, ad quam, nec opinantibus nobis, inter manus increuit liber, differre nos coegit, retrudereque, in *Partem Hungariæ Cis-Tibiſcanam*, adeoque, operis totius, *Tomum*, qui ſequetur, *Sextum.* Prouincias enim vero, quas nunc exhibemus, ita, ab omni ad ſcribendum materie, inſtructas reperimus, vt parum abfuerit, quin ab rerum, & euentuum, multitudine, obrueremur. Id, quominus fieret, curam ac ſtudium adhibuimus; ne, aut nimia copia, luxuriaremur; aut, ſcrupuloſiore delectu, macri fieremus & exſangues. Neque diligentiam hanc, temere quisquam accuſauerit; niſi rerum patriarum faſtidioſus, peregrinarum vero incurioſus ſit, & ad vitium vsque negligens. Id enim nobis, per totum hoc opus negotii conſciuimus, ne, quantum eius præſtari poteſt, ſicco pede tranſeamus quidquam, cuius notitiam, aut neceſſariam vtilemue, aut iucundam lectoribus futuram, cum ratione opinaremur. Sed de his; viderint, iuſti conatuum noſtrorum exiſtimatores.

XIII. Quod reliquum eſt, ſpondemus TIBI, erudite *Lector!* haud degenerauiſſe, hanc, quanta quanta eſt, operis partem, a priorum illarum adcuratione, atque dictionis habitu. quas gratanter, neque ſine inſigni adprobatione, orbem eruditum accepiſſe, læti recordamur. Nam, bibliopolæ quidem, & operarum oſcitantiam atque ſordes, quemadmodum indignabundi reprobauimus perpetuo; ita, confidimus fore, vt in elegantiores homines incidamus in poſterum, &, qui, non ſciant tantum; ſed & poſſint, cum noſtri dignitatem operis, tum & famæ ſuæ integritatem, pertinaciter atque

Digitized by Google

que induſtrie tutari. Ceteroquin, mappæ chorographicæ, omni cura ac diligentia elaboratæ, adhuc operis ſunt *Mikouiniani.* quas, vir illuſtris, eo vſque concinnare perget, dum conſummetur opus vniuerſum. *Tres* enim ſuperant *Tomi*, quibus reliquam *Hungariam*, XXXVIII. Comitatibus deſignandam, complecti eſt animus. quorum vltimus, exaggeratiſſimum, & multifariam diſpertitum, totius operis indicem, exhibebit; multo credo opportunius, quam ſi illam eius partem, quæ in *quatuor* retro *volumina*, elaborata iam & ad manum eſt, iſthic adtexuiſſemus. Vale, candide *Lector!* & HVNGARIAE noſtræ, nobiſque, qui eius illuſtrandæ prouinciam, a D. CAESARE, magna benignaque adſenſione demandatam, tuemur hucdum, &, dum vita ſufficiet, obſtinata diligentia, tueri pergemus, bene precabere. PISONII, Anno MDCCXLI. III. Idus Decembr.

CLA-

Digitized by Google

CLARISSIMO VIRO,

MATTHIAE BELIO,

ECCLESIASTAE PISONIENSI,

SOCIETATVM REGIARVM LONDINENSIS, ET BEROLINENSIS,

COLLEGAE DIGNISSIMO,

POLYHISTORI CELEBERRIMO,

PARENTI OPTIMO,

CVM HVNGARIAE NOVAE TOMVM QVARTVM

AVSPICATO EDERET,

HORATIANAM ODEN IMITATVS,

LVBENS AC MERITO ADCANTABAT

M. CAROLVS ANDREAS BELIVS,

FILIVS OBSEQVENTISSIMVS.

BELIVM quisquis cupit æmulari,
Balbe! ceratis ope Dædalea
Nititur pennis, vitreo daturus
Nomina ponto.
Monte decurrens velut amnis, imbres,
Quem ſuper notas aluere ripas,
Feruet immenſuſque ruit, profundo
Belivs ore.
Laurea donandus Apollinari:
Seu perorando ſacra diuinatus
Verba deuoluit, numeriſque fertur
Lege ſolutis;
Seu Deos Regesque canit, Deorum
Sanguinem, per quos cecidere fauſto
Prælio *Turcæ*, rediitque noſtræ
Gloria gentis;
Siue, quos auguſta domum reducit,
Palma victores, pugilemue equumue
Laudat, & centum potiore ſignis
Munere donat;
Flebili ſeu voce pericla clades
Plorat, & vires animumque gentis
Martium deducit in aſtra, nigroque
Eripit orco;

Siue

Siue deſcribit Cererisque Bacchi
Dona, vel Pluti grauidas cauernas,
Montium faſtus, validas & agro,
Pannonis vrbes.
Summa *Piſanum* leuat aura PHOEBVM,
Tendit ex Iſtro quoties in altos
Nubium tractus. Ego, apis Rhenanæ
More modoque,
Grata carpentis tyma per laborem
Plurimum, circa nemus, vuidoſque
Galliæ riuos, operoſa gnauus
Germina carpam.
Concinis grandi, pie PHOEBE! voce
Cæſarem: quando trahit is triumphans
Hoſtium fractas, merita decorus
Fronde, pharetras.
Quo nihil maius meliusue terris
Fata donauere bonique cæli;
Nec dabunt, quamuis redeant in aurum
Tempora priſcum.
Concines porro populi renati
Publicum plauſum, ſuper expetita
Fortis AVGVSTAE trabea, precatis
Atque triumphis.
Tum meæ, ſi quid loquar audiendum,
Vocis accedet bona pars, & o Sol
Pulcher! O REGINA! canam Tuorum
Geſta laborum.
Tuque dum procedis, Io triumphe!
Non ſemel dicemus, Io triumphe!
Ciuitas omnis; dabimusque Patri
Tura benigno.
Mille TE laudes, totidemque lauri
Principum, BELI! fauor &, manebunt,
Quis neget tanto dubius labori
Præmia digna?
Me pius ſemper ſtimulabit ardor,
Dum Tuos feruens imitabor ignes:
Flagret in natis, TVA quo laboris
Fama perennis.

Scribebam ARGENTORATI, in ædibus SCHÖPFLINIANIS, ſub ipſum PARISIOS abitum. A. MDCCXLI. IV. Cal. Febr.

Digitized by Google

Digitized by Google



COMITATVS NEOGRADIENSIS,

PARS PRIOR GENERALIS.

PROOEMIVM.

AVgusta, Comitatuum, *Peſt*, *Pilis*, & *Solth*, ſpatia emenſis, reliqua *Hungariæ Cis-Danubianæ* portio, inſignis ea, & multarum conuerſionum, ad deſignandum ſupereſt: illa nimirum, quæ inde a *Peſtienſium* collimitio, hinc quidem, perpetuo *Strigonienſium*, *Comaromienſium*, ac *Piſonienſium*, quin & *Morauiæ Sileſiæque*, latere ſtringitur; coercetur illinc, *Heveſienſium*, *Gömörienſium*, *Zolienſium*, *Thúróczienſium*, & *Liptouienſium* finibus; dum apud *Aruenſes*, poſt varios ſituum anfractus, in *Sileſiæ* & *Poloniæ*, vicinia, termi-

netur. Scilicet, Comitatus ſunt, vaſti & elegantes, ſed alter commodior altero: *Neogradienſis*, *Hontenſis*, *Barſchienſis*, *Nitrienſis*, *Trentſchinienſis*, atque *Aruenſis*. Volumen hi dabunt, iuſtæ molis, neque prioribus, ſeu rerum habitu, ſeu adparatibus aliis, impar. Exordimur autem, deſignationis eum laborem, a *Neogradienſium* prouincia, dum per interſitos *Comitatus*, ad *Aruenſes* delati, tomo huic, juxta & *Parti Primæ*, ſiue, *Hungariæ Cis-Danubianæ*, finem conſtituamus. quod vt bene vertat, ſtatorem operis vniuerſi, DEVM, ſupplices deprecamur.

MEMBRVM PRIVS, PHYSICVM,

DE

Situ, Natura & Opportunitatibus Comitatus Neogradienſis.

SYNOPSIS.

Denominationis origo Slauica. §. I.

Regionis ambitus. §. II.

Eius longitudo, & latitudo: *ſitus montanus partim, partim campeſtris: planities qua? an ſit totius Hungariæ vmbilicus?* §. III.

Montes *Neogradienſium qui? eorum natura, arbores, feræ:* Mátra: Medves: Sátoros: Butſony: Kárants: Málna-Patakenſes & Kornenſes: Oſztroſlky: Dobrocſenſes: Ienőienſes: Naſzály: Szanda Liſzets. §. IV.

Siluæ, & harum opportunitates. §. V.

Ferarum exinanita luſtra: eius rei cauſſæ: ferarum genera: aues ſilueſtres. §. VI.

Fluuii *Neogradienſium nobiliores, & horum piſces, atque amphibia:* Ipoly: *eius origines: qua curſum teneat: inſternitur, per prouinciam, tribus pontibus: traiectus alii: eluuiones regioni noxiæ: alit, prope ad capita,* trutas: *genera alia:* luciorum Ipolæ *laus, prouerbio celebrata:* ſturiones, & carpiones, *e Danubio illapſi:* lutræ, & caſtores: Zagyva: *eius capita: acceſſus ad* Heveſienſes: *decurſus reliquus: quibus locupletetur amniculis: exitus in* Tibiſcum. §. VII.

Amni-

Amniculi *minores:* Loſontz: Tugár: Sztregovienſis *amniculus:* Szalatnya: Kürtös: Fekete-Viz: Lokus: Filekienſis: Geregenſis: Ságenſis: Homok-Terenyenſis: Utas-Terenyenſis: Lucſinenſis: Tóldenſis. §. VIII.

Fontes acidi: Garábienſis: Poltárenſes: Filekienſes: Eſztergarienſes: Kürtöſenſes: Szalatnyenſes: Tiſzowniкenſes. §. IX.

Aquæ admirandæ, *& circa has,* Wernheri *error: falſius fons* Soós-Hartyanenſis: *gelidarum ſcaturigines.* §. X.

Quibus metallis *gaudeat regio noſtra: habet* ſtannum, *&* plumbum: aurum, *&* argentum: *denique* ferrum. §. XI.

Cali, apud Neogradienſes, *ingenium: tempeſtatum ratio, quas* Carpatus *immittit: quæ oriuntur domi.* §. XII.

Soli habitus, triplicis naturæ: ſterilis, ad ſeptentriones, & intra ſinus montium: fœcundior, in montium radicibus: optimus, qui a Szétſinenſi ora, *in meridiem panditur: huius ingenium.* §. XIII.

Vitis, *apud* Neogradienſes, *fata: quomodo proficiat: vini laus ac varietas: vina notæ optimæ:* Kosdienſium *laus præcipua:* Rádenſium, *Tokayenſis indoles:* Jobbagyienſium *ingenium.* §. XIV.

Cultus hortorum, *qualis? pomaria, vineis, & ruſticanis ædibus, conſerta: herbarum, & radicum culinarium, cura: aquilonaris ora, leguminum quomodocunque ferax: materia medica.* §. XV.

Rei pecuariæ ratio: variat, pro ſituum habitu: deſunt heic armenta illa copioſiora: equorum *duplex genus:* ouium *greges numeroſi: caſei qualitas: porcorum copia, & per querceta, opima ſagina: glandium diuerſitas.* §. XVI.

§. I.

NOGRADIENSI Comitatui, nomen, ab arce NOVIGRAD inditum eſſe, res ipſa loquitur, quam Hungari, *Nógrád*, & totam inde regionem, *Nógrád Vármegye*, adpellant. Vox eſt, originis Slauonicæ, *Arcem* ſignificans *Nouam.* Vnde, pronum eſt, de eius vetuſtate, colligere; tametſi *Noua* audiat. Nimirum, longa, ante aduentum Hungarorum ætate, *Jázyges, Slauicum,* ſeu *Sarmaticum* genus, iſthic coluerunt, montanis paſſim caſtellis, regionem præmunientes, ne impreſſionibus pateret vicinorum. Nam, erat hoc apud barbaras, illorum temporum, gentes, in præcipua laude poſitum; nunc inceſſere vicinos; *Denominationis origo Slauica.*

vicinos; nunc, factis demigrationibus, vel nouas instituere colonias, vel certe regionis terminos, quaquauorsum prorogare. Arces autem huiusmodi, *Hrad*, & crassiore pronunciatione, *Grad*, sicuti iam *Poloni* & *Russi*, adpellabant. quas, vt, mutuo distingui possent, denominabant varie. Ita, *Visse-Grád*, ab altitudine; *Bjely-Grád*, ab albedine; *Stary-Grád*, a vetustate, & *Nowy-Grád*, a noua sua origine, traxit adpellationem. Proinde, opus haud est, vt idem istud, vel arcis, vel prouinciæ etymon, a græcis arcessamus; tametsi, latinæ denominationi, videtur, græci quidpiam vocabuli inesse, dum, *Comitatum Neogradiensem* dicunt. Tunc enim, Slauicum *Nowy*, in ea compositione, cum græco, Νεο Σ, significationis eiusdem, euphoniæ caussa, permutatur: quod tamen, neque semper fit, neque ab omnibus. Enim vero, sunt, qui malint *Nowigradiensem* dicere, *Slauicam* vocis originem, plane referentes. Prisci, & *Newgrad* scribebant. cuius rei caussas, cum sigilla examinabimus, opportunum erit expromere.

§. II.

Regionis ambitus.

INcludunt regionem, ab oriente brumali, *Comitatus Gömöriensis*, ab æstiuo autem, *Heuesiensis*; breuiori ille, hic tractu longiore. Occasum, *Nagy-Hontensis* claudit; sicuti *Kis-Hont*, cum *Zoliensium* limite, septentrionem. Meridiei, iterum *Heuesiensis*, & ora *Pestiensis*, obiacet. Qua, vltra arcem *Filek*, Gömöriensibus adsedit, mira terminorum est implicatio. Enim vero, Neogradiensium vici, *Czered*, *Hideg-Kút*, *Ó-Bást*, Gömöriensium; sicuti contra pagi: *Egyházas-Bást*, & *Tajti*, Gömöriensibus adscripti, Neogradiensium agro, toti propemodum, circumfusi sunt; vt suis regiunculis, angusto admodum tramite, sicuti peninsula continenti, adhæreant. Hinc, Heuesiensium limes init, montano primum situ, vbi vici, *Pogony*, *Novák* & *Némti*, consederunt. quem postea, *Zagyva* amnis, designat, ex iisdem montibus defluens; tametsi agri vicorum, qui ad eundem sunt fluuium, vltro citroque procurrant. quod olim, haud caruit controuersiis, in primis, dum tributorum rationes dispertiri oportuit. Iam vero, mutuo vtriusque Comitatus, consulto, sancitum est, vt ii quidem vici, qui occidentali *Zagyvæ* margini, sunt inædificati, licet agrum, apud Heuesienses habeant, iuris sint Neogradiensium; quemadmodum contra, Heuesiensium, qui ad occidentale amnis latus habitantur. Et isto quidem limite, vsque ad oppidum *Hatvan*, Neogradienses, ab Heuesiensibus, discriminantur. Certe, vicina eidem oppido insula, quam *Zagyva*, diuaricato alueo, efficit, Neogradiensium est, cum insulano prædio, cui *Baj* nomen. Postea, Pestiensem Comitatum, regio nostra, arcuato confinio, adtingit; quod a prædio *Varsány*, pone vicos, *Turá*, & *Héviz*, per *Kállo*, & prædium *Eczkend*, vsque ad pagum *Guta*, protenditur. Inde, flexo limite, vallem ambit, cui *Mátsa-Völgye* nomen, atque, reducto iterum tractu, per vicos: *Rád*, *Kosd*, *Veröcze*,

in

in Danubium, & huius inſulam, *Ros*, incurrit, vicum, *Kis-Oroſz*, ſeptentrionali inſulæ ora, ſedentem, *Neogradienſibus* admetiens. *Hinc*, *Nagy-Hontenſis* regio ab occidente, Comitatui noſtro, obtenditur; vbi, ab oppido *Maroh*, quod in ripa Danubii ſeptentrionali, *Viſſegrádo* aduerſa, ſitum eſt, per vaſtos montes, vsque ad arcem *Drégel*, iugis, paſſim horrentibus, horrectos, confinia noſtra procurrunt. Vltra eam arcem, *Ipoly* fluius, in agro vici *Patak*, prouinciam, a Hontenſi diſterminat, vsque ad oppidum *Gyarmath*; vnde, aduerſo amne *Kürtös*, quem, partem maximam, *Neogradienſes* ſibi vindicant, verſus arcem *Kékkő*, per aſpera montium, repunt limites, dum, deſerta *Nagy-Hontenſium* vicinitate, *Zienſem* agrum adtingant. Primi hic ſunt vici, *Szenohrad*, & *Leſt*; vltra quos, interiectis montibus, *Tiszavnyk*, Neogradienſis adhuc ora vicus eſt. Ad hunc, montes *Oſztroska*, adtolluntur, variatis nominibus, in orientem brumalem, pone *Detvam*, Zolienſem vicum, & *Otſovam*, eiusdem ditionis oppidum, vaſto ambitu, vsque ad *Kóarvam*, *Kis-Hontenſium* vicum, decurrentes; donec, penes *Cſeh-Brezo*, *Póltár*, & vicos alios, in territorio *Nagy Darócz*, in cuius vicinia *Comitatus Gömörienſis* incipit, iidem termini, in orbem quaſi recurrant.

§. III.

Eius longitudo, & latitudo.

REgio, quæ iſto cœuitu continetur, XII. milliaria longa eſt, lata, heic quidem ſex, quinque alibi; raro anguſtior. qui ambitus, parca admodum computatione, milliaria habebit, plus minus XXXV. Metimur autem regionis longitudinem, a *Kornenſium*, & *Maltapatakienſium* montibus exorſi, vsque ad inſulanum Danubii vicum, *Kis-Oroszy*; ſicut, contralatitudinem, qua maxime protenditur, a *Heveſienſium* confinio, ad *Nagy Hontenſium* terminos, deſignamus. Situs prouinciæ, arcum leuiter intenſum, referre putatur. quam eius formam, alii aliter interpretantur. Alioquin, quia *Carpathi* radicibus ſubiacet, trahit ex eo confinio, montes vaſtos, & ſaltus opacos. In primis ora *Comitatus* ſeptentrionalis, montibus eſt aſpera. qui poſtea, quo longius in meridiem procurrunt; eo molliori deuexitate, paſſim miteſcunt: quin & in campos abeunt, & vberes illos, & amœnos adſpectu: quippe, montibus circumſeſſos. In his, planitiem, oppido *Szétsény* circumfuſam, iure numerauerimus. Præterquam enim, quod medium totius regionis, merito dixeris; ita facta eſt, vt hortum æmulari poſſe videatur. Neme, vniuerſus planitiei ambitus, ludentibus decliuiorum montium iugis, clauditur. In huius medio, oppidum *Szécsény*, ſitu eleuatiore, conſedit. Frequentes hinc vici ſparguntur, agris frumentariis partim, partim pratis, vndiquaque obſeſſi. Eſt, & ad *Loſontz* oppidum, nonnamœna planities; ſed anguſtior *Szécsénienſi*, ſteriliorque. Elegantior a eſt, quæ ſe ad *Gyarmath* diffundit: quippe, & gleba meliore, & iucundiore proſpectu. Reliqua, in meridiem regio, lucis, nemoribus, collibus item ſiluoſis, interſtinguitur: quam

Situs montanus partim, partim campeſtris:

planities qua?

ideo, *Cſerhát* Hungari vocant, quaſi, *dorſum quercinum*, diceres. Cum enim montes, qui ad ſeptentriones vergunt, roboribus lætentur piceis, & faginis; humiliores hi, & ad meridien proiecti, quercum habent familiarem, multa ſæpe & vtili, ad porccum ſaginam, glande, luxuriantem. Quæ vltra *Cſerhát*, agro *Comitatus Peſtienſis*, confinia ſunt, & montibus nuda eſſe incipiunt, & ſiluis ſed fœcunditatis eo exquiſitioris. Sunt, qui id ad *Comitatus* noſtri ommendationem pertinere exiſtimant, quod totius *Hungariæ*, quidn quaſi vmbilicus ſit, ita poſitus, vt, ad quamcunque orbis plagam eſpexeris, medii ſint *Neogradienſes*. quod nos, vti non refellimus; it, neque credimus temere: cum palam ſit, arctiora terrarum eſſe ſpati, quæ intra *Poloniam* interiacent, quam quæ, *Temesvarienſem* & *Neograienſem* agrum, disiungunt; vt *Tranſiluaniæ* hinc, illinc *Croatiæ* obiectus, intercapedinis haud omnino æqualis, taceamus.

an ſit totius Hungariæ *vmbilicus?*

§. IV.

Montes *Neogradienſium, qui? eorum natura, arbores, fera:*

QVæ hactenus diximus, facile fidem fecent lectori, montanam potius, quam campeſtrem, regionemdici oportere: vt proinde opportunum omnino fuerit, montes ſingulos exquiſitiore diligentia, deſignare. Qua in re, ſequmur ſituum rationem, vt eos primum adnotemus, qui regionem circumſepiunt; tunc vero illos, qui varie eandem interſtinguunt. Et a oriente quidem, qua ab *Heveſienſibus* diſtinguitur, *Comitatus*,

Mátra:

I. MÁTRA, nominari debet, quæ tamet apud *Heveſienſes*, decliuibus initiis, prope ad oppidum *Hatvan*, adſrgat, & præcelſis poſtea iugis, ad quinque milliaria, eadem regione, vrſus *Gömörienſem* agrum, protenditur; tamen, ſpargit radices ſuas, &cis *Zagyvam*, vt adeo, eius propagines, iure optimo, in *Neogradienſium* montibus, cenſeantur, licet nomen mutent, & a *Mátra*, mitifariam diſcriminentur. Certe, ex *Mátra* radicibus montes,

Medves:

II. MEDVES, continuantur, *Gömörienſius* contermini. Ab *vrſis* illis nomen, quia *Medve*, vrſum Hungari ſignificat; & *Medves*, vrſorum diuitem; forte, quod ferarum iſtud genus, luſtra hic aliquando habuerit frequentia. quæ hodie exinaniti ſunt, ſiue, ob frequentes venatus, ſiue, quod ad tenebroſiores ſatus demigrauerint beſtiæ. Qua dorſa adtollunt, fagis opaci ſunt, exima proceritatis, roboribus contra, & quercetis, qua deuexiores eſſe incipiunt. Ab hoc monte, tractus *Medveſallja*, de quo infra, nomen tlit. Iſto fere poſitu eſt, etiam mons,

Sátoros:

III. SÁTOROS, quem ita dixere, quoc longioribus iugis productus, tentorii ſpeciem referat. Nam *Sátor* Hungaris *Tentorium* dicitur. Quercetis totus obſitus eſt, & profunda longaque valle, quam infra deſignabimus, memorabilis. Inde, flexuoſo, ad ſeptentrionem, ambitu,

IV. Bu-

IV. Butsony inſurgit, non plane vaſtus mons, ſed limitaneus tamen *Gömörienſibus*, vicis *Korlat*, & *Bolgárom*, aduerſis lateribus, ſubſeſſus. Retracto, in mediterranea, ſitu, Butſony:

V. Karánts eſt, inſignis iugo triplici, totidemque ſaltibus. Ea eſt altitudine, quæ vix vlli montium *Neogradienſium* contigit; ſi *Szandam*, de quo paullo poſt, eximas: quippe, celſitudinis æmulæ. Nominis ratio, ſicuti reddi nequit, ita pluribus vicis, qui circum montem conſederunt, communicata eſt. In his ſunt: *Karánts-Allja*, *Karánts-Apátfalva*, *Karánts-Keszy*, *Karánts-Berény*: vnde inclutæ gentis Comitum Berény, origo manuit. quæ ideo, *de Karánts-Berény*, optimo ſuo iure, dici conſueuit. Medio vertice, qui inter duos vicinos, altiſſimus adſurgit, ſacellum inſedit, *S. Margarethæ* dedicatum, quod ante hos centum, & quod excurrit, annos, *Catharina Pálffy*, Comitis *Sigismundi Forgách*, Regni Hungariæ Palatini, vidua, poſuit, vt haberet, vbi ſuam teſtaretur religionem. Ferunt enim, ſubinde, nudis pedibus, per ſalebroſos calles, iſthuc adſcendiſſe, precibus vacaturam. Olim, mons hic, ceruorum longe fuit fœcundiſſimus, qui paſſim, agminatim ſaltibus inerrarunt; hodie, vix vnus alterue, multa & ſagaci indagatione, ſi venandum ſit, deiici poteſt. quam montis orbitatem, nimiis, hibernantium militum, venationibus imputari, accepimus. Tubera, *(a.)* proximis annis, opiliones heic reperere, inuſitato adhuc exemplo, quæ, ſi in poſterum ſint reperturi, Karánts:

Tunc erit, vt faciant, optata tubera cænas,
Neogradienſibus maiores.

Hinc limite, in ſeptentrionem ſubmoto, montes procurrunt,

VI. Málna-Patakenses, & Kornenses. Vtrique, *Kis Hontenſium* regiunculam, a noſtra diſterminant, ſuntque in *Carpathi* propaginibus cenſendi. cuius naturam, cum aeris aſperitate æmulantur, tum in primis, picearum arborum variis generibus. Aeſtate multum adulta, niuibus conſitos videas, vnde poſtea, cum in decliui regione, æſtu pene fatiſcunt omnia, *Etheſias* ſpirare, aduerſum eſt. Illud noxæ habet plurimum, quod diutinæ iſtæ niues, ſubiectam late regionem, partim intempeſtiuis pruinis adurant, partim tempeſtatibus ſæuiant, non paucarum calamitatum. Vulgus, ex montium horum, ſereno nubiloue obtutu, de procellis hariolari conſueuit. Nomen acceperunt a vicis, quos proximos habent: quorum alter Hungaris, *Málna Pataka*, Slauis *Málinetz*; alter *Korna*, Slauis *Krna* dicitur. Inde *Zolienſium* termini ineunt, & cum his, Málna-Patakenſes, & Kornenſes:

VII. Osztrossky, quorum, quia apud *Zolienſes (b.)* mentionem habuimus; nam dorſa, quæ ſeptentrioni obiiciuntur, ad eam regionem pertinent; heic non eſt, vt multis eos perſequamur. His contermini ſunt: Oſzroſſky:

VIII.

a.) Hungari, *Szarvas-gomba*; Slaui, *Gelenie-Huby*, adpellant, familiare alpibus Italiæ, fungi genus; quodque in deliciis habent, exquiſitioris palati homines.

b.) Tomo II. Operis Hiſtoriæ Comitatus Zolienſis, Partis I. Memb. I. §. III. n. VIII. p. 37.

Digitized by Google

Dobrocſenſes: VIII. Dobrocsenses, vaſti illi & ſiluoſi, ac priorum innexi radicibus, varieque diffuſi. Hos, minores alii, in occidentem continuant, vsque dum, inclinatis, ad arcem *Kékkő*, iugis, prorſus in colles deſinant, humiles, & nemoribus quercinis obſitos. Inde, per *Nagy Hontenſium* confinia, montoſa vbique regio eſt; & paſſim, vitium egregie patiens. quæ poſtea, ad vicum *Nagy-Oroſzy*, adtolli denuo incipit, & præruptis hinc inde cacuminibus, aſperari, quorum vni, arx *Drégely* inſidet, iam pridem ſuis ruderibus obruta. Tunc montes

Jenöienſes: IX. Jenő ineunt, longe lateque protenſi, & vaſtis ſaltibus, varie inſeſſi. Hungari, plurali numero *Jeney Hégyek*, ideo adpellant, quod partitis iugis, in plures montium ordines abeunt. Quercus his potiſſimum familiaris eſt: qua vero, lentis decrementis ſubſident, atque vicis adrepunt, caſtaneas arbores, ferunt haud inique: credo, attauorum memoria, ex induſtria conſitas. Interna montium ſaltuumque, abdita, feris referta ſunt, ceruis potiſſimum ac damis; quæ duo genera, montanis ſolitudinibus delectantur, quas neque frequens venator adeat, neque lignator concutiat. Torrentes, ex his montibus deiecti, haud raro, *granatellos*, molis & pelluciditatis eximiæ, ſecum, inter arenas, vehunt, tanta ſubinde copia, vt venatores ruſtici, pretioſis iſtis lapillis, plumbeorum globulorum vice, vtantur. Sunt, qui viderunt, magnitudine avellanas, colore autem rubinos, propemodum æmulatos fuiſſe. Profecto, ſi eſſent, quibus res iſta curæ foret, non id equidem fructu cariturum crediderim: quod nobilium aliquot feminarum exemplo liquet, quæ integra, pro gentis more, cingula, ex hoc *granatorum* genere, & collecta habent, & gerunt. Vltimus, iſto tractu, montium eſt:

Naſzály: X. Naszály, meridiano ſoli ita obuerſus, ut altero quidem latere *Danubium*, *(c.)* & adſitum ei oppidum *Vácz*; altero, regionem noſtram, proſpiciat. Qua radices deprimit, benignius vitem alit, in primis in *Kosdenſi* agro; cuius ſane vinum, tota iſta regione, nobiliſſimum eſt. Sed, qua adſurgit altius, petris horret præruptis, & paſſim in acutum deſinentibus, vnde nomen enatum monti credunt, qui etymon Hungaricum rimantur, quaſi ſit: *Nagy-Szál*, ingens columna, & contracte *Naszály*. Illud certum eſt, montem eximiæ altitudinis eſſe: quique qui, proſpectum, in meridiem, atque ortum æſtiuum, habeat longe patentiſſimum. Budam certe, quatuor milliaribus diſiunctam, quaſi vicinam deſpicit. Qui ſudo cælo, & aere a vaporibus puro, montem conſcendunt, *Ketskemethinum*, campeſtris Hungariæ, inſigne oppidum, viſu adſequi poterunt; tametſi ad milliaria XII. Hungarica, in orientem reiectum. Et hi quidem montes fuerunt limitanei. In mediterraneis, vt humiliores alios taceamus,

XI.

c) Fuit nobis eius mentio, ſupra, Tomo III. Hiſtoriæ Comitatuum, Peſt, Pilis & Solth, Parte I. Memb. I, §. II. p. 3. quatenus nempe, ad eam regionem pertinuit.

Digitized by Google

XI. Szanda occurrit, incerta omnino denominatione. Gemino is faſtigio, ſed inæquali, intra conuexa montium, ſuſtollitur. Et decliuior quidem vertex, arcem inædificatam olim habuit, eximiæ opportunitatis; ſiue amœnitatem loci ſpectes; ſiue ſecuritatem: quippe, altius ſubmotam, quam quæ a vagabundi hoſtis impreſſionibus, metuere ſibi debuerit: de qua in arcibus dicemus. Montium alter, adſurgit is quidem altius, ſed priori fere gracilior, certe acutior eſt, & ad paſſus plus minus mille, in orientem ſeiunctus. In eius cacumine, foſſarum ſunt veſtigia, forte, præmuniendæ arcis, expugnandæue cauſſa, ductarum. Inde, fons proxime abeſt, perennis olim, & in obiectam arcem deductus; ſed, qui hodie obrutus eſt, neque, niſi lento quodam humore, veſtigium ſui prodit. Quæ ſub his apicibus ſunt, denſa quercu, & opacis ſiluis conſita vidimus. De montis altitudine, inde coniici poteſt, quod liquido aere, qualem metatores noſtri habuere, ſeptem circumſitos *Comitatus*, haud obſcure, notare liceat. Diſſidet *Szétsényo*, duobus, in meridiem, milliaribus. Altius, in ſeptentrionem, & montibus *Oſzſtroſky*, vicinus mons, Szanda:

XII. Liszetz *(d.)* eminet, vico *Paróczá*, adſitus, ideo memorandus, quod præſagus & ipſe ſit tempeſtatum. Nam, ſi imbres imminent, triduo ante, ſuſurris perfremit, neſcio, quo ventorum excitatis illapſu; cuius demum vertice, dum pluuium eſt cælum, perpetui audiuntur ſonitus, non prius ceſſaturi, quam pluere deſierit. Ergo, ex facili cognoſcunt accolæ, quando Liſzetz.

Fulminaque & tonitrus & nimbos conciet atros.

Et heic aggerum viſuntur veſtigia, credo, ab *Huſſitis*, cum iſta regione graſſarentur, poſitorum. Ad quod eos, perennis fons, adhuc ſaliens, inuitare poterat; vt altitudinem montis, ſpeculam quodammodo æmulantis, taceamus.

§. V.

Montoſa cum ſit regio noſtra, non eſt, cur ſiluas deſideres. Dorſa *Cſerhát*, ſupra meminimus, ad quinque propemodum milliaria, per fractos varie colles, proiecta. Poſtea, ſiluæ, quas *Medves-Allja* vocant, merentur nominari. Vocabulum, a montibus *Medves* inditum: quippe, quibus ſubiacent. id quod Hungarica notio ſignificat. Vaſtæ ex ſunt, & ſparſis, per decliua montium, nemoribus lucisque, inſignes, ac multa ſæpe glande luxuriantes. Suppares his, aut certe fructuoſiores, ſaltus *Banenſium* dixeris. Nam, præter vberem glandium prouentum, robora habent, compingendis doliis, in primis idonea. Sed, ſiluæ *Malnapatakenſes*, *Cornenſesque*, piceæ ſunt fere, & materiandis domibus idoneæ. Reliqua ſiularum, fagis alibi conſita ſunt, quercu & ilice alibi. Betularum, rariores lucos Siluæ, & *harum opportunitates.*

d) Liszy, Slauis, caluum ſignificat.

notare potuimus: forte, quod amet hoc arboris genus, ſolum ſterile & exſuccum. Illud, ad laudem ſiluarum *Neogradienſium* retuleris, quod paſſim, maxime vero humilioribus montibus, paſcuis ſint lætæ, pinguibus, & ſaginandæ pecudi idoneis. Hinc videas, montanas villas, æſtiua item, & hiberna, cum ouium, tum pecoris alterius, ſtabula, intra ſiluas, longe a vicis ſubmotas, conſtitui. Hic demum, quidquid armenti habent, quod eſt a domeſticis vſibus diſcretum, & pascunt æſtate, & hieme alunt. Porcos certe, quos ſemel enutriuere in ſiluis, nunquam inde, niſi, vel ad mercatus repetunt, vel ad lanienam. Quin & ouibus, perpetua in ſiluis ſunt ſtabula. Ceterum, vt iſtis pecorum ſtabulationibus, præter æſtiua paſcua, hiberna etiam ſint pabula, fœnum, in ſiluis cogi ſolet, idque, vbi raræ ſunt arbores, locaque ideo apriciora.

§. VI.

Ferarum *exinanita luſtra:*

Siluis, iuxta & montibus, feræ antea inerrabant, & variæ, & multæ: quæ hodie, quaſi naturam deſeruiſſet regio, tam eſſe incipiunt raræ, vt venatus, etiam cum cura, & ex artis præſcripto, inſtituti, irriti ſint, & inanes: cum antea, nihil indagine opus fuerit, ſed ad primum, in ſiluas illapſum, crebriores ſe obtulerint feræ, quam, quibus conſectandis numeroſiores etiam venatores, potuiſſent ſufficere. Nos ipſi meminimus, integra nobis aliquando, hinc ceruorum agmina, illinc damarum imbelles greges, intra ſiluas proficiſcentibus, occurſauiſſe. Reuera autem, non eſt regionis iſtud vitium; ſed hominum, modum venationi ponere neſcientium. Qua culpa, *eius rei cauſſa:* tametſi *nobilium* virorum aliqui: quin, quod mirere, ruſticorum etiam impotens vulgus, haud caret; tamen, eſt hic præcipue, æſtiuantis hibernantisque militis licentia, notanda. Quando enim vitam, ab occupationibus vacuam, degunt, ſubinde venatibus, magno inſtitutis adparatu, tempus extrahunt. quod, ſi tempeſtiue facerent, & cum modo, ferendi eſſent; ſed quoniam, & ea tempeſtate inſidiantur feris, qua eis, ab ipſa natura, vt genus propagare poſſint, datæ ſunt induciæ; id vero, ferri haud deberet. Fit autem iſta venandi intemperie, vt feræ, in annos ſingulos, diminuantur: & metuendum omnino fuiſſet, ne, quemadmodum

Triſte lupus ſtabulis,

ex Anglia; ita nobiliſſimæ quæque feræ, ex regione noſtra, vel eliminentur penitus, vel luſtris, intempeſtiue depulſæ, mitterentur in exſilium; niſi optimi Principis, atque Ordinum *(e.)* auctoritate, maturius, libidini iſti, modus fuiſſet poſitus. Alioquin, ex montano, & fœcundo regionis habitu, facile eſt coniicere, quæ heic feræ lubenter *ferarum genera:* hoſpitentur. Nimirum, ad ſeptentriones, qua *Zolienſium*, & *Kis-Hontenſium*

e) Vide, Anni MDCCXXIX. Decret. Articulo XXII. quem citauimus, in eandem hanc rem, ſæpius.

Digitized by Google

tenſium montibus cohæſit regio, vrſi, ſua habere ſolent luſtra, maiores illi, iuxta & graciliores. *Linces* aliquando, eadem iſta ora, interceptos fuiſſe, meminerunt venationum periti; ſed credo, ex vicinia huc deuiantes, non vero iſthic ſatos. Reliquum regionis, *apros*, grandes illos & validiores, *ceruos*, *damas*, *vulpes*, *martes*, *lepores*, & *feles* ſilueſtres, promiſcue alit. In auibus ſilueſtribus, *Tetraones* ſunt, maiores minoresque, *attagines*, *perdices*, *turdorum* variæ *ſpecies*, *ficedulæ* item, & id genus volucres aliæ. Sed, nec *Phaſiani* refugiunt regionem noſtram, qua mitioribus iugis, in *Peſtienſis Comitatus* viciniam, porrigitur. Amat enim auis hæc, ſiluarum & camporum, opportunas viciſſitudines, vt patriam quodammodo referat, non magis apricis locis, quam montibus, inſignem. Nam, ſi veteribus credimus, ex *Colchide (f.)* in *Graciam*, & inde in reliquam *Europam*, delata eſt, ab Argonautis. Tametſi vero rariores adhuc, noſtra regione viſuntur, frequentes nihilominus ſunt, menſis inſtructioribus, atque id, non diebus tantum feſtis, quod, de *Alexandro Seuero*, memorat LAMPRIDIVS *(g.)* *Kalendis*, inquit, *Ianuariis*, *& Hilariis Matris Deum*, *& Ludis Apollinaribus*, *& Iouis epulo*, *& huiusmodi feſtis*, *Phaſianum adpoſuit: ita*, *vt aliquando duo ponerentur.* Quam SEVERI frugalitatem, ſi populares noſtri, cænantes & ipſi ſeuerius, æmulari vellent; breui *Hungaria*, tantum *Phaſianorum* daret, quantum propemodum domeſticarum gallinarum habet. Sed proſequamur inſtitutum.

aues *ſilueſtres.*

§. VII.

FLuuios nobiliores, duos admodum habet Comitatus Neogradienſis, varie curſum tenentes. Horum præcipuus:

Fluuii *Neogradienſium nobiliores*, *& horum piſces*, *atque amphibia:*

I. IPOLY eſt, Latinis *Ipola*, Slauis *Ipel*, Germanis *Eipl.* Etymon, nec quidquam indagabis, ita obſoletum eſt. Caput eius, in montibus *Malnapatakenſibus* ſcatet, ea valle, cui a prædio *Szamotves*, nomen eſt, duobus, ſupra vicum *Malnapatak*, milliaribus. Poſteaquam, e perenni fonte proſiliit, vbere ſtatim limpidoque riuo, ſtreperus defluit, ſubinde, conuallium, quas permeat, torrentibus increſcens. Inde egreſſus, tantum vehit aquarum, quod verſandis molis, etiam pluribus, ſufficiat. Nondum enim *Malnapatak* præteruectus eſt, cum geminam molam, materiariam alteram, alteram frumentariam, rotare incipit, pluribus poſtea aquas miniſtraturus. Primum hunc vicum, haud ſine fructu eximio, præteruectus, in meridiem pronus labitur, concitatus quidem adhuc, ſed minus iam ſonorus; credo, ob aluei, cum laxitatem, tum mæandros etiam, quibus mirum in modum ludit. Fit vero ea re, vt, & ripas ſubluat, & pluribus locis, voraginibus locum faciat. Longum foret, vicos percenſere, quos adluit; ſunt enim, ſi parce admodum ſupputaueris, hac prouincia, plus minus

Ipoly: *eius origines:*

qua curſum teneat:

f.) Meminimus eius rei, Tomo I. Comitatus Poſon. Parte Generali, Memb. I. §. XIII. p. 36.

g.) In ALEXANDRO Seuero.

XXXII. totidem fere molis frumentariis, infeſſi. Oppidum, *Balaſſa-Gyarmath*, medium ſecat: vnde poſtea, inter *Neogradienſem*, & *Nagy-Hontenſem* agrum, limitaneus decurrit: dum XIV. a fontibus milliaria emenſus, *Danubio*, haud procul ab arce *Damaſd*, inſinuetur. Eius illic aquas, non ſine iucunditate aliquando, naue præterueƈti, ſpectauimus. Enim vero, longiore interuallo, retinuerunt natiuum colorem, qui ob *Danubii* vndas, liuidas illas, nigricanti ſimilis, adparuit.

inſternitur per prouinciam, tribus pontibus: Ceteroquin, pontibus, intra Comitatum, quatuor inſtratus eſt. Horum primus, ad vicum *Rap*, *Luſontzino*, proximum; alter, ad *Tarnótz*; tertius, in *Balaſſa-Gyarmath*; denique quartus, ad *Pőſteny* eſt. *Tarnotzenſem*, publico ſumtu Comitatus inſtaurari, accepimus; ſicuti tres reliquos, vectigalibus poſſeſſorum. Traiectus habet plures, qui, ſi tumuerit amnis, cymbis transmittuntur, plerumque male materiatis; ſin decreuerit, vadoſus eſt, & nullo negotio ſuperatur. Quo a fontibus ſit remotior, eo manat placidius; ſed latice multum diuerſo: quippe quem, illapſi vtrinque riui, & limoſus plerumque alueus, alienant a natiua limpiditate. Imbribus, etiam modicis, facile increſcit, ob torrentium, quos e montibus plures accipit, incurſum. Maxime autem, ineunte vere, & cum niues diffugiunt, noxius eſt eluuionibus. Vbi enim ſemel ripas ſupergreſſus eſt, late vagatur, & quem adtigit agrum, limo inficit; quin ſubinde, molis ipſis funeſtus eſt. Piſcium, pro vndarum mole, feraciſſimus. Scaturigini vicinior, *trutas* liberaliter alit, magnitudinis & ſaporis eximii. At, infra vicum *Malnapataka* delapſus, tametſi adhuc ſalebroſo vehatur alueo, delicatiſſimo piſci inhoſpitalis eſt. Mineram ferri accuſant aliqui, quam ea regione, copioſe adluat. Ego, limum eſſe credo, ſaxatili huic piſci, inimicum, qui eum arceat. Sed, hanc iacturam, egregie penſat, qua profundius in regionem illabitur. Habet enim, frequentes *Murenas*, *Barbones*, *Alburnos*, & omnium exquiſitiſſimi ſaporis, *Lucios*. qui, ita ſe priſcorum *Hungarorum* palato, adprobauerunt, vt prouerbio etiam locum fecerint: *Duna Pontya; Tiſza Ketſégéje; Ipoly Tſukája; leg jóbb bőt, ha Szeremi Borban főtt.* Id eſt: qui *Carpionem* Danubii, *Sturionem* Tibiſci, Ipolæ *Lucium*, *adpoſitum habeat, vino incoƈtos perfuſosque, Sirmienſi, eum, ferias eſuriales ſine querela poſſe celebrare.* Nempe, amant commeſt ipiſces, ſi prodeſſe debeant, generoſa vina: qualia, ante *Mohátſienſem* pugnam, *Sirmienſia* fuerunt. Hinc apophtegma, *(b.)* illud Hungarorum: *malediƈtum eſſe piſtem qui in tertia aqua natet.* Iſtud volunt: Piſcem, fluuiatili, qua editus eſt, aqua protraƈtum, & excoƈtum altera, puta culinari; *malediƈtum* fore, ſi tertia aqua, ſtomacho ſuperfuſa, mergeretur; huc enim vinum requiri, eo generoſius, quo procliuius eſt, hauſta aqua, quidquid piſcium ingeſſeris, corrumpere. Forte, & huc reſpexere, quod piſcibus veſcentes, ſiti vrgeantur exquiſitiore, quam, qui bubula famem ſedauerunt: eam, ſi aqua conati fuerint reſtinguere, non poterunt non, ſtomacho deprauato, prauos

eluuiones regioni noxiæ:

alit, prope ad capita, Trutas:

genera alia: Luciorum *Ipolæ laus, prouerbio celebrata:*

b.) Fuit nobis eius mentio, Tomi I. loco citato, §. VII. p. 25. in nota *)

Digitized by Google

prauos ſimul, vniuerſo corporis habitui, ſuccos inducere. Sed, hæc obiter. Præter hos, quos diximus piſces, & *Sturios* habet, *carpiones*que, quos infra villam *Póſtény*, intercipi accepimus. Credunt autem, increſcentibus *Danubii* aquis, iſta piſcium genera, quaſi errore ablata, in noſtrum flumen deferri; & aduerſo amne, tamdiu niti, dum ſe alieno ſub ſole natare, animaduertant, atque reditus ignara, ſuum hic propagent ſeminium. Denique, nec *amphibiis* caret fluuius noſter. Creberrime, *Lutras*, & quod mirere, *Caſtores*, capi videas, hieme potiſſimum, vbi gelu amnis concreuit. Tunc enim, vt aere libero queant perfrui, molarum cataractas ſubeunt: vbi, a rerum gnaris, nullo negotio, intercipiuntur. Iſta, de fluuio *Ipoly*, mediam prouinciam, ad octo milliaria, interlabente.

Stutiones, & Carpiones e *Danubio illapſi*:

Lutræ & Caſtores.

II. ZAGYVA, fluuiorum alter eſt, exilioris quidem, neque, ſiue vndarum tractu, ſiue opportunitatibus aliis, priori ſuppar; eò tamen memorandus; quod limes, a natura factus ſit, qui noſtram prouinciam, a *Heveſienſi* diſterminet. Oritur is, e radicibus montium (*i.*) *Medves*, ad vicum ſibi cognominem, parco admodum fonte. Hinc deiectus, riuo ſimilior manat, quam amni; modico poſt interuallo, varie augendus. Vtroque enim latere, montibus obſeſſus eſt, qui riuulos paſſim emittunt, *Zagyvæ* illabentes. Qua ille acceſſione, pluuio cælo, & vere potiſſimum, cum niues dimanant, vndoſior factus, ſonantiorque, per planas valles, præceps voluitur; dum vicum adtingat, cui *Kis-Terenne* nomen. Illic, flexo, aduerſus *Verbély* alueo, radicibus montium *Mátra*, immergitur; inter quas, varie fractus, tandem, mitiore aquarum lapſu, primum quidem *Tar*, Heveſienſium vicum, poſtea vetuſtum, eiusdem ditionis oppidum, *Páſztó*, ſubluit, magno molarum frumentariarum commodo. Hinc, laxior iam, quam profundior, in campeſtrem Hungariam, exſpatiatur, atque vicos iterum *Neogradienſium*, *Jobbágy*, *Szántó*, & *Lörintzy*, præteruectus, inſulam efficit, noſtræ adhuc prouinciæ adſcriptam. Tunc oppido *Hatvan* adlapſus, & in propugnaculorum foſſas deriuatus, ſtagnoque ſimilis, difficilem eius olim expugnationem faciebat. Inde, lento admodum lapſu, vt, in quam partem feratur, dignoſci vix poſſit, ſubit patentiſſimos *Jázygum* campos, atque oppidum *Jáſz-Berény* interluens, gemino poſtea amne, locupletatur. Alter *Tarna* eſt, e montibus *Mátra*, demiſſus; *Tapju* alter, ex *Comitatu Peſtienſi* adrepens. Noua iſta aquarum mole, factus exuberantior, in *Szólnokienſem Comitatum*, ſtagnans, an fluens, defertur, & ſupra oppidum *Szólnok*, ad vicum *Rékás*, a *Tibiſco* hauritur. Piſcium non æque, ſicuti *Ipoly*, diues eſt; niſi, qua propior ad *Tibiſcum* manat. Illic enim, factis ſubinde eluuionibus, piſces *Tibiſci* hoſpites accipit, altius plerumque, ad-

Zagyva: *eius capita*:

acceſſus ad Heveſienſes.

decurſus per lacunas:

quibus locupletatur amnicula:

i.) Male ISTVANFFVS, lib. XXX. p. 690, 21. Sogiua, *inquit*, oritur e paluſtribus lacunis, quæ inter Danubium, & Matram montem, inter *Cumanos* ſtagnare ſolent: ac primo *Berinum*, *Jazygum* oppidum, indeque *Hatuanum* præterfluens, tandem, apud *Solnocum*, Tibiſco miſcetur. *Recte, qua de exitu in* Tibiſcum; *reliqua prauè omnia.*

uerſo flumine, natantes. Hoc admirationem, in fluuio habet, quod, cum & ipſe perenni fonte ſaliat, & intra *Neogradienſium* fines, amniculis, oppido copioſis, locupletetur; haud raro, cum ſunt æſtates impluuiæ, atque ſoles æſtuantiores, aquis deficiatur penitus. Nos certe, anno MDCCIV. menſe Auguſto, ſicco eum pede, ad oppidum *Hatvan*, tranſiuimus, mirati alueum, ſiccitatibus, ad eum modum exſuctum, vt etiam dehiſceret, & rimas ageret, ſpithama latiores, ac longiſſime procurrentes. Atque, iſti fuere, *Neogradienſium* inſigniores amnes, gemino quaſi vbere emiſſi: quorum alter, *Danubium*, fluuiorum principem; *Tibiſcum* alter, ſuo illapſu, honeſtaret. Nobis, id ominis quidpiam habere videtur, quod, quale ſit, infra dabimus. Nunc, amniculos minores videamus.

exitus in Tibiſcum.

§. VIII.

Amniculi *minores:*

BIfariam eos, natura locorum, diſpertiuit. Nam, alii quidem, in *Ipolam* incurrunt; in *Zagyuam*, contra, alii. Dabimus, vtrorumque nobiliſſimos. Nimirum, quia montoſa, *Comitatus* noſtri, regio eſt, vallibus paſſim finditur, varie exeuntibus. Nulla vero earum eſt, quæ non fluuiolo rigetur, hinc inde, e montibus corriuato. In his eſt:

Loſontz:

1. *Loſontz*, haud exilis amniculus. id nominis, ab oppidi vicinia, quam perreptat, accepit. Fontes, in confiniis Comitatus *Zolienſis*, ea valle habet, quam *Fürész-Völgy*, Slaui, *Pjlnánská-Dolina*, a machina materiaria, adpellant. Per hanc, ad duo propemodum milliaria lapſus, augeſcit ſubinde, non vnius riuuli adlapſu, vnde egreſſus, ſeptem vicorum agros, trium milliarium interuallo, irrigat, dum infra oppidum *Loſontz*, cuius vocabulum adſciuit, recepto prius fluuiolo *Tugár*, *Ipolæ* ſe inſinuet.

Tugár:

2. *Tugár*, modicus is quidem amniculus; ſed ideo non ſilendus, quod *Loſontzinum*, occidentali eius latere, ſubluat. Emittitur ex *Diuinenſium* montibus, & arci *Gáts* ſubuectus, poſteaquam *Loſontzienſes* ſalutaſſet, duo fere milliaria emenſus, ac fluuio *Loſontz* coadunatus, in *Ipolam* exit: trutarum, intra montes, vterque ferax.

Sztregovienſis *amniculus:*

3. *Sztregova-Vize*, ſiue *aqua*, ſeu fluuius *Sztregovienſis*, ita dictus; quod geminum, eius nominis, vicum, adluat; alioquin, altius e montibus *Oſztroſka*, ſupra *Felſö-Tiſzounjk*, ortus. Totam ille vallem cognominem, ſinuoſo alueo permeat, octo circiter vicos, aut ſubluens, aut interfluens; cetera, molis frumentariis pluribus, vtilis: trutarum eo patientior, quo primis fontibus eſt ſimilior. Nam, qua limoſus eſſe incipit, murenis, alburnis, & cancris, magis gaudet. Incurrit in *Ipolam*, in exitu vallis *Ráros*, ſupra vicum *Mulad*, trium milliarium interuallo, poſt ſe relicto.

Szalatnya:

4. *Szalatnya*, ſcatet vltra vicum *Felſö-Eſztergár*, in prædio cognomine, vallemque eiusdem nominis facit irriguam, priori, & aquarum mole tenuior, & decurſu breuior. Nam, cum tres quatuorue

vicis

vicis adlapſus, molæ vni alteriue, aquas commodaſſet, *Ipolæ*, infra vallem *Ráros*, mergitur.

5. *Kürtös*; occidentalis Comitatus noſtri, a *Nagy-Hontenſibus* diſterminator, qua eſt finibus *Neogradienſium* adſcriptus. Non vna ſcaturigine, ſupra arcem *Kékkő*, emiſſus, modicus primum decurrit, poſtea, adlapſu plurium, ſiue torrentium, ſiue riuulorum, exundantior factus, complures vicos adluit, molarum & ipſe miniſterio, infignis. Intimat ſe *Ipolæ*, ſupra oppidum *Ipoly-*, ſeu *Balaſſa-Gyarmath*. Kürtös:

6. *Fekete-Viz*, ſiue, quod idem eſt, *aqua nigra*, credo, ob eum colorem ita dictus amniculus. Curto eſt admodum alueo; nam, in agro vici *Herentsén* ortus, ab oriente, in occidentem, non tam labitur, quam late ſtagnat, in primis infra *Szúgy*, vbi & ponte longiore iunctus eſt. Illabitur *Ipolæ*, ad *Gyarmath* oppidum. Eadem regione, Fekete-Viz:

7. *Lokus* manat, ex montibus *Jenő*, demiſſus. Qua a fontibus propius abeſt, decurrit præceps, ſed in regionem humiliorem delapſus, paluſtris eſſe incipit, & ſegneſcente diffuſoque alueo, etiam reſtagnans: vnde, ex latino vocabulo, *lacus*, nomen ei ſubnatum, credunt aliqui. Agros vicorum, *Nóténcs*, *Agárd*, *Felső-Petény*, & *Romhány*, non tam interfluit, quam deſes perreptat. De lentitudine aquarum, inde coniicias, quod verſandis molis, prorſus inutilis exiſtat. Exit in *Ipolam*, ad vicum *Détar*, lento ſatis oſtio. Altius, in orientem brumalem, ſunt: Lokus:

8. *Filek-Völgye*, vallis *Filekienſis*, Filekienſis:

9. *Gerege-Völgye*, vallis *Geregenſis*, & Geregenſis:

10. *Ság-Völgye*, vallis *Ságenſis*. quæ ſingulæ, ſuis interluuntur amnibus, molariis omnino, & multarum vtilitatum. Atque, hi omnes, in *Ipolam* exonerantur. Sed neque *Zagyvæ*, ſui corriuales deſunt. Præcipui horum ſunt: Ságenſis:

11. *Homok-Terenyenſis*, ex montibus *Medves* deiectus. Homok-Terenyenſis:

12. *Utas-Terenyenſis*, ab arce *Salgó*, præcipiti alueo adlapſus. Utas-Terenyenſis:

13. *Lucſinenſis*, ad *Samſonházа*. Denique Lucſinenſis:

14. *Tóldenſis*, penes *Csécſe*, defluens. Hi omnes riui ſunt vndoſi, molaribus miniſteriis egregie ſufficientes; trutarum adhæc, & gobiorum, diuites. Hæc de fluuiis. Tóldenſis.

§. IX.

FOntium, non minor eſt, cum numerus, tum varietas. Nam, vt dulces iam taceamus, *Acidorum* profecto, complures ſcatent, ſapore non minus, quam ſalubritate, memorabiles. quos iuuabit percenſuiſſe. Sunt autem, vt hinc initium faciamus, in præcipuis: Fontes acidi:

1.) *Garábenſis*, (quem, & *Kálnovienſem*, aliqui dicunt, ob vicinitatem,) modico interuallo, a profluente *Ipoly*, in pratis vici illius, vbertim ſcatens. Magna is, totius vicinitatis adprobatione, bibitur, deferturque ideo paſſim, ac *Loſontzinum* in primis, vbi eius amphoram, plurium ſextariorum capacem, vno alteroue numulo, emeris. Garábienſis:

Cum

Cum in pueris eſſemus anno MDCXCIV. & qui hunc ſequutus eſt, V. familiariſſimus nobis fons hic fuit, ac quotidiana fere excurſione, fatigatus. Quia enim, cum agreſtibus *Kalnovienſium* Muſis, quas hic *Paullus Batta de Vatta*, vir generoſus, & litterarum amans, pro copiarum modulo, liberaliter aluit, tunc diuerſabamur; quidquid, a plagoſo magiſtro, temporis vacabat, acidulis iſtis dabamus, niſi id aeris intemperies prohibebat. Sapor earum, adhuc ſe palato adprobat, ita memoria eius pertinaciter inhæſit. Sed, quæ earum fuerit ſalubritas, non habemus dicere: quippe, ætatis vitio, ab ea curioſitate, tunc alieni. Poſt has:

Poltárenſes: 2.) *Poltárenſes* nominauiſſe iuuat, vico *Poltár* vicinas, & *Garabienſibus* ſuppares; ſed frequentatas minus, quod altius ad ſeptentrionem ſunt reiectæ. Bibuntur tamen, cum a pagana illa plebe, tum ab incolis vicorum adfinium. Plures horum ſunt ſcaturigines, diuerſi, & ſaporis, & efficaciæ, vt procliue foret, multo numeroſiores fontes aperire, ſi id vſus poſceret. Sunt &

Filekienſes: 3.) *Filekienſes*, ſaporis quidem exquiſiti; ſed *Garábienſibus*, ſicuti accepimus, in cienda aluo, ſegniores. Multum opportunitatis inde habent, quod oppido olim nobiliſſimo, adſitæ ſunt. Atque, iſti quidem fontes, orientali *Comitatus* ora, ſcatent. In occidentali tractu ſunt:

Eſztergarienſes: 4.) *Eſzergárienſes*, a nobis aliquando potæ, ſed quantum recordamur, remiſſius acidæ, quam quarum nobis iam mentio fuit. Eadem ora,

Kürtöſenſes: 5.) *Kürtöſenſes* bulliunt, ad vicum, cui *Kürtös* nomen. Exquiſitioris, & ſaporis eſſe creduntur, & efficacitatis, ſed nobis intentatæ. Habet

Szalatnyenſes: 6.) *Szalatnya* quoque, vicinum, arci *Kékkő*, prædium, fontem acidum multæ, apud incolas, laudis.

Tiſzownjkenſes: 7.) *Tiſzownjkenſes* certe, tametſi non poſſint optimis adnumerari, tamen, multum ſibi commendationis ex eo conciliant, quod ad iter adſitæ ſunt, per montes *Oſztroſkenſes*, ad vrbes montanas ducens. Fit enim, ea fontis opportunitate, vt nemo ſit viatorum, ſiue abeat, ſiue redeat, quin eum ſalutet, & curuato hauriat cortice. Nobis profecto, ſemel atque iterum, iter illac facientibus, egregie ſe adprobauit. Atque, hi omnes, aciduli ſunt fontes, iique priſci. Ante aliquot luſtra, nouus aliquis, ad

8.) *Szétsény-Kovátſy*, repertus eſt, nitro copioſiore ſcatens, ſed non omnium ſtomacho, ex æquo idoneus. Qui eis adſueuere, vino generoſiori diluendo, inter prandendum, adhibent, citam inde aluum ſibi ſpondentes: quod, cum anno MDCCXIX. menſe Maio, in *Paulli Ráday*, viri, dum viueret, noſtri amantiſſimi, conuictu, apud *Ludanenſes*, valetudinis cauſſa ageremus, non vno documento, experti ſumus. Hauriuntur vero, ante ſolis ortum: vbi, qui primus acceſſit, nitrum, *alumine maritatum*, tenellæ inſtar glaciei, fonti innatare, aduertit.

Digitized by Google

vertit. An vero ideo, cum fonte *Roytſchenſi*, quod meus tunc hoſpes, voluit, conferri debeat, non audemus adfirmare. Fontes acidos hucuſque vidimus.

§. X.

AD aquas admirandas, quod adtinet, pauciores earum potuimus notare, quam id montana hæc regio, ſpondere videbatur. Nam, quod *Filekienſi* antro WERNHERVS, & ex hoc BEHAMB, atque exſcriptores alii, meminerunt, id nuſpiam reperias. WERNHERI *(k.)* verba hæc ſunt: *Ad arcem Filek, in Comitatu Neográd, ſpecus eſt, in quo ſuperne deſtillans aqua, continuo dureſcit. Ibi vero videas, ceu ſtatuas hominum conſiſtere ſaxa, ex hac deſtillatione concreta. Albus his color eſt, nec per ſe tantum ſunt alba, ſed etiam coloris albicantis vſum, trita, pictoribus præbent.* Nullum hodie, ſiue lapideſcentis huius aquæ, ſiue antri veſtigium, in tota prouincia, nedum in agro *Filekienſi*, exſtat. Niſi credamus, aut ſpecum collapſum eſſe, iſtosque naturæ luſus, ſepultos, aut certe peregrinum portentum, Comitatui noſtro, WERNHERVM intuliſſe, errore inductum, vt pro *Agtelek*, vico Gömorienſium, *Filek* poſuerit. Nam illic omnino, ingens iſtiusmodi antrum viſitur, multis naturæ prodigiis refertum. Hoc ſilendum non eſt, in vico *Sóos-Hartány*, fontem eſſe ſalſum, cuius aquæ, largum ſalem purumque præbent, ſi igne decoquantur luculentiore; vt dubium haud ſit, officinam ſalis coctilis, cum fructu heic excitari poſſe, ſi id neceſſitas poſceret. Vico certe hinc nomen hæſit; *Sós* enim, *ſalſum* ſignificat, quaſi *ſalſum Hartány* diceres. Fontem interea, adaquando pecori adhibent incolæ; quin, & farinam, aqua eadem ſubigunt, vbi coquendus panis eſt: nam, pane ſalſo veſcuntur *Hungari*. Eſt apud noſtros, & gelidiſſimorum fontium copia, qui mutatis naturæ viciſſitudinibus, feruentiſſima æſtate, glacie ipſa ſunt frigidiores, neque ſine ſtomachi iniuria bibuntur: contra, dum extus gelu rigent omnia, referunt teporem æſtiuum. In his eſt fons, ſupra *Turopolyam*, ſummo cacumine montis *Jawora*, ſaliens: qui æſtate quidem, ob inuſitatum frigus, dentes, palatum, gulamque adurit, & vix ac ne vix quidem bibi poteſt; hieme, quod iuſto plus tepet, propemodum nauſeam prouocat. Plures eiusmodi, cum fontes, tum riuos etiam, alibi *(l.)* dedimus, vt iam nihil adtineat, in eius rei cauſſas, inquirere.

Aquæ admirandæ, & circa has Wernheri error:

ſalſus fons Sóos-Hartyánenſis:

gelidarum ſcaturigines.

§. XI.

ERat olim metallifera regio *Neogradienſis*, a qua quidem laude, non tam ſuo, quam temporum vitio, deiecta pridem eſt. Loquuntur id hodieque, duo illi vici, quibus fodinæ nomen conciliarunt, quique olim, in oppidis metallicis, cenſi ſunt: *Szinó-Bánya*, & *Lóno-Bánya*. Vbi noſtra adhuc ætate, paſſim, per montium latera, cuni-

Quibus metallis *gaudeat regio noſtra:*

k.) De admirandis Hungariæ Aquis, in Scriptor. Rerum Hungaricarum, p. 601, 10.

l.) Vide *Hiſt. Comit.* Tornenſis, atque iſthic Antri Szilicenſis deſcriptionem.

cuniculorum aditus, decidua humo obturati, notari poterant. quos *Comes Steinville*, Cæſarei dux exercitus, cum montanis vrbibus, nupero bello *Rákócziano*, cum imperio, præeſſet, aperiendos curauit, & minerarum, quæ erutæ illic ſunt, periculum fieri: ſed, præter plumbi veſtigia, larga illa, nihil amplius notari potuiſſe, accepimus. Quod ſi eſt, nihil fuerit opus, de etymo loci vtriusque; *Szinó-Bánya*, ſeu, *Czinowá-Bánya*, & *Lóno-Bánya*, dubitare amplius. Profecto enim *Szinó-Bánya*, hoc eſt, *ſtanni fodina*, dicebatur; haud vero, quod volunt aliqui *Szén Bánya*, id eſt, *carbonum fodina*, quaſi, vbi carbones tantum exuſti fuerint; cum a carbonariis officinis, *Uhliſte* dici debuiſſet: vt autem credamus, foſſiles carbones hic aliquando fuiſſe erutos, cauſſa idonea nulla eſt. Ad eundem modum, & *Lóno-Bánya*, quod Slaui hodie *Lowiná-Bánya* dicunt, olim *Olowená-Bánya*, hoc eſt, *plumbi fodina*, audiebat, ob plumbi mineram, quæ hic effodiebatur. Neſcio, an iſta cuiquam in mentem venerint; nobis certe, in nominum illorum etymon indagantibus, vltra veri ſimilitudinem, certa eſſe videntur. Proinde, *Stanni*, & *Plumbi*, rariori, in orbe Hungarico, metallorum prouentu, priſcis illis temporibus, *Neogradienſium* regio gaudebat; iam vero, etiam ditari poſſet, ſi eſſent, qui expergefactam, montanarum ciuitatum induſtriam, vellent æmulari. Neque enim, ita venas exinaniuiſſe atauos, temere crediderim, quin manſerit ſuper, quod ſeri nepotes, ſi voluerint, cum fructu poſſint ſcrutari. Præter ignobiliora hæc metalla, *aurum* quoque & *argentum*, heic erui oportuit. Et illud quidem, ex mineris *Szinobanyenſibus*, ſacrorum Diuinenſium antiſtitem, examinandorum metallorum, apprime gnarum, eduxiſſe adfirmant, qui viderunt. Argentearum vero venarum, indicio ſunt, *Banyenſium ſilua*, quas vulgus Slauum hodieque, *Streborné Hory*, hoc eſt, *ſiluas argenteas*, adpellat; ob cuniculos, quos illic priſci illi homines, eruendi argenti cauſſa egerunt. An alibi, eadem iſta metalla notari queant, adfirmatu difficile eſt, in tanto rei metallicæ neglectu. *Panæ* enim, & *Cererem*, malunt ſibi propitiari *Neogradienſes*, quam *Plutum*, & ſeras cuniculorum puteorumque ſpes, annuo, pecudis & ſementis, prouentui, ante ponere. *Ferri* præterea mineram, montes *Málnapatakienſes* habent; ſed cuius naturæ, non poſſumus dicere, ſiquidem rei eius, nemo adhuc, quod ſciamus, periculum fecerit. Eſt autem, cur credamus, nihilo deteriorem ea fore, quæ apud *Tiſzólzenſes* eruitur; cum, & montes illi, perpetuis iugis, cum noſtris, cohæreant, & locorum ſitus, egregie ſibi inuicem reſpondeant. quæ vtraque res, quantum in *gnomonica metallorum* valeat, norunt rerum periti. Iſta, de metallis *Neogradienſium* adnotaſſe, haud piguit, ne eorum memoria, penitus obliteretur.

habet ſtannum & plumbum:

aurum & argentum:

denique ferrum.

§. XII.

Cæli, apud Neogradienſes, ingenium:

IAm, quod ad reliquum cæli ſolique habitum adtinet, totus is, ex montanæ regionis ingenio, exiſtimandus eſt. *Carpathi*, Zolienſium, item & Gömörienſium montium, vicinitas facit, vt, aere noſtri

noſtri fruantur, frigidiore eo; ſed ſalubri admodum. Nam, æſtate quidem, nunc *Etheſias* adſpirant, nunc tempeſtiuos, in vniuerſam regionem, imbres effundunt. Sed diffitendum haud eſt, multum ſubinde calamitatis, *Carpathicos Aquilones*, in regionem inuehere. Scilicet, collectas, in ſinu, tempeſtates, vbertim eructant, quæ, vbi montium illorum cacumina ſupergreſſæ ſunt, ſicuti ipſæ ventos cogunt; ita eliſæ Aquilonibus aliis, magno tonitruum fragore, regionem peruadunt, & nonnunquam in cataclyſmos, in grandinem interdum, deſinunt. Tametſi, pro indole annorum diuerſa, nunc mitiores, nunc iterum concitatiores tempeſtates obſeruauerimus. Quin, & illud longior vſus incolas docuit, deiectas a *Carpatho* tempeſtates, quo vehementius ſæuituræ credebantur, eo citatiore curſu, in campeſtrem regionem, & vltra montes delatas fuiſſe; quod Aquilonum vehementiæ acceptum ferendum eſſe, facile vident, gnari ſituum regionis. Neque tamen, peregrinis ſolum tempeſtatibus, *Neogradienſes* ſunt expoſiti; vrgentur quandoque, domeſticis etiam; & quæ intra conuexa montium collectæ, varie ſubinde regionem peruagantur. Si mitior annus ſit, nihil cælo huiate temperatius eſt. Nam, & hiems opportune exit, & ſolis poſtea ardores, tot montium, ſiluarum, nemorum, lucorumque vmbris, accepti, laſſantur quodammodo, atque faciunt, vt & tunc queant cum voluptate quadam tolerari, cum ſunt intenſiſſimi.

tempeſtatum ratio, quas Carpathus *immittit:*

quæ oriuntur domi.

§. XIII.

Cæli hæ rationes, multum ad ſoli vbertatem, vel conferunt, vel demunt eidem; ſed pro diuerſa eius indole, modulo etiam diuerſo. Tres ſoli *Neogradienſis* ſpecies, vt eas generatim diſpeſcamus, obſeruatæ nobis ſunt, ſicuti nimium diſcretæ inuicem, ita, diuerſo cæli habitu, gauiſuræ. Vniuerſim, ora *Comitatus ſeptentrionalis*, ſterilior eſt, & aliena, a reliqua agri indole. Nam, qua altius intra montes vici conſederunt, ſolum nacti ſunt ſalebroſum, & lapidibus, ad ſilicis modum læuibus, quaſi ex induſtria conſitum. In his ſunt, *Abelowá*, *Lentvora*, *Madátska*, *Polichna*, *Prága*, reliqui. Iſti vero agri, cum ad ſubigendum operæ plurimum requirunt, tum larga opus habent lætificatione. Atque tunc ſicco magis cælo proficiunt, quam pluuio; nam illud quidem, inter opacas circumiectarum ſiluarum vmbras, æquius tolerant; quod lapides, ex nocturno rore, humoris quiddam haurientes, ſementem, occulta illa humiditate, egregie fouent; quod contra ſe habet, ſi cælum plus iuſto madeat. Tunc enim, quem ſemel imbibere humorem, ſalebroſi agri, diutius retinent, & nocturnis frigoribus, quæ heic familiaria ſunt, in primis, vbi ſerenare cælum incipit, plus iuſto refrigerati, ſegetum radices iniquius habent: quæ ideo, & in culmos adoleſcunt ægrius, & ſegnius ſpicas trudunt; grana vero gracilia edunt, & plus habentia glumæ, quam medullæ. Erant, qui cæli has iniurias, declinare vellent, egeſtis ex

Soli *habitus, triplicis natura:*

ſterilis, *ad ſeptentriones, & intra ſinus montium:*

agris, quantum eius fieri potuit, lapidibus. Sed, ea diligentia, adeo non profecerunt, vt deprauauerint etiam agros, fecerintque, neutri cæli temperiei ferendæ, amplius idoneos: proinde, vt ad ingenium redirent, opus erat, lapides, multo eruderatos labore, per agrum, ex induſtria, ſpargere denuo. quæ res, dicterio locum fecit, vt, ſi vicini, huius oræ hominibus, facete, quod fit, illudere velint, id eis obiectent, quod lætificandis agris, lapidibus opus habeant. Prima hæc agri temperatura fuit, oppido macilenta, & ruſticationis iniquiſſimæ. *Altera*, foecundior quidem eſt, neque ad ſubigendum æque refractaria. Hæc, cum ſub radicibus montium ſeptentrionalium, tum in primis, in *Loſontzienſium* ambitu, viſitur. Gleba huic argillacea ac tenax, quæ, ſicuti imbribus nimiis effœta fit, magisque macilenta; ita, ſi ſolis æſtus ingruant diuturniores, multum dureſcit, ſegetem datura gracilem & exſuccam. Itaque, larga hic ſtercoratione opus, & arationibus, maiori cura inſtitutis, quæ humum faciant reſolutam, & commotam altius: quod, qui negligunt facere, ſuam ipſorum meſſem, odiſſe putandi ſunt: quibus vero, laboris illa patientia cordi eſt, ſementem recipiunt ingenti cum fœnore; grano item, pingui & farinoſo. Supereſt, *tertia* agri ſpecies, laudatiſſima illa, & cum agricolationis facilioris, tum vberioris etiam fructus. Init hæc, in *Szétsénienſium* campis, & hinc ſecundo amne *Ipola*, protenditur, illinc, per *Cſerhátenſia* dorſa, quæ molli aſperitate collium fracta, ſuperius diximus, procurrit, dum in campeſtrem regionem *Heveſſienſibus* & *Peſtienſibus* vicinam, deſinat. Sed, neque laudati huius agri, eædem vbique ſunt rationes; habent nempe, pro varietate locorum, fœcunditatis incrementa, decrementaue. Ita, oppido *Szétsény* adſitus ager, fertilis omnino, probique fructus; fertilior, qui trans montes, duobus illinc milliaribus, in meridiem recedit, idemque, in primis tritici prouentu lætus; omnium autem fertiliſſimus, qui vltra ſiluas *Cſerhátenſes*, hinc *Zagyua* adhæſit; illinc, verſus *Peſtienſium* oram, procurrit: quippe qui, nec ſtercoratione vlla indigeat, & cum fœcundiſſimis Hungariæ agris, contendi poſſit. Tota hæc regiuncula, cælum amat, imbribus & ſolibus, ita temperatum, vt illi, huius ardores, reſtinguant; iſti contra, pluuiarum tempore, alant grauidentque humum. Quod ſi aliter ſe habet, meſſis in periculo eſt. Nam, ſolis quidem æſtus immoderatior, pingui terra acceptus, exurit ſegetem; pluuium autem cælum, efficit, vt nimio humore luxuriet fœcunda tellus, & tribulis inhorreſcat, quæ ſegetem deprimunt, fructumque corrumpunt.

fœcundior, in montium radicibus:

optimus, qui a Szétsinenſi ora, in meridiem panditur:

huius ingenium.

§. XIV.

Vitis, apud Neogradienſes, fata:

ISta, *Cereris* erant munera: nunc, quæ ſint *Bacchi*, videamus. Ante, quam ex *Mohátsiana* clade, infelix eſſe cœpiſſet *Hungaria*, ſicuti Comitatuum, iſto tractu, florentiſſimus fuit *Neogradienſis*; ita, neque vineatico cultu, facile conceſſit vicinis: iis potiſſimum oris, quæ

quæ ſe, in occidentem & meridiem porrigunt. Poſtea, cum *Buda*, regni caput, a tyranno teneretur, martium campum dixiſſes, prouinciam noſtram, ita, ſanguinolentiſſimi hoſtis impreſſionibus, fatigabatur. Quibus rebus fiebat, vt, cum agri frumentarii, tum in primis colles vitiferi, inculti iacerent, atque calamitate illa, ſeſqui ſeculum perdurante, inhorreſcerent ſiluis. Vites, validiſſimis roboribus, opaco nemore, adnatas mirabamur. quod indicio nobis erat, vineam illic conſitam fuiſſe, felicioribus temporibus. Poſt exactos *Buda* hoſtes, iamque vltra Hungariæ terminos reiectos, *Liber Pater*, haberi cœpit liberalius. Vix enim vicum ea, quam diximus, ora, videas, cuius eſt quædam, ad eam rem, opportunitas, quin iam, vel vitem pangat, vel certe vineta habeat, multa adcuratione exculta. Vniuerſim, bene vitis, in agro *Neogradienſi*, meridionali illo, & occidentali, conualeſcit; in primis, ſi in meridianum ſolem ponatur, & colles a tergo habeat, qui Aquilonis flatus, vel arceant, vel mitigent. Hinc, ſi annus fauerit, diuite prouentu exuberant vineta *Neogradienſia*, vinumque fundunt, menſis etiam opiparis, haud faſtidiendum. Sed, non vna vbique locorum, ſicuti fit, vini eſt præſtantia. Præcipua laus eſt, *Zöleienſi*, *Galáboczenſi*, *Szölöſienſi*, *Bujakenſi*, & *Kürtöſienſi*. Sed, quæ tamen omnia multis, poſt ſe paraſangis relinquunt, *Kosdienſia*, *Rádenſia*, *Etſegienſia*, & *Jobbágyenſia*. Singulis, cæli ſolique opportunitates, egregie velificantur. Et *Kosdenſes* quidem vineæ, in radicibus montis *Naſzály*, quem ſupra meminimus, ita conſederunt, vt ſolem meridianum, conuexis quodammodo collibus, accipiant; aquilones autem, qui noxam viti adflare poſſent, montis obiectu, retundant. Accedit, mira ſoli benignitas: nam, reſolutum alibi eſt, glarea permixtum alibi. Cum his, *Rádenſes* colles, de palma certare poſſe videntur. Hoc, enim vero, ſuo ſibi iure vindicant, quod *Tokayenſi* traduce conſiti ſint, referantque non nihil, quod æmulari, ſaltem imitari credatur *Tokayenſium* vina, toto orbe celeberrima. Nam, habent omnino ſaporem, ita ſuauem, vt, qui aromatum odorem fragret. Vtraque, alba ſunt & rubella; vtrisque, gloria propemodum eadem. Denique, *Jobbágyenſia* vina, ideo ad iſtam notam retulimus, quia eo ſitu, in *Mátræ* radicibus gignuntur, qui eſt ad eam rem, vnice opportunus: ſunt tamen exiliora iis, quæ iam laudauimus, credo, ob ſeminum, quæ hic pepigere, primi illi vinitores, iniquiorem naturam.

quomodo proficiat? vini laus, ac varietas:

vina nota optima:

Kosdienſium *laus præcipua:*

Rádenſium, *Tokayenſis indoles:*

Jobbágyienſium *ingenium.*

§. XV.

VInearum hæc mentio, hortorum nos commonefacit. Eadem his, cum vite, fata fuiſſe, non eſt, cur dubitemus. Nimirum, eſt id in more poſitum popularibus noſtris, vt, qua vineas ponunt, pomaria ſimul conſerant, quæ, vinetorum infimam regionem, occupent, viti, ob decliuitatem, inhoſpitalem futuram. Proinde, ſicubi vinearum cultus eſt, illic, nec *Pomonæ* dona poſſis deſiderare. Quin, & hoc obſer-

Cultus hortorum, *qualis?*

pomaria, vineis, &

ruſticanũ ædibus conſerta: obſeruauimus, vicos ſingulos, hortis circumſeptos eſſe, cum ita factas habeant ædes ruſtici; vt anteriorem eorum partem, cum familia habitent; mediam, pecus domeſticum teneat; iſtam horrea claudant; quod vltra eſt, hortis colatur, ſegnius alibi, alibi diligentia exquiſitiore. In primis, nobilium ædes, quas in vicis colunt, non pomariis tantum, ſed viridariis etiam inſtrui vidimus: olerum certe, & quidquid culinarium radicum eſt, herbarumue, tantum educant noſtri, quantum longis hiemibus ſuffecturum credunt. Nam, vt ruſticanis iſtis mercibus, lucrum faciant, opportunitate carent: quæ tota, copioſarum vrbium eſt. Maxime, peponum ſatu delectantur, quorum ſemina in apertis agris deponunt, & ſemel iterumque repaſtinata humo, lætificant, vberrimo dein prouentu, æſtatis partem feruidiſſimam, victitantes. Sed iſta felicitas, fere auſtralium tantum eſt: nam, qui ad ſeptentrionem colunt, ſicuti cupediis iſtis non ducuntur; ita malunt leguminibus operari, quæ & ipſa tamen proueniunt iniquius, piſa in primis: quippe quæ, muſcas ante concipiunt intus, quam hibernis agreſtium menſis adhiberi potuerint. quod ego vitium, cui rei adſcribere debeam, neſcio. Seminibus certe non poſſum, quæ optima licet ſint, contagione hac corripiuntur; vt procliue ſit exiſtimare, telluris aerisque eam culpam eſſe. Ergo, montani, *panicum* in primis colunt, quod eleuatis agris, vehementer lætatur; at, niſi matureſcat tempeſtiuius, aduritur pruinis, & fraudat agricolam. Materia medica, eadem heic, quæ apud *Zolienſes*, & *Liptouienſes*, gignitur.

herbarum, & radicum culinarium, cura:

aquilonarii ora, leguminum, quomodocunque, ferax:

materia medica.

§. XVI.

Rei pecuariæ ratio. VLtimum nunc eſt, vt, de re pecuaria Neogradienſium, dicamus. Variat ea, pro regionis diuerſo habitu. Nam, quod ſæpius diximus, montanum pecus, exile eſt; grandius, quod decliuioribus locis naſcitur; toroſum autem maxime, quod aruis inerrat campeſtribus. Ad eundem modum ſe habent, armenta *Neogradienſium.* Qua regio ad ſeptentriones vergit, pecora illic ſunt gracilia, neque tamen, ſicuti alibi, pilo verſicolore, aut male detortis cornibus, deformia. Medium regionis, armenta habet, grandiora quidem montanis; ſed quæ non exæquant campeſtrium, ſiue molem, ſiue compagis venuſtatem. Quod vltra *Szétsényum* regionis procurrit, benignius pecudem educat. Deficiunt tamen noſtros, numeroſiora illa armenta, quæ *Gulya* vocant, non tam paſcuorum inopia, quam anguſtia locorum, hac in primis tempeſtate, qua nihil incultum relinquitur. *Hungarica* enim armenta, ex quibus, inuſitatus ille boum numerus, promitur, arua requirunt, non pingui modo pabulo luxuriantia, ſed ſpatioſa etiam, & ad eum modum porrecta, vt eadem paſcua, rarius cogantur reuiſere. Interim, non deſunt, cum primoribus e nobilitate viris, tum & ruſticanæ plebi, eximia armenta, quæ per compaſcua nemora, gregatim vagentur. *Equorum*, neque educatur plus, neque alitur, quam quod

variat, pro ſituum habitu:

deſunt heic armenta illa copioſiora:

Digitized by Google

quod rei ruſticæ ſufficiat. Hinc, rariora ſunt huius pecudis armenta; neque, niſi apud opimiores, & quorum miniſteria equos, requirunt numeroſiores. Duplex horum genus aduertimus, agreſte alterum, quod & minutius eſt, pernix tamen, & cum equitationis, tum vecturæ etiam patiens; alterum herile dixerim, & quod ditiorum aulis ſtabulatur, ea generoſitate, quæ poteſt eſſe maxima. Sed ouium greges numeroſiſſimi aluntur, ratione prorſus eadem, quam alibi dedimus explicatius. Nequit tamen, *Neogradienſium* caſeus, cum *Zolienſium*, aut *Liptouienſium*, comparari. quod ego, paſcuorum diſcrimini adſcripſerim, quæ teneriora illic naſcuntur, robuſtiora hic, & magis ad ſaginam comparata, quam lactis probitatem. Inde, id quoque eſt, quod lana huias, *Zolienſi* aſperior ſit, neque pannificiis æque idonea. Ceteroquin, duum, & in iſta regione, generum, oues iam eſſe incipiunt; quorum vnum minutius teneriusque, lana item curta eſt ac molli; alterum procerius, promiſſo vellere, & gyratis in acutum cornibus. Iſtud, *Hungaricum* dicunt; illud *Slauicum*: quod ea Hungariæ parte, quæ a *Slauis* colitur, & tota montoſa eſt, optime proficiat, alaturque copioſiſſime. Denique, regionis glandiferæ opportunitas facit, vt porcorum greges ingenti numero, cum in vicis habeant *Neogradienſes*, tum ruri etiam, & locis ſilueſtribus educent. Hos, ſubulci, ferum genus, ſectantur, æſtiua ſimul & hiberna ſtabula, intra nemorum receſſus, colentes. Si annus glandis ferax ſit, ſimul ea defluere cœpit, gregatim, ad ſatyros iſtos, ſubulcos volo, quidquid, idoneæ ad ſaginam, pecudis habent, incolæ depellunt, ante brumam haud repetendum. Interea, pecus, niſi cælum ſit iniurium, paſſim glandiferos ſaltus pererrans, egregie increſcit, fitque toroſum, ac ſuccidum, dum, aut ad mercatus abigatur, aut ad domeſticam lanienam. Silendum forte non eſt, duplici, ſiluas *Neogradienſes*, glande abundare. Altera, fagorum eſt, minuta nuce, quarum plures vno echino concluduntur; quercum altera, priori vulgarior, notiorque. Hanc, querceta ferunt, tota regione ſparſa; illam, ſiluæ in ſeptentrionem reiectæ, priori, neque copia, neque in ſaginanda pecude, fructu æquandam. Nam, fagina quidem glande, quod dulcior eſt, atque pinguior, pecus etiam pingueſcit celerius; ſed lardum præbet minus probum, & facile in vitium abiturum: quod contra eſt, ſi porcus glande quercina, ſaginatus fuerit. Eſt paſſim, & tertium quoddam glandis genus, ilicibus naſci ſolitum, atque montibus *Jenöenſibus* familiare, echinato id calice, ritu caſtanearum, naſcitur; cetera, & mole, & ſapore, glandi promiſcuæ, ſuppar. quod ea regione prouenit, quæ eſt caſtanearum fructu, nobilitata. Hactenus, de *Comitatus Neogradienſis* ſitu, & huius natura, cultuque.

equorum *duplex genus*:

ouium *greges numerosi*: *caſei qualitas*:

porcorum *copia*, & *per querceta*, *optima ſagina*:

glandium diuerſitas.

MEM-

MEMBRVM POSTERIVS, POLITICVM,

De

Incolis, Magiſtratibus, Prærogatiuis & Ditionibus, Comitatus Neogradienſis.

SYNOPSIS.

Regionis habitus hodiernus: colebatur olim a Jazygibus Metanaſtis: *poſt hos* Hunni, Auares, *denique* Hungari, *rerum potiuntur.* §. I.

Hodie, incolarum præcipui Hungari, *eius ſanguinis nobilitas vniuerſa: huius indoles, ac ſtudia belli & pacis, & qui, in vtroque genere, excelluerint:* Verbőcius *iſthic ſatus:* Nicolai Tóldii *ortus: eius inſolens robur: mores nobilium hodierni.* §. II.

Pompa funebris: quomodo adſeruetur cadauer defuncti: domeſtica, die funeſto, ſolemnia: exſequias honeſtantium, ſubſellia: equi funebres: phaleratus alter, alter pullatus: leſſus & lugubris concio: carmen panegyricum, vernacula recitatur: funeris deductio: ſolemnia, quæ fiunt in eccleſia: ſilicerniorum opipari adparatus: eorum antiquitas apud Hungaros. §. III.

Feminarum *nobilium ingenium.* §. IV.

Ruſticorum natura, *atque in his* Slauorum: *eorum occupatio diuerſa ac fructuoſa: merces domeſticas, quo modo nundinantur: eorum natura: feminarum ingenium: ambiendarum nuptiarum ritus: gentis fœcunditas.* §. V.

Hungarorum *indoles, a* Slauorum *diuerſa: eorum deſidia increpatur: idioma inſicetum: nubendi tempora præmatura: cur* Hungari *ſteriliores ſint* Slauis? §. VI.

Ruſſi *olim, inter prouincia habitatores: a* Colomanno *rege adducti: eorum colonia, referunt hodieque nomen* Ruſſicum: *colonis pridem exinanitis.* §. VII.

Plebis Neogradienſis *occupationes, quam fructuoſæ: frumenti, in vrbes montanas, frequens, & fructuoſa vectura: non item vini.* §. VIII.

Magiſtratus *Neogradienſium: eorum laus: corrumpi largitionibus, probroſum ducunt: partiendorum tributorum æquitas.* §. IX.

Eligendorum Magiſtratuum ratio: circumſpectio, qua vtun-

vtuntur: comitiorum loca variant: Sedes Iudiciaria Loſontzini *fiunt.* §. X.

Supremorum Comitum ex gente Forgách, *catalogus:* §. XI.

Eiusdem gentis antiquitas, & merita, diplomate regio docentur. §. XII.

Familiæ Neogradienſium *illuſtres aliæ.* §. XIII.

Comitum Balaſſa, *ortus & propagines.* §. XIV.

Ordo equeſtris, & huius fortitudo militaris, at prærogatiua: Inſignia *Neogradienſium: a Leopoldo I. locupletata: originis alioquin incertæ.* §. XV.

Vice-Comitum Catalogus. §. XVI.

Ditiones regionis variæ: Gátsenſis: Divinenſis: Kékkôienſis: Gyarmathenſis: Filekienſis: Sághienſis: Salgóienſis: Bujakienſis: Neogradienſis: Nobilium *poſſeſſiones.* §. XVII.

Prærogatiua Comitatus: motam ſibi, anno 1723. in comitiis controuerſiam: validis rationibus elidunt, Neogradienſes. §. XVIII.

Exemtus eſt a iure neoacquiſtico: *in eam rem diploma* Leopoldi M. §. XIX.

§. I.

Regio, cuius nunc ſitum, atque opportunitatem vidimus, tametſi, neque habitatoribus caret, neque cultu; tamen, ad priſtinam, qua ante *Mohátsienſem* cladem fuit, celebritatem, nondum potuit eluctari: quinimmo, oſtentat paſſim, priſcæ illius felicitatis, monimenta, frequentibus arcium vicorumque ruderibus, deformia. Ante *Hunnorum* aduentum, *Iazygibus Metanaſtis*, quos inter *Tibiſcum* & *Danubium*, vsque ad *Granum* coluiſſe, diximus ſæpius, tota hæc ora fuit adſcripta. Erant autem *Iazyges*, gens omnino *Sarmatica*, quam, ob communionem originis, atque idiomatis, & *Slauicam* dicere poſſis: id quod, in *Hungaria* antiqua docebimus, argumentis, vt opinor, idoneis. Proinde, primi regionis inquilini, *Sarmatæ* erant, quos *Hunni*, & poſt hos *Auares*, ac denique *Hungari*, non tam victos, quam ſpe prædandi adlectos, in ſuam ſocietatem pertraxerunt, regione auita, ad incolendum genti permiſſa. Poſtea, rerum vtraque *Danubii*, & *Tibiſci* ripa, potiti *Hungari*, ſicuti viribus increſcebant in dies; ita cum *Slauis*, vel mixtim habitabant, vel his, in montanam regionem ſubmotis, ipſi, campeſtrem obtinuerunt. Non ergo alienigenæ iſthic *Slaui* ſunt exiſtimandi; ſed ipſis omnino rerum dominis, antiquiores, iidemque, habitatores indigenæ. quod, eorum cauſſa fas eſt monuiſſe

Regionis habitus hodiernus:

colebatur olim a Iazygibus Metanaſtis:

poſt hos, Hunni, Auares, *denique* Hungari, *rerum potiuntur.*

nuiſſe identidem, qui, neſcio, qua ducti vanitate, *Slauos*, late, per ſeptentrionalem *Hungariam*, diffuſos, tanquam ignobile quoddam genus, huc irrepſiſſe, & ſub iugum miſſum, priſtinæ illius ſeruitutis hodieque referre indicia, nihil dubitant adfirmare: cum aliter omnino ſe rem habere, & hiſtoriæ loquantur, & *Regni Decreta*. Sed, quemadmodum, nouis ſubinde coloniis, aucti fuerint *Slaui Hungariæ*, quia in vicinis Comitatibus, pro eo, ac neceſſum fuit, ſemel atque iterum, expromſimus; non eſt iam opus repetere.

§. II.

Hodie, incolarum præcipui Hungari: *eorum ſanguinis nobilitas vniuerſa:*

HVngari interim, haud quidem numero, dignitate tamen, *Slauis* omnino ſunt potiores. Nobilitas profecto omnis, *Hungarici* eſt ſanguinis, referens auiti moris decus, cum caſtigatum ſeueritate, tum comitate, contemperatum haud adfectata. Neque intra montes *Hungariæ*, facile Comitatum repereris, cui, priſci moris obſeruantia, ſit commendatior. Antequam *Filekienſis* arx oppidumque, alter, prouinciæ Neogradienſis, ocellus, eliſus fuiſſet; plane, maiorum inſtitutis viuebat regio, æmulabaturque, & belli, & pacis ſtudiis, auorum virtutem; tametſi belli potiora habere debuerit, ob *Turcarum* vicinitatem: cum quibus, non velitationes modo, ſed prælia fere perpetua, inire cogebantur noſtri; neſcio, maiorene virtutis militaris, an laudis acceſſione. Colligere hinc poſſis, de reliqua nobilium indole, quæ tota ita facta eſt, vt &, melioribus litteris idonea ſit, & militiæ. In vtroque genere, habuere ſuos heroas Neogradienſes. Certe *Verbőczius*, (niſi factionum ſe ſtudiis contemerauiſſet) laudatiſſimus ille Hungarorum *Vlpianus*, iſta regione prodiit, in caſtello vici *Perény*, nobili ſanguine prognatus, vbi poſtea & viuus degebat. Eius, de Iurisprudentia Hungariæ merita, quia in omnium ſunt ore, & opus *Tripartitum* ſatis loquitur, non eſt, vt multis memoremus. Manu autem fortium virorum, vel numerum inire, difficile eſt, nedum pro eo, ac digni ſunt, ſingulos collaudare. Inprimis celebratur, cum virtus bellica, tum inuſitatum corporis robur, *Nicolai Tóldy*, quem *Curialis* vicus *Tóld*, equeſtri loco natum, tunc dedit, cum fortibus viris maxime indigebat Hungaria. Nimirum, vixit in comitatu MATTHIAE Coruini, eius caſtra, inſtar prodigii, ſequi ſolitus: quippe, tanti roboris, quantum in mortales vix cadere poſſe putabatur. Clauam, ſcilicet, manu gerebat, eius ponderis, quod robuſtiſſimum quemque, ſolo onere fatigare potuiſſet. Neque minori haſta, ſiue in præliis, ſiue in ludis, vtebatur. Quam, ea virium contentione, vibrabat; vt vomerem, nondum vſu detritum, vno ictu pertunderet. qualem *Budæ*, in ea porta, quæ *Viennenſis* dicitur, (*a.*) ſuſpenſum mirabamur, tamquam roboris inuſitati, ad poſteros, documentum, ferro haſtilis, adhuc

huius indoles, ac ſtudia belli, & pacis, & qui in vtroque genere excellucrint: Verbőczius *iſthic fatus:*

Nicolai Tóldii *ortus:*

eius inſolens robur:

a.) Tomo III. Operis noſtri, Parte Spec. Memb. III. Sect. I. in Hiſt. Vrbis Budenſis, Cap. II. Periodo III. §. VII. p. 442.

huc intus hærescente. Hodie, præcipuam ordinis equeſtris laudem, in eo poſitam vidimus, quod ſe morum illa peregrinitate, abſtineat, quæ iam vniuerſam pene *Hungariam*, inſtar turbinis, corripuit. Quod ego, in primis ad nobilitatis decus pertinere exiſtimo, ſi, & tenax ſit eius, quod in auorum moribus egregium eſt, neque, quod prauum in peregrinis, adpetens. Vbi prodeundum in publicum eſt, ſplendidi ſunt, & cum comitate graues. Quod fere accidit, dum, aut prouinciæ magiſtratus inſtaurant, aut nuptias concelebrant, aut feſtos aliunde dies, agunt. Conuiuia illis, ſi ea inſtrui oporteat, opipara; ſed, quæ ornat adcumbentium ſeueritas: quod quidem, his locis diuerſati aliquando, non poteramus non ſuſpicere. Nunc, iuniorum vitio fieri audimus, vt conuictuum iſte, & ſplendor, & ſanctitas, miris modis corrumpatur. Nuptias, & funera, pompa, quam fieri poteſt, exquiſitiſſima, priſco tamen ritu, obeunt. Sed de nuptiarum ſolennibus, quia dictum alibi eſt; funerum hic cerimonias, iuuabit commemorauiſſe.

mores nobilitatis hodierni.

§. III.

NImirum, ſi quem ex optimatibus, in Libitinæ rationes abire contingat, cadauer, habitu emortuali indutum, ſpectandum tantiſper exponitur, dum adparetur ſarcophagus. Hic, vbi adeſt, magno, & acerbo domeſticorum eiulatu, loculo immittitur, exſangue corpus, quod poſtea, in ſecreto fornice conditum, ſæpe ad trimeſtre ſpatium, in funeſtis ædibus, detinetur. Interea, quidquid exſequialis adparatus neceſſarium eſt, magno ſtudio curaque, conquiritur. Eo congeſto, dies edicitur, funeri efferendo deſtinatus. Mittuntur paſſim lugubres litteræ, quibus exſequiatum inuitentur, non ii tantum, qui defunctum, qualicunque propinquitate adtingebant; ſed plurium etiam *Comitatuum* primores. Hi demum, tempeſtiue adſunt, dolorem quisque ſuum, prolixe teſtantes. Cum dies iniit funeſtus, tumba cum cadauere, mature effertur, atque media ædium area, ferali pegmati imponitur. Et tumbam quidem, ſericeo panno circumdant, pullato eo, ac præfixis demortui inſignibus, interſtincto. Quin & pegma, atris, & late diffluentibus pannis, inueſtiunt. Dislocantur vtroque latere ſubſellia, accipiendis his, qui ad cohoneſtandas exſequias, vel inuitati, vel ſponte, confluxere. Tunc vero, dextrum tumbæ latus, viri cingunt, feminæ ſiniſtrum. Mira omnibus doloris ſignificatio, multis, profuſæ etiam lacrymæ. Ad eam ſarcophagi regionem, quæ pedes cadaueris habet, pullatus ſignifer adſtat, vexillum, haſtili ſuſpenſum, tenens. Nigrum id eſſe conſueuit, & picturis illuſum, aureis argenteisue; quin, & inſignibus mortui decorum. cuius bifurcatæ alæ; nam ita ſunt vexilla Hungarorum; in humum vsque defluunt. Proxime, ad dextrum tumbæ latus, vidua, cum filiabus, ſi quæ ſint, & ſoro-

Pompa *funebris:*

quomodo adſeruatur cadauer defuncti:

domeſtica, die funeſto, ſolennia:

exſequias honeſtantium, ſubſellia:

ribus, lugubri habitu, collocantur; ſiniſtrum contra, conſanguinearum, longus plerumque ordo, occupat. Vltra caput, filii conſident, generi, & nepotes. Adſunt præterea, duo equi; alter, dextro latere, phaleratus, quem miles cataphractus inſidet, ſtricto enſe, equeſtrem defuncti dignitatem ſignificans; alter, a ſiniſtris, pullatus totus, & inſignibus decore adſutis, conſpicuus, quem agazo, frenatum detinet, quaſi qui amiſſum ſeſſorem lugeat. Reliqua circum ſpatia, exſequialis multitudo, per ea, quæ diximus, ſubſellia, iuſto ordine diſtributa, implere conſueuit. Pompa, ad eum modum inſtructa, leſſus primum canitur. olim, funebribus etiam tibiis adhibitis; tunc ſacerdos, pro concione dicere occipit, quod maxime opportunum eſt. Interea, tabulæ inſignium, inter hos diſtribuuntur, qui concelebrando funeri, triſtes adſiderunt. Vbi dicendi finem fecit, ſacer orator carmen patrium recitatur. quo, partim laudes defuncti commemorantur; partim, cum ſingulis ſigillatim, tum vniuerſim omnibus, argumentis, ad ciendum dolorem conquiſitis, valedicitur. Videres hic, fortiſſimis quibusque manare lacrymas, alios ſingultibus, ſuſpiriis alios, fatigari; feminas vero, ne planctibus quidem temperare. Tandem, ſublata, in funeſtum currum, tumba, funus, deduci ad ſepulchrum, incipit. Præeunt, longo ordine, ſcholarium & ſacerdotum cœtus: leſſum iterum canentes, triſtem, & mortalitatis monitorem. Sequitur cadauer, quod proximus eques cataphractus, criſtatam galeam capite gerens, equi greſſu, ad magnificentiam compoſito, lentus præcedit: inſequitur alter, pullatum equum ductans. Pone tumbam, ferales tædæ, a lugubri miniſterio, præfixis vbique inſignibus, deferuntur. Poſtea, exſequialis multitudo ſubit, dum ad emortualem cryptam veniatur. Hic, ſermones ſacri audiuntur denuo; tunc cadauer, ſepulchro immittitur, vexillum autem funeſtum, tanquam anathema, in eccleſia ſuſpenditur. Redux, ad ædes, exſequiantium multitudo, dolorem primum his teſtatur, qui ſunt eo funere, ad orbitatem redacti. Init poſtea ferale epulum, quod interea, domeſtica miniſteria, lautiſſimum adparauerunt. Si ditior fuerit, & non conſanguinitate modo; ſed clientelis etiam valens, cui iuſta perſoluta ſunt, pluribus ſæpe tricliniis, diſcumbitur, ac ducenti ſubinde epulatores, numerantur. Meminimus, pueris nobis, & inter prima litterarum rudimenta verſantibus, emortuali iſtiusmodi conuiuio, mediocrium fortunarum nobilis viri, boues duos, vitulos complures, porcorum, & altilium inſignem numerum, vini præterea, dolia aliquot (*b.*) conſumta fuiſſe. Neque enim heri tantum, & digniores quique, in conui-

equi funebres, phaleratus alter, alter pullatim:

leſſus, & lugubris concio:

carmen panegyricum, vernacula, recitatur:

funeris deductio:

ſolennia, quæ fiunt in eccleſia:

filicernio-rum opipari adparatus:

b.) At, ſi funus ſit in gente opimiore, &, cum priſcæ nobilitatis, tum dignitatum prærogatiua inſigni; viginti ſubinde boues; vitulorum, porcorum, ferarum item, altilium & auium ſilueſtrium, innumera propemodum multitudo, in hos adparatus, inſumitur: vt generoſiſſimi vini profuſionem, taceamus. Tale ſilicernium illud fuit, quod, *Loſontzini*, ante hoc ſexennium, in funebri pompa, PAULLI RADAY, vidua, & filii, dederunt.

Digitized by Google

conuiuium adhibentur; ſed viliſſima etiam famulitia, vti ſunt; agazones, rhedarii, & cetera vernarum turba, demenſum accipiunt ſuum, quaſi ideo venerint, vt alieno dolore, gulæ perlitarent. Iſta, ſilicerniorum, apud Neogradienſes, & vniuerſam gentem *Hungaricam*, ratio eſt, ne *Romanis* quidem ignorata; ſed noſtris profecto hominibus, ſuo quodam iure, a prima gentis origine propria. Iam tum enim, mortuo ATTILAE, inferias celebrantes Hunni, *Strawam* ingentem inſtituiſſe, apud *Jornandem* leguntur. Ita *Sarmatæ*, poſtea *Slaui*, funebres epulas vocabant, cum Hunniaco ſermone, *Tor* dicantur: quæ vox hodieque in vſu eſt. Vt male omnino, eius vocabuli indicio, ſummus LEIBNITZIVS, & plures alii, arguant, *Hunnorum* gentem, *Sarmaticæ*, ſeu *Slauicæ* fuiſſe originis. quod alibi, dedito ſtudio, confutabimus.

eorum antiquitas apud Hungaros.

§. IV.

DEtinuit nos, exſequialis hæc pompa, tametſi, quod credimus, non ab re: quia & ipſa, ingenium loquitur, cum gentis vniuerſæ, tum in primis nobilitatis *Neogradienſis*. Cum viris, feminas, amore virtutis, certare vidimus. Nam, donec iuris ſunt patrii, & virgineam degunt ætatulam, moribus innutriuntur caſtis, & dignis cum genere, tum ſexu etiam ſuo. In primis, diligentes ſunt pudicitiæ cuſtodes. Inter huius inſtrumenta, referunt matres, ſi mature adſuefaciant *Tulliolas* ſuas, & lares amare domeſticos, & in his, muliebribus diſtringi operis. Tum, ſi prodeant in publicum, vbi id, aut religio poſcit, aut honeſtas ſuadet, ſolicite cauent, ne oculos habeant emiſſitios, neue, vltra, quam par eſt, vrbanæ ſint & comes. Quod mihi quidem, iuſta ratione facere videntur, cum nimia femellarum, ſeu vrbanitas, ſeu comitas, a vilitate vulgati corporis, parum abſit. Poſteaquam, iuſtis nuptiis, in manus viri peruenere, fidem matrimonii egregie tuentur. Adde, viduarum continentiam, quæ ſubinde, priora vota, ita ſancte habent, vt, licet, forma non minus valeant, quam ætate; raro tamen, ad ſecunda tranſeant. quæ res, dicterio dedit occaſionem: *viduas Neogradienſium nobiles, nouam, ſuo iſto more, hæreſin inuexiſſe*. Certe, vix alibi ambiguæ pudicitiæ feminas, faſtidiri magis aduerti, quam iſta prouincia. Quam quidem laudem, vtinam, cum multis communem haberent. Nam, incipit omnino paſſim inuerecundia, iniquiſſima temeratrix pudicitiæ, in virtute haberi, magno, priſci honeſtique moris, detrimento. Ceteroquin, forma plerisque *Neogradienſium* feminis, venuſta contigit; indoles autem, prorſus ad rem familiarem intenta. quod a procacibus, in vitiis earum cenſum fuiſſe, meminimus; ſi tamen vitium ſit, formam tueri pudicitia; & hanc, aduerſus inſidiatores, perpetuo, atque vtili opere, circummunire. Enim vero:

Feminarum nobilium ingenium:

Otia ſi tollas, periere cupidinis arcus,
Contemtæque iacent, & ſine luce faces.

Hoc porro ſilendum haud eſt, nubendi hic ſpatia, adulto *Hungarorum* ritu, raro vltra vernantem pubem, proferri ſolere. Quod, tametſi minus probatur exteris: habet tamen, non excuſationem ſolum; ſed iuſtam etiam laudem. quod ea re, & inſidiæ, quas ſeculo hoc prauo, caſtitati inſtrui videas, ante declinentur, quam ætatem potuerunt circumuenire; & teneræ adhuc mentes, atque ignaræ ſolicitatæ pudicitiæ, ſuauius adſueſcant, vni caſtoque toro. quem demum, tanto ſanctiore cura intemeratum habent, quanto magis alieni ſunt expertes.

§. V.

Ruſticorum *natura, atque in hâ* Slauorum:

NObilium iſta indoles moresque fuerunt, a quibus, multum diuerſi ſunt plebeiorum. Ac *Slaui* quidem, & hic ingenium ſequuntur ſuum, quod quale ſit, alibi vbertim explicuimus. Illud, in laude gentis, heic memorandum iure eſt, quod præter ruſticationem, qua pars anni maxima diſtinetur, operas ſectentur, alibi, non facile in agreſtium laboribus, referendas. Nempe, ſicuti locorum, quæ colunt, opportunitas eſt, ita illi opificiis vacant. Qua montes, in ſeptentrionem reiecti, abietibus atque pinis lætantur, *materiarii* ſunt, edolandis ſcandulis, & ſcindendis aſſeribus, operam, haud ſine fructu, impendentes: ſed, qua iligneas, quernasue ſiluas habent, dolia pangunt, compaginant ſcrinia, & quidquid currulis ſupellectilis eſt, arte egregia, præparant. Alii, quibus humus contigit argillacea, fictilia vaſa, omnis generis, educunt, & igni torrent. Hæc ipſis, non hiberna tantum, ſed, æſtiua etiam occupatio eſt, dum agreſtes operæ, per interualla, ceſſant redeuntque. Quidquid iſta diligentia parauerunt, integris plauſtris, cum maxime opportunum eſt, vltra meridionalem *Comitatus* regionem, quam fere *Hungari* colunt, deuehunt, merces commutantes mercibus. Non raro vidimus, ollas, cantharos, qualos, & id genus, vtenſilia, tanto frumento vendita fuiſſe, quantum vaſa ipſa poterant capere. Quo ſane mercatu, nihil eſſe potuit opificibus fructuoſius. Ad eum modum, plauſtra, quæ, ſeu lignea, ſeu teſtacea merce, onuſta auexerunt, frumento, lardo, leguminibus, cannabe, pomis, item aut prunis oppleta, egregio cum fœnore, domum reuehunt, noua iterum nundinatione, apud ſuos, quæſtum facturi. Has vero peregrinationes, tanto ſubinde adparatu inſtituunt, quanto vix transmarinas alii. Riſu temperare tibi haud poſſis, ſi velis itineris rationes ſciſcitari, quorſum, vel proficiſcantur, vel vnde redeant? ex regione, inquiunt, inferiore, *Zdolney Zemy*, quaſi ipſi, orbem diuerſum colerent; tametſi, vltro citroque, vix quindecim milliaria emenſi. Lingua illis rudis, cultus obſoletus, mores auſteri, ingenium vafre, corpus robuſtum, ſtatura, inter nimiam & exilem, media: reliqua indoles, ad laborum patientiam, & ſi neceſſe ſit, tolerantiam, omnis generis difficultatum, conformata. Quod voculam *Kre*, otioſam illam, & nihil fere ſignificantem, ſermoni, qui & ipſe inficetus admodum eſt, & a *Slauorum* dialecto, puriore illa, multum ſecretus, frequenter ingerunt,

eorum occupatio diuerſa, ac fructuoſa:

merces domeſticas, quo modo nundinentur:

eorum natura:

gerunt, per conuitium, *Krekátsy*, a vicinis dicuntur. Feminarum ſuppar ingenium eſt, robur propemodum virile, venuſtas non multum commendabilis: quam, ingentes vittæ, rotata crinium plicatura, vltra occiput adſurgentes, multo reddunt ingratiorem. Veſtis plerisque, e cannabi, quam inſtar lini, ſolertiſſime ſubigunt, textrinas domi habentes. Amant *Slaui* maturas nuptias, quas, niſi iuſta ætate, non adpetunt. Poſteaquam vero, animum, ad ducendum, induxerunt, vicos peruagantur vicinos, ſponſam, ſuo talamo commodam, conquiſituri: quod indagationis genus, *Wyhlady* vocant, quaſi *ſpeculatum* diceres. Sicubi puellulas, certo indicio repererunt, harum parentes ſalutant, accipiunturque prolixa humanitate, quandoque, & accubitu, multum ſibi, hoc iſtiusmodi honore, placentes. Nulla tunc nuptiarum mentio: mores illi puellarum, venuſtatem, rei familiaris curam, & parentum copias, ſpeculantur. Atque, hæc quidem, nocturnis curis peragunt; ſemel atque iterum redeuntes. Tunc, vbi opportunas ſibi nuptias, neque negandas facile, hariolari poterunt, vota ſua promunt, formulis vſi, pro more & ingenio gentis, conceptiſſimis. Quodſi vero, negata ſponſa, abeundum ſit, ingentis id opprobrii loco habent, ideoque, & *Cynthiam* eiusmodi, & parentes, & vicum, quem illi colunt, multis ſæpe dicteriis, inceſſunt. quæ res, infeſtis iuuentæ congreſſibus, non raro occaſionem præbuit. Sin negotium, ex animi ſententia ceſſit, nihil, lætitia eorum dici poteſt effuſius. Alioquin, fœcunda in primis eſt natio *Slauorum*, & quaſi proletaria, hoc eſt, in id facta, vt apum inſtar, fœtificaret, emitteretque examina, paſſim, per *Hungariam*, nouas datura colonias.

feminarum ingenium:

ambiendarum nuptiarum vitia:

gentis fecunditas.

§. VI.

Diuerſa, multo eſt, *Hungarorum* agreſtium indoles, non tam naturæ vitio, quam ſua ipſorum culpa. Quia enim, & ſolum, & cælum, *Slauis*, nacti ſunt benignius, fit, vt remiſſius in opus incumbant. Nam „vbi ſolemnes agriculationis operas, ſuperauerunt, adparatu, quem ex annuo fructu acceperant, quomodocunque victitant; pane plerumque triticeo, braſſicis item, non æque leguminibus. Lardum, regionis glandiferæ beneficio, partum & affatim, & in deliciis habent: quippe quod, crudum, neque duratum fumo, ſalitum tamen largiter, auidiſſime edunt, optima etiam fercula, præ iſtis dapibus, faſtidientes. Vix illi quidquam agreſtium laborum, præter ſementem, ipſi faciunt. Fœniſecia, & meſſem frumentariam, quin & trituram, vicinis *Slauis*, permittunt: quas hi operas, alacres obeunt, & fructuoſa, rerum ſuarum, acceſſione. Vidimus aliquando, vaſtiſſimos agros, & puriſſimi tritici prouentu grauidatos, ea lege *Slauos*, & meſſuiſſe, & extriuiſſe demeſſum, vt, cum in agro, *octauus*, quin & *ſeptimus* quisque cumulus, tum in horreo, eadem illa menſura, ſua eſſet. Quod demum laborum præmium, ad ipſos operariorum vicos, decem ſubinde milliaribus, intra montes, reiectos, boni iſti *Hungari*, deuehebant.

Hungarorum *indoles, a* Slauorum *diuerſa*: eorum *deſidia increpatur*:

bant. Neſcio, vnde vetus, iſta regione, prouerbium: *Magyar Jobbágy, perlő társ*, id eſt, qui *ſubditum habeat* Hungarum, (nam *ſubditorum* nomine, *homines proprios* vocant noſtri) *eum* plerumque *litigantem ſimul antagoniſtam habere.* Id certum eſt, colonos *Slauos*, fructuoſiores hero eſſe ſolere, quam *Hungaros*, ſi adtendas, operarum adſiduitatem. Ceteroquin, ſui ſunt mores, agreſti huic generi, idioma craſſum, eo in primis tractu, quem *Ipola* interluit. Dicunt enim, cum maxime blandiri cupiunt: *Edes leukem, tſoukám, gævambotskám*, id eſt: *dulcis animula, monedula, columbula.* quæ ſunt omnino blandientium, apud *Hungaros*, formulæ; ſed corruptæ nimium, & rotundius ita enunciandæ: *Edes lelkem, tſőkám, galambotskám.* His, cum ſint moribus, tamen diſparibus nuptiis, nimiopere gaudent. Nimirum, ſponſus, ſæpe annos triginta natus, ſponſam in torum ſubinde adducit, vix duodecimum ætatis annum, ſupergreſſam: an ſatis commode, & ruſtico ingenio conuenienter, adfirmare non auſim; eo quod, obſeruatum ſit, ægrius femellas iſtiusmodi teneras, adoleſcere, & fœtificare tardius, quam pro agreſtium fortuna, quibus larga proles, merito in opibus deputatur. Non eſt ergo operoſe quærendum: cur *Hungari*, ruſtici illi quidem, *Slauis*, eadem iſta regione, ſteriliores ſint, ac propemodum improles? In promptu cauſſæ ſunt, quæ id doceant. Deſides, ſupra diximus, & hiemes, per inertiam extrahentes; cum *Slaui* contra, adſidui ſint in opere, & ſine ceſſatione, occupati. Id vero, quam ſit ad prolificandum opportunum, quam cõntra noxium, ſi lento otio torpeant coniuges, phyſici norunt. Adde, præcocia illa matrimonia, ſicuti ex ſe frugis nullius, ita corporibus nondum vndiquaque ſolidis, noxia fieri: quippe quæ, ante redduntur effœta, quam debuiſſent fœcunda exiſtere. Denique, huc & matrum *Hungararum* inſaniam, an indulgentiam, retuleris; quæ infantes, præter morem gentium aliarum, plerumque in tertium, quartum &, quod mirere, quintum, ſextum, atque ſeptimum annum, ab vberibus diuellere nequeunt, certe nolunt. quæ quidem lactationis tempora, neceſſe eſt, matres, ſine noua prole, male prodigere. Relatum accepimus, puerum ſeptennem, eundemque cum patre ruſticantem, ſubinde ab aratro, cuius iumenta ductabat, ad matrem cucurriſſe, rediiſſeque iterum, poſteaquam diſtenta eius vbera, quam auidiſſime exinaniuiſſet, tenellus oppido lactens, & dignus, qui hircum fugat. Quam equidem matrum iniquitatem, duplici de cauſſa, refrenandam eſſe, exiſtimarim. Altera eſt, quod pariendi tempora, nequiter eludant, magno, non heri tantum, ſed etiam reip. detrimento; altera, quia, vſu didicimus, adultos huiusmodi lactentes, obtuſioris fieri indolis, & nullius bonæ frugis. Sed hæc obiter.

idioma infectum:

nubendi tempora præmatura:

Cur Hungari, *feriliores ſint* Slauis?

§. VII.

Ruſſi olim, inter prouincia habitatores:

SVnt, qui præter Slauos & Hungaros, *Ruſſos* quoque, prouinciæ noſtræ adtribuant. Nimirum, COLOMANNVS, Ruſſorum colonias, ex

ex *Ladomeria*, & *Gallicia*, huc deduxiſſe perhibetur, collocaſſeque iis locis, quæ hodieque *Ruſſici* nominis, præferunt memoriam, ea lege, vt oſtiarii eſſent regii. Hoc vero victor, an victus fecerit COLOMANNVS, non habeo adfirmare. Id certum eſt, ingentem, a *Ruſſis*, cladem accepiſſe *Colomannum*; ſed matrimonium etiam, quod cum principe eius gentis femina, inierat, adulterii notatum infamia, diuortio, & bellis nouis, occaſionem dediſſe. Vicus, quem incolebant, *Oroſz-ſalua*, id eſt, *Ruthenorum* vicus, poſtea *Nagy-Oroſzy*, dici cœptus eſt: tum, vt ab alio diſcriminaretur, qui vnicus eſt prouinciæ *Neogradienſis*, in Danubiali inſula, cui *Kis-Oroſzy* nomen; tum, vt prærogatiuam loci indicarent, quod peculiaribus iuribus, regum donatus indulgentia, in oppidis cenſus eſt. Hodie, tametſi adhuc loca iſta coluntur, Ruthenicæ tamen gentis, nullum heic amplius, veſtigium notari poteſt; licet ſuperfuerit, ISTVÁNFFII temporibus. Quod eo minus habet admirationis, quia vicus ille, cum multis ſubinde malis, ob vicinam arcem *Neogradienſem*, conflictari debuit, quoties, ſeu a *Turcis* obſidebatur, ſeu recuperabatur a noſtris. cuius rei mentio, recurret, vbi oppidum luſtrauerimus.

a Colomanno *rege, adducti:*

eorum colonia, referunt hodieque nomen Ruſſicum:

coloni pridem exinanitis.

§. VIII.

CEterum, quæ ſit plebis *Neogradienſium* occupatio, nihil iam adtinet recognoſcere. Totam eam, agricolationis præcipue laboribus abſolui, ſupra diximus. Quem hinc fructum collegerunt, in vrbes montanas, operoſis itineribus, inuehunt: ac meridionalem quidem oram colentes, *Schemnitzium*, reliqui omnes, *Neoſolium*. cuius vrbis hebdomadarios mercatus, *Neogradienſes*, in primis frequentes faciunt. Frumentum, mercium ruſticarum, caput eſt; & ſi glans bene prouenerit, porci quoque, egregie ſaginati. quos agminatim, ad eadem loca, propellunt, aut domi vendunt, his, qui iſtiusmodi mercibus, ex more, quæſtum faciunt. Boues & equos, rarius montium inquilini vendunt; frequentius, qui in auſtrum, *Cſerhát*, & planam regionem, habitant: eo quod res illic pecuaria amplior eſt, meliorque. Vnum iſtud incommodis regionis accenſendum omnino, quod vrbibus careat, quæ commeatibus indigerent. Oppida certe, quæ habet, tenuiora ſunt, paucioraque, quam, vt reditibus plebis velificari poſſint; quid? quod & ipſa, rem ruſticam faciant. Proinde, habent, *Neogradienſes*, cur metallis *Zolienſium*, & *Hontenſium*, bene precentur. Aduerſum eſt enim, ſi reditus ex fodinis ſint ditiores, maiori multis modis, commeatu, metallicorum turbam, indigere; ſiue, quod augeatur operarum numerus; ſiue, quod nepotabunda gens, ſtipem propemodum omnem, in hebdomadas ſingulas, deglubere ſoleat. quod, non poteſt non, cum noſtrorum hominum fœnore, coniunctum eſſe. Vinum Neogradienſe, rarius aliorſum euehitur; cum *Schemnitzienſes* quidem, vicinorum; *Neoſolienſes* autem, præter *Hontenſe*, *Miskóltzienſe*, iuxta & *Tokaienſe*, bibere malint. Neque tamen defuerunt, quibus ſe

Plebi Neogradienſis *occupationes, quam fructuoſa:*

frumenti, in vrbes montanas, frequens, & fructuoſa vectura:

non item vini.

Kosdienſe, ob guſtus præſtantiam, probauerit ſæpius. Iſta, agreſtes opes permutandi, apud *Neogradienſes*, ratio eſt, quam iis fructuoſiorem, in poſterum, toto animo precamur.

§. IX.

Magiſtratus *Neogradienſium*:

AD *Magiſtratus* prouinciæ, quod adtinet, & rerum adminiſtrandarum formam, tota ea, ad legum patriarum normam, compoſita eſt; & muneribus abſoluitur iisdem, quæ toties meminimus: ſi iura quædam *municipalia* exceperis, quæ mutuo nobilitatis conſenſu, lata ſunt, ſancitaque. Nam, gaudent ea libertate *Hungariæ Comitatus*, vt, pro eo, ac neceſſe eſt, domeſticas ſibi ipſis leges ferre, & ex earum præſcripto, ſi id vſus tulerit, ſententiam poſſint dicere: ea tamen prouidentia, ne quid, priuatæ huiusmodi ſanctiones, habeant, quod publicis regni legibus, quomodocunque contraeat. Huc vſque, in laude *Magiſtratuum Neogradienſium* ponebatur, quod iuſti & æqui, ſtudioſiſſimi exſtiterint. Certe largitionibus, ſiue litigantium, ſiue plebis queruloſæ, corrumpi, infamiæ ſuppar habetur, neque committitur facile, vt publicorum munerum procuratio, apud hæc iſtiusmodi reip. dedecora, vltra annuum ſpatium, relinquatur. In primis, eximia, in diſpertiendis tributis, noſtrorum, cum æquitas eſt, tum ſolertia. Nimirum, quia in numerato habent, non vicorum modo omnium opportunitates; ſed ſingulorum etiam ruſticorum copias, hoc eſt, iumenta, agros, prata, & quæ ſunt agreſtes opes aliæ; non facile euenit, vt, ſeu vici integri, ſeu incolarum ſinguli, plus iuſto, tributis onerentur. Qua quidem æquitate, fieri neceſſe eſt, vt, & præſtandis tributis, tum quoque par ſit plebs, cum ſunt tempora difficillima; neque ad vertendum ſolum, iniqua nimietate, adigatur: id quod aliis *Comitatibus*, & tunc ſolitudinem adtulit, cum per temporum qualemcunque felicitatem, incolis, iuxta & opibus, locupletari debuiſſent.

eorum laus:

corrumpi largitionibus, probroſum ducunt:

partiendorum tributorum æquitas.

§. X.

Eligendorum Magiſtratuum *ratio:*

INſtaurandorum *magiſtratuum* ſolemnitas, triennalis eſt: quos, ſi commodos habuere, vno omnium voto, niſi aliter magiſtratus ipſi voluerint, porro confirmant; quod tunc aliter ſe habet, vbi noxæ aliquid, aut malæ famæ, ſibi collegerunt. Aduerſum autem eſt, nullos minus ad clauum reip. admotos hucusque fuiſſe, quam, qui eam dignitatem, obliquis artibus, ambiebant: nullos quæſitos magis, quam, qui locum illum, defugiebant. quæ res, quam fuerit, cum publica vtilitate coniuncta, illi ſatis intelligunt, qui cum magiſtratuum integritate, communem felicitatem, coniunctam eſſe ſolere, vſu didicerunt. Hinc, non facile vnquam, a priſco eligendorum magiſtratuum ritu, receſſionem faciunt noſtri. Nempe, optimi

circumſpectio, qua vtuntur:

timi quique e nobilitate, in candidatorum numerum leguntur. quos demum, non clientelarum fauor, aut emendicatæ bonorum voces; ſed plurimi calculi, iique ingenue collecti, in ſuam quemque dignitatem, adſciſcunt. quem nos ritum, & perpetuum *Neogradienſibus* precamur, & optimi ſucceſſus. Priuata prouinciæ comitiola, paſſim, pro rerum, de quibus conſultandum eſt, ratione, coeunt; ſed *Iudiciariæ*, quas vocant, *Sedes*, Loſontzini habentur ſemper, idque antiqua lege. quod & locus, accipiendis aduenis, commodus eſt, & domus, ad eum finem, heic iam pridem excitata, atque, iisdem, cum templo muris, incincta: vbi iam, poſt deletum *Filek*, tabularium quoque conſtitutum eſſe, relatum accepimus.

comitiorum loca variant: Sedes Iudiciariæ Loſontzini *ſunt.*

§. XI.

FAs nunc eſſet æquumque, inde, ab vltima memoria, *Supremorum Comitum* (*c.*) nomina, repetere, & ab ingrata obliuione vindicare. Sed, cum nos domeſtica *Neogradienſium* monumenta, deſtituant: quippe quæ, arcis *Filekienſis* occaſus, penitus interuertit; ſuffecerit, dum plures eruderari potuerint, ſeculi XVII. *Comites ſupremos*, enumerauiſſe, perpetua ſerie, ex *illuſtri*, eaque antiquiſſima FORGÁCHIORVM gente, regum prouidentia, delectos.

Supremorum Comitum, *a gente* Forgách, *catalogus.*

SIGISMVNDVS II. FORGÁCH Lib. Baro, perpetuus de Gyimes. Primum Iudex Curiæ Regiæ, deinde, Anno MDCXVIII. *Palatinus Regni Hungariæ.* Quam ille dignitatem, difficillimo patriæ tempore, ſumma cum moderatione geſſit. Primus ex hac gente, *ſupremus* Neogradienſium *Comes*, idemque arcis *Gátſch* dominus. Moritur anno MDCXXI. pridie Calend. Julii, *Tyrnauiæ*, magno Cæſaris, regni, ac prouinciæ, deſiderio.

ADAMVS I. FORGÁCH, Sigismundi II. Filius, primus in *Comitum* numerum, FERDINANDI III. indulgentia, cum Fratre *Iohanne Sigismundo*, Anno MDCXL. relatus. Præfuit variis muneribus. Et ſub FERDINANDO quidem III. cubicularius, præſidii *Szétsénienſis* ſupremus, & *Erſek-Vjvarienſis, Vice-Capitaneus*, atque conſiliarius, exſtitit. Dignitates easdem, LEOPOLDO I. rerum potito, non retinuit modo; ſed nouis etiam acceſſionibus, locupletauit. Erat quippe, *Pincernarum Regalium Magiſter*, poſtea *Iudex Curiæ Regiæ*, atque *Generalis*, quem vocant, *Campi Marſchallus.* Idem, & ditionem *Galgótz* 180000. florenorum, gente Thurzonum exſtincta, ſuam fecit. Denaſcitur anno MDCLXXXI. *Rajka*, in Comitatu Moſonienſi, octogenario propemodum maior.

ADAMVS II. FORGÁCH, patri *Adamo I.* ſucceſſit, fide in Cæſarem, quam ei intemeratam ſeruauit, in primis commemorandus. Vir magna-

c.) In Diplomate COLOMANNI R. Tragurinis in Dalmatia dato, SLAVIZ, Comes Nouogradenſis, legitur apud IOHANNEM LVCIVM, de Regno Dalmatiæ & Croatiæ, Lib. III. Cap. IV. p. 117. b. ad annum MCVIII.

magnanimis, & multorum, aduerſus *Turcam*, præliorum conſors. Vitam cum morte commutauit, anno MDCCXVI. d. XXVII. Iulii, ætatis LIII. *Rajka*, apud Moſonienſes, vbi, & paterno ſepulchro, illatus eſt.

IOHANNES ADAMVS III. patre ADAMO II. genitus, eique a Cæſare Auguſto, rege optimo, ingenti vniuerſæ nobilitatis adplauſu, ſucceſſor datus. Moritur anno MDCCXXXV.

FRANCISCVS IX. Germano fratri, CAROLI VI, indulgentia, magna prouincialium adſenſione, nuper ſurrogatus: vir, ſicuti militiæ clarus, ita, æqui ac iuſti, in adminiſtranda republica, cum laude tenax. *Feliciter!*

§. XII.

Eiusdem gentis antiquitas, & merita, diplomate regio, docentur.

SEd, quia in mentionem antiquiſſimæ gentis FORGÁCHIANAE, ventum eſt, iuuat eius, cum origines, oppido vetuſtas, tum merita, in reges, & patriam, ex regio diplomate, adeoque procul omni adſentatione, commemorauiſſe. Ita vero illud:

„ FERDINANDVS III. D. G. Electus Romanorum Imperator, ſemper „ Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ &c. &c. Rex &c. „ Vobis fidelibus noſtris, Spectabilibus & Magnificis *Comitibus*, „ *Adamo Forgách de Ghymes*, Neogradienſis, præſidii noſtri Szétsé- „ nienſis ſupremo Capitaneo &c. conſiliario; & *Iohanni Sigismun-* „ *do Forgách de dicta Ghymes*, Borſodienſis, Comitatuum Supremis „ Comitibus, cubiculariis noſtris, filiis quondam Comitis SIGIS- „ MVNDI, filii SIMONIS, filii alterius SIGISMVNDI, filii GREGORII, filii „ IOHANNIS, filii PETRI FORGÁCH de prænotata Ghymes, filii ANDREAE „ FORGÁCH de Lekenye, alias de Kozmátz, filii NICOLAI de dicta Le- „ kenye, filii alterius ANDREAE Comitis de Banya, filii olim Comitis „ IVANCAE, Fratribus Germanis. Salutem ac Cæſareæ, & Regiæ er- „ ga Vos noſtræ gratiæ & clementiæ, continuum incrementum. Si „ laude digni habentur *ii*, qui ex re tenui & anguſta, ad virtutem „ & gloriam enituntur, non minus laudandi celebrandique ſunt illi „ quoque, qui partum virtute maiorum nobilitatis decus, & vitæ „ ſplendorem, inſignesque titulos & honores in ſeſe, non modo non „ patiuntur conſeneſcere; ſed virtutem ſibi ſequendam proponentes, „ non niſi alta ſpirare, capeſſendisque & aggrediendis magnis & ſplen- „ didis quibusuis rebus & actis, ſeſe adaptare conſueuerunt. Non „ enim minori cum difficultate, cura atque labore transmiſſi ad po- „ ſteros tituli, & honores retinentur, quam a maioribus acquiran- „ tur. Ita ſane plurimum celebrandi ſunt ii, qui domeſtica gloria „ non contenti, ſuo quoque marte & ſolerti induſtria fortibusque „ & animoſis actis, genus & familiam ſuam, alioquin celebrem ve- „ tuſtamque & nobilem, maioribus honoris & gloriæ titulis, illu- „ ſtrare condecorareque contendunt. Et licet hos quidem ipſa vir- „ tus remuneretur; quia tamen principum quoque, ac eo magis „ noſtrum, quem DEVS Opt. Max. Potentatum Chriſtianorum „ maximum conſtituit Monarcham, inter alia quoque non poſtre-

mum

mum eſſe voluit officium, virtutis vtpote & honeſtatis cultores, „
propenſo ſemper animo fouere, ad altiora euehere, & in exem- „
plum aliorum remunerari; officio tali noſtro, peculiari quodam „
naturæ noſtræ inſtinctu, inde a primis Imperii felicisque regiminis „
noſtri exordiis, hucusque ſemper haud grauatim reſpondere cona- „
ti ſumus, nihil antiquius habentes, quam eos, quorum ſingularis „
erga nos, & ſacrum diadema noſtrum fides eſt conſpicua, præ- „
claris honorum titulis, in perennem rerum a ſe geſtarum memoriam, „
cohoneſtemus. Cum autem intelligamus, ex ea Vos familia ac „
proſapia originem ducere, quæ viros complures a ſingulari pru- „
dentia ac auctoritate, in primariis regni functionibus, cum dignita- „
te ſuſtinendis exercitatos, & proinde domi forisque celebres, & „
belli pacisque artibus claros, produxerit: vnde per varios hono- „
rum gradus, quod hiſtoriæ, aliaque paſſim monumenta teſtifican- „
tur, diuorum quondam Hungariæ Regum, prædeceſſorum noſtro- „
rum, benignitate, in Regno ſunt prouecti, & adhuc Anno Milleſi- „
mo ducenteſimo, in Comites creati, & Comites de Iuanca nominati, „
cuius quidem filius minor natu, THOMAS, dum ad Sajum fluuium, „
acerrimum cum Tartaris prælium iniretur, fortiter decertando oc- „
cubuit, præfatus vero olim ANDREAS, maior natu, Comes de Ba- „
nya appellatus, poſtquam fidelitatem ſuam erga BELAM Ducem, „
filium Regis BELAE quarti, amorem in patriam, multis argumentis & „
occaſionibus comprobaſſet, in Anno Domini Milleſimo Ducenteſi- „
mo quadrageſimo ſeptimo, Magiſtri Tauernicorum Regalium, prærо- „
gatiua & officio, qui honos in iure, Liberis Ciuitatibus dicundo, ſum- „
mus eſt, inſigniri, atque ad eum gradum & titulum promoueri me- „
ruit: quibus fidelitatis obſequiis, ac Regi ſuo gratiſſimis meritis, „
poſſeſſionem Ghymes acquiſiuiſſe, ibidemque caſtrum eius nominis, „
exſtruxiſſe perhibetur. Cuius duo filii IVANCA & ANDREAS, Regi CA- „
ROLO fidelitatem Anno Ducenteſimo nonageſimo primo ſupra Milleſi- „
mum, ipſa etiam morte conteſtari non dubitarunt. Superſtes au- „
tem tertius, NICOLAVS Lekenye donatus, vnde Comes de Leke- „
nye appellari meruit. Prænominatus porro PETRVS, alias Ianitorum „
Regalium in Hungaria, ac Curiæ Regialis Magiſter, anno Milleſimo „
quadringenteſimo decimo octauo, ad coercendam Polonorum te- „
meritatem, qui eo tum Regni Hungariæ fines armis infeſtaſſent, a „
diuo quondam SIGISMVNDO Imperatore, & Rege Hungariæ, prædе- „
ceſſore noſtro, cum exercitu miſſus, & hic quidem bona Ghymeſia- „
na auxiſſe, ſibique titulum rurſus de Ghymes vendicaſſe, perhibe- „
tur. Ac dictus IOHANNES, ad perſequendam profanam Huſſitarum „
gentem, quæ pernicioſiſſimo ſuo dogmate totam Bohemiam & ma- „
gnam partem Germaniæ infecerat, anno Quadringenteſimo decimo „
quinto ſupra milleſimum, ab eodem Imperatore ac Rege, ſimiliter „
cum exercitu euocatus, præclara generis ac virtutis eorundem mili- „
taris, meruiſſe dicuntur teſtimonia. Prælibatus autem GREGORIVS, „

„ Anno Domini Milleſimo Quingenteſimo trigeſimo ſeptimo, Supremi
„ Comitis Comitatus Barſienſis, & SIGISMVNDVS, Theſaurarii Regni
„ officiis condecorati, iisdem per totam vitam, cum laude functi fuiſ-
„ ſe perhibentur. Antelatus quoque SIMON FORGÁCH, Auus Veſter,
„ præclaris maiorum ſuorum virtutibus incitatus, inde a primis iuue-
„ nilibus annis, operam ſuam, ſacræ cum primis Regni noſtri Hunga-
„ riæ Coronæ, & deinde inclytæ Auguſtæque domui noſtræ Auſtriacæ,
„ deuouens, in diuerſis apertis bellis, ſub felici regimine ſacratiſſi-
„ morum olim Principum MAXIMILIANI & RVDOLPHI ſecundi, Roma-
„ norum Imperatorum, ac Regum Hungariæ, Prædeceſſorum & Pa-
„ truorum noſtrorum, feliciſſimarum recordationum, cum hæredi-
„ tariis Chriſtiani nominis Turcis, varia martis alea & miro rerum euen-
„ tu geſtis; diuerſis conflictibus arcium & fortalitiorum oppugna-
„ tionibus, prudentiſſimi Ducis, ſimul & militis fortiſſimi munia
„ obeundo, ac in Regni confiniis, & primo quidem in expugnatione
„ arcis Lippa, iam tum in ipſo flore iuuentæ militia clarus, acerrime
„ pugnans, vndecim vulneribus acceptis, & vtroque crure, lancea
„ traiecto, inter cadauera ſemianimis repertus, ægreque ſanatus, egre-
„ giæ planæque heroicæ virtutis ac fortitudinis ſuæ laudem retuliſſe;
„ deinde vero, quum Anno quingenteſimo quinquageſimo quinto,
„ ſupra milleſimum, Arx Temesvár a Turcis oppugnaretur, adducta
„ ex proprio ſtipendio turma equitum, tam in defenſione loci illius,
„ quam etiam aperto campo, cum perfidis hoſtibus manus conſeren-
„ do, & præclara fortitudinis ſuæ militaris facinora edendo, tandem
„ arce rerum omnium difficultate laborare cœpta, expugnata, con-
„ tra datam fidem, multis confoſſum vulneribus, naſoque inter pu-
„ gnandum mutilato, in manus hoſtium incidiſſe, & ex eadem capti-
„ uitate, nonniſi graui prius lytro depoſito & exſoluto, libertatem
„ conſecutus fuiſſe, ac poſtmodum in celebri illo conflictu, & pugna
„ Kereszteſiana, eximia fortitudinis ſuæ ſpecimina, edidiſſe. Tem-
„ poris autem ſucceſſu, meritis ac virtutibus ſuis, ita exigentibus, in
„ Anno videlicet Domini Milleſimo Quingenteſimo ſexageſimo, Ca-
„ pitaneatum Waradienſem, & officium Generalis Capitaneatus par-
„ tium Regni vltra Tibiſcanarum, ac Anno quingenteſimo ſeptua-
„ geſimo ſecundo ſupra Milleſimum, Capitaneatum Agrienſem aſſe-
„ cutus fuiſſe dicitur; donec Anno Milleſimo quingenteſimo nona-
„ geſimo ſecundo, officio Generalis Capitaneatus partium Regni Cis-
„ Danubianarum, ac inſuper Pincernarum Regalium Magiſtri munere
„ inſignitus, tamquam optimus Patriæ Ciuis, in proſperis pariter &
„ aduerſis, fideliſſimum ſeſe ſemper atque charum Regibus ſuis præſti-
„ tiſſe, ac omne ſuum ſtudium laborem ac diligentiam, in pro-
„ motionem publici boni, & tuendæ conſeruandæque Patriæ emolu-
„ mentum collocaſſe dignoſcitur. Cuius duo filii, SIGISMVNDVS nempe
„ & FRANCISCVS, in vtroque ſtatu Eccleſiaſtico ſcilicet & Politico, ad
„ generis & familiæ ſuæ claritatem locupletandam, recentibus ſuis vir-
tutibus,

tutibus, magnam lucem & ornamentum addiderunt. Et hic quidem Vir, cum primis in omnibus ſcientiarum facultatibus diſertiſſimus, & exercitatiſſimus varia in Regno beneficia, & quidem Anno Milleſimo Quingenteſimo nonageſimo ſexto, Epiſcopatum Veſzprimienſem; anno vero Quingenteſimo Nonageſimo nono ſupra milleſimum, Nitrienſem, expoſt etiam, Anno Milleſimo Sexcenteſimo decimo, Archiepiſcopatum Eccleſiæ Metropolitanæ Strigonienſis adeptus, ac cum laude ſuſtinens, tandem ob excellentes animi ſui dotes, in ſacrum quoque Cardinalium Collegium recipi meruit, ſicque virtutum gloria ſtipatus, & optimis erga Patriam & Reges ſuos meritis clarus, ad illuſtrandam ſuam familiam multum nominis & ſplendoris adiecit. Ille vero, Genitor vtpote veſter, pace & bello præſtans, conſilio grauis, & ceteris laudabilibus animi dotibus rarus, diuerſis quoque officiorum muniis in Regno functus, inſigne vbique virtutis & gloriæ expetitæ, de ſe dediſſe ſpecimen. Et quidem, poſteaquam in primis iuuentutis annis, in Aula Stephani Báthori, Regis Polonorum verſatus, eidem obſequiis gratiſſimus exſtitiſſet, ætate deinde maturiore ſuccedente, omnibus ingenii ac animi viribus in id incubuiſſe, vt cumprimis Sacræ Regni Coronæ, & inclytæ Domui noſtræ Auſtriacæ, ſumma ſemper fide ac ſinceritatis conſtantia, & alacritate famulari & inſervire poſſet variis occaſionibus, tempore aperti belli, per Auguſtum Imperatorem Romanorum, & Regem Hungariæ RVDOLPHVM SECVNDVM, felicis memoriæ, contra naturalem hoſtem Chriſtianitatis, Turcam, geſti, tam in obſidionibus, quam etiam particularibus expeditionibus, legationibus, & diuerſis tractatibus, pro virili ſtrenuam operam nauaſſe perhibetur. Talibus itaque virtutis ſpeciminibus editis, meritisque ſuis ita exigentibus, per præfatum Imperatorem, & Regem RVDOLPHVM, ac diuum quondam MATTHIAM, in Imperio & Regno Hungariæ eidem ſuccedentem, ad altiores quoque honoris & dignitatis gradus euectus: Et quidem in Anno Domini Milleſimo Quingenteſimo nonageſimo nono, in numerum & ordinem Conſiliariorum, anno vero Sexcenteſimo quarto ſupra Milleſimum, Pincernarum Regalium Magiſter declaratus; Anno Milleſimo ſexcenteſimo ſexto Iudicis Curiæ Regiæ titulo condecoratus; poſtmodum autem a prælibato Imperatore & Rege, MATTHIA SECVNDO, tam Comitatuum, Saroſienſis, Neogradienſis, & de Zabolch Comitum titulis, quam officio Generalis Capitaneatus, partium Regni ſuperiorum inſignitus, in iisdem functionibus ſtrenue, nec laboribus fracto animo deſudans, præclarum virtutis & ingenui erga Patriam & Chriſtianam Remp. affectus ſui ſymbolum exhibuit; donec in Anno Domini Milleſimo Sexcenteſimo decimo ſexto, publicis regnicolarum ſuffragiis, in Regni Palatinum ab eodem eueheretur. In qua quidem primariæ dignitatis functione, & officio, toto vitæ ſuæ tempore, ea fidelitatis ſtudia, ipſum præſtitiſſe & exhibuiſſe conſtat, quæ vſpiam a ſolerti fidelique & con-

„ conſtanti Seruitore, in vtroque fortunæ euentu, cum perpetua &
„ inſigni nominis ſui laude exſpectari oportebat, Patriaque & Natio
„ Hungarica, curam & ſolicitudinem, in conſeruationem eius, aſſe-
„ rendamque tranquillitatem & permanſionem, ac ipſa functio ab ipſo
„ expoſcebat. Cum autem virtus per ardua tendat, in rebusque
„ aduerſis magis illa eluceſcat, poſteaquam ſuperioribus annis, Tranſil-
„ uaniæ quondam Princeps GABRIEL BETHLEN, nociuam & clandeſti-
„ nam conſpirationem, cum perduellibus tunc iam in Regno Bohe-
„ miæ, & circumiacentibus hæreditariis Prouinciis noſtris, graſſanti-
„ bus & deſæuientibus foueret, & terna quidem vice, valido cum ex-
„ ercitu Turcarum quoque, infenſiſſimorum Chriſtiani nominis ho-
„ ſtium, auxilio & ſuppetiis ſtipatus, ex Tranſiluania egreſſus, ditio-
„ nes præfatæ ſuæ Cæſareæ Regiæque Maieſtatis, & conſequenter no-
„ ſtras, ferro & igne inuaſiſſet perfide, multique regnicolarum partim
„ metu perculſi, partim rei nouitate pellecti, leuiter & temere a
„ conſtantia fideque, & fidelitate ſacræ Regni noſtri Hungariæ Co-
„ ronæ debita, deficientes, ſeditioſis & nefariis Bethlenii factionibus,
„ adhæſiſſent, & contra Regem ac publicum Regni bonum, arma ſum-
„ ſiſſent; dictus Comes SIGISMVNDVS FORGÁCH, auitæ maiorum ſuorum
„ virtutis, conſtantiæ, & fortitudinis memor, infracto & excelſo ani-
„ mo pro dignitate & auctoritate legitimi Regis & Domini ſui obſer-
„ uanda, nullos labores, ſed nec vitæ ac ſuorum impendentia pericula
„ pertimeſcendo, vel facultatibus expenſisque ſuis parcendo, bonorum
„ ſuorum & ampliſſimarum facultatum, etiam iactura & detrimento,
„ prompto & exſerto deſideratæ fidelitatis & conſtantiæ exemplo,
„ præluxit. Qui demum, vbi partes officii ſui, ſumma cum laude &
„ nominis ſui exaltatione obiret, in Seruitiis Regni Inclytæque Domus
„ Noſtræ Auſtriacæ obſequio, poſteris ſuis, cum maximo ſui deſide-
„ rio, ad virtutem ſectandam viuidum relinquens exemplum, anno
„ Milleſimo Sexcenteſimo vigeſimo primo vltimum ſuum clauſit diem.
„ Quorum laudabilibus veſtigiis, vos quoque ADAME & IOHANNES SI-
„ GISMVNDE FORGÁCH, inhærere ſemper contendentes, & inde ab
„ adoleſcentia Veſtra, virtutem ſequendam proponentes, ſpretis vitio-
„ rum ac deſidiæ illecebris, laboribus ac corporis exercitiis vosmet
„ dedentes, vt Sacræ Regni noſtri Hungariæ Coronæ, inclytæque &
„ Auguſtæ Domui noſtræ Auſtriacæ, & per conſequens, Maieſtati
„ quoque noſtræ, ſumma ſemper fide, ac fidelitatis conſtantiæque
„ zelo & alacritate, complacendique ſtudio inſeruire poſſetis. Hinc
„ & ipſa adoleſcentia Veſtra, parentum ſtudio & diligentia in alias Chri-
„ ſtianitatis ditiones & prouincias miſſi, non ſolum politioribus diſci-
„ plinis animos exercuiſtis, verum etiam eos, qui armis & rerum
„ domi bellique geſtarum gloria aliis præſtarent, iam tum æmulandi
„ cupiditate incenſi, imitandos conſtanter proponendo, inibi verſati
„ eſtis, & prorſus animo ac propoſito honeſtiſſima conſilia ſecuti, vt
„ olim Reip. Chriſtianæ & Patriæ, vniuerſa vitæ ratio, atque omnia

ſtudia

ſtudia Veſtra, accommodata redderentur. Hinc exterarum regionum, ſtatuum & conditionum, atque hominum linguas moresque & conſuetudines, quibus diuerſæ nationes vtuntur, cognoſcendi deſiderio tacti, (præſertim vero tu ADAME) varias peregrinas regiones & loca diſſita, perluſtraſtis. Vnde demum, poſt emenſas annis iuentutis peregrinationes (ea quidem ſpe, quaſi ingenio, induſtria & virtute Veſtra quoque, tamquam optimorum ciuium patriæ, priſtinarum dignitatum incrementa, & vetera ſua ornamenta reſtituenda reputarentur) reuerſi, iactoque in Aula præfatæ ſuæ Cæſareæ ac Regiæ Maieſtatis, FERDINANDI SECVNDI, virtutum Veſtrarum fundamento, officio Cubiculariatus inſigniti, pluribus annis, & poſtmodum etiam eadem Maieſtate Cæſarea & Regia, fato cedente, Tu, IOHANNES SIGISMVNDE, in Aula Noſtra, prout etiam in præſentiarum, eodem officio fungens, Vos laudabiliter & fideliter geſſiſtis. Porro, Tu, ADAME, aula egreſſus, amore patriæ, & ab infeſtationibus perennium Chriſtiani nominis hoſtium, Turcarum, tutandæ ſtudio, militari diſciplinæ te adplicando, in præſidio noſtro Zéchinenſi, cuius Capitaneatu etiam nunc cum laude fungeris, ad omnem occaſionem ſtrenuum & cordatum Ducem, pariter ac militem te exhibuiſſe, multisque & variis Turcarum excurſionibus reprimendis, ac dimicationibus perſonaliter interfuiſſe, Teque ibidem ſtrenue ac militariter geſſiſſe, compertum habemus. Ad quam quidem animi fortitudinem, & declarandam hactenus in rebus agendis dexteritatem, aliis quoque laudabilis ingenii qualitatibus ac virtutibus accedentibus, omnino Te dignum iudicauimus, qui in numerum quoque fidelium Noſtrorum Conſiliariorum adſciſcereris. Quorum omnium, tam præmiſſorum, quam aliorum plurimorum, per Vos maioresque & progenitores Veſtros, domi & militiæ laudabiliter, & vtiliter, præſtitorum, præclareque factorum, & Anteceſſorum quoque Veſtrorum gratia, & Noſtram erga vos ſingularem propenſionem & clementiam, præſtitæque fidei & fidelitatis Veſtræ, conſtantiæque & alacritatis memoriam, nunquam intermorituro teſtimonio cohoneſtemus, quo Veſtro exemplo, non ſolum gratæ & ſeræ poſteritati Veſtræ; ſed aliis etiam fidelibus Regnicolis ac ſubditis noſtris, virtutes veſtras, & ſimilia bene merendi ſtudia, amplectendi & imitandi maius incitamentum, & calcar a nobis addatur: Vos ADAMVM, & IOHANNEM SIGISMVNDVM FORGÁCH, vti optime meriti eſtis, alioquin etiam honore & titulo Comitum, a Germanica natione, Graff nuncupatorum, gaudentes, quo in ſtatu hactenus quoque laudabiliter verſati eſtis, hæredes & poſteros Veſtros, vtriusque ſexus, vniuerſos, ex legitima ſerie deſcendentes, ſuper dicto caſtro & diſtrictu, ſiue Dominio Ghymes, in liberos, maiores & perpetuos Comites, ſolenniter pronunciauimus, creauimus, & præfecimus, Vosque & Veſtros hæredes, liberos & perpetuos Comites de Ghymes, ab omnibus dici, nominari, ſcribi, haberi & prædicari volumus. De-

„ cernentes, & ex certa noſtra ſcientia, animoque deliberato conce-
„ dentes, ac ſtatuentes, vt Vos, ADAME, & IOHANNES SIGISMVNDE FOR-
„ GÁCH, hæredesque Veſtri vniuerſi, ſicut hactenus cera rubra, quoad
„ ſigillum inſignium præfatæ arcis ac Dominii Ghymes, ac ceteris
„ omnibus gratiis, prærogatiuis, honoribus, indultis, libertatibus,
„ ac priuilegiis, quibus ceteri dicti Regni noſtri Hungariæ, aliorum-
„ que Regnorum & Partium illi ſubiectarum, Liberi ac perpetui Co-
„ mites, de iure, & ab antiqua conſuetudine, vel alias qualitercun-
„ que vſi ſunt, & gauiſi, vtunturque & gaudent, vti frui & gaudere,
„ perpetuis ſemper temporibus, poſſitis & valeatis. Immo pronun-
„ ciamus, creamus, præficimus, volumus, damus, decernimus, ſta-
„ tuimusque & concedimus. Harum noſtrarum, ſecreto ſigillo no-
„ ſtro, quo, vt Rex Hungariæ, vtimur, impendenti, commu-
„ nitarum vigore & teſtimonio, litterarum. Datum, per manus fidelis
„ noſtri, nobis dilecti, Reuerendi Georgii Lippay de Zombor, Epi-
„ ſcopi Eccleſiæ Agrienſis, perpetui Comitis de Heues, Conſiliarii no-
„ ſtri, & Aulæ noſtræ per dictum Regnum noſtrum Hungariæ Can-
„ cellarii, in ciuitate noſtra Vienna Auſtriæ, die XII. Menſis Maii. An-
„ no Domini MDCXL. Regnorum noſtrorum, Romani quarto, Hun-
„ gariæ & reliquorum decimo quinto, Bohemiæ vero decimo tertio.
„ FERDINANDVS. GEORGIVS LIPPAY EPISCOPVS AGRIENSIS. GEORGIVS
„ OROSY. *Hactenus diploma.*

§. XIII.

Familia Neogradienſium *illuſtres alia:*

ISTis ergo, facinoribus, meruit gens FORGÁCHIORVM, vt ſeſqui propemodum ſeculo, cum dignitatibus aliis, tum in primis, axiomate *Supremorum Prouinciæ Neogradienſis Comitum*, inſigniretur. Ante ea tempora, munus id longe honoratiſſimum, vetuſtiſſimarum familiarum perſonis, ſubinde, ac prout res ferebat, adtribuebatur. In his fuerunt: BEBEKII, RASKAII, ORSZÁGII, & LOSONTZII, celebria, in annalibus Hungaricis, nomina; ſed, quæ exſtincto genere, pridem eſſe deſierunt. Patria his plerisque, *Comitatus Neogradienſis* fuit, quorum ideo laudes, & præclari actus, non potuerunt non regionem hanc, cum celebrem reddidiſſe, tum acceptam regibus. Hinc præterea, multæ aliæ familiæ, oppido illuſtres, & quæ florent hodieque, prodierunt: Comites BALASSII, *de Balaſſa-Gyarmath*; BÁNFFII, *de Loſontz*; BERÉNYI, *de Karánts-Berény*; KÉRI *de Ipolykér*. Præter hos, ſuæ hic ſunt ditiones, Comitibus: KOHÁRY, ESZTERHÁZY, & ZICHY, iam pridem, iure hæreditario, poſſeſſæ. Quin, & poſteri *Baronis* FRANCISCI SZLVHA, de IKLAD, cui nuper, arx *Salgó*, cum vniuerſa ditione, optimi regis munificentia, in hæredium ceſſit, hic in poſterum cenſebuntur.

§. XIV.

Comitum Balaſſa, *ortus & propagines.*

SEd, ad BALASSIOS redeamus, vetuſtum genus, & belli artibus cum primis illuſtre. DETRICVS his, ſiue *Dietericus*, aliis *Henricus*, Initia,

initia dedit, oppido clara, & geſtis regni magiſtratibus, memoranda. Præterquam enim, quod regnante BELA IV. *Comes de Zólyom*, fuerit, proregis ſimul dignitate, functum fuiſſe, domeſtici tabularii monumenta, ab ANDREA Hieroslymitano, Dionyſio Palatino, & Venerabili Capitulo Strigonienſi, ad annum MCCCXXX. perſcripta, fidem faciunt. *Mikonem* hic I. *Petrum* itidem I. Comaromienſem, & Kraſznæ Comitem, *Nicolaum* præterea I. & *Detricum* II. *Comitem Poſonienſem*, genuit. Improles hi omnes, rebus humanis ſunt exemti; ſi *Mikonem* I. Zolienſium Comitem, excipias. Plures huic nati fuere. Suſcepit enim *Michaelem* I. duodecim arcium poſſeſſione, ſua quadam culpa, mulctatum. *Nicolaum* II. *Iohannem* I. *Mikonem* II. & *Bytterum* de Kékkő, Barſchienſis, atque Hontenſis prouinciæ, *Supremum Comitem*; eundemque, fratribus, ſine hærede mortuis, *Michaelis* II. *Iohannis* II. *Georgii* I. *Nicolai* III. & *Petri* II. *Bytter*, parentem. Tres huic filios fuiſſe, accepimus, *Iohannem* III. *Georgium* II. & *Nicolaum* IV. quorum hic *Blaſium*, cognomento *Magnum*, familiæ ſtatorem, *Ladislaum* I. *Iohannem* IV. *Emericum* I. *Georgium* III. & *Mikonem* III. genuit. Nulli inter tot fratres, præter *Blaſium*, hæredes ſuperabant. Hic ille fuit, qui *Gyarmathum*, oppidum caſtrumque, *Ipolæ* adſitum, ex ſuo nomine, *Balaſſa-Gyarmath*, adpellauit, cum antea, *Nagy*, ſiue *Magnum Gyarmath*, nominaretur. Vnicum hic filium, *Nicolaum* V. Hontenſium Supremum Comitem, ſuſcepit, *Georgii* IV. *Stephani* I. *Clementis*, *Michaelis* III. *Sigismundi* I. & *Ladislai* II. genitorem. qui vltimus, ad quinta vſque vota progreſſus, genus, in totidem filios propagauit. Fuere hi: *Franciſcus* I. *Bernardus* I. *Nicolaus* VI. *Georgius* V. & *Iohannes* V. Ex quibus quidem, *Iohannes* V. vltimo genitus, *Wolffgangum* I. *Ladislaum* II. & *Nicolaum* VII. omnes improles, genuit. Ergo, *Franciſcus* I. idemque primogenitus *Ladislai* II. fœcundo traduce, in *Melchiorem* I. *Ferdinandeum* belli ducem, *Iohannem* VI. Zolienſis, & Hontenſis, Comitatuum, Supremum Comitem, atque montanarum vrbium præfectum, *Emericum* denique II. inclutum genus, proſeuit. Et *Melchioris* quidem I. *Balaſſæ* poſteri, in pronepotibus *Franciſco* V. & *Petro* III.; *Iohannis* autem VI. in nepote *Iohanne* VI. *(d.) Valentini* I. filio, eſſe deſiere: vt adeo ſolius *Emerici* II. *Franciſci* I. tertiogeniti propaginibus, hodieque conſtet gens *Balaſſiorum*: quippe qui, *Andream* I. iſte *Sigismundum* III. hic, *Iohannem* VIII. *Andream* II. & *Simonem* I. hodiernorum *Balaſſiorum*, auos, genuit. quorum nomina atque titulos, tabula, quam exhibemus, genealogica, deſignat.

§. XV.

RElíquus *(e.)* equeſtris ordo, olim, virtute bellica celebratiſſimus, vix definiri poteſt. Multitudinem inde colligas, quod, vbi vi- *Ordo equeſtris, & huius fortitudo militaris, ac prærogatiua;*

ritim

F 2

d.) Exſtat hodieque, *Iohannis* huius Epitaphium, Wratislauiæ, in æde Magdalenea, prope ad baptiſterium. Vide IOHANNIS SINAPII Curioſitatum Sileſiacarum, Partem I. p. 220. ſeq.

e.) In promtu erat, plenior nobilitatis catalogus, quem tamen, alii loco ac tempori, adſeruandum putauimus: quod ideo monemus, ne quis forte, ſilentium, de gente ſua, iniuriam interpretetur.

ritim in caſtra prodeundum fuit, agmen MCCCC. non cenſo famulitio, ſubinde, ac vltimo quidem anno MDCLXXXIV. cum iuuatum irent obſidionem *Vjvarienſem*, expleuerint. Fortitudinis autem militaris, documento eſt, eximia illa prærogatiua, quam priſci reges, *Neogradienſium* propriam eſſe voluerunt, vt & corporis eſſent cuſtodes, & in caſtrorum metationibus, proximi ad regem, tentoria figerent; Regni, adhæc, vexillum tutarentur; immo illic etiam confligerent, vbi rex militabat. Sunt, qui credant, neque id, vt opinor, temere, ob militarem hanc laudem, inſignia, quæ iam habet, *Comitatui* olim fuiſſe collata. Viri ſimulacrum eſt, cataphracti, & criſtata ornati galea, qui quidem dextra porrecta, ſtrictum gladium, ſiniſtra inſignia Regni Hungariæ, humo innixa tenet: ſignificaturus iſto habitu, cum fidem in reges, ac patriam, tum militarem ſimul fortitudinem, qua ſemper excelluerunt *Neogradienſes*. Eadem iſta lemmata, & in ſigillo expreſſa videas, recentiori illo, & quod annum MDCLV. refert, hoc eſt, eum ipſum, quo Leopoldvs I. in regem Hungariæ, Piſonii inauguratus eſt. Tunc enim, *Adamus. I. Forgách*, Supremus Comes Neogradienſis, impetrauit a Rege indulgentiſſimo, vt vetera Comitatus Inſignia, non rata modo haberet, ſed faceret etiam auguſtiora, additis regni inſignibus, quæ iam vir cataphractus ſiniſtra prenſat, haud ſine virtutis ſignificatione. Vetus profecto ſigillum, quod ex publicæ legis præſcripto, quæ anno MDL. Art. LXII. lata fuit, anno MDLI. ſculptum fuiſſe conſtat, eo axiomate caruit. Ceteroquin, dubium eſt, cui inter optimos illos reges, inſignia ſua, in acceptis ferre debeant Neogradienſes. Matthiam Coruinum, in laudem huius benignitatis, vocant plerique, quaſi, qui eo beneficio, calcar ad virtutem ſubdere voluerit, ſui corporis cuſtodibus. Sed, incerta omnino res eſt: nam, occurrunt adhuc litteræ, æque publicæ, quas ſuis iudices ſigillis muniuerunt, atque id multo poſt Coruinianam ætatem: more nimirum, pluribus Comitatibus, hodieque ſolemni. Quod in vetuſtioris ſigilli inſcriptione, Comitatus hic, *Newgradienſis*, vocatur, inde arguunt quidam, quaſi id germanicæ pronunciationis vitio factum ſit; ſed non eſt ita: verum, fuit hæc eorum temporum ſcribendi ratio Hungarica, vt *ew* pingerent, *ö*. diphtongum ſignificaturi; id quod diplomata paſſim docent. Igitur, credere fas eſt, olim, & dum craſſius ſonabat idioma noſtrum, *Nögrád*, regionem dictam fuiſſe. quod demum vocabulum, Latinorum imitatione, qui eo charactere carent, in *Nógrád*, ſiue *Neográd*, abierit.

Inſignia Neogradienſium:

a Leopoldo I. *complexata:*

originis alioquin incertæ.

§. XVI.

Vice-Comitum Catalogus.

Sed, nec Vice-Comites, qui rebus, in prouincia hac, præfuerunt, ſilendi erunt. Atque, ex antiquiore quidem ætate, cum primis memorandi ſunt:

Petrus,

Petrus, Filius Stephani, de *Gécz*, &
Iohannes, Filius Dominici de *Páſztó*. A. MCCCXCV.
Vice-Comites Comitatus Neogradienſis.
Iohannes Fejes, A. MCCCCII.
Iohannes de Valkó, &
Thomas de Chaba, Vice-Comites A. MCCCCXXV.
Georgius Cſabi. A. MCCCCXXXI.
Paullus Magnus de Baláſthó.
Michael de Dalyo, &
Paullus Pethő, Vice-Comites A. MCCCCXXXXVII.
Auguſtinus de Legény, &
Petrus de Pelén, Vice-Comites A. MCCCCXXXXVIIII.
Michael de Dalyo, &
Paullus Petö de Petöfalua, Vice-Comites A. MCCCCLXIX.
Michael de Dalyo, &
Ladislaus de Libertſe, Vice-Comites A. MCCCCLXXIII.
Sigismundus B. de G., &
Paullus Petö, Vice-Comites A. MCCCCLXXVII.
Paullus Petö de Petöfalva, &
Demetrius Szalay de Kelecsén, Vice-Comites A. MCCCCLXXXII.
Osvaldus de Szántó A. MDVIII.
Georgius Orbonácz de Szúg, &
Thomas Soós, Vice-Comites A. MDXXXII.
Thomas Soós de Polthár, A. MDXXXVIII.
Nicolaus Borſay de Dalyo, A. MDXXXXV.
Valentinus de Pelén, A. MDXXXXVIII.
Petrus de Libertſe, A. MDL.

Plures indagare non potuimus. Ex horum autem ſerie colligas, plerumque, duos *Vice-Comites*, prouinciam habuiſſe. Quod haud quidem ab re factum putamus, iis potiſſimum temporibus, quibus intemerata adhuc fuit regio, adeoque, & vicorum numero valuit, & incolarum copia. Iam, ea dignitas, vni admodum, priſcæ nobilitatis viro, adtribui conſueuit; quod & rebus adminiſtrandis ſufficiat, neque multiplicatis muneribus, ſumtus profundere opus ſit. Innotuere autem nobis, ex recentioribus, ſequentes:

Stephanus Soós, de Polthár.
Franciſcus Struch.
Paullus Bata, de Vatta.
Georgius Foxich.
Iohannes Bene, de Nándor.
Georgius Madács, de Sztregoua.
Andreas Ráday, de eadem.
Michael Libertsej, de eadem.
Georgius Batik.
Franciſcus Motsárj.
Stephanus Vámoſi, de Kürth.
Paullus Némethy.
Paullus Bélteky.
Iohannes Dobay, de Dobó.
Franciſcus Bulyowszky, de Dulicz.
Caſpar Cſemniczky, de eadem.
Stephanus Gyurky.
Michael Dúl.
Iohannes Feja.
Paullus Kajaly, de eadem.
Michael Daruas, de Nagy Réth.
Franciſcus Boſſány, &
Iohannes Kovács, durante tumultu *Rákócziano*, a Cæſarianis ducibus, prouinciæ præfecti.
Nicolaus Jeſzenszky.
Andreas Török, de Szendrő.
Ladislaus Dobay, de Dobó.
Georgius Szentivány, de eadem, qui iam quoque rerum potitur.

§. XVII.

Ditiones regionis variæ :

REgio tota, ſparſis varie dynaſtiis, inter illuſtres, iuxta & nobiles familias, diuiſa eſt. *Dominia* vulgo dicunt, quæ iam recenſuiſſe iuuerit :

Gátsenſis : I. GÁTSENSE *Dominium*, inclutæ genti *Forgách* adſcriptum, vaſtum ſatis, neque non fructuoſum, eo quod *Vrbibus montanis*, vicinum. Nomen ei, *arx Gáts* communicauit, iuris olim *Loſontziorum*, quorum vltimus, *Stephanus Loſonczy*, heros profecto magnanimus,

nimus, poſt deditam arcem *Temesvár*, quam inuſitato fortitudinis exemplo, diu defenſarat, a Turcis, contra datam fidem, capite diminutus eſt. Poſt eius fata, quia filium non genuerat, ditio omnis, in filias, regis auctoritate, transſcripta fuit, vt ea re, parentis honorarentur merita. Hoc iure, ab *Orſzágiis, Enningo-Törökiis*, poſſeſſa fuit aliquantiſper, dum in poteſtatem hæreditariam, Comitum, FORGÁCH, de Ghymes, per nuptias, iuxta & indulgentia regum, concederet.

II. DIVINENSE, huic vicinum, ac quodammodo innexum. Eius caput, *arx Diuin* eſt, ruderibus iam pridem fœda. Priſca ætate, Comitibus *Balaſſa*, auito iure, paruit; ſed, quo *Franciſcus Balaſſa*, ſua culpa primus excidit. Inde arx, & ditio vniuerſa, *Fiſco* ceſſit, Comitibus *Zichy* de *Váſonykő*, regio munere, ſed lege tamen *maioratus*, permiſſa. Iam, in poteſtate eſt CAROLI ZICHY, cuius bonitate, difficillimis hiſce temporibus, egregie fouetur. Divinenſis:

III. KÉKKÖIENSE, occidentali Comitatus ora procurrens, & arci cognomini circumpoſitum. Subeſt Comitibus *Balaſſa*, de Gyarmath; cuius partem aliquam & *Zichii*, capiunt. Kékkö-ienſis:

IV. GYARMATHENSE, eiusdem familiæ *Balaſſa*, iure, quod *ſimultaneum* dicunt, cum *Comitibus* ZICHY, poſſeſſum. Vtriusque dynaſtiæ, ea eſt amplitudo, quæ quartam propemodum *Comitatus* partem, abſoluit. Gyarmathenſis:

V. FILEKIENSE, ad orientem ſolem proiectum, *Raſcaiana* olim, poſtea, matrimonii iure, *Bebekiana* etiam gentis, antiquæ illius, & multis in patriam meritis, conſpicuæ. Huic, familia *Szétsi* de *Rima-Széts*, ſucceſſit. quam denique, COMITES KOHÁRI exceperunt, regum munificentia, opima iſthac ditione, potiti. Coniuncta ei altera eſt. Filekienſis:

VI. SÁGHIENSIS, antehac *Kendereſiorum*, & *Boſzmyákiorum*; ſed quæ nunc, *Koháriorum* iuribus, obſtricta eſt. Sághienſis:

VII. SALGÓIENSIS, *Baroni*, FRANCISCO SZLVHA de IKLAD, perpetuo iure, anno MDCCXXVI. CAROLI VI. Cæſaris, & Regis, beneficio, accenſa, atque in eius titulos relata. Salgóienſis:

VIII. BUJÁKIENSIS, ab arce denominata, olim, longe lateque, & per Comitatum Peſthienſem, ſparſa fuit, poſſeſſaque ab incluta gente *Báthoreorum*. Iam, in poteſtatem *Comitum* ESZTERHÁZY, tranſiit. Denique Bujákienſis:

IX. NEOGRADIENSIS ditio, quam primo loco nominare decuerat, memoratu digna eſt; non tam, quod vaſta ſit nimium, quam quod *Váczenſi Epiſcopatui*, priſco iure, obnoxia. Quod ab his dynaſtiis, reſiduum eſt, id omne, equeſtris ordo, poſſidet. Subiectorum, quos *Jus Ciuile*, *Homines proprios*, Hungaricum, *Jobbagyones*, gentili vocabulo adpellat ratio, eadem hic eſt, quam alibi diximus. Alii nempe, annuum cenſum, operas tributarias alii, Neogradienſis. *Nobilium poſſeſſiones.*

Digitized by Google

alii, vtrumque ſeruitutis genus alii, heris præſtare tenentur. Quin, & frugum, agnellorum, apumque, partem nonam, dependunt alii.

§. XVIII.

Prærogatiuæ *Comitatus*:

QVod ad prærogatiuas *Comitatus* ceteras, adtinet, variæ eæ ſunt, & cum ita res ferret, etiam publice defenſæ. Occaſionem contentioni dederat, mota, de *Seſſione Ablegatorum*, anno MDCCXXIII. in comitiis, controuerſia: quam ita eliſerunt *Neográdienſes*, vt non poſſimus non eius rei, heic quoque meminiſſe. Adulto more, Comitatus Neogradienſis ablegati, ſiniſtro, ad mediam *Tabulam*, latere, *Trentſchenienſibus* proximi, adſidere conſueuerunt. Dubiam eis hanc prærogatiuam, legatorum aliqui, reddere nitebantur, neque dubitarunt, exhibitis palam ſcriptis, eandem velle conuellere. Quod, cum ſine inſigni iniuria ſua, haud fieri poſſe, putarent *Neogradienſes*, nihil fecerunt reſidui, vt, quem a maioribus ordinem, ad ſe propagatum, acceperunt, eundem, pro virili ſua, tutarentur. Itaque, præter antiqui moris obſeruantiam, ſatis, ad defenſandum ius iſtud, ex ſe valituram, conquiſitiſſimis rationibus, in re alioquin non plane graui, diſceptatum eſt. Adferebant nimirum *Neogradienſes*, ea ſe, & regionis amplitudine eſſe, & *Prælatorum*, *Magnatum*, *Baronum*, atque *Nobilium*, celebritate, vt N. N. cum quo diſceptatio illa intercesſerat, optimo iure, conferri poſſint. Denominationem, præterea, *Comitatus* ſui, non vti reliquorum, cum gente *Hungara* natam; ſed a priſcis regionis incolis, arceſſendam eſſe. Nam, cum reliqui, huius illiusue arcis territorium, ſiue *Vármegye* adpellentur; *Comitatus* iſte, vetuſto vocabulo, *Nouigrád*, dicitur. Magni, & illud, momenti argumentum eſſe, quod inſignia *(f.)* prouincia habeat eadem, quæ ſunt communis patriæ: id quod, ſicuti prærogatiuam indicat ſingularem; ita, non poſſe non condocere, quanti ſemper, cum a Regibus, tum a Statibus vniuerſis, *Comitatus Neogradienſis*, fuerit habitus. Certe, quoties rex, caſtra aduerſus hoſtes mouebat, *Neogradienſes* fuere, qui & regni palladium deferrent, & proximi ad regem, non caſtra modo metarentur, ſed pugnam etiam inirent. Quid, quod poſt funeſtam gentis Hungaricæ, ad *Mohácſium*, cladem, atque *Budam*, ab hoſte interceptam, *Neogradienſis Comitatus* is fuerit, qui ſua virtute prohibuerit *Turcas*, ne interius progreſſi, *Montanas Vrbes*, regni theſaurum, ſub ſuam mitterent poteſtatem. Quinimmo, depulſos patrio ſolo, *Peſthienſes* & *Heueſienſes*, toto propemodum ſeculo, gremio ſuo fouerit. Ne quid, de ſummorum virorum, quos prouincia hæc edidit, prouentu, dicamus. Iſtis tunc argumentis *prærogatiuarum* ſuarum cauſſa, depugnauere *Neogradienſes*.

potam ſibi, anno 1723. in comitiis controuerſiam:

validis rationibus, eliduntNeogradienſes.

§. XIX.

f.) Vide ea, ſupra deſcripta, hoc ipſo *Membro*, §. XV. p. 44.

§. XIX.

PRæcipuum eſt, quod exemtum, a iure *Neo-Acquiſtico*, inſigni, ac regia prorſus munificentia, LEOPOLDVS M. voluit; quam eius auguſtalem benignitatem, iuuat, adſcripto diplomate, ad ſeram poſteritatem transmiſiſſe. Ita vero habet: „ Nos LEOPOLDVS, *Diuina fauente clementia, Electus Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæque REX. Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolię ac Virtembergæ, Superioris & Inferioris Luſatiæ, Comes Habſpurgi, Tyrolis & Goritiæ. Memoriæ commendamus tenore præſentium, ſignificantes, quibus expedit, vniuerſis. Quod, poſteaquam DEO ter optimo & maximo propitio, glorioſis & victricibus armis noſtris, naturalem Chriſtiani nominis hoſtem Turcam, a multis retro actorum annorum decurſibus, in partibus Regni noſtri Hungariæ ſæuientem, fauſtis auſpiciis, ad longinquiora propulſaſſemus, tandemque poſt tot glorioſe de eodem partas victorias & triumphos, exoptatæ pacis malaciam ſtabiliſſemus, & ex hac ipſa ratione, in aliquam duntaxat, tot expenſarum, in tam diuturni belli continuatos ſucceſſus, cum eneruatione ærarii noſtri profuſarum, recompenſam, a Comitatibus, qua a iugo, qua a tributo turcico, eliberatis prætendiſſemus: Vnde, licet Comitatus noſter* Neogradienſis, *vt plurimum, ab Anno* Milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo tertio, *tributarius effectus; ſæuiente adhuc in inferiores partes Hungariæ turcica tyrannide, inſtar aliorum Regni noſtri Hungariæ Fidelium, redditus Sacræ Coronæ, Regalesque impoſitiones præſtitiſſet, Diætis Regni, Coronationibusque Regum interfuiſſet, Juris & Juſtitiæ curſum in gremio ſui, non ipſe duntaxat adminiſtraſſet, quin potius inferiorum quoque ſibi vicinorum Comitatuum officiales, ſedibus ſuis pulſos, in medio ſui fouiſſet, Cenſus, Decimas, Nonas, & alias dacias, a ſubditis ſuis percepiſſet, œconomias non minori tum, quam nunc fructu exercuiſſet, inſuper vero aliquot Chriſtiana præſidia, vti erat:* Fülekinum, Diuinium, Kékkő, Gács, & Somoskő, *itidem in gremio ſuo habens, ex iis ſeſe, excurſionibus Turcarum, forti & intrepido animo oppoſuiſſet, & quo minus virus ſuum, ad* Ciuitates noſtras Montanas, *interioraque regni, exereret, pro virili obſtitiſſet, ſicque, pro conſeruanda intaminata erga Maieſtatem noſtram fidelitate, vitam fortunasque ſuas ſæpius periculis exponere, non exhorruiſſet; & ob hoc, velut a ſimplici duntaxat tributo turcico liberatus, ſe nulli* Armorum Juri, *eo magis* Neoacquiſtico *obnoxium eſſe exiſtimat: intuitu tamen modernarum diuerſarum neceſſitatum noſtrarum, pro tenuitate virium ſuarum, hac quoque ratione fidelem ſeſe, & erga promouenda ſeruitia noſtra obſequentem præſtare volens, ad tollendam omnem pretenſionem, confert ad Caſſam noſtram ſolutoriam Aulicam, & quidem præciſe Domini terreſtres (venerabili Clero, Bonis item, & ſignanter Poſſeſſionibus,* Lörinczi, Tarcsa, Heréd, Jobbagyi, Gede, Szántó, Palo- „

Exemtus eſt a iure Neoacquiſtico.

„ tás, Kökényes, & Hihalom, *ad Dominium* Hatuan, *conſcriptis, non-*
„ *nullisque aliis, iam inde præuie per Nos benigne exemptis, hic & nunc*
„ *quoque exceptis, ex propriis, & non ſubditorum ſuorum facultatibus, pa-*
„ *ratæ pecuniæ ſummam* Florenorum Rhenenſium Octo Millium, & „ *metretas Poſonienſes, mixti cum ſiligine tritici,* mille ducentas; *illam*
„ *quidem hic Viennæ defectu absque omni exſolutam; præinſinuati vero*
„ *frumenti metretas, Budæ, ad domum noſtram annonariam, admini-*
„ *ſtratas. Hinc Nos quoque gratam eiusdem, & eorundem, promptitu-*
„ *dinem, clementi vultu & paterno affectu, acceptantes, eundem &*
„ *eosdem, (exceptis prænuncupatis Bonis ad præſcitum Dominium Hatuan*
„ *conſcriptis, ſed nec eatenus vlteriori eorum, quorum intereſt lucribus ſuis*
„ *inuigilandi facultate, ac inſtantia præcluſis) etiamſi ſors quoquomodo*
„ *inter* Comitatus Neo-acquiſticos, *vel* Iuri Armorum *ſubiectos, præ-*
„ *tenſiue cenſeri potuiſſet, ab omni eiusmodi Neoacquiſtico, vel Iure ar-*
„ *morum, & quod inde emergere poſſet, onere, de pleno eximimus &*
„ *enodamus, exemptumque, ac enodatos, benigne reſoluimus, aſſecurantes*
„ *eundem & eosdem, in* Verbo Noſtro Regio, *quod ipſum & eiusdem ſin-*
„ *gulos ac quoslibet in omnibus, ac circa omnia, penes Regni leges, penesque*
„ *legales Fori competentis Proceſſus, benigne conſeruabimus, conſeruari-*
„ *que faciemus, Nos & Succeſſores noſtri. Inſuper vero, ſiquidem ad*
„ *hanc conteſtandæ fidelitatis gratia, Nobis collatam ſummam, non dun-*
„ *taxat hæreditarii, verum hypothecarii quoque, & temporanei bonorum*
„ *poſſeſſores concurrerent, benigne decreuimus, vt his & ſimilibus eius-*
„ *modi ſumma in tantum, in quantum concurrunt, ſupra bona eorum*
„ *tali iure tenta, in forma auctionis habeatur, ſuperinſcripta, ac inue-*
„ *ſtita, temporeque redemptionis, iisdem cum capitali, manutentione*
„ *Fiſci Noſtri Regii, & aſſiſtentia ipſius Comitatus, hoc in paſſu eidem*
„ *per Nos, vigore præſentium, benigne attributa, ſimul & ſemel per*
„ *eos, ad quos redemptio talium bonorum pertinet, deponatur, nec ſecus*
„ *ad remiſſionem eorum cogi poſſint: id quod ad alios quoque bonorum*
„ *poſſeſſores, a quibus ſors expoſt bona talia, intuitu quorum nunc hocce*
„ *obſequii ſpecimen exhibent, proceſſu iuris abiudicarentur, extenſum be-*
„ *nigne volumus. Harum Noſtrarum Regiarum Litterarum vigore &*
„ *teſtimonio mediante. Dabantur in Ciuitate Noſtra,* Viennae, *die tri-*
„ *geſima prima May,* Anno Milleſimo ſeptingenteſimo tertio. *Regno-*
„ *rum noſtrorum, Romani, quadrageſimo quinto, Hungarici, quadra-*
„ *ſimo octauo, Bohemici vero quadrageſimo ſeptimo.* Leopoldvs. Got-
„ hardus Henricus Comes a Salaburgh. *Ad Mandatum Electi Domini*
„ *Imperatoris proprium.* Ca. Th. L. B. Aychpichl. Georgius Antonius
„ Ferner. Iſta, de *Comitatu Neogradienſi*, generatim dixiſſe ſufficiat. Iam, ad cognoſcendam eius partitionem, ſeu *Proceſſus*, & horum ar-ces, oppida vicosque, accedamus.

PARS

Digitized by Google

PARS POSTERIOR SPECIALIS,

DE

Quatuor Proceſſibus Comitatus NEOGRADIENSIS.

PROOEMIVM.

COMITATVS NEOGRADIENSIS, bifariam diuiditur. Ac primo quidem, in NAGY, & KIS-NÓGRAD, ſiue, in *Nográd Maiorem*, & *Minorem*. quæ quidem partitio, tota huc comparata eſt, vt diuerſorum *Epiſcopatuum Diœceſes*, eo deſignarentur adcuratius. Nam *Maior* quidem *Nográd*, totus *Archiepiſcopatui Strigonienſi*, adſcriptus eſt, cui & decimas debet; ſed a Comitatu, iuſto pretio, quod *pactatum* dicunt, redemtas. *Minor* contra *Nográd*, ad *Epiſcopatus Vacziensis Diœceſin* (*a.*) pertinet, & vltra amnem *Fekete-Viz*, verſus *Zagyuam*, procurrit. Diuerſa pendendarum decimarum heic ratio eſt: quippe quæ, non iam elocantur amplius; ſed frugibus ipſis, quas dederunt agri, dependuntur. Altera regionis diuiſio, PROCESSIBVS, quos vocant, abſoluitur. Quatuor horum eſſe voluerunt, priſci illi partitores, *Loſonczienſem*, *Filekienſem*, *Szétsénienſem*, & *Kékkőienſem*. Nunc, ſingulos emetiamur, adcuratione, qua fieri potuerit, maxima, eaque ita diſpertita, vt arces primo, tunc oppida, denique vicos, & horum ſitus, adnotemus.

a.) Legeſis, Anni MDLXXIV. Art. XXVI.

MEMBRVM I.

DE

Proceſſu Loſontzienſi.

NOmen *Proceſſui* oppidum Losontz dedit, intra montes, campo haud anguſto, poſitum. Totus is montoſus eſt, & ſiluis inſeſſus; atque ab oriente quidem, *Filekienſi*; *Kékkőienſi* ab occidente; denique a meridie *Szétsénienſi*, circumcluſus. Reſidua, in aquilonem, pars, verſus *Comitatum Zolienſem*, per vaſtos montes, ac profundas valles, adtollitur. Cæli ſolique ingenium, ſupra dedimus: nunc, quas arces, oppida, vicosque habeat, videamus.

SECTIO I.

DE

Arcibus Proceſſus Loſontzienſis Gáts; & Divin.

SYNOPSIS.

I. *Arcis* Gáts *denominatio ab* Halitziis, *Ruſſiæ rubræ populis: eius apud* Bonfinivm *mentio.* §. I.

Situs, amœnitas, & regionis circum habitus. §. II.

Eius fata: funditus inſtauratur, a Comite Sigismvndo Forgách: *propugnacula, & opportunitates reliquæ.* §. III.

Incolumis perdurauit, ſuperioribus diſſidiis ciuilibus: nuperis Rákóczianis, *a nobilitate defenſa: huius fides in Cæſarem.* §. IV.

II. Divini *origines: ſitus arduus.* §. I.

Publicis operis munitur, capitur a Turcis: *atque iterum recuperatur a* Pálffio. §. II.

Emericus Balaſſa, *infelix arcis dominus, & huius actus fataque: fruſtra obſidetur a* Veſſelenio: *expugnatur a* Straſſoldo, *& deletur.* §. III.

Reſtaurandam ſtatuunt ordines, ſed irrito conſilio: hodie, genti Zichyorum *paret.* §. IV.

I. *Arx*

I. *Arx* Gats.

§. I.

VEtuſtatem arcis, ipſa eius nomenclatura loquitur. Etenim, quam *Hungari* Gáts dicunt, eam indigenæ *Slaui* Halitsch adpellant, certiſſimo indicio, rudus quoddam, aut monimentum eſſe, priſcorum *Halitziorum*, Ruſſiæ rubræ populorum, quos Colomannvs primum, deinde Stephanvs II. bello tentauerunt, Geyzaautem II. penitus Hungariæ adſeruit: regionis vocabulo, inter regum Hungariæ titulos, poſtea relato. Nimirum, vel colonias hic *Halitziorum* conſtituerunt, iidem, quos diximus, & ſequuti reges, vel certe, ex eorum manubiis, caſtrum excitauerunt, quod memoriam, miſſæ ſub poteſtatem *Halitziæ*, propagaret ad poſteros. Alioquin, ex *Slauico*, eoque genuino, arcis *Halitſch*, vocabulo, facile erat Hungaricum *Gálts*, ex quo poſtea *Gáts* factum, enaſci. Vtroque enim modo, *Galitziam* & *Halitziam*, regionem illam, dicimus; atque illud quidem *Polonorum*, & *Ruſſorum* more, qui adſpirationem ſ H. in G. conſonam, mutare conſueuerunt. Exſtat, huius adpellationis veſtigium apud Bonfinivm. *(b.) Coruinus*, inquit, *in Giscram caſtra mouet, præſidia varia, quæ ad templum Saág (vt aiunt) Ipolo fluuio proximum, & in monte* Galchure, *item, ad Rosnauum, Scepuſiumque oppidum, olim erexerat, grauiſſima obſidione vexauit, & vt quamprimum deditionem ſibi facerent, adegit. Expugnatis his deletisque præſidiis.* Sunt, qui loco *Gálchure*, malint *Galtsvára* legere; ſed profecto præter rem, cum vox illa Bohemicæ ſit compoſitionis, ex *Gálts* & *Hura*; noſtri Slaui, *Gáts-Hora* dicerent, id eſt, *Gálts montem*: id quod & Bonfinii verba volunt. Nolim autem, vetuſtiſſimæ arcis primordia, ad iſtos *Bohemorum* tumultus, referre: quinimmo, ita ſentio, veterem, quæ iſthic poſita fuerat, molem, *Giscram* inſtaurauiſſe, nouisque operibus munitam, præſidio ſuæ factionis hominum, firmauiſſe. Ludunt proinde, qui ex truncato *Comitum Forgách*, cognomine, arcis vocabulum deriuant; cum certum ſit, eos, poſt ſuperioris demum ſeculi exordia, in arcis poſſeſſionem veniſſe. Vt, proinde, nec vulgatum illud celeuſma ſibi conſtet, quo *Eliſabetha*, & *Maria* reginæ, *Blaſium Forgách*, ad cædem *Caroli Parui*, incitarint. *(c.) Vágd, Vágd Forgách! tied lészen Ghymes és Gáts*; cum *Ghymes* quidem, ab ipſis gentis incunabulis, *Forgáchiorum* fuerit; *Gáts* autem arcis, iis temporibus, nondum exſtet memoria.

Arcis Gáts *denominatio, ab* Halitziis, *Ruſſia rubra populis:*

eius, apud Bonfinivm *mentio.*

§. II.

ISta, de arcis originibus dicere habui. Situs eius, non minus amœnus eſt, quam ad defenſandum idoneus. Nimirum, impoſita eſt mon-

Situs amœnitas & regionis circum habitus.

b.) Decade III. Lib. VII. p. 478. initio.
c.) Lege patratum facinus, apud Bonfinivm, Decade eadem, Lib. I. p. 364, 41. & ſeq. Et, criticen noſtram, Operis Tomo III. Hiſt. Vrbis Budenſis, Periodo I. §. VII. p. 199.

monti, rotundo illi, & in modicam altitudinem adſurgenti. Qua ſeptentrioni, & occidenti obiicitur, præruptum montis latus eſt, & valle ſubrutum profundiore, quam hinc, viculus *Gáts-falua*; illinc, ad tormenti iactum, *Maskova*, deſpectu elegantem facit. Mollius a meridie adſurgit, vt adiri commode poſſit, qua ei regione, & oppidum, tenue quidem, ſed mercatibus nobilitatum, ſubſedit. Reliqua, ad eandem plagam, regio, in amœnam planitiem diffunditur, habetque proſpectum, non tam late porrectum, quam hinc vicorum, illinc nemorum, pratorum, agrorumque obiectu, iucundum. Ad hanc ſitus elegantiam, multum, obtutu *Loſontzienſis* oppidi, proficit: id enim, ad paſſus, plus minus bis mille, in meridiem reiectum, maiorem, quam pro mole, ſpeciem refert. Quod a tergo arcis eſt, vtroque latere, in vaſtas ſiluas abit, decliuioribus primum colliculis, poſtea montano etiam ſitu, procurrentes. Viuaria credidiſſes, ex induſtria poſita, ita feris olim abundabant. quarum venatus, inter præcipuas arcis opportunitates, retuleris. Radices montis, pomariis conſiti ſunt, orientale autem latus, nuper, etiam vite veſtitum. Ab occidente, riuus *Tugár*, arcem ſubluit, qui obiectis, pro more, aggeribus, & poſitis emiſſariis, in piſcinam reſtagnat, ingentem, & piſcium, varii generis, diuitem: vt nihil omnino, quod, ſiue ad amœnitatem loci pertineat, ſiue ad commoditatem, iure queas deſiderare.

§. III.

Eius fata: funditus inſtauratur a Comite Sigismundo Forgách.

ARcem, eo ſitu excitatam olim, & ab *Giskra* inſtauratam, ſed a IOHANNE CORVINO, quemadmodum ex BONFINIO meminimus, dirutam, quæ poſtea fata manſerint, difficile dictu eſt: præterquam, quod Anno MDXLVIII. *(d.)* diruendam ſtatuerint Ordines, tamquam ſine indulgentia regis, excitatam iterum. Inde equidem haud grauate illis adſenſerim, qui credunt, iacuiſſe, ſuis ruderibus ſepultam, vsque ad tempora dominationis *Forgáchianæ*. Tunc enim, primus ex hac gente poſſeſſor, *Sigismundus Forgách*, cuius ſupra honorificam habuimus mentionem, vaſtum iſtud rudus, in eam molem, ingenti ſumtu eduxit, qualem hodieque cernimus. Loquitur eius rei memoriam, marmor, arcis portæ inædificatum, cuius ideo ἐπιγραφὴν adſcripſiſſe iuuat:

memoriale, in eam rem, marmor:

DEO OPTIMO MAXIMO ADIVTORE,
ANNO MDCXII.
DIRVTVM CASTRVM GÁCH, EX FVNDAMENTO EREXIT, AC PRO DEFENSIONE PATRIÆ, FINITIMO IN LOCO, CONTRA TVRCAS SITO, COMES SIGISMVNDVS FORGÁCH DE GHYMES, SACRÆ CÆSAREÆ REGIÆQVE

d.) Decreto XII. FERDINANDI I. ART. XLVI.

QVE MAIESTATIS, MATTHIÆ II. DEI GRATIA IMPERATORIS ROMANORVM ET REGIS HVNGARIÆ, IVDEX CVRIÆ, CONSILIARIVS, SVPERIORIS REGNI HVNGARIÆ GENERALIS, AC COMITATVVM NEOGRADIENSIS, SÁROS, ET SZABÓLTS COMES, CONSORTE SVA CHARISSIMA, CATHARINA PÁLFFY DE ERDÖD, LIBERIS, ADAMO, EVA ET MARIA FRANCISCA, PROPITIO NVMINE VIVENTIBVS, CONSTRVXIT, MVNIVIT. (*e.*)

Proinde, iſto reſtitutore, obſoleta, ſesqui ſeculo, rudera, inſtaurata ſunt denuo. Aedificii forma, in quadrangulum, ſed oblongum illud, & per angulos, propugnaculis omnino validis, præmunitum, abit. Quia ab oriente, ædiculam ſacram, ab occidente vero, palatium habet, nouo opere, ad modum propugnaculi ſubſtructum, vniuerſa moles, ſpeciem propemodum hexagonam refert. Qua portam aperit, gemina munitione præcingitur, vt reiicere ab inſultu hoſtes poſſit, nullo montis latere, facilius ſubituros. Reliqua arcis, mœnibus duplicatis, depreſſaque alte fouea, circummuniuntur. Ipſa prætorii ſubſtructio, triplici contignatione adſurgit, varieque diſcreta eſt hypocauſtis, pro eius ætatis ingenio factis. Quorum, quod ampliſſimum eſt, regum Hungariæ iconibus, affabre pictis, ſuperbit. Ad arcis commoditatem pertinet, puteus ad LX. orgyiarum altitudinem excauatus, idemque, perennium aquarum ita diues, vt obſidioni, etiam diuturniori, ſufficturus credatur. Ei hauriendo, captiuorum adhibentur miniſteria, quos, ex tota prouincia, tamquam ad communem carcerem, huc mitti, adulti moris eſt.

molis forma:

propugnacula & porta:

prætorii habitus:

putei eximia profunditas:

hauritur a captiuis, quorum hic carcer eſt publicus.

§. IV.

ILLUD mirari ſubit animum, quod, cum frequentiſſimæ *Comitatus Neogradienſis* arces, ad vnam omnes, ciuilibus partim diſſidiis, partim Turcarum impreſſionibus, euerſæ ſint deletæque, hæc ſola, toto ſeculo, oppido funeſto, perdurauerit intemerata. Vt fas ſit exiſtimare, vel præſidiis caruiſſe, quo potuerint hoſtes ad oppugnandum prouocari, vel certe, ante feciſſe deditionem, quam neceſſum fuerit, vltima quæque experiri. Noſtra ætate, cum anno MDCCIII. *Rákoczianus* tumultus iniiſſet, aſylum aliquantiſper nobilitati præbuit, aduerſus concurſantis multitudinis globos; quin tulit etiam obſidionem temporariam. Nempe, collecto, bis mille peditum agmine, neſcio, quis *Rákócziana* factionis homuncio, arcem, inſultu primum, atque magna ſuorum accepta clade, tumultuaria etiam obſidione, vrgere cœpit; donec ſemel iterumque reiectus, diffugiente colluuione illa, cœpto coge-

Incolumis perduranit ſuperioribus diſſidiis ciuilibus:

nuperis Rákóczianis a nobilitate defenſa:

e.) Poſtea publico regni decreto, in monimentis limitaneis, *confinia* noſtri vocant, cenſeri cœpit. Videſis Anno MDCXXV. Art. XIX.

huius fides in Cæsarem.

cogeretur desistere. Postea, increscente, in dies singulos, tumultuantium multitudine, cum vrbes passim, arcesque, in hostium concederent potestatem, neque spes esset auxilii, cessere, incubanti vndique necessitati, quos huc fortuna compulerat, missa prius *tabulis, ad Venerab. Conuentum S. Benedicti de iuxta Gron (f.)* quibus testarentur: *se quidem, integra in regem fide, nullo autem nouarum rerum studio, necessitati iam cedere;* quæ res, quemadmodum priscæ *Neogradiensium*, in reges fidei, laudem meruit; ita eo pertinebat, vt insontes haberet rex, in suam postliminio potestatem vindicatos. Ista tunc Neogradiensium mens fuit, ac destinatio, quam, pulsis virtute Cæsarianorum, *Rákóczianis*, obsequio in regem legitimum, egregie testatos meminimus. Ceterum, ea deditione tormentis currulibus, & adparatu reliquo, nudata arx, postea, eo facilius in Cæsarianorum recidit potestatem. Fugientibus enim Rákóczianis, cum exigua præsidiariorum manu, Gallus quidam, cui *Bonefus* nomen, arcem, iussu *Rákóczy*, insederat. Vir erat, haud omnino imbellis, sed Rákócziane militiæ pertæsus. Igitur, vix tentata obsidione, arcem, cum præsidio, Cæsarianis dedit, bipedum, si quis alius, oppido facetissimus, sæpe *Rákóczio* ipsi obiectans: *ex eius se stipendiis; ne tantillum feciſſe lucri, quod comparando pedi ligneo*, (tormenti enim ictu, pede altero mutilatus fuit) *potuisset sufficere;* cui ille: *videret modo*, inquit, *ne scelerato, pedem alterum, nouus aliquando tormenti ictus auferret.* Ista tunc arcis fata fuerunt. Fuit postea, repetito, per interualla, hospitio, *Supremi Comitis*, Johannis Adami Forgách, dum viueret, insignis.

II. Divin.

§. I.

Diuini origines:

DIVIN *(g.)* insigne olim gentis *Balassa*, castrum, modico in septentrionem milliari, *Gátsino*, intra montes, reductum, situad arcendum a montanis vrbibus hostem, admodum opportuno. Sunt, qui perhibeant, a familia *Diuiny*, quæ, & nomen, cum arce communicauerit, primum conditum fuisse. Tametsi enim nulla eius familiæ, quod sciam, mentio, apud Scriptores rerum Hungaricarum proditur; tamen, nolim traditioni huic fidem derogare. Nam, erat hoc olim in moribus nostrorum hominum, vt, si opibus valerent, ac clientelis, hæc istiusmodi perfugia molirentur, vt, partim suas ipsorum tutarentur fortunas, partim, si id vsus ferret, aut stimularet libido, alienas infestarent. Negari haud potest, superiorem arcis molem; nam bifariam diuisa fuit; multum vetustatis prætulisse: non æque inferiorem, quæ tota *Balassiorum* opus fuisse credebatur. Quicunque fuerint arcis molitores, situm profecto, ei ponendæ, arduum elegerunt.

f.) Anno MDCCIII. feria V. post. Dom. XIX. post Pentecosten.

g.) Decreta regni Anno MDCLXXXI. Art. VI. *Dénény* scribunt, nescio an recte satis? id enim arcis in prouincia *Pjosoniensi* nomen est.

Digitized by Google

runt. Rupes enim eſt, qua ad aquilones ſpectat, prærupta & inacceſſa, deuexior, qua ad orientem, & meridianum ſolem vergit. Portam ideo, hac regione habuit, aditu non plane difficilem. Quæ intra mœnium & propugnaculorum ambitum erant, in cubicula diſpertita fuerunt, fornices item & cellas, ſed vetuſto ritu, hoc eſt, neglectis fere architectonices regulis ædificatas: ſi forte palatium illud excipias, quod *Emericus Balaſſa*, eo loco ſubſtruxerat, vnde grandius propugnaculum, ſubtus, pulueris pyrii apothecam habens, fulmen eliſerat: id enim, magnificentius factum fuiſſe aiunt, qui intemeratum viderunt. *ſitu arduum.*

§. II.

LOci, quam diximus, opportunitas effecit, vt ſubinde, publico regni decreto, inſtaurandam iuſſerint Status & Ordines. Huc pertinet, anni MDLIX. ſanctio, articulo XXIII. expreſſa, qua, *duo, prouincia Neogradienſis tractus, ordinabantur, vt operas, inſtaurandis munitionibus, Somoskő, Kékkő, &* DIVIN, *præſtarent.* Caueri tamen haud potuit, quin, anno MDLXXVI. arce *Kékkő*, intercepta, in Turcarum poteſtatem veniret. Rem, hunc in modum memoriæ prodidit ISTVÁNFFYVS. *(b.) Sed quum*, inquit, *fruſtra omnia eſſent, rebus deſperatis*, (arcis Kékkő obſidionem deſcripſerat) *relicta hoſtibus illa, in aliam arcem* DIVINIAM, *quæ etiam Balaſſiani iuris ditionisque erat, digredi decreuerunt. Hoſtes, vacuam arcem occuparunt, caſtrisque absque cunctatione promotis (tantum apud eos conceptum in* BALASSIVM *odium, & recentis iniuriæ vltio potuit,)* DIVINIAM *quoque obſidione cinxerunt. Ea erat tribus millibus, a noſtrorum caſtris diſſita, ſupra monticulum conſtructa, vetuſti infirmique operis. Cum, neque illa tormentorum vim ſuſtineret, nec obſeſſis, vti ſperabant, auxilia mitterentur, ac ſupra alias difficultates, Emericus,* (præſidiariorum præfectus,) *dum magna virtute, ſed incautius, mœnia tuetur, mortifera glande ictus, cecidiſſet; noſtri, rebus deſperatis, arce iterum egredi, & qua cuique fuga pateat, ſortem ſuam pugnando ſequi, aut, ſi vita amittenda ſit, libero potius & patenti in campo, quam incluſi mœnibus, decreuerunt. Igitur, cum egreſſos Turcæ perſenſiſſent, repente, totis viribus in eos irrumpentes, ſine vllo diſcrimine, omnes trucidarunt: ſolo* RADOSSA *Thrace, cum pauciſſimis gregarii nominis militibus, euadente. qui poſt varios errores, Agriam peruenerunt.* Atque hanc quidem, arci ac præſidiariis, cladem, *Iohannis Balaſſæ*, temeritas accelerauerat: quippe, infelici ſtratagemate, immo dolus erat, quem ad *Kékkő* expromemus, prouocatam. Eo audito, Cæſar, arces; nam tres eodem impetu interceperant, miſſo *Nicolao Iſtvánffyo*, a præfecto Budenſi, fruſtra tunc quidem repetiit; donec, anno MDXCIII. ductu *Tieffenbachii* ac *Pálffii*, recuperato *Filekino*, totius circum regionis arces, partim metu ab hoſte deſertæ, partim vi expugnatæ, a noſtris inſiderentur. Exſtat cædis illius, hodieque, in rude- *Publicis operis munitur:* *capitur a Turcis:* *atque iterum recuperatur a Pálffyo.*

b.) Libro XXV. p. 547, 1.

ribus arcis, memoria, eo propugnaculo, quod ob profuſum ſanguinem, *Véres Báſtya*, adpellant.

§. III.

Emericus Balaſſa, *infelix arcâ Dominus, & huius aſtus fataque.*

POſt iſtas conuerſiones, in obſcuro fuerunt res *Divinenſes*, dum infauſto omine, *Emericus* IV. *Balaſſa*, arci cœpiſſet imperare. Is enim, vti erat ingenio verſatili, & nouarum rerum ſtudioſo, cum non vicinis tantum inſultare, eosque laceſſere varie; ſed in Cæſarem etiam, Regemque ſuum, pernicioſa conſilia procudere, nihil dubitauiſſet, arcem, quam inexpugnabilem eſſe volebat, ſecum, in perniciem traxit. Nimirum, diu, priuatis iniuriis, in optimos quosque, equeſtris & plebeii ordinis, graſſabatur *Emericus*. Sed nec Turcis, cum quibus induciæ tunc erant Chriſtianis, parcebat. Res ea, crebris vicinorum querelis, ad Cæſarem LEOPOLDVM delata, tantum potuit, vt dies Emerico, diceretur, quo obiecta crimina, aut diluere, aut pro eo, ac meritus fuerit, pœnas daret. Sed ille, ingenium ſequutus ſuum, cum detrectauiſſet comparere, proſcriptus publice eſt; breui poſt amicorum fauore, ab ea pœna, factus immunis. Interim, cum non modo ab inferendis iniuriis ſe abſtinere nollet; ſed præteritas, nouis, in dies cumularet, tandem *Viennam* euocatus, capitur, vnius, alteriusue menſis cuſtodia, inſolentiæ pœnas daturus, neque dimittendus ante, quam in conditiones, ingenio ſuo minus æquas, iurata fide, conſentiret. In his erant: *vt arce Divinenſi penitus exeſſet; rapinis, & vicinorum cædibus, manus abſtineret; ſecum habitaret; neque amplius, ſeu Statuum querelas, prouocaret, ſeu regiam acueret indignationem.* His ergo legibus dimiſſus, impetrauit nihilominus ab indulgentiſſimo Rege, vt caſtellum, ad pedem montis, cui arx *Divin* inſedit, exædificare ſibi liceret, futurum vitæ reliquæ, tranquillum, ſcilicet, ſeceſſum. Proinde, redux, in opus, omni ſtudio incubuit, idemque, anno MDCLXX. conſummauit, adparatu tamen, quam receperat, maiore. Nam, ædificium quidem illud, quatuor propugnaculis incinxit, vt tolerando inſultui, par videri potuerit. Vitam vero, antegreſſa, nihilo meliorem, viuere occepit. Præterquam enim, quod nouis iterum iniuriis, haud deſinebat inceſſere, quos ſemel odiſſe cœperat; luxu, intempeſtiuis conuiuiis, crudelitate promiſcua, quin cædibus etiam ſuorum, male apud omnes, audiebat. Addebat ei ſpiritus, quod clientelis valeret, hominum, non omnino probiſſimorum, quorum ille opera, deſtinata facile exſequebatur. Accidit forte, vt procurator ditionis ſuæ, vulgo *prouiſórem* vocant; *Mora* ei nomen fuit; iram eius in ſe accenderet, quam is declinaturus, in vicinam arcem *Gáts*, tantiſper ſe abdidit, dum ſedato iræ feruore, in conſpectum heri, venire poſſet denuo. Erat res illa, *Emerico*, longe exoptatiſſima: quia enim repetitum *Moram*, arcis illius præfectus, *Makfaluay*, neque vellet, neque, niſi iure hoſpitii, vti rebatur, violato, poſſet reddere: collecta plus minus CCC. hominum manu, arci inſultare nihil dubitat.

Inde

Inde reiectus, oppidum inuadit, ac diripit, posteaque, iniecto tectis igne, quidquid armentorum oppidani, & circumsitæ *Forgáchiorum* villæ habebant, nouo hoc belli genere, abigit. Impune ista *Balassio* tum cesserunt. Interim, eo rapinarum successu elatus, quin & pœnitentia, acceptarum in Viennensi custodia, conditionum, stimulatus perpetuo, de intercipienda astu, arce *Divinensi*, consilium cepit; in primis, quod iam tum, nouarum rerum, quas superior Hungaria parturiebat, fama increbesceret. Proinde, arcis præfectum, in conuiuium, lautissime adparatum, illicit; tum & præsidiario militi, clam, tantum vini propinari iubet, quantum ad temulentiam sufficere posse rebatur. quibus, liberalius sese inuitantibus, dato, suorum manipulo, quem in promtu habuit, signo, portas perrumpit, mœnium stationes occupat, &, qui obsistere ausi fueruut, obtruncatis, captoque perfide præfecto, arce potitur. Non poterat non, audax adeo, ac temerarium facinus, offendisse LEOPOLDVM. Igitur, missis ad *Franciscum Veselény*, Regni Hungariæ Palatinum, mandatis, arcem obsideri, ac simul capta fuerit, solo æquari, *Balassam* vero, in vincula coniici iubet. Nec mora; contracto enim, prouti, in ea festinatione, fieri poterat, quatuor millium tumultuario exercitu, arcem, anno MDCLXXIV. obsidione cingit, & qua maxime opportunum credebatur, crebris tormentorum ictibus, verberat. Nihilo remissiores obsessi, qnod veniam desperarent, se, mœniaque strenue defensant, neque non ita fatigant *Veselénium*, vt irrito sex hebdomadarum labore, discedere cogeretur. Ceterum, obsidione per *Strasoldum*, Cæsariani exercitus ducem, maiore exquisitioreque adparatu, redintegrata, tandem *Balassa*, cum suis, deditionem facere cogitur, atque in vincula coniectus, ægre postea ex ea captiuitate, ac non nisi alienis precibus, liberatur. Arx, tot malorum officina, iniecto, ex industria, igne exusta, ac ne esset amplius, nefariorum hominum perfugium, dispositis, per cuniculos pulueribus pyriis, disiecta est. Sed *Balassa*, eo casu nihilo factus melior, *Tökölii* partes, iam palam sequi, nihil dubitauit. Cum vero, ne sic quidem fortunam propitiam sibi reddere posset, mœrore animi confectus, anno MDCLXXXIII. in oppido *Tálya*, viuendi finem fecit. Si ex *Symboli*, quod in ore habebat, quodque in castelli, cuius meminimus, porta legitur, sententia, quam suo ingenio, vitam duxisse maluisset, feliciorem, patriæque futurum fuisse commodiorem, non ab re, existimamus. Erat vero illud, a SALOMONE mutuatum: *Homo proponit, Deus disponit:* Nos, funestæ arcis ruderibus, istud HORATII *(i.)* iure optimo, præfigi posse, putamus:

fruſtra obſidetur a Veſſeleniо:

expugnatur a Strasoldo, *& deletur.*

Vis, consilii expers, mole ruit sua.
Vim temperatam, Dii quoque prouehunt
In maius: iidem odere vires,
Omne nefas animo mouentes.

i.) Lib. III. Od. IV. 65.

§. IV.

Reſtaurandam ſtatuunt Ordines, ſed irrito conſilio:

ISte arcis occaſus fuit, eo triſtior, quod heri temeritate procuratus. Tametſi autem, publicis regni comitiis, anno MDCLXXXI. art. VI. reſtaurandam ſtatuerunt *Ordines*, manſit tamen hucusque, ſuis ſepulta ruderibus, tunc reſurrectura, *cum Chaba redibit.* Erant, *Emerico*, duo filii, *Chriſtophorus* & *Petrus*, ſed vterque improlis, & paternæ indolis, ex aſſe hæres. Qua re factum, vt ditio arci adſcripta, glorioſiſſimi LEOPOLDI indulgentia, *Comitibus Zichy*, *maioratus*, quam vocant, lege, ſed iure tamen hæreditario, adtribueretur. Paret hodie C. CAROLO ZICHY, *Incluti Comitatus Moſonienſis*, *ſupremo Comiti*, *Sacræ Cæſareæ Regiæque Maieſtatis Camerario, & cum actuali intimo, tum Locumtenentiali, conſiliario.* Nupero motu *Rákócziano*, poſt decretoriam, ad Trentſinium, pugnam, excubias ſuas, in huiate caſtello collocauerant *Hungari*, vt *Cæſarianis*, montanas iam tenentibus, per occultos montium calles, inſidiarentur. quem tamen conatum, virtus Germanorum anteuertit, *Cſajágio*, (id nomen duci Rákócziano fuit) ſola aduentantis Cæſarei militis fama, in vlteriorem *Hungariam*, cum ſuis, dilapſo. Iſta de arcibus.

hodie Zichyorum genti paret.

SECTIO II.

DE

Oppidis Proceſſus Loſontzienſis.

SYNOPSIS.

I. *LOSONTZ.*

Loſontzini *denominatio: origo Hungarica.* §. I.

Oppidi ſitus & commoditates: ſit nobilitatis perfugium, poſt occaſum Filek. §. II. §. III.

Priſci oppidi poſſeſſores: incolarum indoles, lingua & religio: mercatus annui, eorumque celebritas. §. IV.

Loſontzienſis, Iohannis Coruini, *clades.* §. V.

Fata oppidi reliqua. §. VI.

II. *GÁTS.*

Gátsenſis *oppidi ſitus, & mercatus.*

III. *DIVIN.*

Diuini *oppidum, qua in primis re memorandum: priſca incolarum virtus: ruſticatio hodierna, & venatus: mercatus annui.*

I. LOSONTS.

§. I.

Loſontzini *denominatio:*

PRinceps horum eſt, LOSONTZ, latinis LOSONTZINVM, Slauis *Lucsenecz:* (*k.*) vnde nomen quoque tractui enatum. Etymon

k.) Sunt, qui nomen oppidi, ex Slauico *Lúka*, quod *pratum* ſignificat, deriuent: vnde *Lucſenecz*, quaſi locus pratis luxurians, ſubnatum ſit. Non contrait regionis habitus: quippe qui, pratis inſignis eſt. Sed *Hungarica* denominatio, potior nobis videtur.

mon vocabuli, *Hungaricum* eſſe, haud ſine ratione arbitramur. Eſt enim nobis *Ló-Sántz*, & craſſiore ſono, *Ló-Sóntz*: quomodo agreſtes Germani, pro *Schantz*, dicunt *Schontz*, id eſt, *agger*, ſeu munimentum, depreſſis foueis, & egeſta in aggerem humo, factum. Erit ergo *Loſontz*, agger, equis defenſandis actus. Quæ quidem vocis ſignificatio, aliis forte obſeruata nondum, in eam nos coniecturam ducit, priſcos *Hungaros*, cum iſta regione, ſeu militarent, ſeu pabularentur, equilia ſtabula, heic conſtituiſſe, atque, vt agerent eo tutius, aggeribus ea circummuniuiſſe. Et reſpondebat ſane, ei inſtituto, natura loci: quippe, paſcendo iumento, perquam idonea. Quin, & hoc, ex iſta nomenclatura colligas, oppidum, quantulumcunque illud, antiquum eſſe, & originis *Hungaricæ*. quam hodieque, tametſi *Slauorum* coloniis circumfuſum ſit, egregie tutatur. *origo Hungarica.*

§. II.

SItus oppidi, & amœnus eſt, & habitatu commodus. In planitie id conſediſſe, ſupra diximus. Hanc montes inſepiunt, quaſi ex induſtria poſiti, iucundo omnino obtutu, quem, ab occidente æſtiuo, arx *Gáts*, quaſi porrecto, ex ſiluoſis montibus, capite, multo reddit elegantiorem. Oppidi ambitum mediocrem, neque inſignem ædificiis, meminimus. Habet plateas quatuor, quas rari vtrinque ædium ordines, efficiunt. Domos enim, primi illi metatores, villicorum ritu, poſuerunt, vt a vicinis, tanto interuallo diſcriminarentur, quantum ampliori areæ, & accipiendæ pecudi domeſticæ, ſufficeret. Sed forum tamen, ſpiſſius inædificatum eſt, cultiusque. Vtrobique, in foro, iuxta & plateis, vel ad modicos imbres, cænum inualeſcit, tenax adeo & profundum, vt ei equites ſubinde hæſiſſe, viderimus. Quod quantum habeat moleſtiæ, nihil adtinet monere. *Lutetiam* diceres, ſed non *Pariſiorum*. In medio oppidi, eccleſia ſedet, ſolidi & antiqui operis, muro, ad eum modum incincta, vt hoſtem arcere poſſit. Iisdem mœnibus, *Domus Comitatus*, in qua comitiola prouinciæ agi, iam monuimus, concluſa eſt. *Oppidi ſitus, & commoditates.*

§. III.

POſt *Fileki* occaſum, perfugium equeſtri ordini dedit, eaque re, adeo profecit, vt iam metropolis Neogradienſium, iure poſſit exiſtimari. Quidquid enim nobilitatis præcipuæ, ab ea clade fuit reſiduum, iſthic ſedem fixit. In his erant familiæ: *Balog*, *Báſty*, *Bulyowsky*, *Cſemiczky*, *Darvas*, *Ebeczky*, *Gellén*, *Gyurky*, *Kandó*, *Kántor*, *Koromzay*, *Litaſſy*, *Motſáry*, *Pelárgus*, *Ráday*, *Szalontay*, *Szemere*, aliæque. Ac hi quidem, multum oppido, cum auiti moris, tum celebritatis, induxerunt. Erant enim plerique omnes, qui huc commigrauerunt, viri graues, & multis fortunæ caſibus, exerciti. quos, cum veneranda canities, & longus rerum vſus: tum perpetuæ *Fit nobilitatis perfugium, poſt occaſum Fileki.*

cum *Turcis* velitationes, priſcis illis *Hungaris*, ſimillimos effecerunt; hoc eſt: decora ſua, non ex auorum fumoſis imaginibus, ſed ſuis ipſorum cicatricibus, & geſtis, pro patria rebus, exiſtimantes.

§. IV.

Priſci oppidi poſſeſſores:

ERat olim ditionis *Loſontziorum*, gentis, præclare de Hungaria meritæ, ſed quam *Temésvari*, anno MDLII. deditio *(l.)* exſtinxit. Huic, *Forgáchii*, *Balaſſi*, *Zichii*, *Szemerei*, & *Törökii*, partitis iuribus, ſucceſſere. Eſt proinde *Loſontzienſe* oppidum, heris ſuis, *Dominos terreſtres* vocamus, tributarium: ſi eos incolarum excipias, qui fundis, quos colunt, libertatem, ære numerato, parauerunt: quales nobilium, quas diximus, familiæ ſunt amnes. Reliqua plebs, ignobilis eſt, & cum agricolationis labore, operas ſellurariaſ coniungit, regiturque a magiſtratu oppidano, quem mutuis ſuffragiis, quotannis eligunt. Plebis indoles, cultæ humanitatis eſt, lingua potiſſimum Hungarica, ſed contagii quidpiam e Slauonica trahens. Præter agri opportunitates, quarum ſupra mentio nobis fuit, in primis nundinarum celebritate valet. Sex earum in annos ſingulos, tanta hominum aguntur frequentia, quam, quæ iſtis locis concipi poteſt, maxima: puta: diebus *Valentini*, *Stanislai*, *Corporis Chriſti*, *Viſitationis B.V. Mariæ*; *Eleuat. Crucis*; denique, die, *Lucæ Euangeliſtæ*, memoriali. Montanarum ſcilicet vrbium homines, certatim huc merces domeſticas, non minus, quam peregrinas, deferunt, quas quidem, felicioribus temporibus, tanta auiditate coëmtas recordamur, vt exinanitis curribus, ouantibus ſimiles, domum redirent, beati inſtitores. Sed, fora hebdomadaria, quæ ſingulis diebus *Iouis* frequentari oportebat, incelebria, difficultas temporum pridem fecit. quam, niſi opimiora exceperint, periculum eſt, ne in deſuetudinem abeant, ac penitus antiquentur.

hodieque heris ſuis tributurium eſt:

incolarum indoles, & lingua:

mercatus annui, eorumque celebritas.

§. V.

Loſonczienſis, Ioannis, *Corui clades.*

AD celebritatem oppidi referendum credimus, quod *Coruiniana* clade, Anno MCCCCLI. illuſtratum ſit. De ea BONFINIVS. *(m.)* *Anno*, inquit, *quadrgenteſimo, quinquageſimo primo, ſupra Milleſimum, coacto tumultuario exercitu*, (de Iohanne Coruino loquitur) *& euocato vndique gregario quoque milite, ruſticaque turba*, IOHANNEM GISCRAM, *haud procul a* LOSONCZIO *oppido, facinoroſorum omnium principem, in primis adoritur, qui, ad diui Regis Stephani fanum, præſidium olim erexerat, aggere ac vallo cinxerat, multo milite, variaque munitione, complerat.* Hæc, de caſtri loco BONFINIVS, quem collem, ſitu enim eleuatiore eſt, hodieque, *Szent Király*, adpellant noſtri: quod *Sanctum*

l.) Vide ISTVANFFIVM Lib. XVIII. initio; & commentaria noſtra, de *Comitatu Temesvárienſi*, Partis ſpecialis Membro I. Sectione I. Cap. I. Hungarico, §. XIV. ſeqq.

m.) Dec. III. Lib. VII. p. 447.

Digitized by Google

Sanctum Regem, ſignificat. Cladem ipſam, ita deſcribit: *Iam*, inquit, CORVINVS *præſidium, tam acri oppugnatione vexarat, vt in dies deditio ſperaretur; quum* GISCRA, *coactis in ſuperioris Hungariæ partibus, auxiliis, & ingenti exercitu præſto, adfuit. Multi enim proceres, ad labefactandam Gubernatoris magnanimitatem, copias gratuito dederant, & cum aliis optimatibus coniurarant, qui in Coruini caſtris erant, vt prælium detrectarent, & vt elatum eius animum, facilius adtenuarent, ſe vltro vinci paterentur. Numquam defuit virtuti liuor. Inita coniuratorum conſilia, e ſententia ſucceſſere. Nam, cum acies inſtructæ vtrinque conſtitiſſent, ac nondum pugnæ ſigna data eſſent, ecce, ex compoſito nonnulla coniuratorum agmina, vt honeſtius a* CORVINO *deficiant, ſimulato metu, in fugam ſe proripiunt. Irruunt, data occaſione Bohemi, & deſertum Gubernatoris agmen, collatis ſignis, inuadunt.* CORVINVS, *intellecta ſuorum perfidia, quum ſe obſiſtere haudquaquam poſſe cerneret, cum ſuis, terga vertit, & quamuis a tergo acer inſtaret hoſtis, in proxima tamen oppida, incolumis euaſit.* Iſta tunc *Gubernatoris* fortuna fuit, in quam Hungarorum eum inuidia, coniecerat, ideò hic memoranda, quod nobilitauit oppidum.

§. VI.

Fata oppidi reliqua.

DE reliquis *Loſontzini* caſibus, nihil habeo dicere, quam quod bellis Turcicis non minus, quam ciuilibus, varie ſubinde laceratum fuerit. Quia enim munimentis nudum eſt, & leuiſſimæ etiam hoſtium impreſſioni peruium; non potuit non infelix eſſe, quoties turbo aliquis immnuit. In primis, luctuoſam oppidi cladem fuiſſe oportet, cuius *Regni Decreta, (n.)* meminerunt: *Circa illos omnes*, verba ſunt decreti, *qui Anno MDCXXII. die III. Menſis Nouembris, oppidum* LOSONCZ, *in Comitatu Neogradienſi ſitum, inuaſerunt, ac centum & triginta perſonas, crudeliter interemerunt, & interimi curarunt, ac a miſeris eius loci conciuibus, per immanem torturam, tria millia florenorum extorſerunt, ſtatuitur, vt per Dominum Comitem Palatinum, in termino & loco, per eundem præfigendo, ad partis accuſantis, & iudicium poſtulantis inſtantiam, citati compareant, & cauſſa, hæc eorundem reuideatur, atque iidem in exmplum & terrorem aliorum, iuxta demerita ipſorum, puniantur.* Sed vero, quinam, iniquiſſimi iſti homines, fuerint, indagare, licet ſumma adhibita cura, nequiuimus. Incolæ certe, qui hodie ſunt, vix mentionem eius cladis audiuerunt; quod ſane, in re adeo truculenta funeſtaque, reprehenſione dignum eſt.

II. GÁTS.

Gátsinſit oppidi ſitum, & mercatum:

TEnue oppidum, & arci cognomini, quam deſcripſimus, ſubſtructum, cui etiam iure hæreditario ſubeſt. Præter raras priuatorum domos, nihil eſt, quod hcic memoremus. Fora

v.) Anni MDCXXV. Art. XVII.

Fora interim anniuerſaria habet complura; ſed, quæ minus ſunt frequentia, minusque, quam *Loſonczini*, fructuoſa. Celebrantur autem diebus: *Conuerſionis D. Paulli; Lunæ*, poſt *Dominicam Palmarum; Viti; Feſto diuiſionis Apoſtolorum; Aſſumtionis B. V. Mariæ; Aegidii; S. Catharinæ,* ac denique *S. Luciæ.* Incolarum occupatio, tota fere agricolatione abſoluitur, cui ager, oppido ſuffuſus, quomodocunque reſpondet. Neque deſunt, qui opificiis viuant, quod habeant, vbi merces ſuas venundent.

incolarum occupatio.

III. Divin.

Diuini oppidum, qua in primis re, memorandum:

NOmen, ab arce, cuius fata paullo ante memorauimus, mutuatum, vix vlla re alia, quam *Balaſſiana* ſede, nobilitatum reperimus. Quidquid, ea ætate incolarum habuit, ſacramento, *Emerico Balaſſæ*, obſtrictum fuiſſe accepimus. Hi demum, quoties id, ſua ipſorum, libido, ferebat, cædibus, rapinis, incendiis, late circumſitam regionem, implebant, donec, peſſima meriti premia, ad incitas redigerentur. Nempe, præſidiariorum, in arce, ſtipendia, tunc merebantur, cum gemina obſidione, a Cæſarianis premeretur. qua capta, plerique eorum cæſi, multi in carceres acti ſunt, pauci incolumes euaſerunt. Ita, infauſto hominum generi, pœnas, diu ſatis dilatas, diuina nemeſis inflixit. Ante ea tempora, incolas, oppidum *Diuinenſe*, habuit, nulli vicinarum arcium, virtute ſecundos. Plane, pro eius tempeſtatis ingenio, qua nemo, niſi hoſtili ſanguine, ſæpe iterumque, manus imbuiſſet, in viris habebatur. Sed, ea eſt imitationis praua vis, ac corruptela, vt hos etiam poſſit in transuerſum rapere, quibus inſigne quoddam animi robur, ac firmitudo, innata credebatur. Hodie *Diuinenſes*, ingenio ſunt longe diuerſiſſimo, neque tam ad arma nati, quam tractandos vomeres. Igitur, agreſtes ſunt fere omnes, opifices pauci. Vtrique, agrum, quem anguſtum nacti ſunt, cum cura colunt; quin, & venatibus occupantur, quos in montibus, vaſtis illis, & ſiluoſis, haud ſine fructu inſtituunt. Certe, præter vulgares minoresque feras, *lynces* nonnunquam, interdum & *vrſos*, deiiciunt, ac hos quidem, magnitudinis propemodum inuſitatæ. Nuper admodum, vrſus, glande plumbea confectus, exuuias, decem omnino ſpitamarum longas, dedit. Quid? quod non in montibus tantum, ſed in arcis etiam maceriebus, *Falcones* (*o.*) olim nidificaſſe, accepimus, a regibus ſubinde expetitos. Ceteroquin, oppidum, amniculus interlabitur, limpidus ſane, & qua altius, per vallem *Teplá* decurrit, trutis hoſpitalis. In ea ora, quæ in prædium *Tomanyowa* ſpectat, fons acidarum ſcatebat olim, verum, obturatus data opera, tunc, cum impreſſionibus Turcarum, & inſidiis plagiariorum, infeſta erat regio.

priſca incolarum virtus:

vallicatio boatuna, & venatus:

Certe

*) Relatum accepimus, exſtare hodieque litteras, quibus Ferdinandvs I. cuidam, e Balassiorvm gente, in mandatis dederit, vt *falcones* ſibi mitteret, quos audierit, in maceriebus *Arcûs Divin*, conſueuiſſe nidos ponere, pullulaſcereque.

Certe enim, haud raro euenit, vt, qui ad hauriendum fontem exibant, a ſubſeſſoribus Turcis, interciperentur, abducerenturque in captiuitatem, morte ipſa, acerbiorem: quæ calamitas, ſubinde teneram ætatem, aut certe ſexum ſequiorem, manſit. Sunt adhuc oppido ſolemnes mercatus, priſcæ libertatis indices; ſed ob loci ſitum, intra montes retruſum, frequentiæ propemodum nullius. Aguntur hi ex more, *Calendis Ianuarii*, *Calendis* item *Maii*; Feria *S. Iohannis Baptiſtæ*; *D. Laurentii*, atque *S. Lucæ*. Anno MDCCXXII. menſe Martio totum conflagrauit oppidum, vna cum æde ſacra, quam *Emericus* idem *Balaſſa*, Anno MDCLVII. eleganti ſumtuoſaque ſubſtructione, excitauerat, liberalitate *Comitis* CAROLI ZICHY, poſtea inſtauratam, &, ne tecta flammas temere conciperent, imbricibus intectam, ſacro ornatu, & organo ſymphoniaco, egregii ſcitique operis, inædificato. Iſta de oppidis habuimus. *mercatus annui.*

SECTIO III.

DE

Vicis Proceſſus Loſontzienſis.

FRequens quidem vicorum eſt *Proceſſus Loſontzienſis*; ſed quos paſſim montibus habet interſperſos, atque ideo, campeſtribus multo futuros deteriores, niſi incolarum ſolertia, iniquitatem ſitus edomaret, & ſibi redderet tributariam. Nunc, in iis percenſendis, ducto, ab oppido *Loſontz*, initio, ſituum rationem, preſſo pede, ſequemur.

1.) *Loſontz-Tugár*, viciniſſimus ei oppido, viculus, vt ab ignaris, ſuburbium credi poſſet. Solo enim riuo *Tugár*, a *Loſontzienſibus*, dirimitur. Iuris potiſſimum, *Szilaſſiorum*, & *Kántoriorum*, quibus ſuæ hic villæ ſunt, & opportunitates aliæ. Aduerſum eſt, vici incolas, iniquiores oppidanis eſſe ſolere, forte, ob agrorum nimiam vicinitatem.

2.) *Tamáſy*, Slauis *Tomaſſowcze*. *Tamaſinum* latine dicunt, copioſus vicus *Comitum Zichy*, & nobilium *Szemere*, bis mille, plus minus, paſſibus, *Loſontzino* in occidentem æſtiuum ſepoſitus. Incolæ *Slaui* ſunt omnes, & pro more gentis, rerum ſuarum egregie fatagentes. Præter agri enim operas, quem non ſatis fœcundum ſunt nacti, educendis torrendisque fictilibus vacant.

3.) *Gergely-Falua*, Slauorum dialecto, *Wieska*, id eſt, *viculus*; cum Hungaris, a *Gregorio* quodam, forte poſſeſſore, conditoreue, adpellationem habeat. Recedit *Tamaſſino*, ad tormenti iactum. Ager, quo gaudet, argillaceus eſt, & niſi frequenti prouocetur lætamine, infœcundus. Quia montes habet ſiluoſos, incolarum plerique, materiarii ſunt. Subeſt familiæ *Török*.

4.) *Podrecſany*, modico, ab oppido, milliari, in occidentem ſeiunctus, & orientali amniculi *Loſontz*, lateri, inædificatus. Vicus,

ante hac obſcurus, ſed quem *Andreas Török de Szendrô*, paucis abhinc annis, ſede ſua, illuſtrem fecit. Quia enim, in adminiſtrandis prouinciæ magiſtratibus, diu, ſumma cum fide verſatus, prætorium hic, venuſto ſitu, excitauerat; non potuit non, loco illi, cum quotidiano commeantium concurſu, tum comitiolis etiam prouincialibus, quæ nonnunquam huc indicta fuere, celebritatem conciliare. Sed, eo anno MDCCXXIII. fatis functo, multum vico derogatum eſt. Agrum alioquin, amœna ſiluarum, collium, & errantium paſſim riuulorum varietate inſignem, neque eum infœcundum habet.

5.) *Udornya*, Slauis *Uderina*, hinc, reducto aliquantiſper in ſeptentrionem ſitu, viſitur, ſede haud pridem, a via regia, eorſum translata, ob militum, vltro citroque commigrantium, licentiam. Olim, vicum metallicum fuiſſe, cuniculorum, & puteorum veſtigia, loquuntur. Hodie incolæ, præter rem ruſticam, quam ſolerter faciunt, materiarii ſunt plerique, parentque familiæ *Török*. Arena, quam heic torrentes, e montium lateribus, eluunt, inſperſis *marcheſitarum* granulis, aurei pulueris ſpeciem mentitur, hinc, cum elegantia, ſcriptoriis vſibus, conſueuit adhiberi.

6.) *Lóno-Bánya*, altius paullo ſubducitur. Oppidum aliquando fuiſſe metallicum, ſupra diximus. Slauis, *Lówina-Bánya*: rectius dicerent, *Olowená-Banya*, quod iam docuimus. Iam, in vicum decreuit, tametſi adhuc, priſtina libertatis inſignia, nempe, *duos malleos metallicos*, oſtentet. Eſt agro haud incommodo, quem vaſtiſſimæ ſiluæ, interſtinguunt, egregio incolarum prouentu: quippe quos, ea opportunitas, materiarios fecit. Alioquin, incolis vici, lingua & mores craſſi ſunt. Eadem valle,

7.) *Vámos-falua* conſedit, Slauis *Mytná*, a telonio, quod illic conſtituerunt poſſeſſores, nomen trahens. Laxus omnino vicus, ſed quia faucibus vallis iniquiſſimæ, Hungaris *Fürész-Völgy*, Slauis *Pilnánská Dolina*, dictæ, inædificatus, multis omnino malis obnoxius. Inde, tortuoſo ſitu, vallis eadem, in occidentem æſtiuum procurrit, riuo, qui poſtea *Loſontz* vocatur, irrigua. Fauces merito dixeris: ita difficile iter habet ad *Zolienſium Comitatum*, (*a.*) deducens. Cum apud *Neogradienſes* Turcæ dominarentur, cæſis arboribus, quas montium latera, & craſſas habent, & proceras, præcluſam meminimus, ne montanas vrbes, & operas, hoſtis infeſtaret. Poſtea, cum *Turca* pulſo, peruia denuo redderetur, latrociniis infamis eſſe cœpit, vt non ſecus, viatores eam reformidarent, quam ſi *Gehenna* fuiſſet vallis. Nunc, vti ſunt pacata tempora, tutum iter habet, & inſtructo diuerſorio, commodum. Altero, vallis aditu, qui *Zolienſi Comitatui* obuertitur,

8.) *Diviny-Oroszy*, Slauis *Trhanowá*, tenuis omnino viculus, nuper, auſpiciis *Comitis Caroli Zichy*, exædificari cœptus, eo ſitu, qui poteſt eſſe aſperrimus. Hinc labor incolarum præcipuus, vt, cæſis late

a.) Decreto Anni MDCLIX. Art. LXVII. recte, an iniuria? ad *Comitatum Zolienſem* refertur *Mytna*.

late ſiluis, agros frumentarios faciant; paſſim ita ſuſpenſos, vt arationis labores, paſtinatione debeant permutare. Media valle,

9. *Fürész* fuit, Slauis *Pjla*, quod *ſerram materiariam*, ſignificat. Viculus, iniquiſſime poſitus, atque ideo, ſuperioribus annis, dilapſus. memorandus tamen, quia toti huic valli, nomen communicauit. Trans montem, qui vallis huius, orientali latere, adſurgit,

10.) *Dobrocs* ſubſedit, vicus, cum agri, & montium vaſtitate, tum incolarum frequentia, memorandus. Dirimitur, a *Vámos-falua*, excelſo colle, cui templum, vico vtrique commune, impoſitum viſitur, obtutu eo amœnius, quo eſt ſublimius. Riui, depreſſa vallium pererrantes, trutas ferunt, & ſapidas, & copioſas. Alioquin, *Dobrocſenſibus*, opportunitas ad ruſticandum, fere omnis, per montium caluities, ſparſa eſt: hic enim, & agros colunt, & armentis, ac potiſſimum ouibus, fœnum cogunt. Vicinus huic adiacet:

11.) *Kottmann-Lehota*, Slauis, *Kutmanowa*, ſitus agrique natura, priori ſuppar, difficilioris tamen agricolationis: quippe, montibus & ſiluis vndique circumſeptus. Vocabulum vici, *Germanicam* originem, indicat. cuius, primus conditor, *Gutmann*, vocitatus ſit, metallis forte, *Szino*-aut *Lóno-Banyenſibus*, obnoxius. Abundat fontium ſaluberrimorum ſcatebris, cetera, cum *Dobrocz*, ditioni *Zichiana*, adſcriptus. Hinc, valle *Fürész*, in occidentem ſuperata.

12.) *Róſa-Lehota*, Slauis *Ruzina*, paullo vltra oppidum *Divin*, conſedit, vicus ſuperiorum annorum peſtilentia, multum diminutus. Accenſetur ditioni *Gátſenſi*. Incolæ agri ſterilitatem, calcis prouentu, quam ſtudioſe exurunt, quomodocunque penſant. Eius enim lapidis ingens paſſim copia ſparſa eſt. Vicinus ei, ab occidente eſt:

13.) *Buda-Lehota*, Slauis *Budina*, montibus impoſitus. per quorum dorſa, & agros frumentarios habet, & prata; ſed ſaxis adeo impedita, vt difficile ſit falcatoribus, etiam cautiſſimis, in lapidem, frequentius non impingere: adeo hic Slauorum illud prouerbium, verum eſt: *Treffila Koſſa na Kamen*, hoc eſt, *incidit nouacula*, (falx) *in cotem*, (lapidem) Quod ſitu eſt eleuatiore, longas habet hiemes, & niues diutinas; ſed auram eo ſalubriorem, & quemadmodum vulgo credunt, ad longæuitatem multum valentem. Annis certe ſuperioribus, ruſticum, annos CV. natum, eumque, ad ſupremum vsque vitæ diem, integris viribus pollentem, habuit. Paret *Comiti Zichy*, nobilibus item, *Szemerey*, & *Török*. In proxima hinc valle,

14.) *Kis-Tugár*, Slauis *Tuhár*, riuulo cognomini adſedit, opportunitatis fere nullius, ſi porcorum ſaginam excipias, quæ non raro, per vaſtas ſiluas, quibus circumſidetur, opima eſſe conſueuit. Incolis, ea propter, victus, non tam domeſtica ruſticatione, quam locatis alibi operis, quærendus, Riuus, qui hac deiicitur, trutarum non patiens tantum, ſed diues etiam eſt.

15.) *Gátsfalua*, Slauice *Halics*, arci quam ſupra deſcripſimus, & ſitu ſubditus, & iure. Habet, ab occidente planitiem, non inamœ-

nam, neque infœcundam, quæ montibus incingitur, vaſtiſſimarum arborum, quas incolæ, ædibus materiandis cædunt, venduntque. Eccleſia eius, amplior eſt, elegantiorque, quam pro vici copia. Hanc *Forgáchiorum* gens, ſubſtruendam curauit, fornicato opere, & variis diſtincto ornamentis. Infra vicum, riuus *Tugár*, hac delapſus, in piſcinam colligitur, quæ arcis pedem ſubluit, & varii generis piſcium viuarium eſt.

16.) *Maskowá*, ad tormneti iactum, a priori in occidentem, diſiunctus, copioſior olim, nunc, poſt nuperam peſtilentiam, incolis multum diminutus. Eſt ei ſacra ædes, præcipuæ molis & elegantiæ, quam non ita pridem, excitata turri, atque inædificao organo pneumatico, loci parochus, inſignem fecit. Ager, ſiluis, propemodum totus horret.

17.) *Lehotka*, &

18.) *Lupotſch*, eodem tractu poſiti, eademque agrorum iniquitate.

19.) *Prága*, monti inſedit eleuatiori, qua re fit, vt aura quidem fruatur ſalubri, ſed reliquarum commoditatum habeat nihil. Plerumque, fructus & ſegetes, intempeſtiuæ pruinæ, amburunt. *Ceraſa* tamen, quæ heic gignuntur, eo maioris fiunt, quod, & rarius proficiunt, &, ſi proficiant, tunc matureſcunt, cum locis calidioribus, fructus ille iam euanuit. Incolarum plerique, alibi ruſticanas operas locant.

20.) *Polichna*, &

21.) *Lentwora*, præter horridos ſitus, & agros lapidibus obrutos, vix quidquam habent reſidui.

22.) *Abelowá*, vtrique vicinus, & montano hoc tractu, vicus, facile ampliſſimus; annis tamen ſuperioribus, flammis ſubito coortis, totus deletus. quam quidem fortunam, ægerrime hucusque reparat. De eius agro, ſupra, quod ſatis eſt, diximus. Inter vici incommoda, ſiticuloſus eius ſitus, referri poteſt. Ad celebritatem, contra adtinet, quod heic in lucem editus eſt, *Samuel Mikouiny*, nunc Cæſareus, apud Cameram aulicam, geometra, & in adornando iſthoc opere, mapparum accuratiſſimus deſignator. *Feliciter!*

23.) *Madátska*, viculus damnati ſitus, anguſtæ enim vallis crepidinem occupauit. Congruunt hominum ingenia, *Beoticis*, multo deteriora, vt non iniuria, in has anguſtias detruſos, credamus: ita, & moribus ſunt inficeti, & ſermone bardi. Viuunt, præter qualemcunque agricolationem, trituratis alibi frugibus. Sunt, iuris *Kóbariani*, & *Balaſſiani*.

24.) *Nyedeliſtye*, priori nihilo melior, ſiue ſitum ſpectes, ſiue incolas. quod vicinitatis contagio adſcribimus. Paret heris iisdem;

25.) *Süllye*, eadem quidem valle vicus; ſed, qui habitatores nactus eſt commodiores, & proniores multo, cum ad humanitatem, tum ad rem faciendam. In primis, aurigationis ſunt ſtudioſi: quippe qui, coemptum alibi frumentum, ad montanarum vrbium mercatus,

Digitized by Google

tus, ſuo ipſorum iumento, ſueuerint deuehere. Subſunt *Comiti Carolo Zichy.*

26.) *Felſő-Tiszownjk*, &

27.) *Alsó-Tiszownjk*, vici cognomines, & a ſitus diuerſitate, in *ſuperiorem*, & *inferiorem*, modica intercapidine, diſcriminati. Nam, eidem valli inædificatos vidimus. Frequens vterque eſt, & non tam ab agri bonitate, quæ nulla eſt, quam incolarum ſolertia, commendandus. Nam, & hi frugibus, ad montanas vrbes, ſubuehendis, operam nauant, indefeſſam fructuoſamque.

28.) *Huta*, intra ſiluoſos montes, noſtra ætate, cœptus excitari. Dedit, ei rei occaſionem, officina, flando vitro, heic conſtituta. Iam ad eam laxitatem increuit viculus, vt, cum vicinis, numero inquilinorum, contendi poſſit. Vitrum, quod heic conflatur, nobilius eſt, quam pro more: atque ita pellucidum, vt Bohemicum æmulari poſſe videatur. Pertinet ad *Comitem Zichy.* cuius induſtria profecit. Habet acidarum fontes complures.

29.) *Turopolya*, ea eſt vaſtitate, vt inter primos, totius prouinciæ *Neogradienſis*, vicos, ſuo quodam iure, cenſeri mereatur. quod, eo plus admirationis habet, quo agri, quem occupauit, aſperior natura eſt. Præterquam enim, quod ſitum habet altius ſubductum, ideoque, montanis frigoribus expoſitum; quidquid frumentarii agri colit, lapidibus id obrutum eſt. quæ opportunitas, & agricolationem reddit difficilem, & colonum ſubinde fraudat; niſi adſperſo liberalius ſimo, iniquum adeo agrum, ad bonam frugem prouocauerit. Eſt territorio ingentis ambitus; ſed, qui per deuexa collium, varie ſuſpenditur. Maximus vico redditus, ex vicinis *vrbibus montanis*, accedit. quas incolæ, ſine ceſſatione adeunt, ruſticas ſuas merces venundantes.

30.) *Leſſt*, eodem cenſu, cum priori, dignus, ſiue copiam incolarum ſpectes, ſiue agri molem, indolemque. Iniquior ea tritico eſt: hinc, educandæ auenæ cum primis operari coguntur incolæ; quam poſtea, fructuoſo reditu, *Sohemnitzium* inuehunt. Quin, & coemtas alibi fruges, itineribus perpetuo continuatis, *vrbibus montanis*, ſuppeditant. qua quidem induſtria, tantum proficiunt, quantum alii, domeſtici agri reditibus. Trans montes, qui in orientem proſpiciunt, non minus, frequentes vici confederunt. In his ſunt:

31.) *Veres*,

32.) *Brezowa*,

33.) *Nagy-Lám*, Slauis, *Weliky-Luom*,

34.) *Pribog*, omnes ii quidem, ob agri iniquitatem, triſti poſitu infelices. Nam, & hic, montibus & ſaxis, horrent omnia. Neque meliore loco habendus:

35.) *Parócza*, Slauis *Prawitza*, quod dextram ſignificat. Modicus omnino viculus, & per vallis latera, varie ſparſus. Nondum cladis, ab *Emerico Balaſſa*, cuius characterem ſupra dedimus, olim illatæ, damna reparare potuit. Is enim, partim ſuo illo, quo fuit ingenio,

partim æmulatione gentis *Forgáchianæ*, ductus, ne his quidem parcebat, quos partem meliorem intelligebat ſequi. Proinde, in *Michaelem Libertſey*, incluti comitatus Neogradienſis Vice-Comitem, eundemque, arcis *Gáts Capitaneum*, vici dominum, peſſime deſæuiit, neque ſatis habuit prætorium eius, ſolo æquauiſſe, niſi incolas ſimul ad incitas redegiſſet.

36.) *Závoda*, apriciore quidem ſitu, quam priores, ſed agri malignitate eadem: quippe, lapidibus, & craſſiore glarea, obſiti.

37.) *Boroszsnok*, Slauis *Bruszsnik*, minutus viculus, ſed, qui vineas, loco, oppido iniquiſſimo, colit, haud ſine fructu, tametſi auſtero illo. Certe, ab ea cura nomen traxiſſe vicum, nonnulli credunt, vt ſit Hungarice, *Borizsnak*, quod eſt, *vinum bibere*. Sed, procliuius eſt, nomen vici, a Slauico, *Bruſz*, quod *cotem* ſignificat, arceſſere, forte, quod lapidicina hic aliquando fuit, ex qua cotes exſcindebantur. Vltra hunc, ſubducto altius ſitu,

38.) *Szenno* viſitur, laxus copioſiusque vicus, quem olim prærogatiua oppidi, gauiſum fuiſſe, perhibent: certe mœnium, quibus incinctum fuit, fundamenta notantur adhuc. Neſcio autem, an metallicis operis, quod aliqui volunt, claruerit aliquando: quod, in veſtigia fodinarum inquirentibus, nihil occurrerit, præter cauernam, prope vicum, petræ inciſam, quam, aditum cuniculi fuiſſe, credunt. Id ſi eſt, loci adpellationem, *Szino-Banyenſium*, a ſtanno, quod forte heic effodiebatur, quodque *Czin* Slauis dicitur, deriuarim. Alii, id nominis, a *Szeno*, quod *fœnum* notat, loco hæſiſſe exiſtimant; quia, copioſus adeo hic fœni prouentus eſt, vt ei rei occaſionem dare omnino potuerit.

39.) *Felsö-Sztregowa*, Slauis, *Hornia Sztribowa*, priori ſuppar; ſed infra eum, riuo cognomini, adpoſitus. Agro anguſto eſt, & ſtercorationis auido, ſi grauidari ad largam meſſem debeat. Vineas habet, haud inique poſitas, vinum autem, menſis tenuioribus idoneum. Trans collem in orientem:

40.) *Tót-Hartyány*, Slauis *Chrtani*, exilis vicus, occurrit, ideo dignus memoratu, quod minera ferri gaudeat, & copioſa, & diuite; ſed, cui liquandæ, ſiluarum, iuxta, & aquæ opportunitas deeſt. quæ tamen res, ſi curæ eſſet heris, vicinorum commoditatibus, facile poſſet ſubleuari. Inde, perducto in meridiem poſitu,

41.) *Kisfalu*, Slauis *Malá-Wes*, ad *Sztregowam* amniculum, conſedit. vicus non infrequens, tametſi paruum adpellarint primi conditores: credo, ob tenuia initia: quippe qui, in agro *Alsó Sztregovenſium*, ne is maneret incultus, excitatus eſt. Aduerſam amnis ripam tenet:

42.) *Tót-Keletſény*, Slauis *Kletſany*, tenuis viculus, ſed prætorio tamen *Madatsjano*, inſignis. Hinc, ſecundo riuo deſcendentibus:

43.) *Alsó-Sztregowa*, Slauis *Dolnia-Sztribowa*, orientali amnis margine, obiicitur. Geminum ei caſtellum inædificatum eſt, opere non inde-

indecoro. Alterum, gentis eſt *Madátſiana ;* alterum, nobilium *Révay :* cum antea, inclutæ familiæ *Rimay*, hæredium fuiſſet, in gentem *Dúló* poſtea, atque ab his, in *Benytzkios*, translatum. quorum iure, nunc *Réuauiis*, adſcriptum eſt. Aedes ſacra, nuper, poſt funeſtum incendium, inſtaurata denuo, inter præcipuas, huius oræ, cenſetur, ita, & ampla eſt, & ſummorum virorum, cryptis, nobilitata. Adhuc enim cippos, & vexilla emortualia, *Libertſeyorum*, *Madátſyorum*, *& Dobayorum*, oſtentat: in primis, *Ladislai Dobay*, viri, dum viueret, integerrimi, & prouinciæ, Vice-Comitis. cuius exuuias, anno MDCCXXVI. huc illatas, accepimus. Ager, vico obtigit laxus, ſed lætaminis indigentiſſimus. Nobis certe, vici memoria, ingrata eſſe nequit: quippe quum, anno MDCXCI. & ſequenti, litterulas colligere, & rudimenta latine legendi, iſthic cœperimus ponere.

44.) *Kis-Libertſe*, modico nemore, ab *Alſó-Sytregowa*, in orientem brumalem, ſeiunctus, ex ſe quidem modicus; ſed clarus tamen, veſtuſtiſſimæ gentis *Libertſeyorum*, quæ iam eſſe deſiit, originibus. Quia, lucis ac nemoribus inſidetur, opportunus ad venandum ager eſt; tametſi, ex vicinitatis contagio, non omnino fœcundus. Nuper, ſedem præbuit, *Ladislao Dobay*, Neogradienſium Vice-Comiti; ſed, quem, mors, oppido intempeſtiua, anno MDCCXXVI. ſicuti meminimus, magno prouincialium deſiderio, rebus humanis exemit. Lapicidina, quæ hic eſt, non plane nullius foret prouentus, niſi lapis cæduus, iuſto eſſet fabuloſior. Supra hunc:

45.) *Nagy-Libertſe* eſt, locus, haud infrequens, & altera ſui parte, *Divinenſi* ditioni, *Balaſſiorum* altera, adſcriptus. Agri indolem, ex vicinitatis natura, exiſtimare poſſis. Atque, hi quidem vici omnes, a *Slauis*, quorum ingenium & mores, ſupra expromſimus, coluntur. Reliqui, huius *Proceſſus* pagi, ab *Hungaris* habitantur: pauci illi ſane, neque *Slauonicis* comparandi. In his ſunt:

46.) *Ráros-Mulyad*, modico, infra *Alsó-Sztregovam*, milliari, *Ipola* amni, adſitus, obſcurus futurus, niſi, & traiectum haberet, & familiæ *Törökiorum* domicilium, ſubinde, ab eius gentis hominibus, habitatum. Acidulæ, quæ hic ſcatent, in vitium abierunt, incolarum, ſicuti credo, negligentia. Hinc, aduerſo flumine *Ipoly*, vallis init, quam Hungari, *Ráros-Völgye*, id eſt, *vallem aquilarum*, ſeu *falconum*, adpellant: forte, quod auium hæc genera, in vaſtis, quibus obſidetur, ſiluis, nidificarint aliquando. Eſt ea iniquiſſimi itineris, ſi, vel modicum compluerit; ſin autem *Ipola*, ripas ſupergrediatur, prorſus ineluctabilis. Eius faucibus, quæ ſe in *ſeptentrionem* aperiunt, vnius interuallo milliaris:

47.) *Törintz*, mediocris vicus, inſedit, iuris *Kohàriani*. In commodis eius, mola frumentaria deputatur. Agro argillaceo eſt, &, ſi cæli habitus, ſitusque ſoli, reſponderet, vitibus, quas coloni iam incipiunt conſerere, non incommodo. Altius, aduerſoque amne,

48.)

48.) *Wilyke* eſt, priori exilior, tametſi gleba, & paſcuis, haud deterior. Pertinet, ad ditionem *Forgáchiorum*, habetque molam, eximii reditus. Proximus ei eſt:

49.) *Panit-Darócz*, familiæ *Báſthy*, & aliorum, hæreditas, tenuis omnino, & a paucis colonis habitatus. Hinc, ad occiduum ſolem:

50.) *Jelsócz*, ſiluas & nemora inſedit. Vicus, haud infrequens, idemque *Gáts*, ſubditus. Ager, cum ſegeti idoneus eſt, tum pecorum pabulis. Denique, reducto ad *Ipolam* ſitu:

51.) *Mikſy*, viſitur, vltimus, iſto *Proceſſu*, vicus, quem annorum ſuperiorum peſtilentia, incolis adeo exinaniuit, vt vix ædiculas aliquot, habitari iam videas. Non longe abeſt ab oppido *Loſontz*, paretque, iuribus *Forgáchiorum*. Hæc, de PROCESSV LOSONTZIENSI.

MEMBRVM II.

DE

Proceſſu Filekienſi.

PROOEMIVM.

ILEKIENSEM vocant, quod arcem oppidumque eius nominis, habeat; priori, & laxior, & vicis frequentior. Enimuero totam eam oram, quæ ab *Heveſienſium* confinio, per *Gömörienſium*, & *Kis-Hontenſium*, limites, vsque ad *Zolienſium* terminos, procurrit, ambitu ſuo complectitur. Nunc arces, quas habet, oppida item, & vicos, quibus colitur, peragremus.

SECTIO I.

DE

Arcibus Proceſſus Filekienſis.

SYNOPSIS.

I. FILER. §. I.

Origines FILEKI *dubiæ, & fabulis obſcuratæ: nominis ratio: auctoris, de ortu arcis, ſententia: arcis, in rebus* Belæ IV. *mentio.*

De ſitu arcis, ISTVÁNFFII *verba: idem, ab auctore deſcri-*

deſcriptus, triplex arcis moles: infima, & huius munitiones: media, cum ſuis opportunitatibus: ſumma moles, quomodo fuerit comparata? §. II.

Quorum opera, arx increuerit? laus & facta gentis Raſcai, *&* Bubek: *hodie iuris eſt* Kohariorum. §. III.

Fata arcis, verbis ISTVÁNFFII *recenſentur: ceſſit tyranno.* §. IV.

Mala inde conſequuta: a Tieffenbachio, *obſidetur; armis potiſſimum Hungarorum: labor oppugnationis haud incruentus: praſidarii, inuſitatis morbis infeſtati, deditionem faciunt.* §. V.

Capitur a Botskaianis, *poſt bimeſtrem obſidionem: redditur, ex pacis* Viennenſis *conditionibus*, Cæſari: *inſidiæ Turcicæ propalatæ: intercipitur a* Bethlenio: *fruſtra tentatur a* Rákóczio: *excinditur a* Tökölio, *cuius rei hiſtoria ex* Wagnero *recitatur.* §. VI.

Auctoris, de occaſu arcis, narratio: Tökölii, *& Turcarum ad arcem aduentus, praſidiariorum numerus ac virtus: oppidani, igne tectis ſubiecto, in arcem ſe recipiunt, Turcis ſuccedentibus.* §. VII.

Hoſtes, in arcis oppugnationem omnibus viribus, incumbunt: obſeſſorum calamitates: iterata eorum ad deditionem ſollicitatio: diuiſæ inde arcis præfecti, & præſidiariorum voluntates: oratio præfecti ad milites: militum reſponſio: Kohárii *conſtans animus: præſidiarii inuito eo, deditionem faciunt.* §. VIII.

Arce demigrant: Tökölii *inſolentia: arx diripitur; & puluere pyrio excuſſa, deletur.* §. IX.

Quæ inde Kohárium *fortuna manſerit? verba* Wagneri: *auctoris commentatio.* §. X.

II. SALGÓ.

Arcis Salgó *ſitus: ſubſtructionum moles: & commoditates: laborat aquæ inopia.* §. I.

Eius origines ignorantur: fata, bello Bohemico, & Turcico. §. II.

Gentis Derencyanæ *poſſeſſio: antea* Verbötzii: *poſtea Comitum* Volkra: *hodie* Baronis *Szluha.* §. III.

Iam ad vaſtitatem redacta, in rudus conuertitur: ſitus amœnitas: vertices circumpoſiti. §. IV.

III. SOMOSKŐ.

Poſitus arcis: nominis etymon: rupis, cui inadificata arx eſt, indoles. §. I.

Molis ſubſtructio triangularis: eius opportunitates. §. II.

Arcis primordia obſcura: inſignium veſtigia. §. III.

Præſidio munitam conſtat: quomodo a Turcis *intercepta fuerit? a noſtris eripitur denuo: publico ſumptu, & præſidio munitur, & operis: in cuius hodie ſit poteſtate: eſt* Forgáchiorum. §. IV.

IV. ZAGYVA.

Zagyuæ *ortus ignoratur: eius ſitus: tenebatur olim a* Bohemis: BONFINII *ſphalmata emendata: a* MATTHIA *Coruino exſcinditur: erat olim gentis* de Zagyva.

V. BAGLYÁS-VÁRA.

Caſtri Baglyás *veſtigium: nullam inſignem fuiſſe molem, rudus condocet.*

I. FILEK.

§. I.

Origines Fileki, *dubiæ, & fabulis obſcuratæ:*

ORigines arcis FILEK, dubiæ ſunt nimium, & deſtitutæ ab hiſtoria: qua re factum eſt, vt, ſi a confictis vulgo narratiunculis, diſceſſeris, vix reperias, quid, aut negare poſſis, aut adfirmare. Plebis ſermonibus circumfertur, opilionem, iſta regione, gregem ſuum, poſitis ſtabulis, diu pauiſſe. Huius armentarius canis, cum pro more, ſparſis hinc inde veſtigiis, ſiue feras indagaret, ſiue laſciuienti ſimilis, confragoſum montem, percurſaret, in ſcrobem incidiſſe perhibetur, aditus quidem anguſtioris, ſed, qui poſtea in concamerationem, petræ inciſam, abierat, laxam illam capacemque. Proinde, ſublato latratu, quaſi rem opilioni ſuo indicaturus, non prius ceſſat, quam herus adcurreret, ratus, feram intercepiſſe canem. Hanc ergo, cum ſollicitus, ſed fruſtra, veſtigat, in ſcrobem, quam canis detexerat, incidit, repertisque humanæ artis veſtigiis, altius ſe in eam immittit, atque ſcrutatus ſcrupuloſius, theſaurum reperit opulentiſſimum. Lætus, ea fortuna opilio, mutato primum vitæ habitu, poſtea arcem, in tantæ rei memoriam, eodem loco ſubſtruit, & ſuo ex nomine, *Filek*, adpellat: erat autem *Philippo* nomen, quod priſca Hungarorum dialecto (*a.*) *Filek*, hodie autem elemento *k.* cum *p.* commutato, *Filep* enunciatur. Alii, a cane illo, arcis denominationem repetunt: quippe qui, *Füles*, id eſt, *auritus*, dictus ſit; ſed quomodo vltima illa littera in *k.* abierit, indicare nequeunt. Hæc, vulgo, de arcis origine, perhibentur, dubia ſane, & ſine ratione, ſicuti credimus, conficta. Neque melius argutantur, qui arcis nomen, Germanicum credunt, quaſi ſit, *Vieleck*, id eſt, *moles, multis angulis deformis;* quod demum Hungari *Filek* dixerint. Nos, ad communem illam arcium Hungariæ originem, natales *Fileki* referimus, nimirum; poſteaquam impreſſionibus *Tartarorum*, peruia eſſe cœpit regio, arces & caſtella, idoneis locis, collocabant noſtri homines, ſiue, vt circumfuſam regionem, aduerſus hoſtes defen-

nominis ratio:

a.) Ita priſci Hungari, loco *Pedig*, dicebant *Kedig*.

defenſarent, ſiue, vt perfugia haberent, ſi quid ancipitis, atque ſubiti periculi, immineret: id quod BELAE IV. temporibus euenisſe, alibi monuimus. Atque, reperi ſane, in rebus BELAE IV. & filii ſui STEPHANI, regis iunioris, *Fileki* mentionem, eo diplomate perſcriptam, quo pacificationem Poſonienſem, *Stephanus* confirmabat. Eius verba (*b.*) ad hunc modum habent: *Vniuerſis etiam per præſentes ſignificamus; quod Nos Caſtrum* FYLEK, *cum pertinentiis ſuis, bona voluntate & gratanti animo receperimus a Chariſſimo Patre Noſtro, pro Caſtro, quod Idem Nobis promiſerat & ad dandum ſe obligauerat per ſuas Literas in Compoſitione, ſeu concordia* Poſonii *habita, vnde traditione, & aſſignatione caſtri prædicti Nobis iam facta, ipſum ab obligatione tradendi caſtri profitemur, & dicimus expeditum, & litteras, quibus ad tradendum caſtrum Nobis ſe obligauerat reſtituere promittimus, & reſignare, quæ ſi reſtitutæ non eſſent, vel reſtitui non poſſent, caſſæ & irritæ, & omni valore vacuæ habeantur, & vbicunque, & quandocunque exhibitæ, & oſtenſæ fuerint, nullius ſint momenti.* Hactenus diploma, anno MCCLXII. perſcriptum; ex quo coniicias, munitionibus iam tum, & opibus valuiſſe *Filekum.*

arcis, in rebus Belæ IV. *mentio.*

§. II.

SItum *Fileki*, molemque, iſtis verbis deſcribit ISTVÁNFFIVS (*c.*) *Eſt*, inquit, *edito monti impoſita, nec ab aliqua parte, niſi vbi per portam intrari poteſt, ob rupium inacceſſas crepidines, diuiditurque in duas arces;* inferiorem, *quæ ciſternam habet profundam, qua pluuiales aquæ, per ſiphones deriuatæ, continentur; &* ſuperiorem, *quam* BEBEKVS, *ædificiis ornatam, ac mœnibus, propugnaculisque erectis, validiorem reddiderat; & in ſuperiori commeatum, resque neceſſarias, & tormenta, cum eorum adparatibus, collocauerat.* Ita ille: bene quidem, ſi triplicem arcem dixiſſet. Petra eſt, a vicinis montibus, qui ab ortu & ſeptentrione conſederunt, latiori valle, quam pro tormentorum iactu, diſcreta. Media enim planitie, in ſublime faſtigium adſurgit, præruptis vndiquaque petrarum articulis. Radices eius, palus ab occidente, irrigat, ab oriente ſubit riuulus, mola inædificata, arci, oppidoque peropportunus. Quod a meridie, montis radicibus adhæſerat, foſſa, iuſtæ altitudinis, ab ima arce diſiunctum fuit, & muro incinctum haud inualido. Arx vero ipſa, non cacumini ſoli, vti moles pleræque aliæ, inſederat, ſed a ſummo rupis faſtigio, vsque ad imas eius radices, per decliue latus, meridiei obiectum, inſtructa fuit. In tres eam partes, ſiue primi conditores, ſiue inſtauratores, diuiſerant. Harum infimam, duo, vtroque latere, propugnacula, ſolidiſſimo interſtructo muro, communiebant. Extus, foſſa erat, quam profundiſſime inciſa. Media hinc moles, palatia habuit, & diſcreta iuſto ordine, habitacula, iterum mœnibus, foſſa præcinctis, ab ima

De ſitu arcis ISTVANFFII *verba:*

idem, ab auctore deſcriptus:

triplex arcis moles, infima, & huius munitiones: media, cum ſuis opportunitatibus:

b.) Vide, Operis huius Tom. I. Hiſt. Poſon. Cap. III. §. X. p. 118. ſequ. vbi integrum diploma dedimus.

c.) Lib. XIX. p. 353.

illa mole, ſecluſa. Heic ciſterna illa fuit, cuius meminit ISTVÁNFFYVS, puteus item, media area, per rupem pertuſus, atque latebræ, cum puluerī pyrio, tum accipiendo militi præſidiario, duriſſimæ petræ, impreſſæ, cum profundiſſimo carcere, illorum temporum duritiem referente: nam, huc immiſſi captiui, *Turcæ* in primis, non extrahebantur ante, quam, aut ad ſupplicia depoſcerentur, aut ad libertatem. Quidquid inde in ſummitatem adtollebatur, muro id partim, partim abſciſſa rupe, veluti pariete quodam, ſeiungebatur. Ipſum denique cacumen, rupes cingebat, prærupto faſtigio, & ad muri modum, præcipiti, atque imperuio. Huic maceries ſuperſtructa fuit, cum laxis conclauibus, propugnaculis, & tormentorum ſuggeſtibus. Artis hæc, iuxta & naturæ, munitiones, ita validam effecerunt arcem, vt capta altera, tueri ſe potuerit altera, tertiaque: cuius rei exemplum infra recurret.

ſumma moles, quomodo fueris comparata.

§. III.

AD hanc molem, non impetu, ſed longiore temporis intercapedine, ſuccreuit. Prout enim, poſſeſſores habuit, ita, vel validior reddebatur, vel ad expugnandum fiebat procliuior. In primis, *Franciſcus Bebek*, multum in arce hac munienda, cum ſumtus, tum operæ poſuit. Adierat ille eius hæreditatem, *Blaſio Raſcay* (*d.*) mortuo: quippe cuius filiam in matrimonio habuit: nam longa annorum ſerie, in *Raſcayorum* poteſtate fuiſſe legitur; gentis oppido ſtrenuæ, & multarum arcium poſſeſſione, axiomate item *Comitum Neogradienſium*, nobilitatæ. Fuit autem *Bebekiorum* familia, non antiquitate minus, quam præclaris facinoribus, quin & variantis fortunæ luſibus inſignis. *Bubekiis* olim nomen erat, quemadmodum eos diplomata vocant. In his erant *Stephanus*, & *Emericus Bubek*, Iudices Curiæ Regiæ, LVDOVICI, MARIAE atque SIGISMVNDI temporibus. His ergo maioribus ſatus, *Franciſcus*, quem diximus, *Bebek*, idemque *Fileko* potitus, vti erat arcium muniendarum peritiſſimus, id dedit operam, vt omnium, quas paſſim habebat, validiſſimam efficeret. Exſtat hodieque, inter triſtia, clariſſimæ olim arcis, rudera, operarum eius monimentum, portæ, quam *Bebekianam* vocant, inciſum. Nempe coronam arduæ rupi impoſitam, exſculpi curauit, ex qua palma, gemina cruce decora, prominet, anno, partitis vtrinque numeris, adſcripto: MDLI. adiectaque ſimul religionis ſignificatione: JESVS MARIA: & infra: MAGNIFICVS DOMINVS FRANCISCVS BEBEK DE PELSÖTZ, COMES COMITATVS GÖMÖRIENSIS, REGIVS CONSILIARIVS. Circum vero, arcuata inſcriptione, Pſaltis verba leguntur: DOMINVS PROTECTOR VITAE MEAE, A QVO TREPIDABO? Iſta, *Franciſci Bebek*, de arce,

Quorum opera arx increuerit:

Iam, & ſata gentis Raſcai, *&* Bubek:

d.) Erat quidem BLASIO huic, CASPARVS, filius, qui & ipſe muniendæ arci, operæ quidpiam impendit, vid. ISTVANFFIVM, Lib. XXVII. p. 619. Sed eum improlem deceſſiſſe oportuit. Ceterum, *Stephanum* Raſcay, *Blaſii* pater, *Supremum Neogradienſis Comes* fuiſſe legitur. Art. X. A. MDXLII.

Digitized by Google

arce, merita fuerunt, maiora procul dubio futura, niſi is, quod poſtea euenit, fortuna ſe iniquiore induiſſet. Quadriennio enim poſt, quam portam hanc, de qua diximus, conſtituerat, publico regis regnique (*e.*) decreto, proſcriptus, vna cum filio *Georgio*, ISABELLAE partes, palam ſequi cœpit: fatis & illic vſus, omnium iniquiſſimis: quippe, ab ISABELLA, ob collectas ſuſpiciones, (*f.*) crudeliter trucidatus. Motus ea iniuria, *Georgius*, FERDINANDI gratiam implorauit quidem, ſed leuitate animi adductus, easdem poſtea, quas deſeruerat, partes ſequutus eſt denuo. quo mortuo, ditiones eius vniuerſæ, & in his arx *Filek*, fiſco regio ceſſere. De eo ISTVÁNFFIVS: *Haud diſſimili*, inquit, *ſorte*, Georgium Bebek, *illuſtri ortum familia, apud* IOHANNEM *Sigismundum, ad quem, e Sulimanni carcere liberatus, relicta fortunarum ſuarum ſede, quæ ſub Cæſare erat, maleſanis adductus conſiliis, transfugerat, in Tranſiluania fata ſuſtulerunt. qui, quum nullos mares liberos reliquiſſet, arces eius & bona, pro quibus tantopere armis erat certatum, Cæſaris fiſco ceſſerunt; quod ita vetuſtis Pannoniæ legibus ſancitum habetur.* Poſt *Bebekiorum* hanc denominationem, genti *Szétsianæ*, a regibus, *iure ſanguinis*, quod vocant, collatum fuiſſe *Filekum*, accepimus: qua exſtincta, nunc in Comitum *Kohári* eſt poteſtate.

hodie iurè eſt Kobáritarum.

§. IV.

IAm, quod ad fata nobiliſſimæ arcis adtinet, non poterat ad eum modum communiri, quin ab hoſte, nunc aſtu, nunc vi, intercipiretur. In primis memorandum eſt, captiui *Aethiopis* facinus, arcem, captu difficillimam, hoſti tradentis: quod quidem, quia eleganter deſcripſit ISTVÁNFFIVS (*g.*) eius verbis, quale fuerit, explicabimus: *A viro*, inquit, *munitionum peritiſſimo*, (Franciſco Bebek,) *ſpatium quoddam extra mœnia, in rupis ſummitate, nequaquam fuit animaduerſum, ex quo per feneſtellam quandam, ingreſſus pariter & egreſſus dabatur in arcem, licet illa, nonnunquam ſera, haud adeo firma, clauderetur. Erat* Paullo Iánoſio, *arcis præfecto, captiuus Turca* AETHIOPS, *qui purgamentum & quisquilias arcis, per eam feneſtellam eiicere ſolebat. Is, cum ſæpius ſpatium illud oculis perluſtraſſet, rupem, ab imo ad cacumen vsque, quamquam arduam, nequaquam tamen adſcenſu inſuperabilem fore, animaduertit: & per captiuos*, Hamſam, *qui in arce* SZÉTSÉNY, *haud procul Fileko ſita, præfectum agebat, clam admonuit, ſi ſe centum numis aureis (paullula mercede, magnum opus venditans) redimere vellet, effecturum, vt Filekum, breui in poteſtate habeat. Itaque, pro eo apud* Iánoſſium *ſe ſponſorem dat; deque arcis, rupisque ſitu, atque adſcenſu, deque ea feneſtella, aliisque circumſtantiis ſermones quam ſecretiſſimos confert; nec tamen, antequam fidei induſtriaque eius experimentum videat, vir cautus, quid adgrediendum exiſtimat.* AETHIOPS *igitur*, Hamſa,

Fata arcis, verbis ISTVANFFII, *recenſentur:*

e.) Vide Decretum Anni 1556. art. XXIV.
f.) ISTVANFFIVS Lib. XX. p. 387.
g.) Lib. XIX. p. m. 353.

id expetente, per rupem reptando, & exploratis omnibus, ad feneſtellam peruadendo, (vnico tantæ rei conſcio, qui in arce ſuperiori, excubitoris officio fungebatur, agreſti homine) primum patinam plumbeam, ferculis menſis inferendis, dicatam, iterum vero Iánoſſii *pileum, multis gruum & ardearum pennis conſpiciendum, eadem reuerſus via, ad* Hanſam *adfert. Tum ille, re cum ſuorum promptiſſimis, communicata, centuriones quatuor, nauanda operæ cupidos, deligit, dato eis præfecto,* Mehemete *quodam, cognomine Magno, vtque incepta, maxime fideli ſilentio, tegant, & obſcura nocte,* Aethiopem *ducem ſequantur, admonet. Itinere ita conſtituto, vt prima vigilia* Filekvm *peruenireturet, abſente* Iánoſſio, *& iis, qui domi erant relicti, quod ad multam noctem potaſſent, ſomno, vinoque victis, hoſtes, per ſaxa & præcipites cautes, non pedibus tantummodo, ſed etiam manibus, vbi adſperior adſcenſus erat, diu, multumque laborando, præeunte Aethiope, vnus poſt alium, tandem ad mœnia perueniunt, ac ſub feneſtella, vbi confertis ſtandi facultas erat, denſati conſiſtunt, & per ſcalam altitudine duodecim pedum, quam ſecum adtulerant, excubitore feneſtram aperiente, in arcem conſcendunt, ac donec omnes introrſum recipirentur, ſummum ſilentium agitatur. Poſtquam omnes in arcem conſcendere, tum vero tubis canere, magnum clamorem adtollere, portas ſuperiores occupare, tormenta, quorum maxima pars ibi ſeruabatur, in arcem inferiorem, & præſidiarios, obuertere, & diſplodere.* Hucusque Istvánffivs. Anceps poſtea vtrinque, eaque muralis pugna, conſequuta eſt. Turcæ enim, occupato arcis capite, vt reliquam eius molem, in poteſtatem redigerent, non labori, non periculis, pepercerunt: quos noſtri, tanti mali, ſubita formidine excitati, & ad arma concurſantes, tamdiu reprimebant, dum dies illuceſceret. Accurrit, de periculo monitus, Iánossivs, & arcem inferiorem nouo adducto milite, firmauit, quidem; ſed a noſtrorum auxiliis, quæ cunctatius, quam pro ancipitis periculi ratione, aduentabant, deſertus, *Hamſa*, contra ea, cum exercitu aduentante, ſtationem eam, dilapſis præſidiariis, relinquere coactus, breui poſt mœrore animi, a *Bebeko*, ad necem quæſitus, in arce *Balogh*, e viuis exceſſit. Ita arx, regionis huius perfugium, cum noſtrorum culpa, tum inuſitato *Turcarum* facinore, in tyranni poteſtatem venit.

eſſit tyranno.

§. V.

Mala inde conſequuta:

Ista, anno MDLIII. euenere, magno vtique, cum regionis vniuerſæ, tum in primis *montanarum vrbium*, malo. Turcæ enim, loco tam opportuno, ad late inceſſandum regnum vſuri, validæ præfecturæ ſedem heic collocauerant, quam octingenti equites, totidemque pedites, continuo præſidio, muniebant: vt voluntariorum militum, *Martaluſiorum* præterea ingentem numerum, taceamus, qui montanorum callium gnari, quoties lubebat, in ipſa hinc montanarum vrbium viſcera, *Zolium*, atque *Biſtricium*; illinc, vsque ad *Caſſouienſium*

ſium mœnia, procurrebant, annua tributa, quæ tunc paciſci oportuit, licentioſius repoſcentes. His ergo malis, vt nobiliſſimam regni portionem, exoneraret *Tiffenbachius* (*b.*) Cæſariani exercitus dux, collectis, e Germanico, & Hungarico milite, copiis, fortunam Transdanubiani exercitus, qui ad *Albam* feliciter pugnauerat, æmulaturus, ad oppugnandum *Filekum*, capta prius *Szabatka*, animum adiecit. Erant tunc in eius caſtris, *Sigismundus Rákóczy*, *Simeon Forgách*, *Stephanus Báthory*, *Franciſcus Dobó*, *Stephanus Druget Homonnay*, viri, & manu fortes, & conſilio promti, ſuas ſinguli turmas, frequentibus cum hoſte præliis, iam pridem exercitatas, ductitantes. In primis, opportune ex Hungaria inferiore, aduenerat NICOLAVS PÁLFFY, ſeptem millium exercitu, nupera, ad Albam Regalem, victoria, adhuc læto, ſtipatus. Neque auxilia Chriſtianarum circum arcium, deſiderabantur: quinimo, coadunatis, cum *Pálffyo* copiis, alacres in partem laborum expeditionis veniebant. Et Vetuſolio quidem *Ladislaus Maytiny*; Carpona, *Benedictus Pográni*; Bozoko, *Georgius Fánczy*; arcium illarum præfecti, cum delecta militum manu, aderant. Eo adparatu fretus *Tieffenbachius*, oppidum, arcemque, tanto acrius obſidet, quo plus animi, ex *Pálffiani* exercitus acceſſione, conceperat. Et oppidi quidem muri, frequentibus tormentorum ictibus, facile pertuſi ſunt; altero dein noſtrorum inſultu, neque eo incruento, occupati; ſed arcis oppugnatio, laborioſior fuit, & euentus ancipitis, quod, & validis propugnaculis, quæ, cum antea *Raskaii*, atque *Bebekii*; tum nuper admodum, Turcæ excitauerunt, præmuniretur, & præſidio teneretur, forti, atque ad omnem fortunam ferendam, parato. Accedebant glandium ferrearum, plumbearumque, imbres, quos in noſtrorum aggeres, obſeſſi, diu noctuque, effundebant, non leui operarum iactura. Interea, cum *Tiffenbach*, & *Pálffy*, partitis obſidionis laboribus atque periculis, nihil intentati relinquerent, laxataque, continuo tormentorum verbere, munimenti, quod portæ arcis prætenſum erat, compage, in opus, ſine ceſſatione incumberent, multum obſeſſis metus iniici cœpit. Accedebant, inuſitata morborum genera, quæ præſidiarios, inopinato inuaſerant. Nam, alios quidem comitialis morbus, vertigo capitis alios, alios, offuſa oculis lippitudo, haud ſine vindice numine, male adfligebat. Quibus rebus permoti hoſtes, tolerata ſextidui obſidione, conditiones, quam poterant, æquiſſimas pacti, arce decedunt, & a noſtris *Szétsényum*, quod adhuc in poteſtate habebant, incolumes deducuntur. Ad eum modum, arx, toti late regioni, multum noxia, tyranno, nihil tale opinanti, Chriſtianorum virtute, feliciter erepta eſt, poſteaquam annis XL. iniquiſſimo hoſti paruiſſet.

a Tieffenbachio *obſidetur:*

armis potiſſimum Hungarorum:

præſidiarii, inuſitatis morbis infeſtati, deditionem faciunt.

§. VI.

b.) ISTVANFFIVS Lib. XXVII. p. 618. Confer, Anni MDXCVI. Artic. XXXVII. quem ad modum *Neogradienſis*, *Gömörienſis* & *Honteníis* nobilitas, poſt recuperatum *Filekum*, ſupplicauerit, vt *bonis auſpiciis*, quiete & libere poſſet perfrui.

§. VI.

Capitur a Botskaianis, *poſt bimeſtrem obſidionem:*

SEculi dein XVII. anno IV. cum *Botskaiani* tumultus iniiſſent, noua *Filekino* calamitas, incubuit. Erat tunc arcis præfectus *Tanhauſerus*, vir eximiæ in Cæſarem fidei; ſed, qui cauere haud poterat, quo minus arcem, poſt bimeſtrem oppugnationem, non tam vi, quam ſiti coactam, hoſtis interciperet. De ea re ISTVÁNFFIVS: (*i.*) *Fileko quoque*, TANHAVSERVS, & ARCONATVS, *aquæ inopia, (quod putei duo, qui in arce erant, longis æſtatis feruoribus exhauſti, atque exſiccati eſſent) ac intolerandæ ſitis neceſſitate, compulſi, poſt duos obſidionis menſes, ex-*

redditur, ex pacis Viennenſis *conditionibus, Cæſari:*

ceſſere. Sed ea poſſeſſio, nequiuit *Botskayo* eſſe diuturna: quippe qua, ex pacis *Viennenſis* conditionibus, anno ſequente, excidit. Poſtea, nihil intentatum reliquere *Turcæ*, vt arcem, multarum opportunitatum, ſub ſuam poteſtatem mittere poſſent. Itaque, anno MDCIX. (*k.*) Agrienſium præfectus, homo vafer, & ad nocendum Chriſtianis, vnice intentus, nebulonem conſceleratiſſimum, *Andream Brák*, promiſſis viginti millibus imperialium, induxit, vt arcis intercipiendæ occaſionem, ſibi ſuppeditaret. Aediculam ſcilicet, quam in ſuburbio, ſtramine intectam habebat, ad diem V. Aprilis, nocte concubia, igne ſubiecto, accenſurus erat: vt, cum præſidiarii, flammis, pro more, exſtinguendis, ne latius funderetur incendium, aperta arce, deſcenſuri

Turcarum *inſidiæ propalatæ:*

fuiſſent, Turcæ, qui incendium illud, in inſidiis præſtolaturi erant, facta ſubito impreſſione, portas occuparent, arceque potirentur. Verum, proditoris hæc perfidia, mature propalata, *Turcæ*, occupandæ arcis ſpe deiecti: *Brák* autem ille, pro eo, ac meruit, quadripartito diſſectus, & e patibulo ſuſpenſus eſt. Sed (*l.*) anno MDCXV. IV. *Maii*, vniuerſa moles, coorto ſubito incendio, conflagrauit, flam-

intercipitur a Bethlenio:

mis, vsque in oppidum, atque ſuburbia, propagatis. Nondum, ab ea clade, penitus conualuerat arx, cum *Bethlenius*, res nouaret. Proinde, a *Georgio Szétsy*, & *Franciſco Rédey*, arctius obſeſſi præſidiarii,

fruſtra tentatur a Rácóczio:

hoſti, victas, (*m.*) manus dederunt. Diuerſa fortuna, GEORGIVM RÁKÓCZY manſit, qui *Filekum*, anno MDXLIV. ineunte vere obſederat. Præfuit tunc arci cum imperio, *Adamus Veſelény*, partium Cæſaris longe ſtudioſiſſimus. qui ideo, obſidionem, eo tolerabat conſtantius, quo per internuncios certius didicerat, breui adfore, *Buchaimum*, Cæſariani exercitus ducem. Hunc, poſteaquam, feſtinatis itineribus aduentare inaudiuiſſet, *Rákóczius*, ſoluta obſidione, *Caſſouiam*, cum ſuis, adulto iam Aprili, (*n.*) retroceſſit. Poſtea, intemeratum manſit *Filekum*, vsque ad *Tökölianæ* ſeditionis tempora; forte, vt ad calamitatem vocaretur, fatalem eam, & inexſuperabilem. De

exſcinditur

hac WAGNERVS (*o.*) vitæ LEOPOLDI M. ſcriptor: *Caſſouiæ*, inquit, *fortunam*,

i.) Lib. XXXIV. p. 825.
k.) ORTELIVS, P. II. p. 22.
l.) *Idem* l. c. c. p. 55.
m) *Ibidem*, p 66.
n.) Ita memoriæ proditum lego, apud ORTELIVM, l. c. p. 143.
o.) Libro VIII. ad annum MDLXXXII. p. 573. vbi nota, neque *Ipolam* riuum, ſed amnem, eſſe, perpetuo aquoſum; neque eidem adſidere *Fuekinum*: quippe quod, paſſus, plus minus ter mille, in orientem, ab *Ipola* ſecedit.

Digitized by Google

nam, Onodinum, Tokaynum, Zendrea, Szepuſium, Leutſchouia, conſecuti ſunt, ſic vt ex ſuperiori Hungaria, minimum quid Cæſari reſtaret. FILEKINVM, *inferioris Hungariæ, haud ignobile, ad Ipolum riuum, oppidum, defenſum fortius, honeſtius cecidit. Ab Varadienſi Baſſa, collecto, e Tranſiluania, Hungariaque milite, decem & ſeptem dierum oppugnatione, ſubactum. Obſeſſi, fortium fidorumque defenſorum, omnes partes impleuere; tribus Turcarum millibus, per continuos aſſultus, necì datis; nec niſi capto, per partes, oppido, in arcem ſe recepere. Ea iam magnis ruinis aperta, circumſtant* KOHÁRIVM, *loci gubernatorem, rogant: ſuæ, ſuorumque vitæ vt parcerent; minantur alioquin, petituros ſe conditiones, nec tam Baſſæ, quam neceſſitati, deditionem facturos. Renititur vir fortis, & cui fama præ vita eſſet: nondum adeſſe extrema; ſeditioſos, proditores, timidos adpellat; nihilominus, Baſſæ traditus, vt pactis ſubſcriberet, permoueri non potuit. In tetrum carcerem, a barbaro compactus, inde, Tökölio dono miſſus eſt.* Ita rem geſtam WAGNERVS memorat, quam nos explicatiorem dabimus: quippe, interpretibus amicis, ab ipſo *Kohário*, heroe incomparabili, & dum hæc ſcribebamus, adhuc, in ſumma dignatione, viuente, acceptam.

a Tökölio, *cuius rei hiſtoria, ex* Wagnero *recitatur.*

§. VII.

IAm vniuerſa Hungaria ſuperior, & qua Tranſiluaniæ confinis eſt, factionem ſequuta fuerat *Tökölii*, neque retro, arcium vrbiumque ſuperabat quidquam, quod non, aut ipſe occupauiſſet, aut in Turcarum veniſſet poteſtatem. *Filekinum* erat ſuper, quod inſanis *Tökölii*, & fœderatorum conatibus, remoram ponere poſſe videbatur. Et ita omnino ſe res habuit: cum hinc quidem, tutandis montanis vrbibus, illinc, defenſandæ late regioni, arx illa fuerit opportuniſſima. Accedebat, præſidiariorum virtus, quotidianis cum hoſte, partim præliis, partim velitationibus, iam pridem exercita. Huic tunc, *Comes* STEPHANVS KOHÁRY, vir, & manu promtus, & conſilio, fide autem in Cæſarem, nemini ſecundus, præerat. Proinde, *Tökölius*, collatis cum Turca, & *Michaele Abaffy*, ſententiis, oppugnandæ arcis, & oppidi, conſilium capit. Ac *Turcarum* quidem XC. millia, ad hanc belli ſocietatem coiuiſſe, accepimus: cum præterea *Tökölii*, & *Abaffii*, coadunatus exercitus, L. plus minus, millium, cenſeretur. Illa multitudine fretus, *Tököly*, magnis itineribus, ad obſidendum *Filekinum*, aduolat. Mox, vbi in viciniam ventum eſt, miſſis ſemel, atque iterum, tubicinibus, arcem, ſuo, & fœderatorum nomine, dedi poſtulat, vltima quæque interminatus, id niſi fecerint tempeſtiuius. Quibus *Kohárius: Arci ſe præfectum non ideo eſſe, vt eam, imbelli metu, hoſti dederet; ſed, vt in ob ſequio Cæſaris conſeruatam, omni fide, & conſtantia defenſaret: ſi quid aduerſum moliri occeperint hoſtes, daturum ſe operam, cum ſuis, ne id inulti facerent; ab hac conſilii ratione, non prius dimotum iri, quam vita ſe, & ſanguis defecerint.* Eo audito, vniuerſum exercitum, in arcis conſpectum, deducunt hoſtes, obſidionem, a leuibus præliis, ſimul exorſi.

Auctorà, de occaſu arcis, narratio:

Tökölli, & *Turcarum ad arcem aduentus: præſidiariorum ad deditionem ſollicitatio:*

obſidionis exordia:

Illud, ad calamitatem oppidi, iuxta & arcis, pertinuit, quod præter militem præſidiarium, fortem illum, & laborum caſtrenſium patientem, ingens multitudo, cum vxorum & liberorum gregibus, huc perfugerat, belli, quod iniquiſſime gerebatur, calamitatem declinatura. Hoſtis interim, ne, ſi moras ad arcem necteret, opportunitate, rerum alibi agendarum, excideret, caſtra propius ad oppidum, in veſtigio vici, cui *Szent-Falua* nomen, collocat; ratus, intercipi ante omnia debere oppidum. Tenebatur id, a bis mille præſidiariis *Hungaris*, & inſigni nobilium virorum corona, quibus *Belovich*, arcis *Vice-Capitaneus* præerat; quin & *Germanorum* peditum centum, intra mœnia, ſuperfuerunt. Hi ergo, factis ſubinde, ac nocte potiſſimum concubia, excurſionibus, ſtragem plerumque hoſtium, quam pro ſuorum numero, maiorem edebant. In primis emicuit virtus: *Luca Mácsay, Stephani Csont, Gregorii Kakuk, Darabos*, & aliorum. qui nunquam portis oppidi egreſſi ſunt; quin acinaces cruore madentes, & decuſſos Turcarum vertices, ſecum reportarent. Iam, in diem decimum & quartum, protractus fuerat obſidionis labor, cum, & hoſtis muros oppidi verberare pertinacius, atque iteratis diu noctuque, maiore ſubinde virium contentione, inſultibus, obſeſſos fatigare; & noſtri, de ſeruando oppido, tametſi fortiſſime tuerentur mœnia, deſperare. Igitur, multitudine, quæ oppido inerat, clam, in arcem dimiſſa, nocte intempeſta, ignem tectis ſubdunt, fortunam obſidionis, illic commodius, ſicuti rebantur, toleraturi. Hac vero opportunitate, vſi *Turcæ*, & *Hungari*, fumans adhuc, ſed vacuum incolis, oppidum, ſubeunt, arci, eo maiori furore, poſtea incubituri.

præſidiariorum numerus, & virtus:

oppidani, tectis igne ſubiecto, in arcem ſe recipiunt, Turcis ſuccedentibus.

§. VIII.

Hoſtes, *in arcis oppugnationem omnibus viribus, incumbunt:*

ET ita omnino euenit. Exercitu enim tripartito diuiſo, *Vezirius* quidem, ab ortu, poſitis per humiliores colles, tormentorum ſuggeſtibus, mœnia arcis quatiebat; ſicuti a ſeptentrione, *Seldius* quidam *Baſſa*, globos igniuomos, in mediam arcem, euibrabat. A meridie *Hungari* confederant, colubrinis tormentis, & ipſi, arcem ſine ceſſatione verberantes. Vnius diei atque noctis interuallo, mille ignitos globos, in arcem immiſſos fuiſſe, accepimus, qui non poterant non, in ea multitudine, quæ deſerto oppido, arcem ſubierat, ingentem ſtragem edidiſſe. Vidiſſes, hic lactentes infantulos, ab vberibus ſinuque matrum, quaſi immiſſo fulmine, eliſos; illic, disiectos, concurſantium, ad arma militum, globos; oppreſſam alibi, ſuccuſſis fornicibus, confertam multitudinem; magno ruinarum fragore, at maiore horum, qui intus erant, eiulatu; vxor iſthic, & liberi, maritum patremque inclamabant; maritus alibi, vxorem & liberos, requirebat. Ad has anguſtias redactos præſidiarios, hoſtis monet denuo: *deditionem vti facerent: ſi arcem inſultu capi oporteat, non ætati, non ſexui, parſum iri; agerent, dum res integra eſſet; arcem dederent;*

obſeſſorum calamitates:

iterata eorum, ad deditionem ſollicitatio:

ipſi

ipſi, ex conditionibus, quas forte pepigiſſent, quo cuique luberet, incolumes abirent. Placuit, hoſtis iſte nuncius, obſeſſorum plerisque, in primis, quod ſpem ſuppetiarum, qua ſuſtentabantur adhuc, iam decollauiſſe, crederent. Sed, aliter, arcis præfectus *Kohári* ſtatuit, honeſtam mortem, turpi & intempeſtiuæ deditioni præferens. Itaque, cum militem, tum nobiles maxime, qui huc euaſerant, acrius increpat, &, vt porro officium faciant, grauiter monet: *Recordarentur, quam Cæſari, ſub obſidionis exordia, quamque ſibi mutuo fidem promiſerint; toleratos hucusque obſidionis labores, & partam, tot eruptionibus, laudem, turpi iſto conſilio, obliteratum iri; nondum ita deſperatas eſſe res, quin tueri eas poſſint, modo viros ſe præſtare velint; DEum adfore precibus, daturumque dextris robur, vt reiici, aut certe ita fatigari hoſtis poſſit, vt inglorius, cœptis deſiſtat. Inermis multitudinis ſtragem, & vlulatus, non tam frangere oportere, fortium virorum animos, quam inflammare, vt pro ſuis iſtis pignoribus, vltima quæque experiri malint, quam, hoſtis ſanguinolenti arbitrio, ſe ſuosque, permittere. Neque ſpem omnem ſuppetiarum evanuiſſe; non permiſſuram hoſtium auiditatem, vt vnius arcis obſidione, rerum alibi, felicius gerendarum occaſionem, elidi ſibi e manibus, patiatur; vnum illud ſupereſſe, vt animos reſumerent, neque, aut datam, Cæſari patriaque, fidem poſthaberent aut ſuam ipſorum, pignorumque, ſalutem, odiſſent.* Iſta *Kohárius:* digna impauido duce; ſed, quibus adeo profecit nihil, vt exacuerit etiam querelas, perculſæ metu multitudinis. Nam, alii quidem, ancipitis periculi magnitudinem, pignorum alii ſtragem, quiritabundi exaggerare: omnes autem, fidem in Cæſarem teſtari; deditionem ſe facturos, non, vt ab optimo rege deficiant; ſed vt cedant temporis, in quam inciderint, malignitati; ſua ſuorumque cæde, res Cæſaris, & patriæ, nihilo fore meliores. Ageret proinde *Kohárius*, de conditionibus, tradendæ arcis, quam æquiſſimis, mature, & cum opportunum adhuc ſit, cogitare occiperet. Ad hæc ille: *Periculi magnitudinem ſe haud ignorare*, inquit, *neque ita durum eſſe, atque inhumanum, quin imbellis ſexus ætatisque cæde atque eiulatibus, moueatur; ſed illud etiam probe meminiſſe, iſtiusmodi viros fortes, manere fata. quæ, ſi declinare voluiſſent, ſacramento ſe militari debuiſſent abſtinere. Turpe eſſe, fortunam queri, quam deſtinato conſilio, elegeris; at turpiſſimum longe, priuatæ cauſſa ſecuritatis, nolle, dum poſſis, totis viribus, in commune conſulere. Se, nulla periculi, quantacunque ſit, magnitudine, a fide, quam regi, & patriæ, iureiurando obſtrinxerit, alienatum iri. Quidquid de ſe, arceque, cuius præfectus ſit, DEus ſtatuerit, velle impauidum opperiri. Sin autem præſidiarii tumultuari perrexerint, arcemque, ſe inuito, hoſtibus tradiderint, eius facinoris culpam, ſibi haberent.* Iſtis diſſidiis, cum tempus trahitur, hoſtis, duplicatis globorum ignitorum iactibus, forte, quod conſiliorum hæc diuortia, perſpecta iam habuit, præſidiarios tandem adegit, vt protenſo e turri, albicante vexillo, deditionis ſignum præberent. Igitur, miſſis vtrinque arbitris, & ex arce quidem, *Paullo Gyurki*, prouinciæ no-

diuiſa inde arcis præfecti, & præſidiariorum, voluntates: oratio præfecti ad milites:

militum reſponſa:

Kohárii *conſtans animus:*

præſidiarii, inuito eo, deditionem faciunt.

notario, ab hoſtibus autem, *Stephano Szirmay*, conditiones, quibus arcem dedi oporteat, in litteras referunt, poſteaque, mutuo conſenſu, firmant. Omnes tunc machinas admouerunt præſidiarii, & quos belli metus, in arcem coniecerat, vt *Kohárium*, ad ſubſcribendas deditionis leges, permouerent; qua tamen importunitate ſua; nam ſic interpretabatur præfectus; ne tantillum quidem profecerunt, vt prælegi eas ſibi pateretur, conſilii, quas ſemel cepit, rationes, haud omnino migraturus. Ita, validiſſima arx, decimo & ſeptimo, quam oppugnari cœperat, die, mœnibus, nondum plane deiectis, in poteſtatem hoſtium venit.

§. IX.

Arce demigrant:

Dle præſtituto, cum præſidiarii, & reliqua multitudo, arce decederent, *Tököli*, in inferiori porta conſedit, militem, cuius virtutem ſuſpiciebat, iſthac exeuntem, ſpeculaturus. Hos, inuitus ſequebatur Kohári. qui, vti *Tökölium* illic ſedere conſpexit, nonnulla primum in rem Cæſaris, excelſo animo, præfatur, poſtea *Tökölium*, pro eo, ac decebat, ſalutat. Sed, cum *Tököli*, conſtantia viri, iam ante offenſus, vilius *Kohárium*, quam pro dignitate, acciperet; is vero, ne ſtando, dominum putaretur venerari, (ſubſellium enim negatum ei fuit) ſedili, quod proximum occurrebat, arrepto, *Szirmayo* vicinus, conſedit: qua *Kohárii* libertate, adeo infremuit *Tököli*, vt ſe continere nequiuerit, quin, eo digreſſo, *Szirmayo* adfirmaret: *niſi*, inquit, *vicinus Tibi adſediſſet, crede, meo ipſius acinace, caput, infidi hominis, demeſſuiſſem:* egregio, ſcilicet, facinore, præclari belli ducem ſe eſſe, teſtaturus. Poſtea, arce, præſidio exinanita, triduum ei diripiendæ datum eſt. Congeſſerant huc, tum oppidi, tum vniuerſæ circum prouinciæ, incolæ, opes ſuas, quaſi ad commune quoddam perfugium; reuera autem, vt, quidquid, a tot bellis habebant reſidui, ſimul id omne, hoſtibus in rapinam traderetur. In primis, *Kohárii* ſupellex, magni vtique pretii, iniquiſſimo hoſti, in prædam ceſſit; vt præter equum, quem fidiſſimi ſerui, *Johannis Korponay*, miniſterio adſeruatum habebat, & veſtem, fortuito iniectam, nihil, ex iſta fortunarum ſede, extulerit. Expilata, ad eum modum arce, & tormentis, omnique adparatu bellico, in caſtra deducto, vnanimi victorum conſilio, tectis primum ignis ſubditur, atque, vbi ea conflagrauere, paſſim, per cellas, profundiſſimosque fornices, pulueres pyrii, diſponuntur, qui accenſi ex induſtria, validiſſimam arcem, tot fortiſſimorum virorum, immo *Martis* domicilium, dicto celerius, diſiiciunt, & in vaſtum ac deforme rudus, conuertunt. Iſte arcis occaſus fuit, vti regioni vniuerſæ noxius, ita, ſuo merito, iniquiſſimis *Tökölii* actibus, accenſendus. quæ in litteras referentibus, *Sambuci* (*p.*) noſtri, emblema ſuccurrit, CAECVM exagitantis ODIVM:

Tökölii *inſolens animus:*

arx diripitur:

puluere pyrio excuſſa, deletur.

Quam

p.) Emblematum, p. m. 249. prorſus ita factum, ac ſi de iniquitate hac *Tökölii*, fuiſſet vaticinatus.

Quam ſtultum eſt, inquit, *odium, propriis cum cadibus implet*
Quis patriam, diro & ſanguine tingit humum.
Qui ſibi vindicta, plus damni, quam facit hoſti,
Alterius pro vno & perdit vtrumque oculum:
Non ego prudentem dico, nec miror amoque,
Conditio melior, nam eſt, Polypheme, Tua.
Exiſtunt hodie, imbelles, qui damna vetuſta,
Omnibus vlciſci conſtituere modis.
Atque ſibi horrendos adſciſcunt turpiter hoſtes,
Vt pereant aliis, dum nocuiſſe queant.
Eſt DEVS vlturus tales, non ſera nepotum,
Longaque progenies hos numerabit annos.

§. X.

CEterum, in quam hinc fortunam, coniectus ſit *Kohárius*, breuiter iterum WAGNERVS: *In tetrum*, inquit, *carcerem a barbaro compactus, inde Tökölio dono miſſus eſt. Hic certaminibus, haud paullo grauioribus, exagitatus, pollicitationibus, minis, cruciatu, ærumnis, omni artificiorum genere ſollicitatus, adeo de gradu deiectus non eſt, vt Tökölium*, proditorem nominis Hungarici, maculam indelebilem, Mahometanorum vile mancipium, *in os. compellaret. Iſthac libertas viro forti, mala accerſiit innumera. Tres & viginti menſes, in cæcum ergaſtulum retruſus, præparco panis, ac frigida demenſo, prope enectus eſt. Cuſtodes virtutem viri admirati, oblata fugiendi facultate, ſimul fugæ comites ſe addidere. Quatriduo, per ſiluas oberrantes, fameque confecti propemodum, in vicum quempiam, quærendi cibi cauſſa, ſe dedere. Agniti, retractique cuſtodes, palo, per corpus adacto, transfugium luere.* KOHÁRIVS *in Mongatſchini rupem, poſt Vnguarinum, ac Patakynum, in nouas ſemper iniurias abductus, ſuam perfidis perduellionem, ac dedecus exprobrare, numquam deſtitit, duobus poſt annis, capto, a Germanis Patakino, e profunda turri refoſſus, atque in nouam vitam, velut ab inferis, adſertus eſt. Illuſtrioris fidei, in hiſtoria Hungarica, pauca exempla offendas. Viuit hodiedum, dum hæc ſcribo, vir ille, genere, litteris, armis, religione, præſtans, viuetque, in hominum memoria, dum aliqua hiſtoria, dum fidei virtutique aliquod pretium erit.* Adeo, KOHÁRIO, ſummo viro, intemerata, erga regem fides, non opprobrio tantum fuit; ſed calamitati etiam: tametſi hoſtes, non ſua id culpa factum dictitarint, ſed obſtinata *Kohárii* duritie: quippe qui, deditæ arcis conditiones probare noluerit, eaque re, hac ſe fortuna, ipſe induerit. Enim vero, ad caſtra, quæ ad vicum *Perſe*, hoſtes poſita habuere, deductum, nunc minis territabant, nunc illi ciebant pollicitationibus, fidem Cæſaris, vti deſereret: qua in re, in primis operæ permultum locauerunt, *Petróczy, Szirmay, Petneházy, Keczer. alii.* Itaque, cum nullis ſe artibus expugnari pateretur *Kohárius*, res, ad ſenatum belli defertur: vbi, cum diu ſatis, acriterque

Qua inde Kohárium *fortuna manſerit? verba* WAGNERI.

auctoris commentatio.

diſputatum fuiſſet, an ſaluus ille conductus, quem miles præſidiarius, & reliqua nobilitas, indultum habebat, ad *Kohárium* iure pertineret? paucis adfirmantibus, plerique omnes, in eam abiuere ſententiam; ſua ipſius culpa, eo beneficio, præfectum excidiſſe: quod arcis dedendæ conditiones, non modo noluerit compaciſci; ſed interminatus etiam ſit, CAESARIS indignationem præſidiariis. qui, id vt facerent, præſentiſſimi periculi magnitudine, adacti fuerunt. Iſtud ſenatus conſultum, quod *Tököli*, plerisque e ſuorum ordine, extuderat, *Petneházy* poſtea, *Kohário* nunciauit, ſimulque, vti in mandatis acceperat, quaſi ſortem eius doleret impenſius, certiorem fecit: *futurum in poſterum, tamquam degenerem patriæ filium, atque dominationis Auſtriacæ infandum ſatellitem, perpetuum* TÖKÖLII *captiuum, ſine cunctatione, ad diriſſimos carceres, abducendum.* At *Kohárius*, iſto nuncio, adeo fractus animo non eſt, vt viſus ſit etiam lætari, quod iuratam CAESARI fidem, his iſtiusmodi ærumnis, apud poſteros, inſignem eſſet redditurus. Non ſe tamen abſtinuit, quin monuerit *Petneházium*, diceret *Tökölio* ſuo: *Quemadmodum belli, quod gereret, vniuerſum genus, dirum eſſe, & exſecrabile; non modo, ob ſocietatem conſceleratiſſimam; ſed etiam, quod in regis perniciem, patriæque internecionem, libertatis obtentu, motum ſit; ita, hanc ſuam captiuitatem, deſtinatos carceres, & vincula, ſibi quidem glorioſa, ac,* DEO *comite, etiam tolerabilia;* TÖKÖLIO *autem, aternum pudenda, pœnitendaque fore: quippe, cum ea ſibi, nullius criminis cauſſa, impingat, quam, quia Cæſari fidem, patriæ autem amorem intemeratum, habuerit.* His dictis *Kohárius*, cum famulo, quem laudauimus, *Iohanne Korponay*, in quadrigas tollitur, *Regéczum* primo, poſtea *Munkatſinum*, denique *Vngvarinum*, deductus: vt locum is quidem, ſed non carcerum ſqualores, captiua peregrinatione, ſæpius permutarit. Tandem, capto, a Cæſarianis, *Vnguarino*, (haud vero (*q.*) *Patakino,*) in libertatem adſertus, nouis ſubinde, & dignitatum, & opum acceſſionibus, trium CAESARVM indulgentia, locupletatus, mirifice eſt. Hactenus, de arce FILEK, diximus.

II. SALGÓ.

§. I.

Arcis Salgó ſitus:

SALGÓ inde, gemino, ad meridiem, milliari, disiungitur. Arx omnino antiqua, & ſitus arduitate, memorabilis. Mons, quem occupauit, vndiquaque præruptus, atque ab oriente in primis, ſuſpenſis crepidinibus, præſciſſus eſt. Lentius ad meridianum ſolem adtollitur. qua, & caſſem admittit, tortuoſum illum, atque itineris, non niſi pedeſtris, eoque moleſtioris, quo frequentius adſcendentium adſpectui, moles, ſummo cacumine poſita,

q.) *Patakini*, e profunda turri refoſſum dixit WAGNERVS, id quod, fatente *Kohário* ipſo, *Vnguarini*, accidit; neque tam refoſſus, quam ex cuſtodia, non plane diriſſima, exemtus eſt, atque adſertus in libertatem priſtinam.

Digitized by Google

posita, quasi ex industria falleret scandentes, sese subducit. Ipsa eius substructio, vbi ad montis summitatem ventum est, in cochleæ modum surrigitur, ea situs proceritate, quæ inter confertissimos montes, *Karántsch* excepto, multis modis emineat. Nempe, vbi ædificia incipiunt, portæ vestigia, visuntur, petræ solidissimæ incisa, & ita posita, vt coniici possit, arcem olim, egregie munitam, neque operis fuisse tumultuarii. Quod vltra est, modico spacio, quasi in areolam quandam protenditur, saxis partim, partim inædificatis mœnibus, conclusam, præsidiariis, sicuti credi debet, exercendis, destinatam. Postea, turbine iterum facto, moles porro adsurgit, quam, excauatæ in petrarum lateribus, specus, atque inædificatæ concamerationes, distinguunt. His olim, militem accipi oportuit. Quod vltra hanc regionem adsurgit, gemino olim palatio, sed vtroque haud vasto, absoluebatur. quorum alterum, collapsum iam est, alterum, ruinæ proximum. Cum opus integrum fuit, ita turbinato vertice prominebat, vt limacem præ se ferret: vnde, quidquid, siue montanæ regionis circumfusum est, siue campestris, tamquam e specula, despici adhuc possit. Putei vestigia, intra arcis pomœria obseruata, haud meminimus; vt fas sit existimare, aqua pluuiali, in cisternas collecta, præsidiarios victitasse. Nam fons, qui ad arcis pedem, perenne scatet, disiunctior est, quam, qui hausti-bus quotidianis, frequentari potuerit:

subſtructionum moles, & commoditas:

laborat aqua inopia.

Ardua nempe via est, & qua vix mane recentes,
Enitantur equi.

Vt taceam, infesſu hostium, si castrum obsidione arctari contigisset, facile, ab hauriendo fonte, arceri præsidiarios potuisse.

§. II.

AT enim, arcis conditorem, frustra quæsiueris, nisi ex operis ruditate, de vetustate volueris coniectare. Vocabuli sonus, Hungaricum quiddam innuit, siue viri nomen id sit, siue rei, cuiuscunque alterius. Tumultuantibus, ista regione, *Bohemis*, diu in eorum potestate fuit, haud leui, circumpositæ prouinciæ, damno; sed, an ab ista illuuione excitata sit, non est pronum adfirmare. Certe, BONFINIVS, (*r.*) *Giskra*, a MATTHIA Coruino, Bohemorum malleo, ereptam, anno MCCCCLXII. memorat. A Turcis, stratagemate, propemodum puerili, interceptam fuisse, ISTVÁNFFIVS (*s.*) auctor est: *Arslani*, inquit, *ad castra reuertenti, haud procul erat arx* SALGÓ, Lupi Derenczenii *ditionis, quam* Simon Sagyvanus, *imbellis præfectus, tuebatur. Ea autem erat, ardua rupi imposita, & difficilem admodum adscensum, & op-*

Eius origines ignorantur:

fata bello Bohemico:

& Turcico.

r.) Dec. III. Lib. X. p. 529, 16. vbi *Salgen*, praue legitur.

s.) Lib. XVIII. p. 331, 39. Notamus consulto, *Saginani* vocabulum, quemadmodum historicus scribit, corruptum sic esse oportere, debere que legi, *Szagyvany*, seu *Zagyua*, aut *Zagyuány*, arcis cognominis possessor, saltem, inde nomen trahens. cuiusmodi deprauationes, multæ sunt, apud ISTVANFFYVM, & BONFINIVM.

& oppugnationem requirere videbatur, quod tormenta eo adtrahi, non niſi ſummo labore, & multis iumentorum iugis, nec ſine periculo, poſſent. Igitur, Arslanvs, *quo vi non poſſet, aſtu ſibi penetrandum ratus, arboris prægrandem truncum, duabus rotis impoſitum, aliquot boum iugis, ad cacumen montis pertrahi, & ab agreſtibus, magno clamore boues, veluti ſub nimio æri tormenti pondere fatiſcentes, vrgeri imperat. Fauit aſtutiæ eius inſolens fortuna, quod eo die, ex humore nocturna pluuiæ, craſſior nebula, aerem inuoluiſſet, adſpectumque omnem noſtris extrorſum eripuiſſet. Interea, quosdam equites Turcas, Pannonicæ linguæ gnaros, præmittit, qui obſeſſis nunciarent, tormenta inuſitatæ magnitudinis, protinus, arcis mœnibus, admouenda, in proximo eſſe; proinde, conſultum fore, ſi eorum ictus, nequaquam exſpectandos ſibi ducant, ſed dedita arce, ſaluisque rebus exeant: ſe enim poſtea nemini parſurum. Ea fraude,* Sagyvanvs, *credita, non ſine riſu ſimplicitatis ſuæ, arcem hoſti tradidit, ac Arslanes ei, & ſociis, fide ſeruata, incolumibus dimiſſis,* Salgónem *præſidio firmauit, & in caſtra reuerſus eſt.* Atque, iſta quidem anno MDLI. accidere, hoc eſt, biennio ante, quam *Filekum*, ex inſidiis interciperetur. Manſit poſtea in Turcarum poteſtate, arx *Salgó*, ad annum vsque MDXCIII. tunc enim, cum *Fileko*, quaſi iure poſtliminii, in noſtrorum venit poteſtatem.

§. III.

Gentis Derencianæ *poſſeſſio; antea* Verbőczii.

Derencyanae fuiſſe ditionis olim, ex Istvánffio audiuimus: nam antea, *Verbőcziána* gentis erat propria. Sed, quæ *Derencyorum* fuerit familia, aut quando eſſe deſierit, longum foret explicare. Inde, in *Balaſſiorum* iura transſcriptam fuiſſe conſtat, atque, *Valentino Balaſſa*, improle decedente, fiſco regio, noſtra iam ætate, accenſam. Poſt hos, Comites *Wolckra*, regis indulgentia, in arcis, & vniuerſæ, quæ ei ſubeſt, ditionis, poſſeſſionem venerunt: quam illi, quia rationibus ſuis ita conuenire putabant, *Baroni* Francisco Szluha *de Iklad*, rege, ius ei conferente hæreditariam, anno MDCCXXVI, accepto ære, lubentes permiſerunt.

paſſa Comitum Volckra: *hodie* Baronis Szluha.

§. IV.

Item, ad veſtitum redacta, in dies conuellitur;

Illud in arcis fatis dolendum, quod bellorum iniuria, an incuria poſſeſſorum, nihil iam, præter rudera oſtentet. Deſerta enim pridem eſt, atque humani cultus expers; hinc fit, vt ſubinde a theſaurorum indagatoribus, opilionibus potiſſimum, atque ſubulcis, pertuſis fornicibus, & parietibus ſuccuſſis, magis magisque deſoletur. Ad

ſitus amœnitas.

amœnitatem loci pertinuit, quod mons, ſiluis infeſſus eſt glandiferis, & iugis decliuioribus quaſi ſubnixus. In his ſunt, ſaxoſi vertices, quorum alterum, *Takó-Pálköve*, incerta denominationis ratione; alterum, *Pécsköve*, ingenti lapidum congerie inſignem, vulgo adpellant. Cum arx, præſidio teneretur adhuc, ſpeculas, in his montibus poſitas fuiſſe, vulgus recordatur.

III. SOMOSKŐ.

§. I.

Vicina priori, ab oriente brumali, arx SOMOSKŐ, adſedit, poſitu omnino arduo, tametſi, non æque celſo, qualem ad *Salgó* obſeruauimus. Nimirum, vaſti circum ſunt montes, *Medves* ab ortu, ab occaſu, *Sátoros*. In horum conuexis, in vallem, radicibus, rupes emergit, quaſi ex induſtria educta, cuius ſummitatem, arx noſtra occupauit. Nominis certe originem, ad rupem referri debere, ipſa vocabuli ſignificatio, docet: *Kő* enim, *lapidem* noſtris ſignificat, & compoſita voce, *Somoskő* (*t.*) lapidem, ſeu rupem, *corneam*, ſiue *cornis veſtitam*: quia *Som*, notat *cornum*, & *Somos-Erdő*, *cornetum*: forte, quod arboris illud genus, iſta rupe vigeſcebat aliquando. Petræ compages ita facta eſt, vt e lapide ad regulam cæſo, compoſitam crederes. Id multum habet admirationis, quod, quidquid circa rupem hanc, ſiue minutorum, ſiue grandium lapidum viſitur, omne id, ſuapte natura, formam *pentagonam* referat, angulis & lateribus, quaſi ex induſtria læuigatis: tametſi rupes ipſa, cotem duritie æmuletur. Atque ex iſto lapide, *Turcae* cippos ſuos, cum *Agriam*, & *Hatuanum* tenerent, poſuiſſe, accepimus: patrio ſcilicet more, quo ſepulchra, erectis in altum lapidibus, ornare ſueuerunt. Certe, ſubſtruendæ arci, opportuna hæc lapidum figura exſtitit. Nam, muros quidem ita coagmentatos videas, quaſi e cæſo lapide facti eſſent.

Poſitus arcis:

nominis etymon:

rupis, cui inadificata arx eſt, indoles.

§. II.

Ipſa moles, pro habitu petræ, quæ in triangulum adſurgit, eadem forma exædificata fuit; angulos, vaſtæ ac rotundæ turres, munie-bant. quarum interualla, hic quidem valido muro, illic palatiorum contignationibus, committebantur. Subtus fornices erant, ſolidi operis, cellarium in primis, laxum illud, & quia petræ impreſſum, eximie frigidum. Quod ab his ſubſtructionibus inane manſit, in aream abiit, haud incommodam. Sed, ne aquæ penuria laborarent præſidiarii, ciſternam, in rupe excauarunt, primi eius conditores. Sin autem tuta erant omnia, fontem hauriebant, ad montis pedem, perenne ſalientem.

Molis ſubſtructio triangularis:

eius opportunitates.

§. III.

De arcis primordiis, nihil tuto adfirmaueris. Certe, hodiernus molis habitus, in ruinam, ni inſtauretur, procliuis, indicio eſſe poteſt, priſca ætate, ſubſtructam eſſe, vt vicinis arcibus coæua credi poſſit. Niſi vetuſtas exediſſet inſcriptionem, arcui portæ inci-

Arcis primordia obſcura:

t.) Alii, ab obſoleto *Somoſodom*, quod eſt, *enucleare*, deriuari poſſe putant: quod petra hæc, quaſi enucleata adpareat. quibus non quidem contraimus; ſed, vt aſſentiamur, nullam cauſſam habemus.

inciſam, credo, haberemus, cui, ſiue ætati, ſiue conditori, molem adſcriberemus: iam nihil ſupereſt, in tota ſubſtructione, quod eius rei indicium queat facere, præter inſignia, interiori ianuæ inſculpta, & *Gryphum, tribus fluuiis incubantem*, referentia. quæ tamen, cuius memoriam referant, in tanto, apud noſtros, *Heraldices* neglectu, ne diuinando quidem adſequare: niſi gentis *Loſonczianæ* fuiſſe credamus; nam, ad eam pertinuiſſe arcem, ex *Iſtvánffio* conſtat.

inſignium veſtigia.

§. IV.

Præſidio munitam conſtat;

ALioquin, cum res eſſent dubiæ, præſidio muniebatur, haud imbelli; ſed cuius gloriam, multum diminuit *Nicolaus Fodróczy*. Res eſt iſtiusmodi. Ceperat Alibegus Filekienſis, *Kékkő*, & *Diuin*, arces, *Iohannis Balaſſæ* dolo irritatus. Tunc vero, & *Somoköienſem, haud procul inde diſtantem, inuadere nihil dubitauit, & cum ad eius ſitum contemplandum, cum legato ſuo*, HASANE, *& aliquot Turcis, acceſſiſſet, pila falconis, ex arce emiſſa, legatus diſcerpitur; ita, vt eius cruore ac fruſtulis, viſceribusque, ipſe fœdaretur. Qua nece permotus, adtrahi tormenta, & eis arcem verberari iubet. Ea olim* LOSONCZII *ditionis, hoc tempore, ab illius vidua poſſeſſa, arte ſimul & natura, ſatis munita erat; adeo, vt porta eius, per quas ſolas in eam iter patet, e duriſſimis cotibus, magno labore, exciſa ſint; cetera, in abruptæ rupis crepidine, conſtructa, adiri nuſpiam poſſint. Cum aliquæ pila in eam contorta eſſent*, NICOLAVS FODORÓCZIVS, *imbellis & meticuloſus adoleſcens, a* CHRISTOPHORO VNGNADIO, *Loſonczianæ vidua genero, impoſitus, cum ſociis, qui eam cuſtodiebant, ſubito ignobilique pauore conſternatus, eam deſeruit, & Agriam profugit: vbi cum a militibus ignauiæ incuſaretur, & a præfecto ſibi metueret, mœrore animi contabuit, & interiit.* Hæc ISTVÁNFFIVS (*u.*) ad annum MDLXXVI. habet. Tenuere poſtea arcem *Turcæ*, vsque ad annum MDLXCIII. vbi, capto *Fileko*, vacuam, (*v.*) metu perculſi, noſtris reliquerunt, nouo iterum præſidio firmandam; Sane, in Comitiis anni MDCXVIII. (*x.*) arci *Somoskő*, hunc in modum prouiſum fuiſſe, lego: *Pro cuſtodia tutiori arcium* SOMOSKŐ &c. *vt ſua Maieſtas, de aliquo præſidiario milite Hungaro, pedeſtris ordinis, prouidere benigne dignetur, Status & Ordines demiſſe inſtant: penes quos, etiam poſſeſſores arcium illarum, militem ibidem intertenere debeant.* Quin, & anno MDCXLVII. (*y.*) inſtaurandam voluerunt *Status & Ordines, gratuitis*, quos vocant, *laboribus*, eius ditionis, quæ tunc arci fuit obnoxia. quas operas, anno MDCLIX. (*z.*) *Inferiori Proceſſui* Comitatus Trenſchinienſis admenſi ſunt, pecunia redimendas: iterumque, anno MDLXXXI. (*a.*) ditioni domeſticæ, & Comitatui de *Sóld*: atque præſidiariorum numerum, ad XX. reductum, in decre-

quomodo a Turcis *intercepta fuerit:*

a noſtris eripitur demum:

publico ſumtu, & præſidio munitur, & operis:

u.) Lib. XXV. p. 547.
v.) ISTVANFFIVS. Lib. XXVII. fine.
x.) Artic. LIII.
y.) Artic. CLIII.
z.) Artic. CXXX.
a.) Artic. VII.

Digitized by Google

decretis comitiorum, anni MDCLV. (*b.*) legas. Inde, ciuilibus bellis partim, partim poſſeſſorum iniuria, in rudus abire cœpit. Erat tamen perfugio nobilibus, fidem Cæſaris, nupero tumultu Rákócziano, ſequutis. quibus *Stephanus Bene, de Simegh*, præerat, captus poſtea a *Rákóczianis*, & carcere mulctatus. Nuper, in poteſtate fuit *Paulli Ráday*, cuius ſolius prouidentia: quippe, famulitium illic alentis, ne prorſus deſolata iaceret, tribuendum fuit. Alioquin, hæredium gentis *Forgáchianæ* eſſe, relatum accepimus. Vallis, quæ vltra hanc arcem in longum protenditur, a montibus vicinis, *Sátoros*, aliquibus etiam, *Vas-Kapu*, hoc eſt, *Porta ferrea*, dicitur, ob anguſtias, & impeditum iter.

in cuius hodie ſit poteſtate.

IV. Zagyva.

INcertæ originis caſtrum, cui Zagyva nomen. Nos *Sarmaticos* ei tribueremus natales, ſi certum eſſet, vocabulum, ex idiomate *Slauico*, arceſſi oportere, quaſi ſit *Za Dwa.* (*c.*) Profecto, & ruderum obſoletus habitus, & hiſtoricorum ſilentium, vltra Hungarorum ætatem, primordia arcis poni debere, ſatis indicant. Diſtinguitur a duabus prioribus, *Salgó*, & *Somoskó*, bis mille, plus minus, paſſibus. Nam ita arces hæ poſitæ ſunt, vt data opera, in triangulo collocatas, crederes. Sunt, qui perhibent, earum præſidia, ſi quid periculi immineret, datis mutuo ſignis, quaſi celeuſmate quodam, ſemet inuicem, ad reſiſtendum commonefeciſſe, quod, & graſſantibus iſta regione Turcis, & late habitantibus Bohemis, acciditſſe, ferunt. Omnino autem, Zagyvam in poteſtate habuiſſe Bohemos, ex Bonfinio (*d.*) diſcas: quippe, a Matthia Coruino, receptam: *Supererant*, inquit, *& alia præſidia, quæ Bohemos adhuc Hungaria cedere non patiebantur. Hæc non multo poſt* Matthias *in ditionem ſuam, prorſus redegit. Namque Rima-Szétsum, Zirchietum, Zaygriapheon, Salgon, & nonnulla alia, partim vi, partim ex deditione cepit.* Corrupta hic quædam eſſe, nemo non rerum Hungaricarum gnarus, inficiabitur. Tacemus reliqua; certe inauditum *Zaygriapheon* vocabulum, aut per operarum incuriam, aut oſcitante auctore, irrepſit. *Zagyváriam* forte, adfectata, pro ſuo more, terminatione latina; vel *Zaygvár*, aut *Zaygvam*; aut denique *Zagyvaſő*, (*e.*) ſcribere voluit, profecto debuit: quod, cum locorum vicinitas ſuadet, tum belli eius indoles, vbi caſtro vno expugnato, eadem reliquis, & ſubita quidem tempeſtas, imminebat. Quod *Zagyvæ* in primis accidit: quia enim, oppugnanti regi miſſa, ex arce ſagitta, oculus fuit læſus, adeo excanduiſſe eum perhibent, vt non prius ab obſidione digrederetur, quam interceptam, ſolo æquaret. Erunt ergo deprauata illa, a Bonfinio, caſtrorum

Zagyvæ ortus ignoratur:

eius ſitus:

tenebatur olim a Bohemis: Bonfinii *ſphalmata emendata:*

a Matthia *Coruino exſcinditur:*

b.) Articulo III.
c.) Quaſi *Duorum Vice*, diceres.
d.) Decade III. Lib. X. p. 529, 16.
e.) Quod *Caput Zagyvæ*, ſignificat: nam hac omnino ora fluuius ille capita habet.

ſtrorum nomina, ſic reſtituenda, (*f.*) vt præter *Rima-Széts*, quod recte habet, *Szetsénum*, *Zagyuárum*, vel *Zagyuafö*, & *Salgó* legas. Ceteroquin, mons, cui arx inſederat, iugis *Meduefienſibus* a meridie adhæſit, vaſtis iam ſiluis inſeſſus, & ferarum luſtris commodior, quam hominum cultui. Ex eius vallibus, fluuius eiusdem nominis *Zagyva*, deiicitur, quem ſupra deſcripſimus. Olim, genti cognomini de *Zagyva*, paruit, ſed quæ iam eſſe deſiit.

erat olim gentis de Zagyva.

V. Baglyás Vára.

Caſtri Baglyás *veſtigium*:

VEſtigium caſtri eſt, cuius hodie tenuia ſuperſunt rudera, eo itinere, quo, ad *Salgó*, verſus *Tarjány* itur. Nam medio propemodum loco, rupes exſurgit, inæquali tumore. Huius cacumen, parietinas oſtentat, neque vaſtas, neque ita factas, vt de inſigni quadam ſubſtructione, indicium poſſit capi. Qui molem iſtam ſcrutati ſunt, vetuſti quiddam operis notauerunt, & quod, non tam iuſtæ arcis indicium referat, quam temporarii caſtelli rudus; forte eo fine, a promiſcua plebe facti, vt perfugium haberet, aduerſus vagi hoſtis impreſſiones. Cauerna profecto, quæ adhuc in petram acta viſitur, haud quidem propugnaculum fuiſſe, ſed recularum aliquod conditorium, cum res fuit trepida, vulgo iſthic congeſtarum, documento eſt. Iuuit interim non ſiluiſſe, hoc, qualecunque cadauer. Hucusque, *arces* fuerunt *Proceſſus Filekienſis*.

nullam inſignem fuiſſe molem, ruda cendocet.

SECTIO II.

DE

Oppido Proceſſus Filekienſis vnico, Filek.

SYNOPSIS.

Filek, *vnicum huius ora oppidum: inſignis, dum floreret, celebritatis:* §. I.
Oppidi opportunitas: §. II.
Mœnia, quando excitari cœpta: ſuburbia, vallis incincta: quibus Turcarum capita defigebantur: §. III.
Regionis circa oppidum habitus: Fontis acidi laus, & poſitus: §. IV.
Qui ſit hodie oppidi habitus: §. V.

§. I.

f.) Vtinam ſint, qui ſcriptorem alioquin ſcitum, ſed infelicem tamen in exprimendis nominibus Hungaricis, plane emendent. Id quod, vix poſſis ab alienigena ſperare: Hungarus ſit oportet, qui eam operam ſuſcipiat.

§. I.

TOto iſto tractu, vnicum oppidum, FILEK, occurrit, cuius ſupra, cum de arce egiſſemus, iniecta nobis fuit mentio. quæ recognoſcenda iterum eſt, vt morem noſtrum ſequamur. Cum integræ eſſent florentesque *Filekienſium* res, ea oppidi erat facies, vt vrbibus, etiam copioſis, merito conferri potuerit. Fuit enim nobiliſſimarum quarumque familiarum ſedes, tantæ celebritatis, quantam, qui recordantur adhuc, ſine dolore nequeunt reminiſci. Poſt captam enim, infeſſamque a Turcis *Budam*, cum in dies latius fines ſuos prorogaret hoſtis, atque interceptis paſſim arcibus, infeſtam redderet regionem; non *Neogradienſes* modo optimates, ſed *Gömörienſes* etiam, *Heveſienſes*, atque *Hontenſes* habitatum huc coiuere: qui poſtea, cum cura elaborauerunt, vt, & ipſi habitarent commode, & oppidum redderent cultum, ac tantorum hoſpitum dignum perfugio. Certe, *Bebekyorum* temporibus, ea oppidum fuerat gloria, vt eius circum regionis, ocellus crederetur.

Filek vnicum huius oræ oppidum:

inſignè, dum floreret, celebritatis.

§. II.

ACcedebat loci opportunitas, ita comparata, vt ne quidquam deeſſet, ad exquiſitam commoditatem. Præterquam enim, quod arx triplici mole, per montis latus, ad ſummitatem vsque prorepens, vaſto ſuſpectu, oppido imminebat, & quaſi vmbram impertiebatur; intus certe, & extus, perculta fuerunt omnia. Aedes, non eæ quidem proceræ, ſed operis tamen erant ſolidi, & ad tolerandam obſidionis iniuriam facti. Cellaria his ſubſtructa fuere, vaſtarum concamerationum, quibus non vina modo deponerentur, ſed præſidiarii etiam, tuto poſſent degere, ſi id, res in diſcrimen adducta, poſceret. In primis, *Bathoreorum* prætorium, pro tantæ gentis dignitate & copia, magnifice factum fuiſſe perhibent. Plateæ, præter morem, lapidibus inſtratæ, puræque habitæ, non minus elegans oppidum reddebant, quam auram ſalubrem. Multum ei præterea decoris fons conciliabat, quem medio foro ſalientem habuit. Vernacule *Kapitány-Kúttja*, hoc eſt, *Fontem Capitanei*, adpellabant. Et vehebat omnino aquas, eximiæ ſalubritatis, ſubterraneis ductibus, e longinquiore ſcaturigine deriuatas: qui tamen, cum oppido deleti ſunt, vt veſtigia vix amplius notari poſſint. Sane, *Pergama* Hungarorum credidiſſes, vbi, quidquid elegantiæ, apud adflictam gentem, ſupererat, in compendium coiuerit. Nam, adfirmant omnino, illius ætatis homines, *Filekinum*, ex tot arcium, & vrbium Hungaricarum, cladibus, ſuperſtes ſolum exſtitiſſe, vbi ritu patrio viueretur, &, quædam auiti moris imago, exſtaret Relatum accepimus, ſingulis menſibus, terna heic, prouinciarum, *Neogradienſis*, *Hontenſis*, & *Gömörienſis*, comitiola, celebrata fuiſſe; tanta concurſantium nobilium multitudine, vt obſeruatum ſit, ſubinde, tercentas rhedas, quas noſtri *Börös-Kotsy*, hoc eſt, *rhedas, corio*

Oppidi opportunitas.

inductas, adpellant, iſthuc confluxiſſe. Vnde, cum de celebritate *Congregationum*, tum in primis *nobilitatis* copia, capi argumentum poteſt. Neque enim ea ætate, niſi digniſſimi quique, eo curruum genere, vtebantur. Vt eo magis exſecrandum ſit *Tökölii* facinus, qui nihil dubitarit, *Hungaria* iſtud *Epitome*, contemerare, immo funditus conuellere.

§. III.

Mœnia, quando excitari cœpta:

MVri, oppido circumducti, validi erant, & vaſtis paſſim turribus, præmuniti. In his tormentorum ſuggeſtus fuerunt; ita facti, vt quam longiſſime hoſtis, arceri inde potuerit. Extus, foſſas depreſſerant, laxas altasque; ſed quantum indagare potuimus, nonnunquam ſiticuloſas, quæ antea vallis præmunitæ, ſolæ erant, quibus oppidum incingebatur. Certe, mœnia anno demum MDCXVIII. cœperunt excitari: nam eiusdem anni (*a.*) decretum, cum labores gratuitos diſpertitur, ita habet: *Ad* FILEK, *Comitatus Zólyom, Liptó, Turócz, & Arua; Item ex Comitatu Hontenſi, Proceſſus Kis-Hont.* Item *duo proceſſus Comitatus Neogradienſis, videlicet Georgii Daróczy, & Michaelis Liberthey, ita, vt mœnibus circumdetur oppidum* FILEK. Ea tunc *Fileki* erat felicitas, vt publicis operis, Rex & Ordines, muniendum procurarent. Ceterum, oppidi munitiones, arci erant commiſſæ, vt, ſi neceſſitas ita poſtularet, oppidani, & qui in arce fuerunt, mutuo ſibi poſſent ſuccurrere. Extra oppidum, ſuburbia protendebantur, materiariis ædibus, pro regionis more, excitata, ac ne hoſtium incurſionibus paterent, præacutis vallis, & egeſto aggere, concluſa. His, Turcarum capita ſuffigebantur, quæ ex frequentibus præliis, velites Hungari, referebant. Vetere enim inſtituto, quos in congreſſibus interemerunt noſtri, horum demeſſa capita, domum deferebant, & palis defixa; oſtentui proponebant. Et accidit omnino haud raro, vt longa vallorum ſeries, his iſtiusmodi nodis, inſignita adpareret, egregio documento, qua eſſent præſidiarii virtute. Enim vero, quo quisque frequentiores hoſtium vertices, ex conflictibus reportabat, eo maiori fortitudinis laude cenſebatur. Ergo, perpetua apud præſidiarios alebatur contentio, ne facta, in hoſticum irruptione, vacui, ab iſto prædæ genere, domum reuerterentur.

ſuburbia vallis incincta:

quibus Turcarum capita defigebantur.

§. IV.

Regionis, circa oppidum, habitus:

REgio, oppido circumfuſa, amœniſſima longe eſt, neque infœcunda. Nam, qua in planitiem diffunditur, partim pratis vireſcit, partim agris colitur frumentariis. Colles, orienti obiecti, vineis fuere conſiti, quorum radices, pomaria habebant, varietate fructuum non minus, quam præſtantia, nobilitata; ſed quæ hodie, neſcio quo malo incolarum torpore, inculta iacent. Præcipua hic *Fonti Acido* laus eſt, ſiue ſitum ſpectes, ſiue ſalubritatem. Disiungi-

fontis acidi laus, & poſitus.

a.) Artic. XLIX.

Digitized by Google

iungitur is ab oppido paſſus, plus minus, CCC. ea parte, qua ad ſeptentriones reſpicit. Planities eſt, fœniſecio deſtinata, quam a meridie in occaſum, agri circumſepiunt, collinæ quidem poſitionis, ſed molliter editæ. Prati, nimirum, refert ſpeciem, pulchre, inter agros depreſſi, ex quo eminet monticulus, iuxta riuum, ad aquilonem, acerui longioris forma, ſeſe adtollens, cuius latera, vinearum, vetuſti cultus veſtigia, vtrinque monſtrant. Inter hunc montem, & agrorum ambitum, media fere planitie, *Fons* ebullit *Acidarum*, ea vi atque efficacia, vt nares bibentis perfricet, ac, ſi hauſtus ſit liberalior, lacrymas etiam proliciat. Supra, de eius laudibus nonnihil adtulimus; vt nunc, ſolius cauſſa opportunitatis, memoremus, quam oppido præſtat. Bibitur, ſcilicet, ab incolis, non vt medicina ſit, ſed vt ſitis leuamen. Scatebram arbor caua incingit, copioſam adeo, vt quo hauritur frequentius, eo magis exuberet. Ita vero ſolent, vulgo, apud nos, præſtantiſſimi quique acidarum fontes curari, vt, & ſub dio ſint, neque aliter, quam extuſa craſſiore arbore, raro, contabulatione alia, circummuniantur, quæ pedem vnum alterumue emineat, & cum iumenta a potu, tum inſecta quæuis, a vitiatione aquarum, arceat. Hinc & noſter hic, haud quidem profundior eſt, quam vt modico adminiculo, (vncus plerumque eſt ligneus, quo vas ſuſpenſum immergatur,) hauriri queat. Proinde, mira haurientium alacritas, ac ſtatis temporibus, multitudo,

Mane ruunt portis, nusquam mora: verſus eadem;
Veſper vbi potum tandem decedere vaſis,
Admonuit: tum rurſus eunt, tum rurſus amicæ
Mixtim cum pueris repetunt, remeantque puellæ.

§. V.

OPpidum hucusque dedimus, quale fuit, dum adhuc floreret, vtinam poſtliminio, in vitam reuocandum. Hodie enim, poſt funeſtum occaſum illum, de quo circa arcem meminimus, informe rudus eſt, atque ita permixtum, vt vix platearum, ne dicam ædium veſtigia, queant obſeruari. Auxit oppidi calamitatem, quod poſt deletam arcem, nemo fuerit, qui priſtinas ſedes, vel recogitaret, multo minus reædificare vellet. Solus erat, qui priſtinæ opportunitatis ſuæ nequiuit obliuiſci, *Comes* STEPHANVS KOHÁRY: quippe qui, ſtaurandæ arcis conſilio, quod diu animo verſaſſe dicitur, migrato, ædem ſacram, memoriæ ASSVMTIONIS B. MARIAE VIRGINIS, dicatam, ac pone eam, *Cœnobium P.P. Franciſcanorum*, ingenti ſumtu, ex oppidi ruderibus, curauit excitandum. Memoriam eius dedicationis, his verbis, in aditu templi, expreſſam legas: *Qui ſit hodie oppidi habitus.*

GLorIoſæ DeIparæ VIrgInIs, InqVe CœLos aſſVMtæ, honorI.
Exiſtentibus ex ruderibus, antehac præſidii
Filekienſis, iuſto pietatis ſtudio reſtauratur.

Alio-

Alioquin, ſicuti ſe iam habet oppidum, exiguum eſt, & a plebe habitatum promiſcua, eo ſitu, quem antea ſuburbia occupabant. Incolarum pauci, artibus ſellulariis, plerique omnes, ruſticatione vitam tolerant. Hæc dixiſſe oportuit, ne oppidi memoria, penitus intercidat. Diſcedit *Loſonczino*, milliari, in orientem brumalem.

SECTIO III.
DE
Vicis Proceſſus Filekienſis.

Proceſſus Filekienſis vici, pro vaſtitate regionis, & copioſiores ſunt, & opportunitatum forte plurium, quam erant ii, quos ora *Loſonczienſis*, numerauit. Qui circa arcem *Filekienſem* ſunt, & hinc in meridiem ſparguntur, coluntur ab *Hungaris*; a *Slauis* contra, qui in ſeptentriones, iniquiore ſitu reiiciuntur. Illos prius, hos poſtea, peragrabimus.

1.) *Filek-Püspöky*, viciniſſimus oppido: quam ob rem, & nomen ab eo, mutuatus eſt. iuris *Archiepiſcopalis*, quod Hungarica denominatio, condocet. Sane vicus, ſi quis alius, copioſus, & a ſolerte plebe habitatus.

2.) *Ragyóltz* inde, modico, in meridiem, interuallo, eadem planitie conſedit, fœcundo rure, ſed cui colendo, plebs obtigit tenuior. Iuris eſt *Gelléniorum*: quippe qui, materno iure, *Rogyoltzyanæ* genti, oppido antiquæ, ſucceſſerunt.

3.) *Csákányháza*, vicus nobilis, & priori conſimilis; ſed ſitus diuerſi; quia in faucibus vallis *Sátoros*, poſitus. Traiectis hinc in orientem, montibus,

4.) *Ó Báſt*, extrema Comitatus ora, qua *Gömörienſi* committitur, ſitus. eſt ditionis, partim, *Somos-Köienſis*, partim *Fajanæ*. Disiungitur *Filekino*, duobus fere milliaribus: vicus oppido ſterilis, adhæc anguſto agro. Proximus ei adſedit, *Egyházas Báſt*, a prouincia noſtra, olim auulſus, & *Gömörienſi* accenſus. Inde, reducto in meridiem ſitu:

5.) *Vecſeklö* occurrit, copioſior quidem, ſed agro nihilo meliore, quem ideo, largo ſubinde lætamine, ad fertilitatem oportet prouocari. Alioquin territorium habet vaſtum, & intra montes *Medves* protenſum; proinde, ſiluarum glandiferarum dives: id quod, inter præcipuas vici commoditates retuleris. Cauernam in montibus oſtendunt incolæ, cuius accenſa ſuapte humus, diutius arſerit. Proxime hinc abeſt:

6.) *Cſered*, antea *Zered* dicebant, tenuis vicus, & modice cultus, iuris partim *Somos-Köienſis*, partim *Fajani*.

7.)

Digitized by Google

7.) *Pogony*, limitaneus plurium Comitatuum, puta *Heveſſienſis*, qua vico *Iſtenmezeje*; *Gömörienſis*, qua pago *Szabar*; denique *Borsodienſis*, qua *Doma-háza*, ager ſuus committitur. Nuper habitari cœpit, cuius commoditates omnes fere, ſiluis glandium feracibus abſoluuntur.

8.) *Hideg-Kút*;

9.) *Szede*;

10.) *Bárna*, eiusdem oræ vici, montibus interſiti, & ſiluis, quod & in cauſſa eſt, vt incolas educent, ſilueſtres eos, & agreſtibus aliis multo ruſticiores.

11.) *Novák*, prioribus contiguus quidem, ſed opportunioris tamen ſitus, quem ei vallis, in agros exporrecta frumentarios, impertitur. Siluis certe, & paſcuis adfluit. Erat olim gentis, cui de *Novák* nomen, iam dudum exſtinctæ.

12.) *Kis-Terenye* hinc ſedet, loco, quam quos nunc vidimus, multis modis iniquiore. Eſt *Comitum Forgách*, & familiæ *Jánoky*: antehac nobilium de *Terenye*, qui eſſe deſierunt.

13.) *Vizlás*, &

14.) *Kazár*, copioſi vici, quibus ager collinus quidem obtigit, at fœcundus tamen. Quia paſcuis abundant, equorum armentis ſtudent incolæ, quæ hic egregie proficiunt. Alter familiæ *Gosztoni* eſt, alter *Hunyadiorum*.

15.) *Homok-Terenye*, in valle ſitus, quam riuus *Zagyua*, irriguam facit. Gaudet agro non infœcundo, ſiluis item glandiferis.

16.) *Némety*, priori ſuppar.

17.) *Zagyua*, vicus, arci, quam ſupra deſcripſimus, cognominis. Sedet, intra opacas, montium deuexitates. quæ ſitus iniquitas, non patitur, vt incolæ proficiant. Siluarum tamem beneficium, quod habent, ſpernendum haud eſt. Diſſidet *Filekino* duobus, *Loſonczino* autem tribus milliaribus. Iuris *Buloyvſzkyani*, & aliorum.

18.) *Somos-Ujfalu*, & ſitu, & iure, arci *Somoskó*, ſubiectus, agro, rei frumentariæ, quin & pecuariæ, importuno; eo quod, hinc quidem mons *Sátoros*, illinc *Karánts*, propagatis vtrinque iugoſis radicibus, impendent. Incolas nihilominus frequentiores alit, quam pro ſitus hac malignitate. Paret *Rádayis*.

19.) *Salgó-Tarján*, denominationem, ſicut adparet, ab arce mutuatus, cuius ditioni accenſus eſt. Ob iniquiorem, qui ei obtigit, ſitum, vulgo *Kenyeretlen-Tarján*, hoc eſt, *panis egenus*, (ἄπορον Græce diceres,) vocitatur. Nam, pauciores omnino agros habet frumentarios, quam qui, ſiue incolis ſufficiant, ſiue oeconomiæ, quam hic amplam, neque infructuoſam habet, *dominus terreſtris*. Opportune ei prædium, *Pony*, adſedit, cuius agrum, in rem ſuam vertunt *Tarjanenſes*. Pertinet, cum reliqua arcis *Salgó* ditione, ad *Baronem* Szluha. Alioquin, ædes heriles, commodæ ſunt, & ad rem faciendam, comparatæ. Sed, mola frumentaria, pro torrentium ratione, ſub-

inde feriatur. Eccleſia vici, haud vulgari opere ſubſtructa eſt. Recedit ab arce, medio, in occidentem brumalem, milliari.

20.) *Pál-Falva*, profundius in meridiem, trans montes *Karánts*, viſitur. Modicus omnino vicus, a nobilibus *Komiáthy*, & *Patkós*, poſſeſſus. Mola, quam habet, ex habitu imbrium pendet; ceteroquin, agello gaudet vicus, non plane iniquo.

21.) *Kollát*, vnde non longe abeſt,

22.) *Karántsallja*, monti, eiusdem nominis, ſubſitus, & ditioni adſcriptus *Salgóienſi*. Incolas habet negligentiores, quam id agri qualitas, haud profecto iniqua, depoſcit. qua re fit, vt ægre vitam degant. Aedes ſacra, in colle poſita, iucundum habet ſuſpectum.

23.) *Karánts-Apátfalua*, lautior priori, ſiue agrum ſpectes, ſiue incolarum copiam. Comitibus *Kohárÿ* obnoxius. Vicinum habet,

24.) *Lapujtó*, vicum, elegantis amœnique ſitus. Eſt is *Motsáriorum* hæredium, quibus & ſedem præbet. Nuper, vineas hic ponere cœperunt, loci domini, ſed, ob vicinitatem, aſperrimi montis *Karánts*, quem ab ortu obiectum habet, forte iniquius. Non longe hinc abeſt, *Bocsár* prædium, natalibus gentis *Motsariana* nobile, quam olim *Botsárÿ* adpellatam fuiſſe, vulgo perhibent.

25.) *Karánts-Berény*, tenuis quidem viculus; ſed, qui tamen, inclutæ genti *Comitum* Berény, originem dedit, quem & in titulis adhuc referunt, cum de *Karánts-Berény* adpellantur. Ager, ſiluis horret, atque montibus. Vici territorium, vsque ad montis *Karánts* ſummitatem, protendi accepimus.

26.) *Baglyás-Allja*, vltra montem *Karánts*, ſub rupe, cuius in arcibus habuimus mentionem, collocatus. Paupere agello, ſed paſcuis eo pinguioribus, præditum cognouimus. Poſſeſſio, inter *Rádayanos*, & *Fajános* eſt diſpertita. Inde

27.) *Pilis*, in occidentem, medio prodemodum milliari, ſemotus; improbæ ſortis, quia montibus immerſus. Situm, ingenium incolarum æmulatur, ſilueſtre illud ſane, & ne ſtiuæ quidem ſatis idoneum. Illuditur eis dicterio: *Pilisben nem látni ſzarkát:* quaſi, *nulla in eorum vico pica adpareat;* ſed ſubeſt luſus. *Pilis* enim adpellatiuum, *caluitiem* Hungaris ſignificat; vt ſenſus dicterii ſit: caluitiei humani capitis, inſidentem iſthic picam haud poſſe obſeruari. quod illi, de ſuo agro intellectum, negant: quippe qui, picis omnino ſit hoſpitalis.

28.) *Tarnócz*, e montium anguſtiis eluctatus, in amœna planitie, orientali *Ipole* margine, conſedit, loco, & agris læto, & paſcuis; ſed quem frequens militum, hinc inde commeantium, tranſitus, nimium quantum adfligit; ponte enim iunctus heic amnis eſt. Subeſt pluribus, parte tamen potiore, familiæ *Bene*.

29.) *Kalonda*, modico interuallo, a priori, aduerſo flumine, diſiunctus. Olim a nobilibus poſſidebatur, quos *de Kalonda*, adpellabant: quod marmor anni MDIV. emortuale, *Georgii*, nati *Stephani de Kalonda*, loquitur. Ager vico obtigit, egregie fertilis; ſed anguſtior,

A
RÉNY.

tis, pro *PP. Dominicanis*,

n Imperatorem fortiter dimicabant. Vltimi filius:
lneribus, confirmationem nobilitatis suæ acquisiuit.
Canonicus Collegiatæ Regiæ Ecclesiæ Budensis. †

th.

ie Ab-
Cons.

ORGIVS II.

PAVLLVS I. Cons.
Eva Ujfaluſſy de Devék-Ujfalu.

ADAMVS. 1. Cons. *Sophia Com. Kohary.* 2. *Juditha L. B. de Bosſány.*

SIVS III. S. C. Consiliarius. *Clara Com. ſſy de Ujfalu.*

ELISABETHA, 1. Consors *Paulli L. B. de Ujfaluſſy.* 2. *Ignatii C. Forgách de Ghymes.*

EVA, Ord. S. Auguſt. Kis-Martonii.

EMERICVS, Cons. *Barbara* Com. *Ziczy.*

JVLIANA. Conſ. *Franciſci Antonii C. de Breüner.*

EX 1. Coniug

MARIA ANNA, Cons. *Georg. L. B. Andrá-ſſy.*

E
A
zy
de

THO
Con
Zen
R.
Tab
ral.
The
de S

LADISLAVS III.

IOSEPHVS.

LADISLAVS IV.

CLARA, Ord. S. Claræ, & Conuentus Tyrnauienſis Abbatiſſa

ELISABETHA. Cons. *Nicolaus Comes Zichy de Vásonkő.*

ANNA MARIA.

Digitized by Google

Digitized by Google

guſtior, quam pro voluntate incolarum. Eſt ditionis potiſſimum *Batikianæ.* ad quam, & vicinum prædium, *Kis-Kalonda*, iam allodio deſtinatum, pertinet. Mola, quam hic *Ipolæ* impellit, frumentaria, amplorum eſt redituum.

30.) *Ráp* inde, altius progreſſis, occurrit, ſitu aliquantiſper in ſeptentrionem, eodem amnis latere, ſubmoto. Quia pontem habet, damnis eſt obnoxius, quæ migrationes militum, ex more, poſt ſe relinquunt. Ager ceteroquin vico obtigit, & frumenti ferax, & fœni; niſi funeſta ei ſubinde eſſent *Ipolæ* eluuia. Pertinet ad familiam *Battha de Vatta.* Hinc

31.) *Múlyadka*, collino ſitu viſitur; ſed ab *Ipolæ*, aliquantum reducto. Viculus, & colonorum numero modicus, & agro: cuius tamen anguſtiam, fœcunditas compenſat. Incolæ, ingenio perhibentur eſſe inquieto: hinc cum vicinis, agri potiſſimum, & paſcuorum cauſſa, perpetua eis fere ſunt iurgia, & altercationes.

32.) *Felsö, & Alsó-Terbeled*, viciniſſimi priori, & ob habitatorum paucitatem, *Dominorum terreſtrium*, quorum plures habet, villis, vt plurimum culti. Agro eſt non minus amœno, quam fertili, in primis, ſi lætamine prouocetur. Prædia, vicis adſita, *Saffy*, & *Lazy*, pinguibus paſcuis, luxuriant. Ex obiectu oppidi *Loſontz*, quod medio in occidentem milliari ſeiungitur, multum vicis iucunditatis accedit.

33.) *Filek-Keletſeny*, medio, inter *Loſontz* & *Filek*, itinere, orientali *Ipolæ* margini, impoſitus, denominatione, a *Proceſſus* metropoli adſcita, vt a cognominibus vicis aliis, poſſet diſcriminari. Ager vico circumpoſitus, laudem habet fertilitatis; ſed quem villæ *herorum* dudum, anguſtiorem fecerunt, quam qui colonis ſufficiat. Iuris hodie *Kanisayorum* eſt, aliorumque.

34.) *Filek-Kovátsy*, ita dictus, vt ne cum *Szétsény-Kovátsy*, qui eſt in *Proceſſu Kékköienſi*, confundatur. Cultus omnino viculus, atque agro præditus, frugum, & fœni feraci. Adſedit *Ipolæ*, cuius alueus *Kölesér*, ſubinde damnoſus ei exiſtit. Seiungitur *Filekino* bis mille, plus minus, paſſibus, cuius etiam ditioni accenſus eſt.

35. *Perſe*, ad ſtagnantem riuum, quem limitanei *Gömörienſium* montes, deiiciunt, loco vliginoſo poſitus, & caſtris *Tökölianis*, nobilitatus. Olim, iuris familiæ *Motskos de Perſe*, poſtea *Báthoreorum* de *Galadgyi*, fuiſſe perhibetur. quibus exſtinctis, ditioni *Filekienſi* adſcriptus eſt. Hinc ſunt, vtroque *Ipolæ* latere:

36.) *Galsa*, vnde gens *Galsayorum* perquam celebris.

37.) *Nitra*;

38.) *Bölk*;

39.) *Pintz*, ſortis eiusdem viculi, ſolo præditi, fertili, & paſcuo; ſed quem eluuiones interlabentis *Ipolæ*, ſubinde corrumpunt. Fructuoſa interim in amne piſcatio eſt, quam incolæ liberam habent. Feminæ, pinſendis ſpirulis, (tortæ genus eſt) vacant, quas hinc *Filekinum*, *Loſontzinum* illinc, venum deferunt. Infra hos,

40.) *Apát-Falva* eſt, tenuis vicus, idemque *Loſontzino* proximus. Arcto admodum territorio, quodque paſcuis, quam ſementi, aptius eſt. Vicinum ei prædium *Szent-Király*, adſedit. cuius fanum, cum munimentis *Giskræ* Bohemi, tum in primis, clade *Iohannis Coruini*, nobilitatum eſt. Olim, idem iſtud fanum *Templariſtarum* fuiſſe, perhibent; ſed incertis auctoribus. Altius, hinc ſepoſiti ſunt:

41.) *Savoly*, frequens omnino vicus, *Koharianis*, & *Vécseyanis* iuribus, obſtrictus; ſed, quod montibus ſubſitus, agro, quam hucusque vidimus, ſteriliore. Sedes nobilium *Horváth*, inſignem facit. Conſedit, ſupra *Filekinum*. mille circiter paſſibus.

42.) *Bolgárom*; rectius, quomodo & diplomata habent, *Bolgárhony*, id eſt, *Bulgarorum ſedes*. Alicubi & *Bolgár-földe*, quaſi *Terra-Bulgari*, legitur. Adhæſit monti *Bútſony*, cuius radicibus ita innexus eſt, vt ſubſeſſorum, non colonorum latebras, crederes. Habet tamen agros, ſementis, quam pro regionis indole, patientiores. Subeſt *Vécseyanæ* familiæ. Trans montes *Bútſony*,

43.) *Korlát*, iniquius ſedet, extrema prouinciæ noſtræ ora, qua ad *Gömörienſes* vergit.

44.) *Nagy-Darócz*, haud infrequens pagus, idemque *Gömörienſibus* hinc, illinc *Kis-Hontenſibus*, conterminus. Recedit *Filekino*, modico in ſeptentrionem, milliari, eſtque agro, niſi lætificetur liberalius, effœto.

Hucusque vici erant, ab Hungaris *cultι*. *Nunc, quos* Slaui *habitant, perluſtrabimus*.

45.) *Vide-Falva*, Slauis, *Widiná*, exilis viculus, amni *Loſontz* adpoſitus, idemque, *V. Capitulo Strigonienſi* adſcriptus. Incolæ plerique omnes, figuli ſunt.

46.) *Toſſoncza*, Slauis *Totſchnitza*, intra montes, verſus ſeptentrionem, recedit. Eſt agro ſterili, quem tamen induſtria colonorum, mirum in modum edomat. Præterquam enim, quod primi ſint, qui iſta regione, ſubactis mature agris, ſementem faciunt, primi profecto meſſem inchoant, ſubinde largiorem, quam alii, in agris, natura multo fertilioribus. Tempus, a ruſticatione reſiduum, fabricandæ, omnis generis, ſupellectili, egregio fructu, impendunt. Alii enim, dolia compaginant; alii compingunt ſcrinia; rotas educunt alii, cum reliquo adparatu curruli. quas poſtea merces, per Hungaricos vicos, venum circumuehunt. Eleuatiore ſitu:

47.) *Szinó-Bánya* eſt, melius *Czinoud-Banya*, perperam, *Szwina-Bánya*. cuius etymi rationem, ſupra expromſimus: vt iam nihil adtineat, repetere. Fuit omnino montanum aliquando oppidum, qua tamen prærogatiua, excidit pridem; ſiue, ob fodinas exinanitas, ſiue, alia quacunque iniuria temporum. Incolæ, materiarii iam ſunt, & rei ruſticæ ſtudioſi. Intimius intra montes:

48.) *Turitſchka* latet, viculus tenuis, & nimia incolarum ruſticitate memorabilis. Pauci ii quidem ſunt numero, ſed qui æmulari audeant

Digitized by Google

audeant vicinos, etiam copioſiores. Certe, obtentu anguſtioris agri, habitatoribus locupletari recuſant. Accenſus eſt ditioni *Diuinenſi* partim, partim *Salgóienſi*.

49.) *Mlagyó*, Slauis *Mlazou*, vilis omnino pagellus, iisdem, quas iam diximus, ditionibus adſcriptus. Eiusdem iuris eſt, &

50.) *Ronya*, Slauis *Rownà*, a modica, in quam hic montes ſubſident, planitie ſic dictus. Colitur, non a ruſticis tantum, ſed a vulgo etiam nobilium. Vtrique, cum agricolatione, tum in primis, omnis generis materia, rem faciunt. Viciniſſimus ei eſt:

51.) *Bisztritſchka*, denominationi *Salgóienſi* obſtrictus. Vltra hunc:

52.) *Ozdin*, Slauis *Ozgyin*, copioſus omnino vicus, montibus ſubſedit, quos ab occidente altiſſimos habet, liberiore paullo in orientem ſolem, proſpectu. Ager, quaſi ad ſteriles auenas damnatus eſſet, ita, tritico & ſiligini iniquus eſt. Hinc plerique incolarum, pro regionis huius more, ſolertes ſunt materiarii. Aedes ſacra, in colle ſedens, turriculam habet, gemino ære campano, inſtructam; ſoni tam elegantis, vt, ſi pulſetur, ſymphoniacorum modulos crederes, non æris campani ſonos. Olim, in edito monte, caſtrum habuit, ab *Huſſitis* inſeſſum, quos inde MATTHIAS Coruinus, depulit. Meminit eius BONFINIVS (*a*.) *Multa*, inquit, *adhuc caſtella ſupererant, partim ab ipſis erecta, quæ Bohemi, pertinaciter retinebant.* Et mox poſtea: *Deinde ad Balogvár caſtra mouit, & potitus oppido, paucis menſibus, tria præſidia expugnauit, in primis Gömörum, deinde Drench, tertio* VSDIN. Et exſtant omnino hodieque, molis eius rudera. Ante bellum *Bohemicum*, ad gentem *Otturics*, (ex qua, familiam *Etre* propagatam credunt aliqui) pertinuiſſe, priſcæ litteræ, nos docuerunt. quibus, anni MCCLXXIX. partitio arcis, *Vzdin*, & huius palatiorum, inter fratres, ab arbitris facta, perſcribebatur. Hodie, ditioni *Salgóienſi* adſcribitur.

53.) *Málna-Pataka*, Slauis *Málinecz*, laxus omnino, idemque, primus ad *Ipolam* vicus, territorio, & montibus vaſtiſſimis, circumſeſſus: quippe qui, ad duo protenſi milliaria, *Briznenſibus* apud *Zolienſes*, ſunt limitanei. Labor ideo incolarum præcipuus, in paranda materia, atque in primis, ſcindendis aſſeribus, & ſcandulis exaſciandis, ponitur, reditu haud omnino contemnendo. Agros frumentarios anguſtiores habet, quam pro numero incolarum, eosque paſſim, per deuexa collium, ſuſpenſos. Auena in primis lætantur, & leguminibus. Pertinet ad dominationem *Salgóienſem*, & *Diuinenſem*. Iam & prædium *Szalmatercs*, Slauis *Samotrcz*, territorio *Málnapatakenſi*, amenſum eſt, intra præcelſos montes, & opacas ſiluas, poſitum, atque cum vulgi fabellis, tum in primis *Ipolæ* fontibus, nobilitatum.

54.) *Hradiſtye*, trans *Ipolam*, profundæ valli inſedit. Fabrorum lignariorum officinam diceres, ita hic materiariis operis, ſtrepunt omnia.

a.) Decade III. Lib. X. p. 529, 14.

Quia enim agrum effœtum, ſiluas contra vaſtas, nacti ſunt incolæ, agri iniuriam, fabrilibus iſtis laboribus, vlciſcuntur. Subeſt vicus familiæ *Szent-Iványorum.*

55.) *Korna*, Slauis *Krna*, intra montes reiectus, vrſorum luſtris, quam humano cultui, opportunior. Incolis certe frequentia ſunt, cum immaniſſimis beſtiis, certamina, cum quibus, ſi ita res tulerit, & congredi audent, & vincere ſciunt. Multi tamen, ex inuſitato congreſſu, elumbes redeunt. Sin venatum inſtituere velint, quod vere faciunt, cum lignationem vrſi reddunt infeſtam; excitis plurium vicorum incolis, ſeſe ſtipant, tridui plerumque ſpatio, in vaſtis montibus oberrantes: ludicro hinc dicterio obnoxii; *quod vrſorum exuuias, ante vendere conſueuerint, quam in venationem proficiſcantur.* Ceteroquin, & hic materiariorum ſedes eſt, eo commodior, quo iſtis quidem operis, montes *Kornenſes* ſunt opportuniores.

56.) *Uhorská*, quaſi *vicum Hungaricum* diceres, tametſi a *Slauis* habitetur. Denominationis cauſſam, eam fuiſſe accepimus, quod bello Bohemico, temporibus Ladislai poſthumi, hic quidem *Hungari*; in *Cſeh-Brezó* autem, *Bohemi*, infeſtas mutuo ſtationes, habuerint. Vicus copioſus, & ab incolarum ſolertia commendatus. Quin & ſitus mitior hic eſt, & rei ruſticæ, haud importunus. Templum, colli impoſitum, eximium vico decus conciliat. Adſcribitur ditioni *Koharyanæ.*

57.) *Cſeh-Brezó*, a Bohemorum præſidio, nomen accepiſſe, iam diximus. *Cſeh* enim Hungaris, *Bohemum*, ſiue *Cſechum*, ſignificat. Ferunt, tota hac regione, formoſiſſimas, duobus iſtis vicis, feminas dari, quaſi reliquiæ eſſent propaginis, nobiliſſimorum virorum, qui priſca illa tempeſtate, iſthic excubabant: ſolito militum vitio, raro, ſiue æſtiuis, ſiue hibernis ſtationibus, decedentium, niſi poſt ſe relinquant, qui olim contemeratos alienos toros, loquantur. Cetera, vicus, non tam vbertate agrorum inſignis eſt, quam incolarum, in paranda materia, adſiduitate.

58.) *Soós-Lehota*, trans riuum, modico interuallo, in meridiem, a priori, ſecedit. Exilis omnino vicus, & anguſto agro, qua re fit, vt heic quoque, incolarum alii, fictilia educant, materiam alii edolent, communi huius tractus more. Prodiit e vico, incluta gens *Soóſiorum*; ſed quæ in maſculis, eſſe deſiit: ſexu femineo, in familiam *Gétzy*, propagato. Proxime hinc abeſt,

59.) *Póltár*, Slauis *Puoltáre*, amœniore, quam quos hucusque vidimus, poſitu, iugis pedetentim miteſcentibus. In primis, *Acidorum Fontium* laude pollet, quos, ſuo loco memorauimus. Ager, adhuc montani eſt habitus, hoc eſt, ſterilis, & lætaminis indigi. quo, vbi aſpergitur liberalius, haud fallit agricolam. Olim *Soóſiorum* erat hæredium, quibus inde titulus, de *Poltár*. iam ea gente exſtincta, in plurium abiit poteſtatem. Incolarum plerique figuli ſunt.

60.) *Zelené*, a virore nomen accepit. Sedet in occidentali *Ipolæ* ripa, commodo quidem ſitu, ſed, quod queruntur incolæ, arctiore terri-

territorio, quam vt, seu rusticationi eorum sufficiat, seu operis materiariis. Vtriusque studiosos accepimus; litium tamen, quas cum vicinis, de finibus agrorum, serunt, amantes. Habet templum colli impositum, estque iuris, cum aliorum, tum *Baloghiani* in primis. Eodem amnis latere,

61.) *Berzencze*, Slauis *Breznitska*, sedet, modicus vicus, & quia in via regia positus, subinde male habitus. Olim, laxius habitatum fuisse, grandia ædis sacræ, rudera, indicium faciunt, in cuius parietinis, æris campani ambitum, descriptum aliquando vidimus, ingentem omnino, & nihilo fere minorem, *Neosolienſi*. quod suo loco descripsimus. Id vero, *Ipola* immersisse priscos incolas, bellorum & rapinæ metu; sed quo loco, hodierni homines ignorant.

62.) *Kálnó*, Slauis *Kalinowo*, profundius in meridiem, *Ipola*, ab occidente, adhæsit. Copiosus, nostra ætate, vicus, sed quem temporum difficultas, pestilentia item, nimiopere diminuerunt. Habet prætoria familiarum *Etre*, & *Batha*, quorum istud, ineunte seculo, quod viuimus, ludum habuit litterarium, a nobili iuuentute frequentatum: in quo, prima latinitatis elementa, discere nos cœpisse, supra memorauimus. Incolæ, præter agricolationem, oppido industriam, ollis torrendis vacant. Possidetur vicus a pluribus.

63.) *Garáb*, Slauis *Hrabowo*, aduersa ripa visitur, cum æde sacra, vtrique vico communi. Consedit collino positu, estque priori multo exilior. Agro vtuntur compascuo, in cuius pratis, laudatissimæ acidulæ, quas iam descripsimus, scaturiunt. Insignem vicum fecit, *Paullus Balásko*, prodigiosæ memoriæ rusticus, cuius historiam (*b*.) alibi dedimus.

64.) *Nagy-Falu*, Slauis *Welkd-Wes*, quod grandem vicum notat: tametsi id hodie contra se habeat; est enim, ad exilitatem, temporum iniquitate, redactus. Eadem & hic, occupatio est incolarum, quam alibi toties indicauimus. Pertinet ad *Motsários*, & *Csemiczkios*.

Atque XX. isti sunt vici, quos *Slaui* hoc tractu incolunt, genus hominum ita solers, vt officinam materiariam, non vnius, sed plurium Comitatuum, merito possis dicere: qua de re, in moribus gentis, supra non nihil meminimus.

b.) Dissertatione nostra, de VETERE LITTERATVRA HVNNO SCYTHICA, Sect. II. p. 15. 16. quam adiisse, haud pœnitebit lectorem.

MEM-

MEMBRVM III.
DE
Proceſſu Szétsénienſi.
PROOEMIVM.

Comitatus opima hæc portio, id nominis, ab arce & oppido Szétsény, indepta eſt. Clauditur ea, ab oriente *Zagyva*; ab occidente *Ipola*, fluuiis; ſeptentrionale latus, ora *Filekienſis*; meridionale contra, *Kékköienſis*, definit. His terminis incincta prouinciola, campis non minus inſignis eſt, quam ſiluis, atque montibus. Vtroque ſitu, arces, oppida & vici ſedent, opportunitate quondam eximia: quæ ſingula, iuuabit perluſtrauiſſe impenſius.

SECTIO I.
DE
De Arcibus Proceſſus Szétsénienſis.
SYNOPSIS.

I. Szétsény.

Arcis Szétsény *ſitus & opportunitates.* §. I.

Eius origines, non ad Bohemos; *ſed ad* Templariſtas *referunt: arcis munitiones: pratorium.* §. II.

Fata, quæ ſubierit: in propugnaculis limitaneis, haberi cœpit: capitur a Turcis, noſtris metu diffugientibus. §. III.

Turcarum Præfectus & miles præſidiarius: obſidetur a Iohanne Balaſſa: *quo adparatu? Haſanes, Filekienſis, obſeſſis ſuccurrit: Balaſſianos cadit: deletorum & captorum numerus.* §. IV.

Szétsénum *poſtea intentatum manet: capitur a* Nicolao Pálffy, *poſt occupatum Filekum.* §. V.

Poſtea, nouis operibus munitur, impenſis Neogradienſium: *exuſta a* Kohário, *a Turcis denuo inſidetur: vicennio poſt, a Polonis recuperatur.* §. VI.

Reliqua, & vltima arcis fata. §. VII.

II. Hollókő.

Poſitus arcis Hollókő: *de eius ætate coniectatio: ſubſtructionum habitus.* §. I.

Regio-

Regionis circumpoſitæ ingenium: mœnium radices, ruſtica plebs hodie colit. §. II.

Quando in Turcarum poteſtatem venerit? manſit ſub hoſtium tyrannide annis XLI. §. III.

Inſtauratur a noſtris, publicis decretis: recidit in Turcarum ditionem: Vicennio poſt, virtute Polonorum, recuperatur. §. IV.

III. Bvják.

Origines arcis Buják, *Slauicæ ſint, an Hungaricæ? eius ſitus: molis ædificia, & munitiones.* §. I.

Capitur a Turcis: redit ad noſtros, capto Fileko: *iterum Turcas admittit.* §. II.

Occupatur a Carponenſibus, Kékkőienſibus & Gyarmathenſibus, ſingulari ſtratagemate: qui præſidiarios, contra datam fidem, trucidant: quomodo eam cladem Murtuzanus *vltus ſit? ditio olim* Báthoreorum *fuit; hodie* Eſzterhaziorum. §. III.

IV. Ecsegh.

Ecsegi *ſitus: rudera molis: cui fini olim fuerit excitata?* §. I.

Vulgi, de arcis domina, narratio: quam alii aliter interpretantur. §. II.

V. Samson-Vára, *ſeu* Fejérkő.

Samson-Vára, *incertæ originis: rudera eius, & opportunus ſitus.* §. I.

Circumſidetur a montibus: ob petræ albedinem, Fejérkő *dicta.* §. II.

VI. Szanda.

Szandæ *præcelſus ſitus: arcis hiſtoria ignoratur: pertinuit olim, ad dominos cognomines: iam* Schreteriorum *eſt hæredium.*

I. Szétsény.

§. I.

Szétsény, coniuncta, oppido cognomini, arx, media planitie, colli molliter eleuato, impoſita eſt: quod, & campeſtri huic regioni decus conciliat, & arci, amœnum quaquauorſum proſpectum. Nam, qua occiduum ſolem proſpicit, planitiem obtuetur, *Ipola* irriguam, & pratis, atque campo paſcuo, lætam. Quod inde, hinc ad ſeptentriones, illinc ad meridiem, camporum eſt, agris frumentariis colitur. qui habitus, & orientali plagæ, familiaris eſt. Poſtea, montes vndiquaque incunt, lentis primum collibus, adſurgentes, ſed qui iugis propagantur, ſiluoſis, & multæ opportunitatis. Proinde, quisquis fuerit primus arcis metator, egregie, de ſitu, & eius commoditatibus, proſpexit, quæ ſunt iſtiusmodi locis neceſſariæ. Si quidem enim, obſideri arcem contingebat, non poterat cauere hoſtis, quin in conſpectum præſidiariorum veniret; ſin faciendæ eruptiones, expedita erant omnia, & ve-

Arcis Szétsény ſitus & habitus.

& velitationibus commoda. Quibus rebus fiebat, vt, siue *Hungari* tenerent castrum, siue *Turcæ*, frequentes, istis campis, ac propemodum quotidianæ pugnæ, consererentur.

§. II.

Eius origines, ad Bohemos;

CEterum, dicere non habeo, quæ sint, peropportuni huius castri, origines. Sicuti, neque denominationis rationem queas reddere. Qui Bohemos, *Hussitas* illos, primos heic castellum excitauisse credunt, nescio, an id, documentis idoneis possint comprobare. Tametsi enim tenuisse locum, &, pro more suo, communiuisse, non negamus; id quod supra, ex Bonfinio emendato, in castri *Zagyua* descriptione, recognouimus; induci tamen haud poterimus, vt conditæ arcis gloriam, permittamus genti infestissimæ. Neque rectius

an ad Templaristas *referenda?*

coniectant, qui *Szétsénii* origines, *Templaristis* adscribunt, auido generi, & gaudenti his istiusmodi locorum opportunitatibus: si quod tamen eius inerat vnquam *Hungariæ*. Alioquin, haud deesse putant, eius rei indicia. Nam, collis, qui ad tormenti iactum, ab arce seiungitur, & hodieque, *Szent György-Vára*, id est, *St. Georgii Arx*, vulgo dicitur, vestigia quædam ædis sacræ ostendit, quam muri præmuniebant ac fossæ. Quidquid eius sit, arx certe ipsa, qualis iam est, nihil refert prisci operis. quod neque fieri potest, in tanta rerum conuersione,

arcis munitiones:

quam duobus retro seculis, subire cogebatur. Nimirum, oppidi mœnibus contigua, muro præmuniebatur latericio, quem circumductæ fossæ, & egesti aggeres, iidemque vallis conserti, validiorem reddebant. Angulos murorum, non vndique ad regulam procurrentium, turres, antiquo more excitatæ, communiebant. Has, vigiliæ insidebant, & colubrina tormenta. Intus arcta est area, cuius prætorium,

prætorium.

nuper, *Koharianis* operis instauratum accepimus. Quæ muris propius subsunt, casis olim præsidiariorum oppleta fuerunt: nunc in vsus familiares versa. Porta, orientem solem adspicit, sed, quæ rimas iam agit, ruinæ nuncias.

§. III.

Fata, quæ subierit:

FAta arcis, iniquiora subinde fuere, quam id credi possit. Posteaquam enim ex clade *Mohátsienſi*, Hungarorum vires adtritæ fuerunt; tyrannis, contra ea, Turcarum, in dies incresceret, in præsidiis limitaneis haberi cœpit. Nempe, quo viciniores erant Neogradienses, Budensi præsidio, impressionibus fatigabantur, eo frequentioribus. Hinc ordinum regni sollicitudo (*a.*) illa; *vt Maiestas Sua Regia, habeat curam defensionis Comitatuum: Nitriensis, Hontensis, Barsensis,* Neogradiensis *&c. ad quos Mehemet Bassa litteras dedit, comminans illis ignem, & ferrum.* Atque tunc (*b.*) in iis propugnaculis, relatum *Szétsény* legas, quæ publicis sumtibus, omni adparatu bellico, instrui

a.) Anni MDXLVI. Artic. XL. | *b.*) Artic. XLIV.

Digitized by Google

inſtrui oportuit. *Citra*, inquit, *Danubium, caſtris ac fortalitiis Saág, Páſztó, Dréghel*, SZÉTSÉNY, *Buják, Léva, & ſi qua ſunt alia, præſidiis neceſſariis omnium generum, mature prouideat Maieſtas Regia.* Vtinam vero, pro eo, atque id, ſeu loci opportunitas, ſeu ſecuritas regionis, requirebat, a præſidiariis cuſtoditum fuiſſet, *Szétsénium.* Verum, aliter omnino res cecidit. *Dreghelo* enim, arce apud *Hontenſes* montana, & tribus fere milliaribus *Szétsénio*, in meridiem recedente, ab *Aly Eunucho*, expugnato, *Szétsénienſes*, nec tentati, metu diffugiunt, & arcem præſidio inanem, hoſti relinquunt. De turpi hac fuga ISTVÁNFFYVS: (*c.*) *cum*, inquit, *ad arcem* SZÉTSÉNIAM *peruentum eſſet, cuius cuſtodiæ*, LAVRENTIVS AROKHÁZY *præerat; milites præſidiarii turpiter profugere, Laurentio ſolo, & arce vacua indefenſaque, relictis. Quod cum Laurentius animaduertiſſet, ipſe quoque, ceteros ſecutus, fuga capta, in manus hoſtium incidit, diuturnamque apud eos ſeruitutem ſeruiit.* Ad eum modum, arx in Turcæ poteſtatem conceſſit, magnarum poſtea cladium, & cauſſa, & occaſio.

capitur a Turcis, noſtrû metu diffugientibus.

§. IV.

PRæfecerant Turcæ SZÉTSÉNIO, *Hamzam*, ſtratagematum inſignem artificem, illum nimirum, qui *Filekinum*, ac poſtea *Tatam* quoque, aſtu interceperat, eaque re, imperium *Solymanni*, octingentis, & amplius, oppidis, ac vicis, in ditionem redactis, longe lateque amplificauerat. Neque deeſſe patiebantur militem præſidiarium, qui perpetuis excurſionibus, regionem fatigaret. In his *Martaluſii*, cum primis infeſti nomini Chriſtiano, multas paſſim ſtrages edebant, plagiariorum, quos *Pribék* vocamus, miniſterio plerumque vſi. qui eos per occultos calles, ad loca etiam longius diſiuncta, tuto deducebant. Decennio poſt, quam a Turcis occupata fuit arx, infauſto omine, *Iohannes Balaſſa*, Zolii & Montanarum præfectus, obſidione eam cinxerat, ſuo nomini labem, cladem vero exercitui Chriſtiano cruentiſſimam, acceleraturus. Prolixe rem ISTVÁNFFIVS (*d.*) narrat, nos in compendio exhibebimus. Obſidebatur *Szatmarini*, frater Iohannis, *Melchior Balaſſa.* quem, vt ab eo periculo, diſtractis Turcarum viribus, liberaret noſter, nihil dubitauit, ſuo ipſius capiti perniciem conflare. Proinde, obſidionem arcis *Szétsény* edicit, & quascunque poteſt, procerum copias, cum exercitu ſuo coadunat. Aderant nempe *Leuenſes, Carponenſes*, & *Bozokienſes* præſidiarii. quos voluntariorum militum manus, haud contemnenda, ſequebatur. Neque defuerunt, ex metallicorum ordine, qui, ſi ita vſus ferret, caſtrum, ductis cuniculis, ſuffoderent. Quin & *Agrienſes*, delectam ſuorum manum miſerant, expeditionem iuuaturi. Iam & *Bebekus*, cum mille vtriusque ordinis, militibus, atque duobus tormentis, in iter ſe de-

Turcarum præſidium, & miles præſidiarius:

obſidetur a Iohanne Balaſſa: quo adparata?

derat.

c.) Lib. XVIII. ad Annum MDLI. p. 331.

d.) Lib. XXI. ad Annum MDLXII. p. 416. ſeqq.

dederat. Arcem tunc *Mahometes Jahiogles* cuſtodiebat, ſed quem ab ea ſtatione, *Sathmari* obſidio, auocauerat, relicto *Szétsény*, *Saſvare*, alumno & collega ſuo. Iſtis ſuppetiis, & abſentia præfecti, fretus *Balaſſa*, ipſo die, reſurrectioni *Chriſti* ſacro, obſidionem exorditur. Erant in eius caſtris, quinque, plus minus, militum millia, tormenta minutiora, quibus arx verberabatur, duo. Interea, *Saſvares*, ad *Haſanem*, *Filekienſium* præfectum, clam nuncios mittit, periculum, quo ſit circumuentus, exponit, ſibi vt ſuppetias ferret impenſe rogat. *Haſanes* ergo, nihil cunctandum ratus, celeritate, qua potuit, maxima, octingentos, e præſidio equites, ad ferendam *Saſvari* opem, ipſe educit, vtque ante illic adeſſet, quam ſe *Balaſſianis*, *Bebekus* poſſit coniungere, celerrime proficiſcitur: non, vt ſummam rei, pugnæ committeret; ſed, vt minutioribus præliis, diſtento *Balaſſio*, obſeſſos ex arce educeret, & ad tutiora loca comitaretur. Res tamen, magno *Balaſſianorum* malo, longe aliter cecidit. Nondum ſcilicet, in caſtra aduenerat *Bebekus*, cum *Haſanes*, quaſi cælo depluiſſet, in conſpectum noſtrorum venit, imprudentes adgreditur, vrget, turbat, & ante disiicit, quam, vel in ordines coire, poſſent vel ſclopos exonerare. Primi omnium pedites in fugam effuſi, terga dabant. Contraibat *Balaſſius*, & nunc ſingularum turmarum duces, nunc fugientium manipulos, qua precibus, qua conuitiis, retentabat, ne in tantum dedecus ruerent. Sed fruſtra hæc a *Balaſſio*: nam, fugato peditatu, equitatus vix tentata pugna, ordines primum deſeruit, mox effuſis habenis, ex prælio excesſit. Vtrosque *Haſanes* conſectatus, DCL. cæſorum capita, totidemque captiuos, *Szétsénium* retulit, & caſtris potitus, victor *Filekum*, paucis e ſuis deſideratis, reuerſus eſt. Hæc tunc, ad *Szétsénium* geſta fuere, infelici omnino ſidere; at maiore *Balaſſii* temeritate: quippe qui, non exſpectatis vicinorum auxiliis, impetu animi, non conſilio, rem gerendam ſuſceperit. Inter cæſos, *Andreas Sátory* Carponenſium, & *Demetrius Matyús* Agrienſium agminum ductores, fortiſſimi viri, numerabantur. reliqua multitudo, e gregariis erat. Capti autem fuere, *Iohannes Cruſith*, *Thomas Pálffy*, *Caſpar Schuty*, & *Stephanus Soós*, partim *Leua*, partim *Carpona*, cum delecta militum manu, caſtra ſequuti.

Haſanes Filekienſis, *obſeſſis ſuccurrit*:

Balaſſianos *cadit*:

deletorum, & captorum numerus.

§. V.

Szétséni-um *poſtea intentatum manet*:

POſtea, intentatum a noſtris relictum eſt *Szétsénium*, neque, niſi crebris velitationibus, quæ ſubinde iuſta prælia æmulari poſſe videbantur, identidem fatigabatur: varia tamen, quod fit, fortuna, ſucceſſu autem plerumque iniquo; dum *Turcæ*, etiam nulla clade accepta, ſaltem inſultu noſtrorum irritati, non raro, magnas, per vicos, & oppida, ſtrages ederent, quaſi, qui noſtrorum temeritatem vlciſcerentur. Tandem *Filekino*, ſubita, ſed operoſa tamen obſidione, capto, *Nicolaus Pálffius*, inſignis heros, (*a*.) *Szétsénium*, quaſi obiter

capitur a

a.) Vide, Anni MDXCIX. Art. XLVIII.

Digitized by Google

obiter obſeſſum, (nam a *Filekino* copias hibernatum deducebat) & tormentorum ictibus, aliquantiſper verberatum, in poteſtatem ſuam redegit, atque præſidiariis ſecuram demigrationem pactus, *Honorium Tanhauſerum*, Germanum quidem origine, ſed in Hungarum, a familia *Hathalmiana*, adoptatum, præeſſe iuſſit. Ita *Szétsénium*, cum annis propemodum XLII. magna circumſitæ regionis calamitate, a Turcis inſeſſum fuiſſet, noſtris poſtliminio conceſſit: ſubinde, CCC. equitum, & CC. peditum, firmatum præſidio. *Nicolao Pálffy, poſt occupatum Filekum.*

§. VI.

INeunte ſeculo decimo ſeptimo, MATTHIAE *Archiducis* iuſſu, cum reliquæ Neogradienſium arces limitaneæ, tum in primis *Szétsénium*, nouis operibus muniebantur: quam curam, *Neogradienſi Comitatui*, publicis poſtea regni decretis, (*f.*) mandatam legimus: quod & ita fiebat, temporibus in primis FERDINANDI II. cum hinc ciuiles tumultus, illinc, Turcicarum impreſſionum tempeſtates, incubarent. Exſtant hodieque, eius induſtriæ monimenta: nimirum porta, ad orientale oppidi latus poſita, cum muro latericio, vtrinque late protenſo: niſi iam & iſtud opus, ruinam minaretur. Capto a Turcis *Vjvarino*, quod (*g.*) anno MDCLXIII. accidit, *Léva*, *Nitria*, *Galgoczio* atque *Nouigrado*, hoſtibus traditis, *Stephanus Kohárius*, *Szétsénienſis*, ea tempeſtate *Capitaneus*, quod arcem retineri poſſe deſperabat, igne exuſtam, relinquit; eo auidius poſtea a Turcis inſeſſam, quo opportuniorem locum nouerant, ad vrbes montanas, ac prætenſam iis regionem, impreſſionibus & rapinis, fatigandas. Inde XX. annis, Turcarum ſedes fuit *Szétsénium*, atque officina ſimul innumerarum calamitatum: demum, poſt liberatam, ab obſidione *Viennam*, & captum *Strigonium*, Polonorum armis, ab ea expeditione decedentium, recuperatum. *Poſtea, nouis operibus munitur:* *exuſta a* Kohário, *a* Turcis *denuo inſidetur:* *vicennio poſt, a* Polonis *recuperatur.*

§. VII.

QVæ hinc ſequuta ſunt tempora, tametſi reiectos longius Turcas viderunt, *Szétsénio* tamen non ceſſarunt calamitoſa eſſe, atque funeſta. Namque, graui fame, tota Hungaria inualeſcente, cum præſidiario militi commeatus deeſſet, iuſſu *Pauli Eſzterházy*, Regni Hungriæ Palatini, arx noſtra, igni iterum exuritur, præſidiario milite, exauctorato partim, partim aliorſum demigrare iuſſo. Eius deſtinationis miniſter, *Franciſcus Diſznóſy* fuit, tribus Croatarum centuriis ſtipatus. Poſtea, arcem præſidio munitam, haud quidem meminimus: præterquam *Rákocziano* tumultu, cum is, caſtrenſi ritu, anno MDCCV. co- *Reliqua, & vltima arcis fata.*

f.) Anni MDCII. Art. XIV. coll. A. MDCIV. Art. VIII. Anni MDCXIII. Art. VIII. Anni MDCXVIII. Art. XLIX. Anni MDCXXII. Art. XXXVI. Anni MDCXXXV. Art. XCII. Anni MDCXLVII. Art. CLIII. Anni MDCLV. Art. III.

g.) Vide WAGNERI Hiſt. LEOPOLDI. M. Lib. II. p. 135.

mitia iſthic agitaret, atque ſui ſequaces, fœdere ſecum innecteret, longe pernicioſiſſimo. Mirum dictu, quanta celebritate, rem illam inſtituerit, vt priſcæ guſtu libertatis, quam obtendebat, exnouo iſto comitiorum, genere, ineſcaret, nouarum rerum ſtudioſos. Cuſos, in tam præclarum, ſi Diis placet, facinus, numos memoriales recordamur. quorum altera facies, vultum *Rákóczii*, tres Veſtales virgines altera, referebat, ſuccenſum in ara ignem, adgeſtis ſarmentis, alentes, cum ἐπιγραφῇ: CONCVRRVNT, VT ALANT: & ſubtus: CONCORDIA RELIGIONVM, ANIMATA LIBERTATE. Anno MDCCV. IN CONV. SZÉTS. Arx nuper, ære *Kohárianо* eliberata, ſedem præbuit IOHANNI ADAMO FORGÁCH, ſupremo Neogradienſium Comiti, & hæreditario ditionis SZÉTSÉNY dynaſtæ: cetera, priſcis munimentis, propemodum nuda.

II. HOLLÓKŐ.

§. I.

Poſitus arcis Hollókö:

MOdico inde milliari, arx HOLLÓKŐ, in orientem æſtiuum, intra montes, recedit. Situs omnino aſperrimi, & quem, non tam amœnitatis cauſſa, delegiſſe cenſendi ſunt, primi eius molitores, quam vt dubiis rebus, perfugium haberent. Conſedit enim, in præſciſſa, & ſublimi rupe, acceſſus omnium difficillimi, ob crepidines petrarum, mire ſibi impendentes. Aetatem, qua condita ſit, ignorare cogimur. Qui ex molis habitu, argumentum capiunt, ad BELAE IV. tempora, eius exordia reponunt. Nam, continuo opere, haud omnino ſuccreuit. Præcipua ſubſtructionis pars, turri abſoluitur pentagona. Opus in primis, antiquum & ſolide, atque ad regulam factum. Hanc, gemino incinxerant muro, ætate, vt ex operis colligere eſt, poſteriori, ruditer admodum & inconcinne educto. Poſtea, nouis ſubinde porticibus augebatur, vt in molem excreuerit indigeſtam, & nullo eductam ordine.

de eius aetate coniectatio: ſubſtructionis habitu.

§. II.

Regionis circumpoſita ingenium:

CIrcumſidetur autem vaſtis montibus, quos petræ horridos reddunt. In his ſunt, *Gondhegy*, id eſt, *curarum mons*, ab ortu arci obiectus; & qui huic vicinus adſedit, caput multo adtollens altius, *Szárhegy*. Reliquam regionem, profundæ hinc valles, illinc ſiluæ, longe denſiſſimæ; mox iterum prælti montes, quaſi vnus ex alio naſceretur, diſcriminant. Varia his nomina, vulgo indita. Nam, ad meridiem quidem *Hárts berts* eſt atque adfinis illi, *Fekete hegy*, & *Bábbiki*. Omnes hi ſiluoſi ſunt, ferarum luſtris perquam opportuni. Sed, qua ſeptentrionem arx contuetur, mollioribus iugis miteſcit regio, quorum latera, inde a priſcis temporibus, vite fuerunt conueſtita, quam adhuc curant incolæ; ſed pro tenuitate opum, languentibus operis.

Digitized by Google

ris. Habet enim inquilinos arx, circum mœnia nidulantes, quos bellorum calamitates, & commigrantium militum licentia, huc coegit.

munium radices rustica plebs hodie colit.

§. III.

ANno MDLII. primum in Turcarum poteſtatem venit, non tam hoſtium virtute ſubacta, quam præfectorum, qui ei cum imperio inerant, diſcordia. *Exinde, Eunuchus,* inquit, ISTVÁNFIVS, (*b.*) puta Szétsénio, quod deſertum a noſtris occupauerat, *celeri itinere, ad caſtrum, cui a coruo nomen eſt,* (Holló enim, coruum *Hungarice* ſonat) *caſtra promouit.* Ac mox poſtea; *Eunuchus, Caſtro Corui, quod Andreas Saági, & Emericus collega, inter ſe diſſiderent, eadem facilitate, potitus eſt.* Nimirum, procellæ tunc inſtar, quascunque adorti ſunt arces, Turcæ peruaſerunt, aut incuria, aut metu, aut diſſinoſtrorum adiuti. Fuit vero ſub hoſtium tyrannide, annis omnino XLI. poſt recuperatum *Filekum,* priſtinæ dominationi, a *Tieffenbachio,* vindicatum. Metu enim perculſi Turcæ, quidquid iſta regione montanarum arcium tenebant, vacuum reliquerunt: magna tunc rerum Chriſtianarum acceſſione.

Quando in Turcarum *poteſtatem venerit:*

manſit ſub hoſtium tyrannide annis XLI.

§. IV.

EX eo tempore, curæ fuit noſtris arx, tutandæ regioni, multum ſane opportuna. Hinc, non (*i.*) inſtauratio modo; ſed præſidium etiam XX. peditum, publice decretum (*k.*) ei fuiſſe, legimus. Verum, anno MDCLXIII. Hungariæ fatali, recidit in manus Turcarum. *Szétsénio* enim occupato, non ante quieuere Turcæ, quam arcem ſimul *Hollokő,* ſub iugum mitterent. Erant tunc in ea, cum modico admodum præſidio, *Matthæus Benky,* & *Vrbanus Nagy,* viri, haud omnino deſides; ſed ob rerum iniquitatem, ad eas conſilii rationes adacti, vt arcem dederent, iis conditionibus, quas, pro fortunæ malignitate, optimas paciſci potuerunt. Caſtro, ad eum modum potiti hoſtes, validiori, quam erat Chriſtianorum, præſidio, idem muniunt, XX. annorum interuallo, iſthic, haud ſine regionis iniuria, hoſpitaturi: eiecti tandem, Polonorum virtute. qui, vti diximus, victores, poſt liberatam *Viennam,* & captum *Strigonium,* in hiberna demigrabant. Poſtea, Turcis, *Budæ,* & vicina circum regione, depulſis, præſidio nudatum accepimus, breui in rudus abituram, niſi inſtauretur denuo. Eſt iuris Comitum *Forgách,* & nobilium *Szemere.*

inſtauratur a noſtris, publicè decretū:

recidit in Turcarum *ditionem:*

vicennio poſt, virtute Polonorum *recuperata.*

III.

b.) Lib. XVIII. p. 331, 24. & p. 332, 4.
i.) Anni MDCVIII. Art. XV.
k.) Anni MDCLV. Art. III.

III. Bvják.

§. I.

Origines arcis Buják, Slauica sint, an Hungarica?

BVJÁK arx, priori, multó validior, sed fortunæ haud melioris. Si vocis significationem sequaris, Slauorum opus, credas, oportet. quibus *Buják* taurum significat. Aliis tamen, *Hungaricum* etymon placet; vt *Buják*, obsoleto vocabulo, latebram ipsis notet. Neutris contraimus, eo quod vtrorumque coniectatio, dubitationem habeat. Id negari nequit, referre

eius situs:

omnino situm arcis, quod latebram quodammodo æmuletur. Nam, ita intra montes retrusa est., vt, nisi ab oriente, qua vallem, late postea diffusam, obtuetur, conspici nequeat. Scilicet, extremæ, montis *Gombhegy*, rupi inædificata, valle, quasi ex industria depressa, ab occasu, &

molis adificia, & munitiones:

septentrione, subcingitur. Rupes, cui insedit, ardua est, atque edita, sed quam contiguus, quem diximus, vertex *Gombhegy*, supereminet. Arx ipsa, turri adtollitur vasta, & in orbem, muro longe solidissimo, educta. Hanc, subtus laxi fornices, postea, qua tectis proxima fuit, tormentorum suggestus, distinguebant. Circa turrim, conclauia fuerunt, & propugnacula, mœnibus commissa validis, neque subruendis facile, quia petræ fuerunt inædificata. Maximum erat, quo porta olim præmuniebatur. quam postea præsidiarii, quod importuno loco positam crederent, obturauerunt, portula, cum ponte versatili, eo arcis latere, quod in occidentem vergit, adaperta. Intus, præter cisternam, petræ incisam, puteus erat, LXXX. orgyiarum altitudine, per durissima saxa excauatus: qui adhuc, inter rudera arcis visitur, nuper, a conscelcratis latronibus, iniecto hominis cuiusdam, qui res Iudæi curabat, cadauere fœdatus. Alioquin, montes, arci adsiti, petris horrent, in primis, cui a *S. Martino* nomen. In eo, parietinæ ædis sacræ visuntur, quam *Templariorum* fuisse, more suo, vulgus perhibet. Atque hæc situs asperitas, oppugnationem, cum accidit, operosam efficiebat.

§. II.

Capitur a nostris;

EAdem illa tempestas, quæ arces vicinas, e manibus nostrorum eliserat, *Bujákum* quoque abstulit; Qua de re Istvánffivs: (*l.*) *Eunuchus*, inquit, *ad Bujákum,* Báthorii *arcem, haud procul,* (ab Hollókő) *distantem, diuertit; & cum ea muro crassiore, ac satis firmo, munita esset, nec in eo quinque diebus verberato, quidquam fere dirutum esset, difficilis oppugnatio futura videbatur, si quæ in præsidiariis virtus, aut constantia, fidesque, adfuisset. Sed illi, intempestiuo metu, ac pauore perculsi, perfractis fornicibus, in quibus reconditum thesaurum falso putabant, una cum* Martino Kéresy, *præfecto, non sine perfidiæ labe, arcem relinquentes, sese in fugam coniecerunt: quos tamen Turcæ adsequuti, concisos, & ad vnum interfectos, deleuerunt, solo conseruato*

l.) Loco citato.

ſeruato MARTINO, *qui in ipſis vinculis, & carcere poſtea exſtinctus eſt.* Ita tunc *Eunuchus*, peregrinabundo ſimilis, paucis diebus, arces complures, intercepit. Rediit tamen ad noſtros, poſt ereptum Turcis *Filekum*, cum ils arcibus, quas eadem iſta tempeſtas eripuerat; fatis ita volentibus: vt, qua temeritate, atque metu, ante annos XLI. a noſtris deſererentur, eodem nunc hoſtium pauore, derelictæ, in noſtrorum manus venirent. Poſtea, ciuilibus diſſidiis, quæ ſeculo XVII. quater recruduerunt, quin domeſticum hoſtem admiſerit, non eſt, cur dubitemus. ISTVÁNFFIVS, *Botskayo* deditam memorat. Illud certum eſt, ſubacto a Turcis *Vjvarino*, quod anno MDLXIII. euenisſe meminimus ſæpius, *Bujákum* in hoſtium poteſtatem conceſſiſſe, fortunam, vt credere fas eſt, arcium reliquarum ſequutum.

rediit ad noſtros, capto Fileko:

iterum, Turcas *admittit.*

§. III.

IAm, in Turcarum poteſtate, diutius hæſerat: cum *Carponenſes*, *Kékköienſes* & *Gyarmathenſes* præſidiarii, de intercipiendo eo, conſilium ineunt. Placuit nimirum, quod aperto Marte, ob paucitatem ſuorum nequirent, ſi poſſent, ſtratagemate conficere. Proinde, ſignis numeroſioribus comparatis, adſcitisque, qui tympana pulſarent, tibiisque canerent, quam pro ſuorum numero, pluribus, expeditionem ſuſcipiant, arcis obſidionem, facta ingentis exercitus ſpecie, ſimulaturi. Mons eſt, in conſpectu *Bujáki*, cui *Örhegye* nomen. Hunc ergo *Hungari*, quia parte altera, tuto ſubiri potuit, longis ordinibus circumeunt, quaſi caſtra metaturi, vexillis aliquot, ſubinde, eo loco defixis, vbi exercitus dislocari poſſe credebatur; relictis ſimul aliquot militum ordinibus, qui iſthic, caſtrorum muniendorum laborem ſimularent. Quod, dum diutius faciunt, conſerta longo ordine ſigna, Turcas, ne egredi quidem auſos, facile in eam opinionem adduxerunt, *Chriſtianorum* exercitum, pro vexillorum numero, ingentem adeſſe oportere, qui obſidionem arcis ſuſcipiat. Auxit eam opinionem, tympanorum & tibiarum, e longinquo ſonitus, qui haud dubium indicium facere videbatur maioris, vltra eum montem, exercitus. Erat in arce *Haſzany Aga*, cum quinquaginta præſidiariis. Is ergo, ſubito, vti rebatur, periculo inductus, neque monitus a noſtris, miſſo internuncio, de arcis deditione, cum noſtris agere occipit. Haud grauate noſtri conſentiunt, liberam hoſti demigrationem ſpondentes, ſi prius arce decederet, quam labor obſidionis inchoaretur. Lætus, tanto beneficio, *Haszany Aga*, cum quinquaginta præſidiariis, reculis, quam potuerat, plurimis, conuaſatis, ex arce decedit. Tunc noſtri, vacuam arcem ingreſſi, quod ſpe prædæ excidiſſent, dedititios hoſtes inſequuntur, & ad vicum *Csécſe* deprehenſos, ſpoliant, ac reluctari auſos, fide, quam eis dederant, turpiter poſthabita, concidunt. Peſſime ea res, *Murtuzanum Agam*, Hatvani præfectum, habuit. Itaque, vt & dolori ſuo litaret, & illatam genti ſuæ iniuriam,

Occupatur, a Carponenſibus, Kékköienſibus, & Gyarmathenſibus, *ſingulari ſtratagemate:*

qui præſidiarios, contra datam fidem, trucidant:

quomodo eam cladem Murtuzanus *vltus sit:*

pari perfidia, vlciſceretur, trimeſtri poſt, coadunato, trium millium, exercitu, in arcis conſpectum, ineunte Septembri, venit, & caſtra ad eum modum metatur, quaſi, ne diuturniorem quidem obſidionis laborem, detrectare vellet. Quo viſo, *Iohannes Berczely*, qui cum XLVII. commilitonibus arcem cuſtodiebat, ne hoſtis furorem temere irritaret, habito, cum ſuis, conſilio, caſtrum, nihil reluctatus, dedit, vitam ſibi & præſidiariis, atque liberum ad ſuos abitum, ſumma, vti credebat, fide, pactus. Vix autem arce exceſſerant noſtri, cum ab hoſtibus accepti, eodem, quo venerant, momento, ad vnum omnes, trucidarentur. Ea nece edita, *Murtuzanus* arcem quidem ſubiit, ſed exacta illic noctis vnius ſtatione, igni combuſſit, & male fœdatam, inanem reliquit. Atque, hic expeditionis illius euentus fuit. Ex ea clade, & cineribus, non amplius eluctari potuit *Bujákum:* credo, quod repulſo iam Turca, minutis iſtiusmodi præſidiis, nihil amplius opus fuit. Erat olim ditionis *Báthoreorum*, qui arcem, tamquam multarum opportunitatum ſeceſſum, non minus palatiis ornauerant, quam propugnaculis communiuerant; tametſi, & publicis regni operis, inſtauratam, & regiis præſidiis munitam, regni decreta (*m.*) loquantur. Iam in poteſtate eſt, familiæ Comitum *Eszterházíorum*. Secedit *Szétsénio*, duobus in orientem milliaribus.

ditio olim Báthoreorum *fuit, hodie* Eſzterházíorum.

IV. Ecsegh.

§. I.

Ecseghi *ſitus: rudera moli:*

ARx priſci operis, neque magna omnino mole, bis mille, a *Bujáko*, in ſeptentrionem, paſſibus, humiliori, quam pro more, petræ, an colli, impoſita. Rudera ſunt hodie, dumis increſcentibus, horrida. Qui ea ſcrutabantur, vt noſtræ huic commentationi prodeſſent, turrim rotundam, robuſtamque, medio arcis ambitu, notauerunt, cuius parietinæ, validum fuiſſe opus, ſatis teſtantur: quippe, ita ſolidæ, vt petram duritie æmulentur. Circa turrim, tamquam arcis caput, mœnia erant, vetuſtate iam pridem collapſa, neque, niſi æquata ſolo fundamenta, oſtentantia. Notabilior hodieque foſſa eſt, quæ mœnibus præcincta fuit. Adhuc enim alte depreſſa, indicium facit, eximiæ olim profunditatis exſtitiſſe. Nos, ex vniuerſa ea mole, argumentum cepimus, perfugio fuiſſe plebi, cum Tartari, aut Cumani, irruerent. Nam, ita pleræque montanarum arcium excitatæ fuerunt, concurſantibus, ad eiusmodi operas, qui circumfuſam regionem habitabant.

cui fini olim fuerit excitata.

§. II.

m.) Decret. Anni MDCLV. Art. III. vbi equites *quinquaginta*, & *centum ac quinquaginta* pedites, eius cuſtodiæ, deſtinari legas; cum & mille, ſi vſus tuliſſet, potuiſſet capere.

Digitized by Google

§. II.

VVlgus, *Leány Vára*, ſeu *Arcem Puellæ*, adpellat, nomini huic fabellam, an hiſtoriam, obtendens, oppido prodigioſam. Aiunt, puellam quandam, cui *Barbaræ* nomen, ſedem hic olim habuiſſe, tamquam ditionis dominam. quæ tantæ fuerit laſciuiæ, vt viris, qui ſibi placuerint, vel inuitis, copiam ſui faceret, atque, turpe illud miniſterium, ſubinde, iugo boum remuneraretur. Id ſi præſto haud eſſet, facultatem impertiuiſſe, ruſticanti cuicunque colono, promiſſos boues, vti ſeiungere, & ſuos facere poſſit. quam ob rem, *Eke Bontó Borbála*, id eſt, *aratrorum peſſundatrix, Barbara*, per dicterium vocitata fuerit. Negant rem aliquando geſtam fuiſſe alii, aut, ſi fuerit omnino, finibus ſuis exeſſe volunt, barbara fœditate conſceleratam feminam. Alii, longe interpretantur aliter. Scilicet dicterio illi, non laſciuia, ſed crudelitate, feminam, non cælibem, ſed viduam, locum feciſſe: quippe quæ, tributariis operis, tantopere adflixerit colonos ſuos, vt bobus denique priuati, iugalium ritu iumentorum, aratra ipſi trahere, cogerentur. Quidquid eius rei ſit, (*n.*) fuiſſe aliquod iſtiusmodi monſtrum; ſiue Syren fuerit; ſiue Thebanorum Sphynx, BONFINIVS teſtis eſt.

Vulgi, de arcis domina, narratio:

quam alii aliter interpretantur.

V. SAMSON VÁRA, ſeu FEJÉRKŐ.

§. I.

IGnota ſcriptoribus arx, cui *Samſon Vára* nomen, Hungaricæ quidem, ſed incertæ originis. Nam *Samſon Vára*, Hungaris, *Somſonis arcem* ſignificat, vt colligas inde, *Samſonem* quendam, Hungaricæ originis virum, conditam a ſe, ex ſuo nomine adpellauiſſe. Obſita vetuſtate rudera, & parietinæ obſoletæ, ſatis condocent, diu eſſe oportere, cum diiecta eſt. Situm habuit opportunum, & ad reiiciendum hoſtem perquam idoneum. Impoſita enim fuit, rotundo monti, quem, prominentium petrarum, ſuſpenſæ crepidines, inacceſſum fecerant. Turris hic quoque, media mole prominebat, quam mœnia claudebant, nullo ordine circumducta. Aedificiorum, aut nulla, aut tenuia certe veſtigia notari poterunt, adeo iam ſilueſcunt omnia.

Samſon Vára *incerta originis:*

rudera eius & opportunus ſitus.

§. II.

PRoſpicit meridianum ſolem, montibus ſiluoſis a tergo relictis, ex quibus, quaſi porrecto capite, iſte, cui moles inſederat, prominebat. Ob petrarum albedinem, quæ montis latera exaſpe-

Circumſidetur a montibus, ob petra al-

n.) Quid? ſi BARBARAM, Hermanni Cilienſis filiam, vxorem, SIGISMVNDI regis alteram, feminam, vltra omnem naturæ modum ſalacem, fuiſſe ſuſpiceris? de cuius indomita libidine, lege CVSPINIANVM in vita Sigismundi, quæ eſt in eius Cæſaribus; SILVIVM, item, DVBRAVIVM, & BALBINVM.

Sedinem Fejérkö dicta.

aſperant, alio nomine, *Fejérkő*, Hungari vocabant. Neutrum tamen nomen, vsquam nobis, in rerum Hungaricarum ſcriptoribus occurrit. Si ex vicino pago, arci quodammodo cognomini, *Samſonháza*, argumentum ſit capiendum, *Loſonczíorum* olim, & *Országiorum* fuiſſe, oportuit: quippe, quorum ſucceſſores, nunc eum vicum tenent. Alioquin, commoditas arci, non plane nulla fuit; niſi, quod puteo caruerit; cuius non exſtant veſtigia: tametſi cellariorum concamerationes, & ductus alii, in tanta ſolitudine, adhuc notari poſſint. Nobis ſuffecerit, arcem ab obliuione vindicauiſſe, iam pridem ſuis ruderibus ſepultam. Recedit *Szétsénio*, tribus, in orientem brumalem, milliaribus.

VI. Szanda.

Szandæ *praeclſm ſitus:*

arcis hiſtoria ignoratur: pertinuit olim ad dominos ipſorum:

Iam Schreteriorum eſt hæreditm.

SVppar priori caſtrum, ac forte, antiquius etiam, ſitu certe eminentius: quippe, ita poſitum, vt ſeptem circum Comitatus, ſudo cœlo, notari inde poſſint. Montis habitum ſupra deſcripſimus. Arcis iam hiſtoriam promere deberemus; ſed ita ſunt eius, ſiue natales, ſiue fata reliqua, obliterata, vt nihil nobis ad dicendum ſuppetat. Familiæ olim *ipſorum* fuiſſe, conſtat, cui *de Szanda*, nomen. In litteris, priſcæ ætatis, mentionem *Georgii de Szanda*, repertam accepimus; ſed an is arcis fuerit conditor, non eſt pronum adfirmare. Ea gente exſtincta, ad *Lónyaios*, credo ſucceſſionis quodam iure, peruenit, qui ditionem arci accenſam, duobus ſeculis, in poteſtate habuerunt. Hodie, hæredium eſt *Schreteriorum*. De arcis habitu, nihil dicere poſſis, cum ea ſit vaſtitate, vt præter turris, eleuatius quoddam rudus, nihil propemodum habeat reſidui. Amœnam tamen, & ſecuram habitatu fuiſſe, ex ſitu prælto, & ſiluis circumſitis, colligas. In vicino monte, foſſæ notantur, incertum, præmuniendæ, an oppugnandæ arci ductæ. Hactenus, arces fuere *Proceſſus Szétsénienſis*.

SECTIO II.

DE

Oppidis Proceſſus Szétsénienſis.

Szétsény *Oppidum.*

SYNOPSIS.

Szétsény *oppidi fata, cum arce coniuncta: erat olim fortiſſimorum militum contubernium.* §. I.

Munitiones oppidi quales? tecta eius vilia. exuritur flammis, anno 1719. §. II.

Agri laus, alibi expoſita: incolæ, ſolertes ruſtici; ſed vitiis incurioſi. §. III.

§. I.

§. I.

SZÉTSÉNY, vnicum oræ huius oppidum. cuius fata, quia cognata ſemper, iis fuerunt, quæ circa arcem memorauimus, non eſt, vt ea denuo recognoſcamus. Erat olim, dum Turcæ vicinjores eſſent, fortiſſimorum militum, quaſi contubernium quoddam. Nemo enim in oppidanorum numerum recipiebatur, niſi ſacramento ſe militari obſtringeret. Hinc, neque alii, ciuibus iſtis, magiſtratus fuere, quam caſtrenſes: vt *Capitaneus* quidem, prætoris; reliqui autem militum ductores, muneribus aliis, defungerentur. qui mos, hodieque obtinet, tametſi exoleuerit, priſca illa præſidiariorum respublica. Si res ita ferebat, vt, ſiue inuadendi, ſiue propulſandi erant hoſtes, nemini ab eiusmodi expeditione integrum erat abeſſe, niſi quos tutandi oppidi cauſſa, domi manere oportuit. Et accidit haud raro, vt in dies ſingulos, noua iis prælia, cum hoſte ineunda fuerint. Nunc enim *Turcæ* noſtros, nunc iterum noſtri *Turcas*, ad ſingularem pugnam, adſpectante, congredientium virtutem, vtrinque exercitu, prouocabant: cuius *Monomachias* ritum, (o.) alibi dedimus.

Szétsény oppidi fata, cum arce coniuncta: erat olim fortiſſimorum militum contubernium:

§. II.

OPpidi munimenta, muro partim lateritio, conſtabant, partim aggeribus. His, pro more, vallos, e roboribus cæſos, defigebant, præcincta toti moli fouea, quæ adſultum prohiberet. Relatum accepimus, cum aliquando oppidum præterueheremur, ea temeritate Turcas ſubinde fuiſſe, vt ſi depreſſiores alicubi aggeres, & vallos eliſos, aduerterent, ſubditis equo calcaribus, ſpectante multitudine, nihil dubitarint, in ipſum oppidum, impreſſionem facere: tametſi eius temeritatis, nunc eliſa ceruice, nunc demeſſo capite, pœnas luerint. Hodie munitiones illæ, ita ſunt deiectæ, vt, niſi qua murus adhuc eſt ſuperſtes, discinctum iam ſit oppidum. Intus, nihil propemodum ſolidi operis repereris, ædibus enim, quomodocunque materiatis, contenti olim fuere homines, caſtris adſueti. Neque iam aliter ſe tecta habent, niſi poſſeſſores ſint fortunæ lautioris. quorum tamen hic paucos numeraueris; cum plerique incolarum, aut opifices ſint, aut agricolatione viuentes. Anno MDCCXIX. coorto incendio, exuſtum meminimus. Flammis tunc, & *Cœnobium Franciſcanorum*, cum eccleſia, vaſti & elegantis operis, abſumtum fuit. quod tamen, *Comitis Stephani Kohary*, liberalitas, paullo poſt inſtaurauit; vt iam cladis illius, nulla ſuperſint veſtigia. At oppidanorum tecta, ægrius e cineribus emerſere, quod tempora inciderunt, ob nimiam annonæ vilitatem, agricolis difficilia.

Munitiones oppidi qualis?

tecta eius vilia:

exuritur flammis anno 1719.

o.) Operis Tomo II. in Hiſtoria *Comitatus Zolienſis*, ad *Carpona* deſcriptionem, §. VI. ſequ. p. 477.

§. III.

Agri laus alibi expoſita: incola ſolertes ruſtici: ſed vitiũ incurioſi.

AGrum, qui circumſedit, ſuo loco laudauimus. Colunt eum oppidani, egregia ſolertia, cum omnis eorum reditus, ruſticationis prouentu, abſoluatur. Olim, colles, vite conſitos habuit generoſiore, late porrectos, quorum radices pomariis erant inſeſſæ, exquiſitorum fructuum. Sed, eorum iam prorſus incurioſos videas incolas, turpi omnino deſidia, cum vniuerſa circum regio, vitem, belli viciſſitudinibus neglectam, ſummo ſtudio, neque minore fructu, refoueat. Peponum tamen cultu, ad vitium vsque, delectantur, quibus libero agro, multa ſæpe iugera conſerunt. Conualeſcunt ii, ad eximiam magnitudinem, & quod aprico ſole proueniunt, ſaporis ſunt egregii, & ſucci, quam alibi, ſuauioris. Cum Turcæ locum in poteſtate habebant, campum paſcuum, qua ab oppido, verſus *Ipolam* amnem, exporrigitur, foſſa profundiore circum munitum habebant, ne Hungarus miles, pecora facile abigeret. Huius veſtigia, hodieque exſtant, late procurrentia. Reliquæ opportunitates, ita ſe habent, vt vrbi, etiam copioſæ, ſuffecturæ credantur. Quod hæredium ſit *Comitum Forgách*, ad arcem memorauimus.

SECTIO III.

DE

Vicis Proceſſus Szétsénienſis.

REs poſcit, vt vicos regionis deſignemus, felicius hic iniquius poſitos, alibi. Ita vero eos peragrabimus, vt a SZÉTSÉNIO exorſi, in occidentem prius, poſtea per ſeptentrionalem prouinciæ oram, in orientem, digrediamur, per meridianam plagam, in orbem redituri.

1.) *Pőstény*, in ipſo oppidi conſpectu, *Ipola* adſidet, opportunus ad ruſticandum vicus, quem ideo, villis herorum inſeſſum videas. Ager tamen ſiliginis, quam tritici, ob ſabuloſam humum, patientior. Pons, amni inſtratus, incolis ſubinde damno eſt, propter itinera militum. Fructuoſior autem mola, *Ipola* impoſita. Eſt juris potiſſimum *Rádayani*.

2.) *Halászy*, priori, aduerſo amne, vicinus. modicus is quidem; ſed agro haud effœto. Mola frumentaria, riuo *Ménes*, inædificata, fœdus cum imbribus ineat, neceſſe eſt. Palus, quam *Ipola* propagat, piſcium diues eſt, atque in primis flutarum paluſtrium. Eſt ditionis *Rádayanæ*; ſed cuius *Daruaſii* quoque partem capiunt.

3.) *Ludány*, frequens omnino, ſed ab *Ipola*, pratorum interiectu, ſeiunctus. Recedit *Szétsénio*, bis mille, circiter, in aquilonem, paſſibus. Diſpeſcitur vicus in ſuperiorem, & inferiorem. Illum *Comites Zichy*,

Digitized by Google

Zichy, hunc perantiqua *Rádáyorum* familia poſſidet, inſigni prætorio conſpicuum, quod *Paullus Ráday*, vir, dum viueret, & priſci moris tenax, neque incurioſus elegantiæ, noſtra ætate excitauit. Ager circum fœcundus eſt, ac pinguis, ideoque, ſi annus reſpondeat, meſſes indolis ſiunt opimæ. Vineas olim habuiſſe perhibetur, collini ſitus, & meridiano, atque occiduo, ſoli, obiectas; ſed, quæ iam in rus frumentarium abiere. Pratis, *Ipolæ* eluiones, frequenter ſunt noxiæ. Subducto altius in ſeptentrionem ſitu,

4.) *Szakál*, Slauis *Szokolowce*, eleuatiori *Ipolæ* margini, inſedit, copioſus quidem, ſed anguſtiore agro, quam incolæ cuperent. Partem alteram, cum mola frumentaria, *Comites Forgách*, alteram *Szentiványi*, aliique, tenent. Amnis, monoxylorum beneficio hic traiicitur. Hinc,

5.) *Litke* eſt, pone *Ipolam*, ad ſiluarum radices, quibus *Fekete erdő*, ſeu *Nigrarum ſiluarum* nomen hæſit. Viculus mediocris, *Koháryanæ* ditioni adſcriptus. Incolæ, vitem nuper ponere cœperunt, amœno quidem colle; ſed qui aquilonem magis, quam orientem, ſeu meridiem, contuetur. Eadem valle,

6.) *Mihály-Gerege*, conſedit, peſtilentia ſuperiore, incolis exinanitus. Eſt hæreditolum gentis *Bene*, ſed *iure hypothecario*, *Szentiványiis* permiſſum. Inter loci incommoda, aquæ penuriam referunt.

7.) *Lipta-Gerege*, ſitu, cum

8.) *Egyházas-Gerege*, vel ſicuti antiqui ſcribebant, *Geregágye*, propemodum coadunato. Proxime abſunt a priori. quorum ille, ad *Motsários*; hic ad *Gyurkyos*, pertinet. Præter agros frumentarios, vitem quoque colere occipiunt incolæ.

9.) *Karánts-Keszy*, eiusdem vallis procurſu collocatus, vicinis multo copioſior. Nomen, a monte *Karánts* accepit, eſtque rure pingui, & non ſegetum modo, ſed vitis etiam, patiente. Accenſetur familiis *Motsáry*, *Bene*, & *Holecz*. Ad vicum, colliculus viſitur, modico tubere ſeſe adtollens, & foſſa, in vallis modum depreſſa, præcinctus. Hunc vulgus *Tatár Háza*, vocitat, quod *Tartari Domum*, ſignificat: forte, quia late vagantibus Tartaris, tugurium heic, dux aliquis Tartarorum, habuerit. Mola, quam torrenti adpoſuere, temporaria eſt; vt merito in eius aditu legantur verba: VERTE ROTAM, NE DORMIAT.

10.) *Ettes*, medio, a *Karánts-Keszy*, lapide, rure, neque anguſto, neque effœto. Adſcribitur ditioni *Kohárýanæ*.

11.) *Kis-Hartyán*, eius territorium montes habet petris inſeſſos, in quibus, priſci illi homines, antra excauarunt, ita facta, vt perfugio eſſe potuerint, aduersus vagabundi hoſtis, impreſſiones. In his, vnum repertum eſt, foribus & feneſtris, ad hypocauſti modum, inſtructum.

12.) *Soós-Hartyán*, eadem valle poſitus, neque diſcretus nimium. Agro clauduntur arctiore, quam res incolarum poſceret. Priorem

Vaji,

Vaji, hunc *Kohárii*, possident, ob habitatorum duritiem, culpatum. Habet puteum salsuginis eximiæ, medio vico depressum; qui & nomen ei communicauit, sed negligentius habitum.

13.) *Saág*, &

14.) *Saág-Ujfalu*, eidem, cum prioribus valli, inædificati, modicarum opum vterque. prior castello olim insignis, & ditionis, huc accensæ, caput. Rus eis obtigit fertile, at collini situs. Pertinet ad dominationem *Koháryanam.*

15.) *Szalmatercs*, situ eodem visitur, infrequens nimium viculus; sed agricolationi, atque ob siluarum glandiferarum commoditatem, saginandis porcis, commodus. Dedit natales, genti *Tertsiorum*, multis præclaris facinoribus inclutæ, sed quæ in sexu admodum femineo superstes est.

16. *Pilin*, priori suppar, *Vattaiorum* hærediolum. quorum nuper sedes fuit, villis egregie instructa, & *Szétsénio*, ad vnius milliaris interuallum, seiuncta. Olim, familiæ cognominis, ditio.

17. *Endrefalua*, a pristino flore multum remisit. Subest plurium dominationi, agrum nactus, cum primis fertilem.

18.) *Dolyány*, modico hinc interuallo, trans siluas abest, *Darnasianæ* gentis, sexus vtriusque hæredium. Villam dixeris, non vicum: quippe, quæ solius *Domini Terrestris* œconomiæ dicata sit. Ostendit rudera prætorii cuiusdam. Prope illud, in deuexo colle, vrnas effossas vidimus; quin ipsi nos effodimus, terra oppletas cinerea. quæ an Romani cultus vestigia, dici possint, quod volunt aliqui, non ausim adfirmare. Vltra villam, collis, in septentrionem adtollitur, fossis & aggeribus succinctus, vt credere fas sit, propugnaculum illic habuisse, priscos incolas. Intra eum collem, & villam, fons est, vbertim scaturiens, limpidissimus sane, & piscinæ, in quam defluus colligitur, maxime commodus. Secedit *Szétsénio*, in ortum brumalem, passibus circiter bis mille.

19. *Gécz*, &

20.) *Megyer*. lustra diceres, non vicos; ita sunt inter siluosos montes abditi. Prodigii simile est, quod in posteriori hoc, nostra ætate, accepimus euenisse. Mulierem iuuenem, & ex nuperis nuptiis, caram marito, saga surripuerat, tridui spatio, per aera (difficile creditu) raptatam. Ignorabatur, quo redacta esset mulier, & non maritum modo, eius insueta absentia; sed incolas etiam, ex æquo, omnes, vehementer reddidit sollicitos. Increbrescente interim rumore, vxorem viro, e thoro surreptam, prouinciæ magistratus, rem indagandam curauerunt. Reperta est femella, triduo post, *Szétsénii* intra puluinaria exsanguis, & emortuæ similis, apud veneficam, quæ facinus illud patrauerat. Dubitabant iudices, an ita se res haberet; verum, cum non *Proserpina* modo illa; sed venefica etiam, rem, vti gesta erat, edixissent, res fidem meruit, pœnis, sagæ, ex more, inflictis. Floruit olim fami-

familia *Megyeri*, pridem exſtincta, quæ hinc nomen accepit: & exſtant omnino rudera prætorii, ab ea habitati. Inde

21.) *Lóts* eſt, oppido *Szétsény*, propior. Exilis viculus, ſed agro præditus fertili. Bipartito, a Comitibus *Forgách*, & nobilibus *Szemere*, poſſidetur. Vallis, cui inſedit, paludoſa eſt, atque flutaram ferax.

22.) *Rimócz*, e montibus emergens, loco pingui conſedit, iamque, & vitem egregie colit. Iuris itidem bipartiti. Secedit *Szétsénio* in orientem, duobus millibus paſſuum. Vltra hunc,

23.) *Sipek*, intra montes occulitur, a vulgo nobilium cultus. quibus omnibus, *Balás*, nomen, haud quidem ſine omine. Nam *Hungari*, lentos homines, quales ſunt loci huius incolæ, haud ſine aculeo, *Balás* dicunt. Ager, pro ſitus ingenio, ruſticæ rei idoneus eſt.

24.) *Varsány*, in margine ſiluarum, quæ hic ineunt, & poſtea *Cſerhát*, dicuntur, opimo quidem loco; ſed, in regia via, importunius ſane, quam incolæ vellent, poſitus: demigrationes enim militum, opes incolarum, ſatis quidem ad rem adtentorum, nimiopere diminuunt.

25.) *Bokor*, medio fere, inter *Varsány* & *Bujákum*, itinere, nuper a *Slauis* coli cœptus: ſitu eſt intra montes retruſo, & qui, præter ſiluas, ac pinguia paſcua, vix quidquam opportunitatis habet. Vaſti hinc montes, in orientem procurrunt brumalem, vltra quos

26.) *Lucsin*, exilis vicus, idemque *Slauorum* colonia, occurrit, amœno, intra montoſas ſiluas poſitu. Colliculus mimirum eſt, modice editus, cui *Pogány-Vára* nomen, ad cuius radicem, viculus, cum diuerſorio adſedit: verticem contra, popina, *educillum* dicunt noſtri, occupauit. Idem hic collis, cum ab hoſte, arx vicina, *Fejérkő*, teneretur, excubiarum ſtatiua habuit. vnde, & Hungaricam adpellationem natam credunt, quæ *arcem* notat *paganorum*. Eſt iuris *Rádayani*.

27.) *Markháza*, conſimilis colonia, nuper, non tam deducta, quam ex fugitiuo *Slauorum* vulgo, corriuata. Opportunitas loci omnis, ſiluis abſoluitur, & paſcuis: nam agros frumentarios, cæſis ſiluis, ſubigant, neceſſe eſt. Familia de *Markháza*, quæ hinc prodiit, ante ſeculum exſtincta eſt.

28.) *Bárkány*, contiguus priori, ſed vicinitatis, quam deceret, iniquioris. quod odio gentis *Slauicæ* tribuas; nam hic quidem ab *Hungaris* habitatur. Eſt & *Kis-Bárkány*, prædium *Berenyanæ* gentis, vicinis colonis, annuo pretio, permiſſum.

29.) *Samſon-Háza*, arci *Fejérkő*, ſiue *Samſon-Vára*, ſubſitus: modicus is quidem, & a *Slauis*, rerum ſuarum egregie ſatagentibus, inſeſſus. Pertinet ad familiam *Szemerey*. Altius hinc,

30.) *Verebély* inſedit, ex ſe tenuis viculus, ſed religioſis pergrinationibus celebris. Fontem enim habet ſacrum, quem ad ictum ſoleæ equi S. STEPHANI, prorupiſſe memorant. Huic, egregii operis ædes ſacra, adpoſita eſt. Ceterum, peregrinationes, quas diximus, die

Adsvmtionis B. Virginis Mariae, feſto, quotannis, tanta vndiquaque celebritate inſtituuntur, quantam iſtis locis, vix credere poſſis. Adſidet, orientali amnis *Zagyvæ* ripæ.

31.) *Szőllős*, vicus, huius oræ facile copioſiſſimus, radicibus montium *Sátoros*, inædificatus, agro felici adeo, vt *Cereri*, & *Baccho*, quin & *Pomonæ*, ex æquo reſpondeat. Pertinet ad ditionem *Salgóienſem*, quæ eſt *Baroni Sluha*, nuper adtributa; admixto ſimul *Vattaianorum* iure. Quod montes adſiti, calcario lapide abundant, incolarum haud paucos, exurendæ calci, vacare videas. Abeſt ab oppido *Pásztó*, medio milliari ad occiduum ſolem.

32.) *Jobbágyi*, priori nihil deterior, occidentali *Zagyvæ* margini, adſidens, rure tamen bipartito. Nam, agros quidem frumentarios hinc; trans amnem vineas habet, per decliuia *Matræ*, conſitas. quæ vinum fundunt nobile, & menſis idoneum, etiam ſumtuoſioribus: vt hic quoque, *Cereri* cum *Baccho*, egregie conueniat.

33.) *Szántó*, eodem tractu, ſed in meridiem profundius demerſus, planitiem occupauit, rei frumentariæ maxime opportunam. Incertum autem, quo malo fato, in annos ſingulos, decreſcat. Annonæ vilitatem cauſſantur aliqui, cuius ſolius prouentu, colono heic viuendum ſit. Certe, nomen ab aratione accepit. Fuit olim, præclara nobilium de *Szántó* familia, ex qua, improlis *Osvaldus de Szántó*, anno MDLXXV. apud Neogradienſes, *Vice-Comitis* munere functus eſt: ſola iam *ſexus feminei linea*, ſuperſtes eſt.

34.) *Lőrinczy*, ſedet hic quoque in occidentali *Zagyvæ* ripa, laxe habitatus, & diffuſis longe lateque agris, egregie cultus. Vineas in radicibus *Matræ*, trans fluuium, poſitas habet; ſed quæ *Jobbagyenſibus*, nequeant æquiparari. Maxima vici calamitas ea eſt, quod in via regia, licentiæ commigrantis militis, expoſitus ſit.

35.) *Korompſaáp*, nuper inhabitari cœpit, colonias huc deducente, *Iohanne Podmaniczky*, vici domino. Disiungitur *Hatvanio*, milliari, habetque opportunitates, huic regioni familiares.

36.) *Heréd*, diffuſam planitiem occupauit, eamque, & ſementi commodam, & paſcuis lætam. quod vtrumque, in rem vertunt ſuam incolæ, frequentes illi, & operarum ruſticarum adſidui. Potior vici pars, *Podmaniczkyo* paret, qui ædem heic eduxit, opere ſolido, & habitatu commodam. Ager, ſiluarum parcior eſt, neque tamen vineis deſtituitur.

37.) *Kökényes*, ſitu, & agrorum bonitate, ſuppar priori. Domos hic obſeruauimus, *Troglodytarum* ritu, humi defoſſas, & iniecto ſtramine, negligenter tectas. quod ſiluarum inopia, faciunt incolæ. Adſcribitur iuribus *Podmaniczkii*, & aliorum.

38.) *Kálló*;

39. *Kürth*;

40. *Tártsa*, vici campeſtres fere, & limitanei *Peſtienſi* prouinciæ; agro fertili, & pinguibus paſcuis præditi. Alioquin, *Erdős-Tártsa*,

Tártſa, vulgo dici conſueuit, vt a *Peſtienſium* vico alio, cui *Sik-Tártſa* nomen, diſcriminetur. Eſt hæredium *Samuelis Mesko*, de *Felſökubin*, partim, partim, *Sigismundi Hangáſy*.

41.) *Hihalom*, adhuc campeſtris poſitus, tametſi a colle, cui adiacet, nomen mutuatus; *halom* enim, *collem* Hungari dicunt. Cum agro luxuriet, aquis tamen carere debet & ſiluis, quas apud vicinos, ſed precario, cædunt incolæ.

42.) *Palotás*, viciniſſimus priori, ſitus tamen opportunioris. Habet agrum, omnis generis ſegeti amicum. In primis gaudet peponum prouentu, qui mole non minus, quam eximia bonitate, ſeſe commendant: vt ideo, ad fora *Peſtienſia*, deuehi conſueuerint.

43.) *Gede*, vel quemadmodum priſci ſcribebant, *Kede*, tenuior quidem vicus; ſed qui ſolum nactus eſt fertile. quod vite, incolarum vitio, ſpreta, *Necotianæ* vbere prouentu, lætatur. Qui fumo herbæ delectantur, miris laudibus *Gedenſium* hanc efferunt.

44.) *Csécſe*, egregie collocatus, verum arctiore territorio: qua re fit, vt vicinorum prædiis, annuo pretio redemtis, inopiam illam cogantur leuare.

45.) *Etseg*, vaſtus omnino locus, quem ſparſi circum colles, iique, partim agris culti frumentariis, partim vite conſiti amœnum reddunt. Sunt, qui vinum huias, inter generoſiſſima totius *Comitatus* habent, rubella ea, & alba. Soli certe cælique ratio, nihil repugnat, quin vinum hic gigni poſſit, adprobatione digniſſimum. Accenſetur ditioni *Forgáchianæ*, & iuribus *Szemeriorum*. De arcis ruderibus, ſupra diximus.

46.) *Buják*, vallem inſedit, arci cognomini, ad orientem ſolem, ſubiectam. Gaudet vbere ſolo, atque in primis, vineatico prouentu. Certe, incolas earum operarum, ſtudioſiſſimos aduertimus. Vini laus eximia eſt, tum ob ſaporem, tum, quod cellariis depoſitum frigidioribus, plurium annorum ætatem ferat. Habet prætorium *Eſzterházianum*, & nonnullorum nobilium domicilia.

47.) *Bágyonka*, tenuioris ſortis, *Bujákino*, ad medium milliare, intra amœnos colles, reductus. Habitatur, præter agreſtes, a quibusdam nobilibus.

48.) *Dengelegh*, locus *curialis*, ac bene frequens, cui ad commoditatem, nihil a natura negatum. Eſt ditionis *Podmaniczkyanæ*, olim gentis *Dengelegh*. cuius patrem, *Caſparum Dengeleghi*, ſtrenuiſſimum militem fuiſſe, diploma loquitur.

49.) *Szirágh*, eadem valle, ſed altius ſubductus. Vicus, ſi quis alius, ad ruſticandum idoneus: ita, & agro pollet pingui, & collibus viniferis. Habet paludem in valle, obiecto aggere, reſtagnantem, eamque vico vicinam, cui molam adpoſitam vidimus; ſed parcius, & niſi pluuio cælo, molentem. Pertinet potiſſimum ad *Róthios*, de *Királyfalva*. Fuit olim vicus *Hoſpitalariorum* S. IOHANNIS *Hieroſolymitani*,

mitani ; ſed quem *Thomas Comes de Szent György*, ordinis eius, per Hungariam & Sclauoniam *Prior*, *Iohanni*, filio *Viti*, *de Mehora*, conſentiente fratrum concilio, anno MCCCCLIII. donauit.

50.) *Beér*, adhuc vallis eiusdem vicus, ſed montibus iam & ſiluis vicinior ; vnde & ab ea bonitate agri, qua vicini erant, deſciſcere videtur. Spectat ad ditionem *Bujákenſem.*

51.) *Terény*, modicus vicus, ob agri exilitatem. quæ facit, vt vicina prædia frequentare cogantur incolæ. Sedet eo itinere, quod *Hatvano*, *Szétsénium* ducit, duobus inde milliaribus repreſſus. Ditio *Zichiana* eſt, & *Baloghiana.*

52.) *Berczel*, lautior priori, ſiue agrum ſpectes, ſiue incolarum numerum. Adfine ei prædium, *Kis-Berczel*, ædibus *dominorum terreſtrium* nuper inſeſſum, opportunitates vici copioſiores antea faciebat. Subeſt *Venerab. Capitulo Váczienſi*, familiæ item *Berczeli* & *Egri.*

53.) *Szanda-Kér*, medio, inter duos iſtos, quos nominauimus, loco poſitus, & arci *Szanda*, cuius meminimus, ſubſitus. Siluis glandiferis cum primis gaudet ; ſed nec agro frumentario deſtituitur. Connexum habet prædium *Kis-Kér* ; quod vici, ex ſe tenuis, commoditatem egregie auget. Hæredium eſt *Schreteriorum.*

54.) *Kövesd*, adſitus *Berczelio*, cum quo ei perpetuæ propemodum inimicitiæ, ob agri anguſtioris fines ; alioquin, ſementem bene reddentis. Adſcriptus familiæ *Egri.*

55.) *Beczke*, prioribus multo frequentior ; ſed inter complures poſſeſſores diſpertitus.

56.) *Surány*, *Schreteriorum*, qui vici ſunt domini, ſedes, habitatu non minus amœna, quam agricolationi commoda. Intercepta palus, molam rotat, pro imbrium copia. Ager hic pinguior eſt, quam vt lætamine indigeat.

57.) *Herentsény*, eiusdem vallis pagus, haud longe ſemotus, idemque, quam pro numero colonorum, laxior. Habet enim ædes nullo ordine, ac late ſparſas. Pluribus dominis accenſetur, in quibus *Rádayorum* ſors facile præcipua eſt.

58.) *Iliny*, viculus, a nobili *Csykanyorum* gente inſeſſus, egregie iſthic ruſticantium.

59.) *Csitar*, priori exilior multo, *Koháryana* ditioni adſcriptus.

60.) *Marczal*, lautioris fortunæ, & qui familiæ *Marczaly*, originem dederat, dudum exſtinctæ. Subeſt iam *Bástiis*, *Szétsénio*, in meridiem, milliari reiectus. Agrum habet ſementi opportunum, neque inimicum viti.

61.) *Haláp*, nulla re magis, quam exilitate ſua, memorandus.

62.) *Tráſt*, Ipolæ adpoſitus, & vbere ſolo præditus, ſed incolarum numero tenuis. Eſt ditionis *Forgáchiana.*

63.) *Hugyach*, aduerſo amne, *Traſſo* vicinus, a gente inſeſſus pigerrima, quæ agrum nacta, oppido commodum, ægerrime tamen vitam tolerat. *Iſti*, Proceſſus Szétsénienſis, *vici fuere.*

MEM-

Digitized by Google

MEMBRVM IV.

DE

Proceſſu Kékkõienſi.

Eſtat, vt vltimum *Prouinciæ Neogradienſis Proceſſum*, deſignemus. *Kékkõienſem* dixere veteres, ab arce ita cognominatum. Longius is protenditur, quam latius: a fronte enim montium *Oſztroska*, per limites Comitatus *Nagy-Hontenſis*, in inſulam vsque Tótfaluſienſem, quam Danubius, infra arcem *Viſſegrád*, molitur, perpetuo tramite, decurrit. Qua *Ipola* amne interluitur, arctiſſime coit. Quod vltra eſt, laxius diffunditur. Vtrinque, vici ſunt copioſi; ſed trans *Ipolam* benignius poſiti. Nunc ad loca ſingula, hoc eſt, arces, oppida & vicos, accedamus.

SECTIO I.

DE

Arcibus Proceſſus Kékköienſis.

SYNOPSIS.

I. KÉKKŐ.

Arcis nomen & ſitus. §. I.

Eiusdem origines & fata, ex marmore recitantur. §. II.

A Bohemis *inſeſſa, nomen gentile accepit.* §. III.

Turcis innaleſcentibus, publicis regni operis munitur: inauſpicatus Iohannis Balaſſæ *dolus.* §. IV.

Turcæ irritati, arcem obſident: præſidiarii vacuam relinquunt. §. V.

Turcæ *captam arcem, præſidio firmant: quæ a noſtris recipitur: recentiora arcis fata.* §. VI.

Inſtauratur a Sigismvndo Balassa: *exuritur a* Rácoczianis: *eius habitus hodiernus.* §. VII.

II. BALASSA-GYARMATH.

GYARMATHI *poſitus: arx* Balaſſiorum *gentilitia.* §. I.

A Turcis *tentatur ſæpius: deſerta capitur, exuriturque: inſtauratur poſtliminio.* §. II.

Munitur publicis operis: heorum diſſidiis infelix. §. III.

Pace, cum Turcis *redintegrata, inclaruit.* §. IV.

Hoſtium, aduerſus Gyarmathum, *odia: exuritur ſupditus: denuoque readificatur.* §. V.

Singularis Gyarmathenſium *virtus:* Turcas *obſidentes fortiter reiiciunt: feminarum præclarum facinus:* Turcarum *clades.* §. VI.

Noua Balaſſiorum *lites, arci noxia.* §. VII.

III. NÓGRÁD.

Arcis NÓGRÁD *origo: ſitus, ab* ISTVÁNFFIO *deſcriptus: eius aberratio.* §. I.

Hodierna NÓGRÁDI *facies.* §. II.

Eius conuerſiones, ſub IOHANNE, *&* FERDINANDO: *venit in* Turcarum *poteſtatem.* §. III.

Recuperatur a MATTHIA *Archiduce: traditur* Botskajo: *reſtituitur Cæſari, pace gemina: occupatur a* Bethlenio, *atque iterum redditur: tentatur a* Turcis, *conatu irrito.* §. IV.

Fata arcis reliqua: præſidiariorum occupatio: abacta præda. §. V.

Obſidetur a Turcis: *quibus accedit* ABBAFFY: *eius artes.* §. VI.

NÓGRÁDI, *ad iuuandos hoſtes, opportunitas: eius ſitus, a* Lotharingo *exploratur: cæleſti igne tactum, diſiicitur.* §. VII.

IV. KÁMOR.

Arcis KÁMOR *rudus.*

I. KÉKKÖ.

§. I.

Arcis nomen & ſitus.

ARcem KÉKKÖ, a petræ, quam occupat, colore, dixerunt primi eius conditores. Enim vero, vox Hungarica, *ſaxum* notat *cæruleum.* Vnde ſimul patet, cur a Slauis (*a.*) *Modry Kamen*, a Germanis *Plauen-Stein*, vel craſſiore dialecto, *Ploben-Stan*, adpelletur. Nimirum, id coloris, petræ habitus præ ſe ferre videtur; tametſi obſcurius hodie, quam id forte olim poterat obſeruari. Inſedit fronti montium *Oſtroska*, in meridiem proſpicientium; qui huc, iugis propemodum perpetuis, a *Zolienſium* cofinio deducti, triſulco cacumine exeunt. *Baſz* vni, qui orientali arcis parte conſedit, nomen eſt. Olim, præſidiariorum excubiæ, ſi res trepida erat, iſthic dislocabantur. Enim vero, præter eximiam altitudinem, caluitiem habet, orienti, meridianoque ſoli, oppoſitam, vt regio late hinc obſeruari poſſit. Vicinus huic, *Judas* dicitur, celſus & ipſe, atque priori plane ſuppar, a Turcarum inſidiis, proditorum malignitate, in præſidiariorum necem, ſubinde inſtructis, id nominis ſortitus. Tertium *Pap-Hegye*, id eſt, *Montem Sacerdotis*, vocant, eo, quod ſacerdos quidam, ſponſione prouocatus, curſu eum concitatiore, ſine quietis interuallo, conſcenderit aliquando; tametſi ab imis radicibus, ad bis mille paſſus adtollatur. Atque, ad

a.) Corrupte ergo vulgus, *Modry kamen*, hoc eſt, *ſapiens ſaxum*, vocitare ſueuit.

ad huius montis pedem, rupes, arduo positu, surrigitur, præruptis crepidinum articulis, interstincta. Eius vertice, arx consedit, olim, non minus operibus, quam natura, eximie communita.

§. II.

Eiusdem origines, ex marmore recitantur.

MArmor, portæ interiori, inædificatum, molis origines docet, & fata reliqua. Id vero ita habet: ANNO DOMINI, MCCXXXVII. SVM ARX KÉKKÖ, AB INCLYTA DOMO (*b.*) BALASSA, FVNDATA, ET CONTINVE POSSIDEBAR. ANNO MDLXXVI. IN POTESTATEM PERVENI TVRCICAM. ANNO MDXCIII. A TVRCIS PVLVERE DISIECTA, AC DERELICTA. DOMINI IMPERATORIS ROMANORVM AC REGIS HVNGARIAE, RVDOLPHI II. PRAEFECTORVM INCVRIA, AD EXTREMAM DEVENI RVINAM. ANNO MDCIX. A SERENISSIMO REGE HVNGARIAE, MATTHIA II. HAEREDITARIIS MEIS REDDITA DOMINIS, INDVSTRIA SPECTABILIS AC MAGNIFICI DOMINI, SIGISMVNDI BALASSA, MVRIS AC PROPVGNACVLIS, E FVNDAMENTO AMPLIATA, HABITATIONIBVS EXORNATA, IN HVNC, IN QVO ANTE FVI, PERVENI, STATVM. AB EADEM ILLVSTRI FAMILIA, VT AEVO DVRANTE, FELICITER POSSIDEAR, FAXIT DEVS TER OPT. MAX. CVI LAVS ET GLORIA: ANNO MDCXII. Hactenus marmor: laudabili sane compendio, arcis, ad eam vsque ætatem, historiam exhibens. Nos ei, ex annalibus, fidem faciamus. Scilicet, anteceſſere arcis natales, funestissimam illam Hungariæ vniuersæ cladem, a Tartaris, sub BELA IV. anno MCCXL. & qui sequuti sunt, editam: vt fas sit coniicere, perfugio fuisse, depulsæ, ex campestri Hungaria, multitudini. Quæ res, nostra quidem sententia, omine haud caruit, quod nouellam molem, bellum, oppido atrox, & nostræ genti propemodum exitiale, tam subito exceperit. Sane, prænotatum eo est, quæ fata, pluribus postea seculis, arcem sint consequutura. Interim, bello isthoc tartarico, increuisse eam, pronum est existimare, operas, in tanta trepidatione, præstantibus his, qui huc confugerant: id quod, alibi etiam factum esse, in arcium, quæ sunt montani situs, historia, sæpe memorauimus.

§. III.

b.) Vetustissimum quoddam, *Cathedralis Ecclesiæ Waradiensis*, monumentum iam tum ætate ANDREAE Hierosolymitani, mentionem habet, *Bolosa*, *Comitis de Naugrad.* Id quod, ad fulciendam marmoris fidem, docendamque, gentis illustris antiquitatem, pertinet.

Digitized by Google

§. III.

A Bohemis *infeſſa, nomen gentile accepit.*

Sllet inde marmor, *Kékkőienſia* fata, neque nos habemus, quod addamus, præter belli Bohemici conuerſiones, pertinacibus *Eliſabethæ* ſtudiis, at magno regionis malo, procuratas. Tunc enim, inſeſſam ab iis fuiſſe arcem, ex Bohemico eius nomine, colligas. quam Hungarorum imitatione, *Modry kamen*, vocauerunt. Certe, adpellatio illa, a *Slauis*, oræ huius incolis, indita haud eſt: quippe, qui, ſua dialecto, *Svetly*, aut *Bélaſy kamen* dicturi eam fuiſſent; nam ita *cæruleum colorem*, a quo arcis vocabulum manauit, noſtri nominant, vix intelligentes, quid ſibi *Modry* velit: quod ideo, cum *Mudry*, id eſt, *ſapiens*, inepte confundunt. Accedit, mira loci, ad incurſandam late regionem, opportunitas, quam *Giskra*, nocentiſſimæ gentis, dux haud imbellis, conſectabatur: his potiſſimum locis, vbi, de vrbium montanarum poſſeſſione, ſubinde dimicatum fuit. Poſtea, depulſis Bohemis, & *Giskra*, in fidem accepto, ad dominos ſuos, arcis rediiſſe poſſeſſionem, non eſt, cur ambigamus. Fuit enim, ea Matthiae conſuetudo; vt, ex reportatis de hoſte victoriis, nihil ſibi, præter gloriam rei fortiter geſtæ, reſeruaret; recuperatas contra arces, oppida & vicos, auitis poſſeſſoribus, poſtliminio munificentiſſimeque, adſereret.

§. IV.

Turcis inualeſcentibus, publicis regni operis, munitur:

INualeſcente Turcorum tyrannide, & vicinis arcibus, quas memorauimus, ſub iugum miſſis, *Kékkőienſis* hæc, pro eo, ac debuit, & operibus (*c.*), & impoſito præſidio, ſubinde muniebatur: maxime, quod *Iohannes Balaſſa*, cum primoribus aliis, circulatoria *Georgii Botskaii*, aſtutia, a Cæſare factus alienior, ſuſpicioni rerum nouarum locum fecerat. Alioquin, iisdem (*d.*) ſanctionibus, quæ arces, publicis regni operis, inſtaurandas decernebant, *Kékkőnem* etiam contineri legas. Verum, erat hoc in fatis eius, vt a Turcis, ſuæ ditioni tunc adiiceretur, cum erat ab armis ceſſatio. Cauſſam eius calamitatis, *Iohannes Balaſſa*, conflauit, dolo, quem in Turcas procuderat, in ſuum ipſius caput, recidente. *In ea*, inquit, Istevánffivs (*e.*) *parte regni, quæ ad vrbes montanas vergit*, Iohannes Balaſſius, *arcem habebat* Kékkőnem, *Germanis* Plobenstaniam *dictam, in qua, relictis Zolio, Dobraniua, aliisque locis, iam pridem habitabat, in eaque aliquot Turcas, non obſcuri nominis, captiuos ſeruabat. Erat ei curator*, Benedictus Pintér, *quem, tamquam in rationibus accepti & expenſi, ſibi haud contemnendam pecuniam debentem, ficto crimine, compedibus vinciri, ac in eundem carcerem, quo Turcæ claudebantur, reputua, nec ſatis felici, vt poſtea adparuit, nequitia, condi iuſſit. Ibi multa* Pinterivs, *de* Balassae *crudelitate, ac tam inſigni iniuria ſibi illata, apud conſeruos Turcas, queſtus, poſtremo cum eis paciſcitur, vt aliquem ex eis, ſpecie redimendi capitis, promiſſo vadimonio,*

inauſpicatus, Iohannis Balaſſæ, *dolus.*

e.) Vide, Anni MDLV. Artic. XL.
d.) Conf. Ann. MDLXVI. Artic. XVII. & reliquos, ad arcem Szécsény notatos.
e.) Lib. XXV. p. 545. 546.

Digitized by Google

nio, dimitterent, ac cum Muſtapha, purpurato Budenſi, clam agerent, ad certum diem milites expediret, a quibus, per funem ſurſum perducti, (locum patrandæ rei opportunum eis oſtendit) capto, aut interfecto BALASSIO, *arx facili labore in poteſtatem redigeretur. Gnara ea* BALASSIO *erant, indicante ei omnia conſilia* PINTÉRIO; *quum commeantibus frequenter Turcis, dies mutuo aſſenſu conſtituitur, ad quem deſtinata perficiantur. Ad eumdem diem, Turcæ pedites, e Filoko, Nógrádo, Budaque, ſummo ſilentio, aduenere.* PINTÉRIVS *funem demittit, & quatuor aut quinque illorum, in arcem pertrahit, iique in veſtigio vinciuntur. Sed ceteri, qui ſub rupe proxima occultabantur, fraudem & dolum ſubodorati, quod a ſociis nullum ſignum, de quo erat conditum, ex arce redderetur, magno ſublato clamore, conuitiisque & vituperiis, in* BALASSIVM, *&* PINTÉRIVM *iactis, indignantes diſceſſere.* Ita ISTVÁNFFIVS.

§. V.

HAec a *Balaſſio*, geſta tunc fuere, nullo facto operæ pretio, quam, quod *Muſtapham* purpuratum, ad vlciſcendum dolum, contemerandis induciis, male excogitatum, irritauerit Is namque, exercitu, magna feſtinatione coacto, *Kékkőnem*, duce *Alibego Albenſi*, obſidione cingit. Ea non exſpectata *Balaſſius*, arci, *Emericum Temeſi*, præficit, ipſe, copias auxiliares conquiſiturus, vt laborantibus præſidiariis ſuccurreret, atque, vti fore confidebat, cæſis hoſtibus, egregii facinoris laudem, ex eo prælio, reportaret, mature exceſſit. Res tamen iniquius, quam *Balaſſius* ſperabat, cecidit. *Alibegus* enim, ſitum arcis contemplatus, quatuor colubrinis eam verberare incepit: contra, *Emericus*, & eius ſocii, magna virium contentione tueri; ſed, quia ſimplici debilique muro incincta fuit, tormentorum ictus ferre diu haud potuit; quin ea parte, quæ ruinæ erat opportunior, hiatum faceret. *Balaſſius* interea, auxiliis, a CAROLO principe, quibus *Simon Forgách*, cis Danubianæ militiæ, nobilitatisque dux, præerat, impetratis, ad *Vigleſium* conſedit; ſed a *Forgáchio* obtinere haud potuit, vt aucto iam ad decem millia exercitu, obſeſſis opem ferret. Proinde, quum & præſidiarii, inſultibus Turcarum fatigati, de ſeruanda arce deſperarent; neque *Forgáchius*, ſiue periculi magnitudine, ſiue precibus *Balaſſii*, flecti ſe pateretur, *Emericus*, arce hoſti relicta, per inuios calles, *Divinum* euaſit; vbi poſtea, adſpectantibus noſtris, ſicuti ad eam arcem retulimus, vna cum præſidiariis, interemtus a Turcis eſt. Et *Balaſſiani* quidem facinoris, pœna tunc iſta fuit, magno, cum *montanarum vrbium* malo coniuncta: quod nulla amplius arx, ea parte ſuperfuerit, quæ impreſſiones hoſtium, in has valles, retardare potuiſſet.

Turcæ irritati, arcem obſident:

præſidarii vacuam relinquunt.

§. VI.

ISta, anno, ſupra *milleſimum quingenteſimum, ſeptuageſimo ſexto*, frendente *Balaſſio*, euenere. Turcæ inde arcem, ad eum modum captam, & quomodocunque redintegratam, præſidio, pro

Turcæ, captam arcem, præſidio firmant:

loci indole, acri, & ad excurſandum expedito, communiunt, magnis poſtea cladibus, circumiectam regionem, euaſtaturi. In primis, frequentia eis, cum *Zolienſibus*, *Carponenſibus*, & *Bozokienſibus*, prælia fuiſſe, accepimus; dum pro eorum temporum ingenio, factis vtrinque in hoſticum impreſſionibus, aut forte fortuna concurrerent, aut mutuo prouocati, congrederentur. Tenuerunt *Kékkóum* hoſtes, tribus propemodum luſtris, tunc depulſi, cum *Filekinum* expugnatum a noſtris eſt. quod anno MDCIII. menſe Nouembre eueniſſe, memorauimus; Ea de re ISTVÁNFFIVS (*f.*) *Cum*, inquit, *hoſtes, ad varia loca, in quibus ſtipendia merebant, diſperſi*, FILEKVM, *tanti nominis præſidium amiſſum, copias auxiliares fuſas fugatasque, caſtra capta & direpta, ſociis & commilitonibus, trepidi retuliſſent, tantus repente Turcas terror occupauit, vt nulla facta mora, complures arces, commeatu, rebusque omnibus refertas, nec ſpernenda munitionis*, PLABENSTAINIAM, & DIVINVM, *Balaſſianæ ditionis, &c. vacuas, & noſtris occupandas, relinquerent, ſeque, cum coniugibus & liberis, ad tutiora loca conferre maturarent.* Ita ISTVÁNFFIVS. Sed marmoris inſcriptio, quam ſupra recitauimus, puluere pyrio, ante disiectam a Turcis memorat, quam deſereretur. Scilicet, pro more gentis, ne quid intemerati poſt ſe relinqueret. Qualis vero ea clades fuerit, quam marmor, præfectorum RVDOLPHI incuria, arci illatam, loquitur, in annalibus non reperio; quinimo, anni MDCIV. decretum, (*g.*) inſtaurandam, *Comitatui Aruenſi* iniungit; niſi credamus, incendium forte fuiſſe, quod arcem penitus deleuerit. Certe, quod redditam dominis ſuis, a MATTHIA, ad annum MDCIX. eadem inſcriptio dicit, ereptam iis fuiſſe, oportuit; ſiue id, *Botskaiani* tumultus iniuria; ſiue aliorum, quod in Hungaria ſæpiſſime euenit, (*h.*) maleficio factum fuerit. Quidquid eius ſit, equidem, Germanico exoneratam præſidio, crediderim, quemadmodum id anni MDCVIII. decreto (*i.*) ſancitum legas: *milites autem Germanos, & alios externos, tam ex ipſa arce, quam ciuitate Varasdienſi, nec non etiam ex Murán, Divén, Köszeg, Léva, & Liptſche, aliisque locis, cum non ſint confinia regni, quam primum* (ſua Maieſtas) *educi faciat.* Colligas hinc, tametſi non legatur *Kékői* mentio, eiusdem tamen, cum *Divén*, ſortis tunc fuiſſe, hoc eſt, a milite Germano infeſtum. Pace *Sitva-Torokenſi*, quæ anno MDCVI. die S. *Martino* feſto, (*k.*) coaluit, a iugo Turcico, vna cum ditione, quæ ei paruit, vniuerſa, eliberatam reperio: *De villis*, inquit, *deditiis, transactum eſt, vt illa, quæ cum arcibus Filek, Somoskő, Hajnátskő, Divin*, KÉKKŐ, *Zéchén, Gyarmath, Palánka, Nógrád & Váczia, a iugo Turcico liberata ſunt, illa, nec in poſterum illis ſint dedititia.*

qua a noſtris recipitur:

recentiora arcis fata.

§. VII.

f) Lib. XVII. extremo.
g.) Artic VIII.
h.) Lege *Pacificat. Viennenſis*, Artic. XII. §. 16.
i.) Artic. XII.
k.) Conditione V.

Digitized by Google

Digitized by Google

TABV

DETRICVS I. quem alii DETERICVM, nonn ariæ,

Pror

Miko I. Comes de Zólyom. Pet ro

Michael. I. qui ſuo quodam fato, 12. Arcium dominatu, & Poſſeſſione excidit. Nicolavs II. Iohannes I. Miko

Michael II. Iohann

Blasivs Magnus, hic, dum inter cete o III. Gyarmath, ſibi vnice charum iure pate oppidum a ſe Balassa-Gyarmath, po tarii nominibus, denominari præcepit

Nicolavs V. Balaſſa de Gyarmath, Co

Georgivs IV. Stephanvs I. Clemens. Michael III. Sigism

Franciscvs I. *Balaſſa a Gyarmath*, Banus Zeuerienſis, ſub *Uladislao* riæ occubuit in prælio *Mohacſienſi*, anno 1526. 1. Coni. *M* ror *Ladislai Ficſor*, Bani Zeuerienſis, & *Matthiæ Parui de Csécſe*, Co uienſis, relicta vidua. 2. Coni. *Eliſabetha*. 3. Coni. *Urſu'a d*

Quatuor Filii, Wolfgangvs II. Franciscvs II. Balthasar I. & Sigismvndvs II. omnes ex tertio coniugio, ſine hæredibus decedunt.

3. Melchior I. *Balaſſa a Gyarmath*, ſub Ferdinando I. Imperatore militari præfectura functus, acquiſitor multorum bonorum ex liberalitate Imper.

3. Ioh mitatu Comes Monta fectus.

Balthasar II.

Stephanvs II. 1. Conſ. *Anna* Cſorom. 2. Conſ. N. filia *Stephani Bebek*, Franciſci Vojvodæ Tranſiluaniæ ſoror. 3. *Helena*, Com. a Zrinio cognata.

Valentinvs I. ſub obſidione ad Strigonium per vtramque femur traiectus. Conſ. *Chriſtina Dobó*, filia *Stephani Dobó*, *de Ruſzka*.

Franciscv pugnando tra Tartar gita per trem trai cœlebs †.

3. Melchior II. perpetuus in Detrekö.

3. Margareta Bakits.

Emericv *Iuditha*

Franciscvs V. moritur Viennæ, nullis hæredibus relictis.

Petrvs III. fato ſuo fungitur. *Viennæ*, improlis.

Iohannes VII. moritur Vratislauiæ, ſtudiorum cauſſa illic moratus, anno 1601. d. 16. Decemb.

Emerigv us miles ſtus, pro rerum n dium.

Simon I.

Sigismvndvs IV. Conſors *Chriſtina Lengyel*.

Andreas III.

Christophor *Formoſus* m tur in ado ſcentia.

I. Epi- Rozo- æpoſi- dienſis, aconus enſis, S. eq; Ma- Conſili- Archie- Strigo- Vicari- Auditor lis.

. Naſci- ius lo- , & Ca- eliciter!

Digitized by Google

§. VII.

HIs defunctum fatis, KÉKKŐUM, nouum a *Sigismundo Balassa*, & robur accepit, & ornamenta. præterquam enim, quod ſubſtructis, a fundamento, propugnaculis, munitiorem reddidit; palatiis certe, pro habitu molis, laxis & habitatu commodis, inſtruxit, petramque, cui arx impoſita eſt, actis, quam profundiſſime, cuniculis, excauauit, vt, ſi obſidio ingrueret, & miles tuto illis accipi, & commeatus condi poſſint. Seditionibus, quæ illam ætatem conſequutæ ſunt, ciuilibus, ab hoſte occupatam, accepimus, ſiue id vi, ſiue, quod procliuius creditu eſt, deditione factum fuerit. Manſit tamen intemerata arcis ſubſtructio, ad nuperum vsque tumultum *Rákóczianum*. quo nefarius quidam *Kókay*, ſubiecto tectis igne, vniuerſam molem exuſſit. Neque adhuc ex iis cineribus adſurrexit; præter ſeptentrionalem, eamque arctam omnino ædificii partem, quam *Gabrielis Balaſſæ* vidua, vt ſedem illic haberet, inſtaurandam curauit. Iſta de *Arce Kékkő* dicere habuimus.

Inſtauratur a Sigismundo Balaſſa:

exuritur a Rákóczianis: eius habitus hodiernus.

II. BALASSA-GYARMATH.

§. I.

GYARMATH munimentum fuit, ſitu, quam quæ hucusque vidimus, longe diuerſiſſimo. Cum enim arces recenſitæ omnes, aut montes occupauerint, aut colles, ſitus editioris; hæc vna in planitie, ad *Ipola* latus orientale, conſedit. Dedit nomen, bellicoſiſſimæ (*l.*) *Balaſſiorum* ſtirpi, aut certe, ab ea id accepit. quæ olim heic late dominata, præclara virtutum bellicarum laude emicuit; eo vnico infelix, quod, cum foris hoſtem, multo impenſo ſanguine, fortiter propulſarit, domi litibus, ſe ipſam, magno poſterorum malo, exagitauerit. quod equidem perpetuis belli ſtudiis, quibus diſtinebatur, adſcripſerim. Alioquin, poſtquam oram hanc vniuerſam, *Turca* occupauiſſet, *Balaſſii* fuerunt, qui trium arcium, *Divin*, *Kékkő* & *Gyarmath*, obiectu, hoſtem a *montanarum ciuitatum* occupatione, conſtanter arcebant. Hinc, perpetua ipſis fere, *Capitaneorum montanarum vrbium*, iis temporibus, dignitas fuit.

Gyarmathi poſitus:

§. II.

NOn poterant autem, vicini Turcæ, hanc *Balaſſiorum* virtutem, æquo animo ferre. Itaque, quoties ſe dedebat occaſio, infeſtis

A Turcis tentatur ſæpius:

R 2

l.) Exſtat, in tabulario Archiepiſcopi Strigonienſis, LADISLAI Cumani diploma, quo GYARMATH, & aliæ poſſeſſiones *Petri Comitis*, iuxta fluuium Ipoly, *Magiſtro Demetrio*, & ſucceſſoribus, conferuntur, anno MCCXC. quod, an ad inclutam *Balaſſiorum* gentem pertineat, non habeo dicere. Adiunctæ ſunt eidem diplomati, litteræ *Conuentus S. Benedicti de iuxta Gron, metales poſſeſſionū* GYARMATH.

festis armis, cum ditiones eorum reliquas, tum arces potissimum, incursabant. In primis, calamitosus annus MDLII. Gyarmatho exstitit. Deditis enim, aut imbelli metu desertis, reliquis oræ huius arcibus, *Gyarmathum* quoque, in hostium potestatem concessit, rapinis atque incendio, male postea mulctatum. *Gyarmathum*, inquit ISTVÁNFIVS, (*m.*) *Balassiana familiæ domicilium, perterritis iis, qui in præsidio erant, ac diffugientibus, primo direptum a Turcis, ac postea subiectis ignibus concrematum, funditus conflagrauit.* Illud, in isto hostium maleficio, tamquam beneficium interpretati sunt *Balassii*, quod exustam arcem, nullo præsidio, nullisque operibus, communiuerunt: nam id quidem occasionem heris præbuit, vt locum vallis defixis, & instauratis foueis aggeribusque, denuo incingerent, militibus simul impositis, qui defensarent, cum arcem, tum oram, *montanis vrbibus*, confinem.

deserta capitur exuriturque:

instauratur postliminio.

§. III.

VTabatur se, & regionem adiectam, isto habitu, *Gyarmathum*, ad ea vsque tempora, dum *Nicolai Pálffii* virtute, post captum *Filekum*, tota ista regio, hostibus exinaniretur. Seculo postea XVII. ineunte, ea fuit prouidentia MATTHIAS *Archidux*, vt arcem, nouis operibus iusserit præmuniendam. qui labor, publicis regni decretis, (*n.*) vicinis prouinciis subinde iniunctus est. Tunc vero, & foueæ depressæ sunt profundius, & aggeres ducti altius, portis, lateritio opere, pro loci opportunitate constitutis. Sub idem tempus, fraterna gentis odia, inter *Balassios*, nouis accelerata iniuriis, recrudescebant. Namque, *Sigismundus Balassa*, vir bellicosus, & iusto ferocior, vterinum fratrem, cum matertera, vinculis constrinxerat, credo, priuatas iniurias, violentiæ isto genere, vlturus. GEORGIVS ZÁWODSKY (*o.*) ad annum MDCV. mensem Decembrem, ita rem memorat: SIGISMVNDVS BALASSA, *ex conuentu Carponensi reuersus, quem illic* BOTSKAY *agitauerat, fratrem vterinum,* EMERICVM BALASSA, *nec non* MAGNIFICAM DOMINAM SOPHIAM MEREY, *relictam quondam Magnifici Domini* MICHAËLIS CZOBOR, *materteram suam, vindictæ caussa, in arce* BÉSZTERCZE, *captiuauit, resque & bona illorum, partim pro se occupauit, partim in prædam conuertit.* Proinde, in ea pace, quæ inter Cæsarem RVDOLPHVM, & *Botskaium*, anno MDCVI. coiuit, id quoque cautum legas, (*p.*) vt idem *Sigismundus Balassa*, cum fratrem, tum materteram, liberos, non dimitteret tantum, verum indemnes etiam haberet. Sed, dissidio *Bethleniano*, insignis (*q.*) perfidiæ documentum *Gyarmathenses* exhi-

Munitur publicis operis:

horum dissidiis infelix.

m.) Lib. XVIII. p. 332.

n.) Lege omnino, Decretum anni MDCII. Art. XIV. Anni MDCVIII. Art. XV. Anni MDCXIII. Artic. VIII. Anni MDCXVIII. Artic. XLIX. Anni MDCXXII. Art. XXXVI. Anni MDCXXXV. Art. XCII.

o.) In Diario Rerum Memorabilium MSC.

p.) Art. XII. 16. quod & ita euenit. Iterum ZAWODSKY: *Eodem anno MDCVI. mense Augusto* Magnif. D. Emericus Balassa, & Dna. Sophia Mérey, *ex captiuitate Besztertzensi sunt dimissi.* vid. & Decret. Anni MDCXLIX. Artic. LV. & LVII.

q.) ORTELIVS, P. II. p 66.

Digitized by Google

exhibuere. Nam, cum *Philippus Morgenthaler*, arcis præfectus, ſtationem ſibi creditam, mordicus tueri, conſtituiſſet, captus a præſidiariis, atque hoſtibus, præclaro ſcilicet facinore, vna cum arce, traditus eſt.

§. IV.

PRæter belli, quæ commemorauimus, ſtudia, & pace inclaruit, *Gyarmathum.* Nam, poſtea quam *Sitva-Torokenſis* pactio, non minus a Turcis, quam noſtris, varie fauciata fuiſſet, primum *Viennæ*, *Comaromii* poſtea, denique *Gyarmathini*, anno MDCXXVI. VII. Calendas Aprilis, redintegrari eam, prorogarique oportuit. Aderant in eo conuentu, præter nobiliſſimos quosque Turcarum, qui *Budæ*, & *Agriæ*, cum facultate paciſcendi, venerant, *Nicolaus Eſzterházy de Galantha*; *Michael Adolphus ab Altheim*; *Nicolaus de Frangepanibus, Comes de Terſatz*; *Iohannes Iacobus Kurtz de Senfftenau*; *Baro Sigismundus Gallern*, a Cæſare miſſi; e Tranſiluania autem, *Wolffgangus Ramuthi*, *Michael Thódolaghi*, & *Thomas Borſos.* Diu, quod ſit, extractis colloquiis, & exprobratis, quæ vtrinque illatæ fuerant, iniuriis, tandem, in ſeptem conditiones, mutuo adſenſu firmatas, coiuere: *Pacem nimirum* Sitvatorokenſem, Viennenſem*que*, *intemeratam haberi*; *litem Vaczienſem*, *alii loco adſeruari*; *controuerſias finium in Croatia diſcriminandorum*, *miſſis vtrinque arbitris*, *placide diſputari*; *cauſſam vicorum dedititiorum*, *procul odio gratiaue*, *diiudicari*; *ea omnia*, *ſine cunctatione*, *ad diem S. Martino feſtum confici*; *denique*, *illatas mutuo*, *cædes*, *rapinas & iniurias reliquas*, *æternum obliterari oportere.* Iſtis legibus, pacem tunc reſarcitam accepimus; ſed quam Turcarum libido, breui poſt contemeratam, denuo diremit.

Pace, cum Turcis redintegrata, inclareſcit.

§. V.

BEllo, ad hunc modum aliquantiſper conſopito, quieuere ab armis *Gyarmathenſes.* quæ ingruentibus iterum periculis, eo maioribus animis corripuerunt, quo vehementius, in delendum *Gyarmathum*, hoſtes videbant incumbere. Et ſane, euenit anno MDCXL. vt, cum tentatis ſæpius inſultibus, arcem capere non poſſent, ſubiectis ignibus, funditus eam delerent. Magno, iactura illa, toti viciniæ conſtitit; præterquam enim, quod impreſſionibus hoſtium, eo vsque patuere, *montanarum vrbium* confinia, donec *Gyarmathum*, & operibus muniretur, & præſidio; certe, non prius ceſſandum credebant, adſitæ prouinciæ, quam illata arci clades, repararetur, poneretur*que* hoſti obex, qui montanam regionem infeſtare volentem, remoraretur. Hinc, nouo iterum decreto (*r.*) complures regni *Comitatus*, reædificandæ *Gyarmathenſium* arci, deſtinari oportuit. Et ita omnino breui, iſtis operis, conualuit, vt non propulſare modo hoſtem potuerit, ſed, factis

Hoſtium, aduerſus Gyarmathum *odia*

exuritur funditus:

denuoque inſtauratur.

r.) Anno MDCXLVII. Artic. CLIII.

Digitized by Google

factis subinde eruptionibus, fatigare etiam, atque abacta passim præda, varie adfligere.

§. VI.

Singularis Gyarmathensium virtus:

INiquum esset, virtutis illud specimen silere, quod annales (*s.*) ad annum MDCXLVIII. memorant. Nimirum, cladem, quam superioribus annis acceperant, si occasio tulisset, vlciscendam statuerunt *Gyarmathienses*. Proinde, cum ad omnem adtenti occasionem, qua hosti possent nocere, per exploratores didicissent, prædiuitem nobilemque Turcam, sponsam, *Strigonium*, cum delecta hostium manu, per auia itinera, deducturum; opportuno in siluis, quas transire necessum habebant, loco, subsessores mature constituunt. Hi, simul aduentantem conuiuarum turbam cognouerunt, facta conclamatione, ex insidiis, in hostem irruunt, nec opinantes disiiciunt, sponsam, cum ingentis pretii mundo, & adparatu reliquo, multis captis, cæsis plurimis, intercipiunt, prædaque onusti, incolumes *Gyarmathum* redeunt. Male ea res Turcas habuit. Igitur, coadunato, quatuor millium exercitu, ad *Gyarmathum*, solo æquandum, nocte intempesta, fremebundi adcurrunt: neque positis castris, rem, per tumultum exorsi, atque ligonibus & securibus armati, arcem subeunt vndique, ac hi quidem, vallos succindere, illi, subruere aggeres, summa virium contentione, occipiunt. Tunc vero præsidiarii, ancipiti periculo circumuenti, arma corripere, hostem propulsare, a vallis & aggeribus, summa vi reiicere, enitentes deturbare, & nihil non intentatum relinquere. At Turcæ, viso ad primum impetum, plures, quam putarant, e suis occumbere, repetitis adsultibus, non prius cessandum statuerunt, quam accisis vallis, aggeres perrumperent, & capto propugnaculo, præsidiarios, ad internecionem delerent. Et fuit omnino res plena discriminis, cum fauciatis, noui, sine cessatione, oppugnatores, succederent; intus autem, maior, in paucitate iactura fieret. Sed, acciderat forte fortuna, vt equitum, e vicina *Palánka*, turma, hac iter faciens, nocturna, apud *Gyarmathenses*, hospitia occuparet. Hi ergo, ad arma, vna concursantes, præsidiariis auxiliari, & subita virtutis specimina edere, pulchrum ducebant. Sed, nec feminis pugnandi ardor deerat, cum hæ quidem, omni telorum genere, quæ sors cunque obiecerat, in aggeribus pugnarent; illæ, aquis & oleo feruefactis, hostem enitentem, ingenti edita strage, perfunderent. quo viso, Turcæ, tanto cœptis instabant vehementius, quanto turpius ducebant, inusitato isthoc pugnæ genere, a feminis vinci repellique. Pugnabatur ergo, vtrinque, summa virium contentione, furore illinc, desperatione hinc, arma ministrantibus. Opportune autem accidit, vt *Aga*, qui suos, ad insultum, obequitans, accendebat, a gregarii cuiusdam militis vxore, glande, per media tempora, traiiceretur. Itaque, increbrescente inter hostes, ducis sui occasu, cladem vlturi, in arcem, sublato

feminarum præclarum facinus:

s.) Vide Ortelivm, Parte II. p. 159. b. sqq.

ſublato clamore, incurrunt denuo, rati, ceſſuros ad vltimum, pertinaci adeo furori, præſidiarios. At illi, cognito, cædem *Agæ*, a Turcis conclamari, facto agmine, ex arce erumpunt, & hoſtem, ferocem adhuc, neque detrectantem pugnam, tanta virium contentione adoriuntur, quam quæ, deſperata ſalute, eſſe potuit maxima. Turcæ, inopina hac eruptione, in fugam effunduntur. quos inſequuti Hungari, paſſim obtruncant, & ſparſos, per ſaltuoſa itinera, cæſim propulſant. Adhuc vero hoſtium tergis imminebant *Gyarmathenſes*, cum *Adamus Forgách*, Ujvarienſium præfectus, ſelecto cum equitatu, noſtris, quaſi dedita opera veniſſet, forte occurrit: cuius opportuno aduentu, feruidiores facti, inſectari hoſtem non prius ceſſant, quam nox ingrueret. Ita tunc *Gyarmathenſes*, gemina victoria, eximiam virtutis bellicæ laudem, meruerunt. quam ideo adſcripſimus, vt eorum clamores retunderemus, qui has iſtiusmodi arces, non tam regionis propugnacula, quam aſyla fuiſſe latronum, habitus illorum temporum ignari, adfirmant.

Turcarum clades.

§. VII.

ISTis rebus, cum *Gyarmathenſibus*, tum *Balaſſiis* etiam, ſicuti par erat, calcar additum fuit, ad res, porro, pro rege & patria, fortiter gerendas. Certe, *Emericus Balaſſa*, cuius ad *Divin* meminimus, impetrata prius, a LEOPOLDO I. facultate, nouis operibus, arcem, non munire tantum, ſed augere etiam occeperat: egregio inſtituto; niſi id noua iterum lis, inter fratres coorta, interuertiſſet. Nam, cum *Emericus Balaſſa*, productis latius propugnaculis, cellarium, *Valentini*, fratris, obrui curauiſſet: quippe, nouis, quæ ſubſtruebat, munimentis noxium futurum; & vero, *Valentinus* id, non modo ferre nollet, ſed litem etiam *Emerico* moueret, cœptum opus, muniendi prolatandique *Gyarmathi*, penitus interuerſum eſt; lite, publico regni decreto (*t.*) ad *Comitem Palatinum* relegata. Inde, pauca, a *Gyarmathenſibus*, memoratu digna, geſta ſunt, mutuis *Balaſſiorum* offenſis, fortunam meliorem profligantibus. Certe, cum anno MDCLXI. menſe Auguſto, fratrum alter, collectis e præſidiis vicinarum arcium, octingentis, leuis armaturæ, equitibus, in hoſticum irrupiſſet; iamque, magna pecorum vi abacta, ouabundo ſimilis, ad ſuos reuerteretur; a Turcis circumfuſus, amiſſis ſignis omnibus, ægre, & niſi a quinquaginta militibus comitatus, *Gyarmathum* euaſit. Poſtea, cum & Turcæ retrocedere cogerentur, & *Emerici Balaſſæ* fides in Cæſarem, ſuſpecta fieret, *Gyarmathum* quoque, a priſtino decore celebritateque, paullatim defecit; donec ad ſolitudinem, qua hodieque ſqualet, penitus recideret.

Noua Balaſſiorum lites, arci noxia.

t.) Anni MDCLIX. Artic. CXV.

III. NÓGRÁD.

§. I.

Arcis Nógrád origo:

IN Arcis NÓGRÁD conditores, ſupra inquiſiuimus, cum de prouinciæ nomine, diſputatum a nobis fuit. quod a *Nógrádo* iſto manauiſſe, nihil iam adtinet monere. Nota eſt arx, in recentiori hiſtoria, cuius ideo, & ſitum, & fata, eo curatiore ſtudio proſequeremur, quo magis noſtra intereſt, arcium iſtiusmodi cadauera, in vitam quaſi, tenui hoc ſcriptionis genere, reuocare. Situm egregie ISTVÁNFFIVS (*u.*) deſcripſit: *Arx*, inquit, *Nógrádi, ditionis olim Epiſcopi Váczienſis, rupi non admodum editæ, impoſita eſt, auorumque noſtrorum memoria, magno*, NICOLAI BÁTHORII, *Váczienſis Epiſcopi* (*v.*) *ſtudio, multis ædificiis ac elegantibus, opere Iacobi Trangurini, architecti & ſtatuarii, reſtaurata fuit: habetque ab occidente ſole, vaſtiſſimas ſiluas, quæ* FILEKVM, *&* DIÓS-GYŐRIVM *verſus, longe lateque protenduntur, ac ad meridiem, Danubium & Vácziam, duobus diſſitam milliaribus: ad ſolis vero ortum, colles ſunt & vineta, minime alto vertice, e quibus haud irrito labore, tormentis peti poteſt. Habet etiam circumcirca foſſam XXX. pedes profundam latamque, in ipſa rupe, magno, vt adparet, labore & ſumtu, eiusdem* BÁTHORII *antiſtitis, exciſam, cum puteo, haud minoris laboris, & impendii, ac turrim in medio erectam, quibus ipſius nomen, & gentilitia trium lupinorum dentium inſignia, exſculpta, adhuc exſtare videntur. Hanc autem veterem molem ædificii, Turcæ, erectis forinſecus duplicis, & valde craſſi valli cratibus, iisque roboribus conſibulatis, ac ceſpite repletis, ad propugnaculorum formam, longe firmiorem reddiderant.* Iſta, de arcis, quem ſua ætate obtinuit, habitu, ISTVÁNFFIVS. In eo lapſus eſt, ſcriptor alioquin diligentiſſimus, quod ſitum *Nógrádi*, cum *Fileko*, & *Diós-Győr*, non coniungat tantum; ſed ſiluis interpoſitis, in occaſum etiam reiiciat: cum id contra ſe habeat. Vtrumque enim caſtrum illud, in orientem, paſſim culta regione interiacente, ſecedit: & *Filekum* quidem, milliaribus octo, in ortum brumalem, *Diós-Győrum* autem, in æſtiuum, milliaribus, plus minus, duodecim. Arci *Drégel*, ſitus ille congruit: quippe quæ, in *Comitatus Nagy-Hontenſis* finibus, ad occiduum ſolem, trans vaſtos ſiluoſosque montes, *Neográdo* obiicitur.

ſitus, ab Iſtvánffio *deſcriptus:*

eius aberratio.

§. II.

Hodierna Nógrádi facies.

HOdie, quod dixi, cadauer arcis tantum ſupereſt, idque, ex parietinarum nouis ruinis, in annos ſingulos, fœdius. Rupes, cui arcem inædificatam dicit ISTVÁNFFIVS, rotunda eſt, & ita ſe adtollens, vt aditum, neque præruptum, ſed nec mollem nimium, habeat.

u.) Lib. XXVIII. poſt initium:

v.) Laudes *Báthorii* huius, vide apud BONFINIVM, Lib. I. Dec. I. p. 5, 11. &, quæ nos, de eo diximus, ſupra, Tomo III. in deſignatione Epiſcoporum Váczienſium, p. 119. XXI.

Digitized by Google

habeat. Moles, rupi inſidens, naturam loci quodammodo imitata, pentagona eſt, quinque propugnaculis, ad regulam factis, circumdata. Hæc, validiſſimus murus, petroſo fundamento innixus, committebat: extus, fouea, quam memorauit ISTVÁNFFIVS, præmuniebat. Et ex propugnaculis quidem, quatuor adhuc ſuperſunt, ſi vſus ferret, nullo negotio, inſtauranda; quintum autem, a fundamentis reuulſum eſt, disiectumque: nam, conditorium habebat pulueris pyrii, quod fulmine percuſſum ſuccenſumque, vltimam, toti arci, cladem adtulit. Intus, laxe habitari potuit: quippe, non militaribus modo ædiculis; ſed herilibus etiam palatiis, egregie inſtructa. Nunc, vtraque, in vaſtum rudus abiere; ſi turrim, vetuſtiſſimi operis, excipias, media caſtri area, ad eximiam altitudinem, dum integra eſſet, eductam. Iam, & ipſa manca eſt, diminuiturque in dies, eodem illo fulminis ictu diuerberata. Pone turrim hanc, laudatus ISTVÁNFFIO puteus, LXXX. circiter orgyiarum altitudine, excauatus eſt, breui, lapidum iactibus, quos explorandæ profunditatis cauſſa, vulgo immittunt, obturandus. Haud longe, ciſterna diſſidet, eximie profunda, & e quadrato lapide, quam diligentiſſime, ad eum modum exædificata, qualem ſiri noſtrorum hominum, referunt, humi, accipiendo frumento, depreſſi. Ceterum, ſitus arcis, patente, in omnem partem, proſpectu, elegans fuit, & multæ iucunditatis. Adibatur porta vnica, ſed quam geminæ concamerationes, cum ponte verſatili, & obiecti e craſſis roboribus valli, communiebant. Nunc, arcis adſpectus, oppido triſtis eſt, & priſtino cultu ac robore, indignus.

§. III.

Eius conuerſiones, ſub IOHANNE, *&* FERDINANDO:

COnuerſiones eius, duobus retro ſeculis, variæ fuerunt, ac plerumque funeſtæ. Poſt cladem *Mohátſianam*, IOHANNES *Zápolya*, ſuam fecerat, non tam arcis, quam vnanimi totius regionis, conſenſione. Occupata enim *Buda*, & peracta, ſolemni ritu, inauguratione regia, quidquid circum arcium erat, ſponte id, in noui regis, poteſtatem conceſſit. quod, anno MDXXVI. accidiſſe, apud omnes conſtat. Sed, poſt decretoriam illam pugnam, quæ anno ſequente, ad *Tokayum*, victo IOHANNE, depugnata eſt, ea facilitate; FERDINANDI militem admiſit *Nógrádum*, qua antea, fidem IOHANNIS ſequutum fuerat. *Eius vnius pugnæ prouentu*, inquit, ISTVÁNFFIVS (*x.*) *Tokayum, Agria, Hatvanum, Váczia*, NOVIGRÁDVM, *ceteraque arces, & omnis ager, vsque ad Budam & Peſtum, Danubiumque, partibus Ferdinandi, facile acceſſerunt.* Cum vero ciuilis belli, quod inter vtrumque regem, diu ſatis, dubiis euentibus, trahebatur, Turcarum vires, per mediam Hungariam, nimium increuiſſent; *Nógrádum* quoque, noſtrorum intempeſtiuo metu, in manus hoſtium, nec tentata obſidione, incidit. Rem his verbis prodidit ISTVÁNFFIVS: (*y.*) *Turcæ, capto Viſſegrádo, ac traiectis, lento paſſu, copiis & tormentis*, NEOGRÁDVM *obſi-*

venit in Turcarum poteſtatem.

x.) Lib. IX. p. 143. | *y.*) Lib. XVI. initio.

ſidione cingendum oppugnandumque conſtituerunt, quatuor milliaribus (z.) *a Váczia, ad cuius Epiſcopum antiquitus pertinebat, diſtans. Secundis caſtris, ad oppidum Ruthenorum, quod Oroszfalvam vocant, peruentum eſt. Mehmetes, & Huſſainius, iis in caſtris, præſidiarios* Nógrádi, *metu perculſos, profugiſſe, & arcem ab iis vacuam relictam eſſe, intellexerunt. Quamobrem, eam ingreſſi, occuparunt, & valido impoſito præſidio, ſpeciem, vlterius tranſire volentium, præbuerunt.* Ad eum modum, arx, & munita ſatis, neque vlla commeatus inopia laborans, hoſtis formidine, deſerta fuit a noſtris. quos, *Viſſegradenſium* iniquiora fata, ad turpe adeo conſilium adduxiſſe, credi poteſt. Capta enim per deditionem arce, præſidiarios, quibus tutam diſceſſionem, iurata fide promiſerant, ad vnum omnes, trucidarunt, ſolo arcis præfecto, *Petro Amadeo*, ægre ſeruato.

§. IV.

Recuperatur a Matthia *Archiduce I*

Evenere hæc Nógrádo, anno MDXLIV. quæ inde, ad annum vsque MDXCIV. ab hoſte, non ſine perpetuis, circumiectæ regionis, cladibus, tenebatur. Tunc autem, duce *Nicolao Pálffio*, viro bellicoſiſſimo, obſeſſa; dein vero Matthiae *Archiduci*, quarta *Idus Martii*, dedita, ab Istvánffio (*a.*) memoratur. Breuis ea fuit obſidio; ſed ob anni tempeſtatem, laborioſa & multarum difficultatum. Nam, etſi inopina Turcis accidit: quippe, exeunte *Februario* inchoata; tamen, in defenſanda ea, nihil fecerunt reſidui: donec, exuſtis vallis, & tormentorum ictibus, exterioribus munimentis, opinione celerius, deiectis, ad vltimum diſcrimen adducti, deditionem, iisdem, quibus, anno ſuperiore, *Filekienſes*, legibus, paciſcerentur. Arcem occupatam, Matthias, *Andreæ Révayo*, (*b.*) viro ſtrenuo, tutandam permiſit, præſidio CCC. Hungarorum, ac totidem fere Germanorum, impoſito. Decennio, a Cæſarianis tenebatur; quo exacto, ad *Botskayum*, præſidiariorum leuitate, defecit. *Ii*, inquit, Istvánffivs (*c.*) *qui* Nógrádi, *Bujaci, & aliis arcibus erant, ad hoſtes defecerunt.* At enim vero, pace, anno ſequente, Viennæ conſtituta, quidquid iſta regione arcium occupatum a *Botskayo* fuit, Cæſari reſtitutum eſt: ideoque, & pace Turcica, quæ eodem anno MDCVI. ad *Sitvam* coaluit, conditione XV. Cæſari, in integrum adſertam legimus. Itaque, geminæ pacis iuribus, a Cæſare tenebatur *Nógrádum*, ad tumultum vsque *Bethlenianum*. quo exardeſcente, poſt deditum Filekum, *Nógrádum* (*d.*) quoque, anno MDCXIX. hoſtibus conceſſit, donec, anno MDCXXIV. ex legibus pacis refocillatæ, Cæſari poſtliminio reſtitueretur. Poſtea, a Turcis, ſubita obſidione, anno MDCXXVI.

reſtituitur Cæſari, pace gemina:

occupatur a Bethlenio, *atque iterum reddatur.*

z.) Supra, duobus id milliaribus *Váczia* diſiunxerat.

a.) Lib. XVIII. poſt initia, atque Ortelivs P. I. p. 143. 144. vbi a *Schlickio*, præſidia eius oræ, Matthiae *Archiducis* iuſſu, reuiſente, Turcis, metu perculſis, intercipi potuiſſe, memoriæ proditum eſt.

b.) Eius occaſum, vid. eodem Libro p. 641, 49.

c.) Istvanff. Lib. XXXIV. pag. 521.

d.) Ortelivs. P. II. p. 66.

Digitized by Google

MDCXXVI. pridie Calendas Octobris, tenta eſt: *Bethlenio*, ſicuti fas eſt credere, expeditioni illi fauente. Nimirum, præfectus *Budenſis*, (*e.*) homo ferox & ſanguinolentus, Buda, XVIII. Calendas Octobris, cum octo millibus egreſſus, *Verebélyum* vsque procurrerat, magna vi hominum pecorumque, paſſim abacta, vicis præterea, qui ſe tributarios profiteri nollent, exuſtis. Redux *Verebélyo*, quod irrito conatu, pluribus adſultibus fatigauerat, *Damasztum*, nullo negotio intercepit; mox & *Nógrádum* obſedit, ratus fore, vt repentinæ obſidionis metu, præſidiarios, ad arcem dedendam, induceret; ſed res aliter cecidit: præterquam enim, quod præſidiarii, ſtationem ſuam fortiter tutabantur; *Dux* certe *Friedlandiæ*, Danubio, cum Cæſarianis, traiecto, & intercepta *Váczia*, hoſtem, ab ea obſidione, opinione celerius, retraxit, coegitque, vt exercitum, & tormenta currulia, quorum XIX. ſecum habebat, *Budam* iterum, trepidus citusque, reduceret.

§. V.

Fata arcis reliqua:

SEquutis temporibus, intemeratum quidem *Nógrádum* manſit, nunquam tamen ſine diſcrimine, quod *Budenſes*, quos diximus, atque *Strigonienſes*, factis late impreſſionibus, circumſitæ regioni, intentabant. Tametſi enim, pacem ſubinde redintegrarint Turcæ; a rapinis tamen, adeo ſe non abſtinebant, vt & tunc, impune ditiones Chriſtianorum depopularentur, cum tuta eſſe oportebat omnia. Quibus rebus fiebat, vt *Nógrádenſes* quoque, opportunitate, ſi qua ſe dabat, egregie, aduerſus hoſtes, vterentur, & nunc reiicerent populabundos, nunc incautos, intra ſuos fines, adorirentur: quippe quod, moris tunc fere fuerit, vt limitanearum arcium præſidiarii, non tam iuſtis ſtipendiis, quam tapto viuerent. Certe, anno MDCLIV. iis nundinis, quæ ad diem XVI. Octobris, *Vaczouiæ* aguntur, opimam reportauiſſe prædam, relatum legimus. Mercatores nimirum, ad forum illud, *Peſtino* & *Buda*, profectos, tametſi defenſando comitatui, ſelectam hoſtium manum ſecum haberent, ex inſidiis adgreſſi, cæſis primum quinquaginta militibus, captisque eorum ducibus, interceperunt, *Nógrádum*que deduxerunt. Sed, iſtæ huiusmodi velitationes, propemodum quotidianæ fuerunt, vt in iis recenſendis, nimium ſane opreæ collocandum foret.

præſidiariorum occupatio:

abacta præda:

§. VI.

Obſidetur a Turcis:

AT enim vero, nequiuit, iſta vincendi felicitas, *Nógrádienſibus* eſſe perpetua. Nam, *Ujvarino*, poſt laborioſam obſidionem, anno MDCLXIII. Turcis dedito, *Kaplan Baſſa*, iuſſu *Vezirii*, cum ſex millium exercitu, & quatuor maioribus tormentis, menſe Septembri, arcem obſidione cingit, & ſubſtructis celeriter ſuggeſtibus, quatuor iisdem machinis, verberare incipit. Qua in re, tanta pertinacia

e.) Idem loco citato p. III. a.

nacia elaborauiſſe Turcas accepimus, vt dies noctesque, magna ſuorum ſtrage, in opus incumberent: rati, ſi opportuno adeo loco potirentur, expeditum iter, commigranti vltro citroque exercitui, futurum; quod alioquin, per ſaltuoſos montes, *Vaczouiam*, & hinc *Ujvárinum* proficiſcentibus, haud vnquam tutum, quin ob præſidiariorum virtutem, etiam damnoſum futurum, ſagaciter prouidebant. Iam menſem in arce obſidenda Turcæ extraxerant, cum princeps, *Michael Abaffy*, Turcico fœderi innexus, cum ſuis cohortibus, ad caſtra hoſtium, acceſſit. Inſtaurato ergo obſidionis labore, in primis, quod tempeſtas, habendis caſtris, minus idonea, iamiam ingrueret, diu, nihil aduerſus præſidiarios profici potuit. Tunc vero ABAFFY, cum, neque tormentis, arcis mœnia, neque pollicitationibus, præfecti animum, expugnari poſſe videret, ad ineſcandum præſidiariorum vulgus, dolos intendit: *meminiſſent præſidiarii, quo loco, quam ancipiti, quamque exitiabili, res ſuæ ſint futuræ, ſi præfecto, homini obſtinato, obſecundauerint; Turcas, ab obſidione, non deſtituros prius, quam arce, per adſultum potiantur; quod ſi fieri contingat, nullius vitæ, fortunisque parſum iri. Itaque, tempeſtiue de arce dedenda cogitarent, quam non Turcis; ſed ſibi, principi Chriſtiano, ſint tradituri.* Eo ſcilicet dolo, caſtra complura, *Abaffyus* circumuenerat. Peruaſit infida hæc perſuaſiuncula, animos præſidiariorum, eo quidem penitius, quo, & tolerandæ vlterius obſidionis impatientiores fuere, & ſtudioſiores contra nouarum rerum: quibus vniuerſam Hungariam inundatam, tamquam e ſpecula, contemplabantur. Itaque, præfectum, ſe, arcemque, non tam hoſtibus, quam amicis, iisdemque *Chriſtianis*, vt dederet, importunius vrgent. Erat is NICOLAVS NADÁNY, in Biharienſium prouincia, apud Varadienſes, nobili loco natus: vir oppido fortis, & rei militaris peritia clarus, ideoque a Cæſare, inter magnates relatus. Proinde, & ſua virtute, & fide in Cæſarem fretus, iniquiſſima hæc præſidiariorum conſilia, maſcule repudiat, reluctantes, officium vt facerent, grauiter monet; ſed adeo nihil profecit, vt præſentiſſimum etiam vitæ periculum, quod ei nequiſſimorum hominum inſidiæ, conflauerant, adierit. Namque, inſana multitudo, iſta præfecti conſtantia exaſperata, circumueniendum, atque in vincula compactum, Turcis tradendum, plane conſtituerat. Eo animaduerſo, NADÁNYVS, cum, & militares labores obire detrectarent præſidiarii, & arctiora in dies, extus intusque fierent omnia, arcis tradendæ arbitrium, ſibi excuſſum, libidini tumultuantis militis, inuitus permittit; arce, damnata proditione, decedit, atque in caſtra *Abaffy* receptus, ſeditioſos, ingratiis, ſequi cogitur. Iſta, de præfecti fide, ab idoneis auctoribus, ex ſcriniis domeſticis, relata accepimus. Atque hic quidem vltimus, e Chriſtianis, *Neográdi* præfectus fuit. Nam, arcem quidem *Abaffy*, deditiam ſibi fecit; ſed qua, e veſtigio, Turcæ potiti ſunt. qui eam pacis legibus, quæ anno ſequenti ſancita fuit, vna cum *Ujvárino*, retinuerunt, non prius deſerturi, quam cælitus inde pellerentur.

quibus accedit ABAFFY.

§. VIII.

Digitized by Google

§. VII.

ENim vero, cum poſt ea tempora, ciuili iterum ſeditione; & Hungariam miſcuiſſet TÖKÖLIVS, & *Turcas*, nouis ſuorum actibus, feciſſet ferociores; plurimum in *Nógrádo* præſidii, ad tutandum *Ujvárinum*, hoſtes collocabant. Certe, hieme, annona iſthuc conuecta, ſæpius tentauerunt, *Ujvárinum*, ineunte æſtate a Cæſarianis obſidendum, commeatu iſthinc iuuare. Quæ res, minutis, per eam hiemem, præoccaſionem dedit. *Heiſtero* ac *Pálffio*, inquit WAGNERVS (*f.*) *curandum* iis, *erat, ne per hiemem, Ujvarienſibus annona quid, aut militis aduenireț. Nunciatum eſt ſubinde, octo millium agmen e Tartaris, Hungaris, Turcis conflatum, ad Novigrádum, multum annonæ, abſeſſis inferendum, comportaſſe. Inuaſit inopinantes, ſolita celeritate, Heiſterus, eoque redegit, vt octingenti, qui farinæ ſaccum, equi dorſo ferebant, abiecto, tum onere, tum pugnæ experiundæ conſilio, prædam hoſti relinquerent. Reliquum agmen, quod poſt montem, vallo ſe munierat, adgredi, temerarium duxit, vti qui duobus millibus, non amplius haberet.* Proinde, cum fruſtra prius tentata *Buda*, anno dein MDCLXXXV. *Ujvárinum* expugnatum ſtatuerent, quorum iſta conſilia moderari intererat; multis viſum eſt, tanti operis initia, a *Nógrádi* (*g.*) expugnatione duci oportere, ne Budenſes, hoſti concluſo, iſto itinere, ſuppetias ferre poſſent. Sed *Lotharingus*, ab eo conſilio fuit alienior: quod, nec dignum cenſeret locum, ad quem tantus exercitus, nonnulla iactura temporis, adduceretur; & vel eo capto, multi Turcis aditus, in apertiſſima regione, paterent. Interim, donec res ea Viennæ diſputatur, cum *Suſa*, *Scherffenbergio*, ac ſelectis machinatoribus, dux ipſe, *Novigrádi* ſitum ſpeculatus eſt, arcemque reperit, libero quidem colli impoſitam, ſed elati, ſupra tumuli faſtigio, obnoxiam; altero latere, tribus exiguis propugnaculis, altero ſemiluna, ac dimidio propugnaculo, leuiter munitam; inerme infra oppidum, ac difficiles inde ad Danubium acceſſus. Quibus rebus perſpectis, non ſine aliqua, cum præſidiariis, velitatione, ſeptima Iulii, exercitum *Ujvarino* admouit. Interea, dum, & *Ujvarinum* expugnatur, & *Strigonienſe* prælium, ſecundo Marte depugnatur; *Nógrádum*, cæleſti igne tactum, atque puluere pyrio, quem is forte fortuna ſuccenderat, conuulſum eſt. Ea re, non minus, quam aduentantis *Lotharingi* metu, hoſtes, detractis arce tormentis, clam (*b.*) exceſſere. Sed arx, ex eo tempore, inanis relicta, nunquam poſtea inſtaurata eſt; cum ante, regni operis communitam fuiſſe, legamus.

NÓGRADI, *ad inuandos hoſtes opportunitas.*

enim ſitum a LOTHARINGO *exploratur.*

caleſti igne tactum dicitur.

f.) Hiſtoriæ LEOPOLDI M. Lib. IX. p. 552.
g.) Idem, Lib. IX. p. 653.
b.) Alii, facta deditione, in noſtrorum veniſſe poteſtatem, aiunt, atque tunc CHRISTI fidem amplexum *Czinkégum*; cui poſtea, a *Czinkenberg* nomen, aut titulus, inditus. quod non eſt ita. Vide Tomi III. p. 429.

Digitized by Google

IV. Kámor.

Arcis Kámor *rudus.*

DVbiæ, & vetuſtæ ætatis rudus eſt, medio a *Nógrádo*, in ſeptentrionem, milliari, intra montes, loco edito & conueſtito ſiluis, repoſitum. Ambitus dirutæ molis, geminus viſitur, ſuperior & inferior: quod indicio eſt, ad eum modum diuiſam fuiſſe arcem. Quia parietinæ propemodum omnes, collapſæ ſunt, & varia frutice inueſtitæ, ſatis condocet, diu eſſe oportere, cum hoc, quidquid erat caſtri, ſiue hoſtili manu dirutum, ſiue detritum vetuſtate eſt. Hinc inde tamen, fornices, alibi hiantes, integri alibi, reperiuntur, profunditatis & ductuum inexpertorum. In his, theſauros latere defoſſos, vulgus ſibi habet perſuaſum, ad quos absportandos, ignoti quidam ſeneciones, ſtatis temporibus, clam aduentent. Alioquin, ſitus loci, eximiæ fuit opportunitatis. Nam, a meridie quidem, molli accliuitate adibatur; prærupto, contra, eo montis latere, quod ſeptentrioni obuertitur: reliqua, montes ambiebant, iugoſi ii quidem, ſed deſpectu peramœni. Hungari *Kámor-Vára* adpellant: cetera, fatorum eius ignari. Nos certe, vindicandam ab obliuione exiſtimauimus, ſimulque rerum curioſos admonendos, vt in molis natales, fata, atque occaſum, ſcrupoloſius inquirant in diplomatibus. Hæc de Arcibus.

SECTIO II.

DE

Oppidis Proceſſus Kékköienſis.

SYNOPSIS.

Oppidi Kékkő *ſitus iniquior: incolarum frequentia, & occupatio.* §. I.

Gyarmathi *incolæ: agri frumentarii: vineta: oppidi habitus: nundinæ: pons* Ipolae. §. II.

Nagy-Oroszi, *Colomanni colonia: eius priuilegia: poſitus amœnus.* §. III.

Oppidi Nógrád *rudera.* §. IV.

Vádkerti *nomen: fit nuper oppidum: eius nundinæ: agri laus: oppidanorum, in eo colendo, ſolertia.* §. V.

I. Oppidvm Kékkö.

Oppidi Kekkö *ſitus iniquior:*

ARci cognomini ſubiectum, inerme illud, ac pro loci natura, varie ſparſum. Quia enim, radices petroſi montis, quem arx inſedit, occupauit, elegantiam omnem reſpuit. Scilicet, vallis, caſtro ſubſita, prominentibus paſſim collibus, & ſaxis, aſperatur. His, nullo ordine, inſertæ domus, inficetum

cetum faciunt proſpectum. Nam, quia petræ, accliuioribus articulis molleſcunt, ædes illic hæſerunt, opere, quale ſitus loci admiſit, quomodocunque contignatæ. Habet tamen incolas frequentes, & ad rem adtentos. Plerique horum, cum arx floruiſſet, militiam ſequebantur; nonnunquam, pro eorum temporum ingenio, etiam latrociniis dediti. Hodie, rem ruſticam faciunt, ſuntque, in primis cultus vineatici, perquam ſtudioſi. Hinc eis fructuum copia, & caſtanearum potiſſimum. quæ hic egregie proficiunt, eximiaque ſunt guſtus adprobatione. Sed agri frumentarii, & infœcundi ſunt, & lapidoſa gleba, deformes. Ceteroquin, ad libertatem oppidi, mercatus annuos referas, crebros eos quidem, at minus celebres, neque, niſi domeſticarum mercium prouentu, inſignes. Subeſt dominationi *Balaſſiorum*.

incolarum frequentia & occupatio.

II. Oppidvm Balassa-Gyarmath.

Svpra, de eius munimentis, & horum fatis, quod ſatis eſt, diximus, nunc de oppido, diſcrete aliquid. Nimirum, præſidio, iam pridem dimiſſo, incolæ omnes, in ruſtificationem, tanto incumbunt feruidius, quanto rus nacti ſunt benignius. Vario id habitu, oppidum, *Ipolæ* orientali margine hæreſcens, circumfundit. Nam, qua ſe in orientem porrigit, amœna planitie, agris culta frumentariis, luxuriat. Sabuloſum his ſolum eſt, idemque ſiligini, quam tritico, amicius. Aduerſum eſt enim, agros, puriſſimo tritico conſitos, ſiliginem reddidiſſe. Sunt autem agri *Gyarmathenſium*, difficillimæ arationis, ad cuius operas, tria quatuorue boum iuga, adhiberi, neceſſum eſt. Sane, vomeres, vel vnius diei labore, ſic adteruntur, vt acui eos oporteat denuo. Quod incolarum aliqui, iteratis, in dies ſingulos, vicibus faciunt. Atque id quidem vtrumque habet admirationis nonnihil, cum humus reſoluta adpareat, & larga ſubinde lætificatione, prouocetur. Felicior multo vinearum cultus eſt, quarum colles, trans *Ipolam* amnem, ſitu, perquam eleganti, in occidentem abeunt. In primis celebria ſunt montium *Mankó* & *Szurdok*, vineta. quibus alii, *Montem Album*, coniungunt. Eximia horum eſt vbertas, ſi annus congruat. At oppidi habitus, vicum iam refert, habitaturque ædibus, agreſtem in modum factis. Olim, præter arcis munitiones, fouea, & palis altioribus, cingebatur, quorum iam vix veſtigia notaueris. Nundinas agit, in annos ſingulos, quinquies, puta: *die Purificationis Mariæ; Dom. Lætare; Calendis Maii; die S. Stephani Regis; & Michaelis Archangeli.* Exigua his celebritas, ac propemodum nulla, hac in primis temporum difficultate. Pons, quo *Ipola* iungitur, fructuoſus heris eſt: quippe, telonio donatus; at eo grauior incolis, quod commigrantibus, vltro citroque, militibus, hoſpitia frequenter adparare cogantur, gratuita illa, & multa ſæpe licentia, damnoſa.

Gyarmathi *incolæ:*

agri frumentarii:

vineta:

oppidi habitus:

nundinæ:

pons Ipolæ.

III.

III. Oppidvm Nagy-Oroszy.

Nagy Oroſzy, *Colomanni colonia:*

IAmetſi pridem prærogatiua ea excidit, bellorum, &, quæ ſequutæ hinc ſunt, calamitatum aliarum, iniuria; commemorandum tamen eſt, ob *Ruſſorum* coloniam, quam huc Colomannvs deduxerat, & cuius nomen hodieque refert oppidum: nam *Oroſz*, Hungaris *Ruſſum* ſignificat. De eo Istvánffyvs (*i.*) *illud oppidum*, inquit, *ante quadringentos annos*, Colomannvs, *rex Pannoniæ, deductis, ex Lodomeria, & Gallicia, Ruſſorum prouincia, colonis, condiderat, lege lata, vt cetera liberi eſſent, portas duntaxat, & ianuas Regum cuſtodirent: quod noſtra ætate, obſeruatum meminimus.* Et exſtant omnino oppidi priuilegia, in Comitatus tabulario. quibus, cum alia incolarum iura, tum iſtud cum primis, perſcribitur, vt ianitorum regiorum munere fungantur. Ante hac, dum libertate nondum temerata, vterentur oppidani, nobiles quoque inquilinos habuit, quos, ab impetratis armorum inſigniis, *Armaliſtas* noſtri vocant; ſed, qui iam inde exceſſerunt: eo quod, detrectauerunt, pendendi hero tributi conditiones ſubire. Poſitus loci, non inamœnus eſt, & modica circum planitie obfuſus, quam vndique montes circumſepiunt, hinc *Nógrádo*, illinc *Drégely*, arcibus inſeſſi. Ager ei contigit, eximiæ fœcunditatis, laxeque procurrens; ſed, qui vineta iniquius habeat; credo, ob circumfuſorum montium aſperitatem: ſane, vinum præbent, excoctum minus, neque, niſi ruſticanis epulis idoneum. Istvánffivs, Oroſz-Falvam, hoc eſt: *Ruſſorum vicum*, nominat; cum hodie, *Nagy-Oroſzi*, ſeu *maius Oroſzi*, adpelletur; diſcriminis cauſſa, ne cum *Kis-Oroſzi*, inſulano vico, permiſceatur. Acceſſit noſtra ætate, ditioni *Starenbergiana.*

eius priuilegia:

poſitus amœnus.

IV. Oppidvm Nógrád.

Oppidi Nógrád rudera.

IVit olim elegans oppidum, atque non minus ædificiis, quam opportunitatibus aliis, egregie excultum. Adſedit arci eiusdem nominis, ſed cuius priſtina celebritas, in vicum decreuit, rudera paſſim oſtentantem, quæ cultum oppidi, florentis olim, loquuntur. *Turcæ* profecto, arce potiti, multum incolatu oppidi delectabantur, quod ex aquæductibus, quos inſtituerunt, & poſitis, magno ſumtu, ex gentis more, balneis, plane conieceris. Nimirum, geminum fontem, proximo in colle ſalientem, per tibias, humi defoſſas, in oppidum corriuauerant. qui demum per ſilanos, locis opportunis, proſiliebant. Alteri, *Király-Kútja*, quod *Fontem Regium*, ſonat, alteri *Magyar-Kút*, ſiue *Fontis Hungarici*, nomen hæreſcit hodieque. Iisdem hiſce ductibus, & balneo, aquæ adfundebantur. Exſtat eius molis rudus ſemiobrutum, ex quo, non obſcure cognoſci poteſt, adfabre factam, atque ita inſtructam

i.) Lib. XVI. initio.

Digitized by Google

ctam fuiſſe, vt lauantes, quoties lubebat, per fiſtulas, iuſto ordine diſcurrentes, nunc frigidam, nunc iterum calidam, immittere potuerint, in lacus balneatorios. Reliquus oppidi adparatus, notari amplius haud poteſt, ſi vias, lapide ſtratas, excipias. Ad radicem arcis, tertius fons ſcatet, vber is quidem, & perennis, neque non ita ſapidus, vt vix bibendi modum poſſis facere. Riuus, ex eo defluus, ſubiecta arci palude, excipitur, quæ antea piſcina fuit, commoda ſatis, & alendis piſcibus ſaxatilibus idonea. Iam adaquando, & perluendo pecori, deſtinata eſt. Ditio, Epiſcopo *Váczienſi* adſcripta.

V. Oppidvm Vadkert.

VAD-KERT, Hungaris *viuarium ferarum* ſignificat; vt fas ſit opinari, heros, qui *Archiepiſcopi* (*k.*) ſunt *Strigonienſes*, hanc iſtiusmodi opportunitatem, inſtructam olim iſthic habuiſſe. Nam eſt omnino, ſitu, ad eam rem, cum primis idoneo. Cum adſita prædia, *Félső*, & *Alsó-Vadkert*, florerent, *Közép-Vadkert*, hoc eſt, viuarium medium, dicebatur. Cenſum eſt, ad noſtram vsque ætatem, in vicis prouinciolæ, dum ante hoc luſtrum, elaborante Emerico. S. R. I. Principe, & Archiepiſcopo Strigonienſi, Caroli VI. Cæſaris & Regis optimi, benignitate, inter oppida referretur, donareturque peculiari iure, ſeu priuilegio. Ex huius indultu, quater, in annos ſingulos, nundinas concelebrat, eo ritu, vt triduo, ante ſolemnes mercatus, forum frequentetur boarium. Habentur vero hi: *Calendis Januariis*; diebus item *SS. Alberto*, & *Mariæ Magdalenæ*, feſtis; ac denique, *Die Dominico*, qui ſolemnia *S. Michaelis*, præcedit. Tenues adhuc ſunt nundinæ, & quod, circa rerum exordia fieri adſueuit, etiam deſpectæ; credo, ob *Szétsénienſium*, & *Balaſſa-Gyarmathenſium* viciniam: quibus fructuoſi, frequentesque ſunt mercatus. Agri laus præcipua eſt. quidquid enim ad ruſticationis commoditatem poſſis requirere, omne id, confertim iſthuc natura cumulauit. Præterquam enim, quod rure laxo fœcundoque, oppidum circumfunditur, gleba certe pollet, reſoluta, pulla, & pingui. Adde, planos & apricos agrorum poſitus, interſerta, hic & illic nemora, quæ, ſingula, & decus conciliant territorio, & famam. Sunt enimuero oppidani, in percolendis agris, exquiſitæ peritiæ, iuxta & adſiduitatis. Hinc a vicinis, ſingulari præconio: *Szépen-Szántó Vad-Kertiek*, hoc eſt, *ſciti & elegantes aratores*, ſalutantur. Iam & vineæ, quas haud pridem ponere cœperunt, multum profecerunt, habentque fructus haud contemnendi laudem. Eccleſia, oppido inædificata, opere ſolido non minus, quam venuſto, ſubſtructa eſt, cum adpoſita, exi-

Vadkerti nomen:

ſit nuper oppidum:

eius nundinæ:

agri laus:

oppidanorum, in eo colendo, ſollertia.

k) Belam IV. anno MCCLV. Strigonienſi Archiepiſcopo, vicum donauiſſe, tabulæ eius, eodem anno exaratæ, recognitæque poſtea, a *Conuentu Crucifero-rum de Strigonio*, anno MCCCXVIII. loquuntur. Exſtant in *Archivo* eiusdem præſulis.

miæ proceritatis turri. cui ornandæ, *Chriſtianum Auguſtum*, *Cardinalem de Saxonia*, ſumtus liberaliter impendiſſe, accepimus. Anno MDCCX. a Cæſariano exercitu, iſthic, aduerſus *Rákóczianorum* impreſſiones excubante, communitum, tumultuario opere, fuiſſe oppidum, infra, ad pugnam *Romhányenſem* memorabimus. Disiungitur, *Gyarmatho*, ſeſqui, *Szétsénio*, tribus fere, ad meridianum ſolem, milliaribus, ſedetque ad oram amnis *Lokuſch*, meridionalem.

SECTIO III.

DE

Vicis Proceſſus Kékköienſis.

ESt & hæc ora, vicorum frequens, tametſi non vbique eadem ſoli bonitate. Horum recenſendorum initium, a *Kékköienſi* valle ducemus, in *Peſtienſium* confiniis deſituri.

1.) *Nagy-Kürtös*, proxime ab arce *Kékkő* abeſt, ex cuius indole id habet, vt agro ſit ſteriliore, ſed eo fructuoſioribus vinetis. Iſthinc amnis *Kürtös*, exundationibus damnoſus, emanat.

2.) *Kis-Kürtös*, vicinus priori, ſed gemina curia inſignis. Inſidetur ab heris, *Radvániis* potiſſimum, qui heic commodum habitatu prætoriolum, haud ita pridem, excitauere. Agris gaudet fertilioribus, vinearum cultu, penitus neglecto. Habet *Fontem Acidum*, ſaporis non ingrati.

3.) *Szelcz*, tenuis, idemque ſitus collini, viculus, agro eſt ſaxoſo, paretque *Balaſſiis*.

4.) *Felső-Eſztergár*, Slauis *Horné-Stribáry*, montibus, ea valle, cui nomen communicauit, ſubſitus, ideoque agrum nactus ſterilem, & vbere ſtercoratione fœcundandum. Recedit ab arce *Kékkő*, medio in ſeptentrionem milliari, eius ditioni accenſus.

5.) *Alsó-Esztergár*, Slauis, *Dolné-Stribáry*, eadem valle, qua in meridiem decurrit, vicinus priori, conſedit: poſitu ſane haud damnando, quod, & agro gaudet fœcundo, & vineta habet, prouentus egregii; tametſi non deſint, quibus *Acidus*, qui hic ſcatet, *Fons*, Esztergarenſi vino, ſit potior.

6.) *Kis-Szalatnya*, ex nupera ſolitudine, in allodium, arcis *Kékkő*, excultus, anguſto admodum agro, ſed heris tamen, ob vicinitatem, perquam commodo. Heic quoque *Acidarum fons* eſt.

7.) *Szent-Péter*, adhuc eadem *Esztergarienſium* valle, ſedet. Ius vici, inter *Balaſſios*, & *Zichyos*, diſpertitum eſt. Si laxitati, agri benignitas reſponderet, in præcipuis eius ditionis vicis, cenſeri poſſet. Vinum, quod hic gignitur, acidulum eſt, & incolarum deliciis aptum.

8.)

8.) *Zsiblewnjk*, Hungaris *Selenik*, priori adfinis, idemque iucundo nemore, & dumis ſeptus. Agri frumentarii, rufam habent glebam, multo lætamine, niſi fraudari velit colonus, ſubigendam. Vineta, nuper plantari cœpta, ob ſitus malignitatem, vix, pretium operæ ſunt redditura. Eſt *Madátſforum*, partita cum aliis, poſſeſſio.

9.) *Nagy-Zéllő*, Slauis, *Weliké-Zlievvce*, copioſus vicus, & non monte tantum interiecto, ſed agri etiam fertilitate, qui amplus ei obtigit, a vicinis, multum diſcretus. Habet colonos, agricolationis, iuxta & vinetorum, ſtudioſiſſimos, & iuribus *Archiepiſcopatus Strigonienſis*, obnoxios.

10.) *Kis-Zéllő*, Slauis, *Malé Zlievvce*, priori, & ſitu vicinus, & agri bonitate ſuppar. Loci amœnitas, plurimos nobilium, habitatum iſthuc allicuit: quorum prætoria, e longinquo, vrbiculæ quaſi cuiusdam proſpectum habent. In his ſunt familiæ, *Bene de Nándor*, & *Radváry*. Sed agreſtium, eo exilior numerus eſt, quo ager, quem colerent, anguſtior eis obtigit. Colles vitiferi, & adſpectu iucundi ſunt, & fructu. Qui vinum huias, oræ iſtius maxime generoſum putant, nimium forte vico blandiuntur. Collis, verſus *Buſſam* ſurrectus, caſtri alicuius oſtendit veſtigium, quod vulgus, *Hegy-Vár*, adpellat: credo, *Huſſitica* graſſationis, veſtigium eſſe.

11.) *Buſſa*, bellis Turcicis, quam hodie, notior. Nimirum, turrim hic excitauerant accolæ, foſſa, & vallis incinctam, obſeruando hoſti, ac ſi neceſſe fuit, propulſando etiam, deſtinatam. De eius clade ISTVÁNFFYVS: (*l.*) *Eunuchus*, inquit, *Arslanem, cum trecentis equitibus, totidemque peditibus, ad Buſſam miſit, quæ erat modica, e cocto latere, turris, & a* MICHAELE TERCHIO, STEPHANO SVHAIO, ANDREA NAGYO, *ac paucis aliquot*, SIGISMVNDI BALASSII, *militibus cuſtodiebatur. Qui, cum conſtanti admodum firmoque animo eam defenderent, nec Arslanes quidquam oppugnando, ac terrorem admouendo proficeret, ſequenti die, e caſtris, duo millia peditum acciri, & duo tormenta aduehi iubet, quibus locum concuteret, caperetque. Sed, nec ea hoſtium acceſſione, ac continuis ictibus, quibus turris diruebatur, quidquam* Terchius, *& ſocii, perterriti, in defendenda ea, eo fortius & conſtantius, perſiſtebant. Diruta turre, noſtri ſe in vallum recipiunt. Et virtutem eorum Arslanes, admiratus, qui tanta vi, exiguum munimentum, aduerſus tantas copias tuerentur, pacta, cum* Terchio, *& Balaſſianis, incolumitate, iisque abire in tutum permiſſis, turrim & vallum, ſolo aquauit.* Iſte loci occaſus, oppido, memorabilis fuit, deditque documentum ad poſteros, quanta animi, & virium contentione, priſci illi *Hungari*, ſtationes, ad defenſandum ſibi traditas, propugnarint. Iam, ne veſtigium eius munitionis notari poteſt: quippe, cuius fundamenta, ab imo reuulſa, & ſubſtruendis ædibus *Miſzlenitzkyanis*, adhibita ſunt. Ceteroquin, vici ager pinguis eſt; ſed vite, ſi modicum collem excipias, carens. Ditio *Kohárii*, atque *Balaſſiorum*.

l.) Libro XVIII. p. 335, 24.

12.) *Csalár*, vel antiqua ſcribendi ratione, *Csalárd*, Ipolæ adſitus, vicus ſane paruus, & anguſtiore, quam pro loci opportunitate, agro. Hinc vicina deſerta, *prædia* noſtri vocant, ære, ruſticanis vſibus, redimunt incolæ. Sed vineta, vinum gignunt, notæ haud poſtremæ, & quod conuictibus, etiam oppiparis, queat adhiberi. Sedem hic habuit, vir priſci moris, *Michael Darvas* de *Nagy-Rét*, ædibus, in eleuatiori colle, prope templum, opportune ſubſtructis. Aes campanum, quod e lignea turricula ſuſpenditur, ſonorum, atque ita ſuaue eſt, vt e longinquo, humanum, eumque gemebundum cantum, æmuletur. opus antiquum, & ad *Huſſitas* referendum; cui viſendo, turriculam aliquando ſubiimus. Prodiit e vico hoc, celebris olim familia, *Horváth de Voxith*, ſed cuius & nomen, & ſedem, vetuſtas exedit.

13.) *Galábocs*, proximam inde vallem, occupauit, non tam mole, exilis enim eſt, quam agri, & vinearum præſtantia, memorandus. Paret inter ceteros, *Rádaiis*. Modico hinc interuallo abeſt.

14.) *Zobor*, nupera colonia, a *Paullo Prónaio*, huc deducta. Incingitur ſiluis glandiferis, & agro frumentario, haud incommodo.

15.) *Kis-Patak*, prædium, vinetis inſigne. Eſt poſſeſſio *Csemitskyorum*.

16.) *Óvár*, priori limitaneus. *Olvár* priſcæ litteræ ſcribunt, quod arcem, aut ſtabulorum ſtatiua, notat. quæ quidem nomenclatura, locum coniecturæ facit, annon ſtabulationes hic aliquando fuerint, ſiue porcorum, ob circumiecta querceta; ſiue canum venaticorum; quod tota hæc regio, ad has oblectationes facta videatur. Locus nimirum eſt, iucunda valle reſidens, quam hinc colles, vite conſiti, illinc fertiles agri, amœnam faciunt. Subeſt *Kohário*,

17.) *Kis-Sztraczin*;

18.) *Nagy-Sztraczin*, paris ſitus & opportunitatis. Vtrique enim, collini poſitus agri, obtigerunt, qui ideo, & aratra admittunt maturius, ſementemque, & meſſes præbent, pro regionis indole, multo, quam alibi, præcociores. Sed nec vitis colonum fraudat, niſi contraierit anni tempeſtas.

19.) *Ebeczk*, Hontenſibus collimitaneus, *Cereris*, iuxta & *Bacchi*, muneribus excultus. Inter cuius decora merito retuleris, quod natales dederit inclutæ *Ebeczkyorum* familiæ. *Fons Acidus*, iſthic ſcatens, eo memorandus eſt, quod cum verno æſtiuoque ſemeſtri, & acidus ſit, & plane ſulphuroſus; ab ea natura, hieme deſciſcat, penitus, atque fontanæ aquæ ſuppar euadat; hoc eſt, inſipidus prorſus, & ſui diſſimillimus. Heros habet plures.

20.) *Ujfalu*;

21.) *Szklabonya*, confinia loca, riuo interlabente, ita diſcreta, vt ille vicinior ei adſederit, iſte remotior. Vterque modicus, lautior tamen poſterior: quippe, agro præditus laxiore vberioreque. Vinetorum nouelleta, quæ vterque vicus habet, adhuc ſpei ſunt dubiæ. Paret

Digitized by Google

ret *Kohárius*, & *Balaſſius*. quorum aliqui, *Balaſſa de Szklabonya*, olim dicebantur.

22.) *Zsély*, vaſtus omnino vicus, multarumque opportunitatum, quas agricolatio requirit. Nempe, agros frumentarios, oppido fœcundos, paſcua late porrecta, ſiluas, glande & lignatione inſignes, vitem denique habet, egregie ſpondentem. Conſedit, ad occidentale latus amnis *Kürtös*, Hontenſibus limitaneus. Accenſetur ditioni *Kohárjana*.

23.) *Petŏ*, vicus a nobilibus, quorum iuris eſt, inſeſſus, & *Ipole* ab occidente, adpoſitus. Modicus is quidem, ſed habitatu, ob agri præſtantiam, haud incommodus. Pons, quo hic amnis inſtratus eſt, ſumtu prouinciæ redintegrari conſueuit. Seiungitur *Szétsénio*, bis mille, plus minus, paſſibus. Celebratur natalibus familiæ *Petŏ*, quæ haud pridem eſſe deſiit. Eodem *Ipole* margine, ſed in meridiem profundius;

24.) *Kovátſi* adſedit, vulgo *Szétsény-Kovátſi*, ob eius oppidi vicinitatem, dictus. Agro eſt pingui, & agricolationi perquam idoneo. Quia *Ipola* hic lentus profundusque eſt, piſces, puta *Lucios*, *Siluros*, aliosque, liberalius alit. Hinc, frequens herorum, *Tuſſay* atque *Rádváný*, qui vicum allodiis ſuis excolunt, in piſcatione, oblectatio eſt. Proxime abeſt,

25.) *Varbó*, eidem amni hæreſcens, frequentibus incolis, & cum agri bonitate, tum vinetorum præſtantia, inſignis. Tametſi enim, non ita pridem, per colles, meridiano ſoli obuerſos, poſuerunt vitem; tamen, in eum modum profecit, vt vinum iam fundat probum, & ſalubre. Cellas vinarias, non vti alibi, ad vinetorum pedem, ſed in vertice collium excauant, in humo lapideſcenti ſimili. Traiecto amne, vltra oppidum *Gyarmath*,

26. *Szügy* viſitur, locus omnino amœnus: quippe, ſiluoſis nemoribus concluſus. Ager, ingenium *Gyarmathenſis*, ſequitur, eſtque ſiliginis, quam tritici, feracior. Nuper, vicinos montes, vite cœperunt conſerere incolæ, quæ propagata latius, fructum ſpondet eximium. Sub horum radicibus, ſtagnans ille amnis, *Fekete-Viz*, manat; piſcoſus oppido, ſi eſſent, qui eo beneficio frui ſcirent. Poſſeſſio pluribus communis eſt.

27.) *Csésztve*, altius, in meridiem, ſepoſitus. *Slauorum* eſt colonia, rerum egregie ſatagentium. Præterquam enim, quod exciſis ſiluis, quibus loci ager, bellis ſuperioribus, inhorruerat, agros frumentarios, egregia opera, eruderant; certe, iam & vitem pangunt, communi regionis diligentia. Ius vici, inter *Capitulum Strigonienſe*, & *Nobiles* quosdam, partitum eſt.

28.) *Mohora*, copioſus olim, neque iam infrequens, haud ſane importuno ſitu; adpoſitus enim eſt paluſtri amni, *Fekete-Viz*, flutarum in primis, diuiti. Ager, quo circumfunditur, pinguis eſt, ſiluæ adhæc perquam amœnæ. Præbet ſedem, vni e *Schreteriorum* gente.

Fuit antehac, gentis *Vidffy de Mohora*, iam exſtinctæ. cuius ad *Szirág* nobis fuit mentio. Superatis hinc, verſus meridianum ſolem, nemoribus,

29.) *Nándor* ſe offert, egregie poſitus, & frumentariis agris non minus, quam ſiluis præditus. Pertinet, partim ad *Jeszenskyos*, partim ad *Gerhardios*. Vicinus ei eſt a meridie,

30.) *Bodony*, intra ſaltuoſos colles, reiectus. Adhuc cædendis ſiluis vacant incolæ, quas paſſim, per collium latera, operoſe detrahunt, vt agros frumentarios illic ſubigant. Certe, ad eum modum, vaſtitatem agri mitigarunt iam, vt & vitem, haud ſine bona fruge, alat. Molam ſane, acto per longa ſpatia canali, deriuatisque perennibus aquis, ſumma induſtria, eo loco poſuerunt, quo id quidem fieri poſſe haud putaſſes. Spectat ad familiam *Vaj*.

31.) *Szente*, priori ſuppar, ſiue opportunitates, ſiue incolas ſpectes. Paret *Gerhardiis*.

32.) *Romhány*, vltima *Rákóczianorum* clade, anno MDCCX. nobilitatus. Adtritis enim, poſt *Trentſinenſe* prælium, Hungarorum viribus, id dedit operam *Rákóczius*, vt redintegrato quomodocunque exercitu, Cæſarianos adoriretur, & ſi poſſet, a *Montanarum Ciuitatum* poſſeſſione, depelleret. Et Cæſariani quidem, ad *Vadkert*, eiusdem oræ oppidum, caſtra poſuerant, aggeribus & vallis, communita. His ſe *Rákóczius*, ad *Romhány* obiecit. Sed eo non exſpectato, Cæſariani, tametſi numero eſſent impares, inſtructa acie, hoſtem, in patentibus campis, adgrediuntur. Acriter vtrinque pugnatum eſt, at maiore, ab *Hungaris* impetu. Quem, ſi pertinacius, & ſeruatis, vti neceſſe fuit, ordinibus, aliquantiſper congeminauiſſent, parum omnino abfuiſſent a victoria. Iam enim *Germanorum* cornu alterum, turbauerant, & in proximam paludem propulſatum depulerant ex acie; cum *Cæſariani*, alam *Hungarorum* alteram, conuulſis, perpetua glandium eiaculatione, ordinibus, perrumpunt, eaque re, & victoriam hoſtibus, & pugnandi facultatem, adimunt. *Rákócziani* enim pedites, qui cornu alterum, victores vrgebant, deſerti ab equitatu; iamenim in fugam effuſus, terga dederat; deſperata ſalute, alii paluſtribus lacunis merguntur, alii concluduntur a victoribus. Præcipua eo prælio, *Meltzeri*, ſummi vigilarum præfecti, opera fuit. Reliquerat eum *Zikingius*, exercitus dux, ad caſtra *Vadkertenſia* tutanda, dum ipſe, cum hoſte confligeret. Sed, cum primo ſtatim impetu, obtriti, quos diximus, *Cæſariani*, partim fugarentur, partim in paludem, quæ eis a ſiniſtro latere prætendebatur, impellerentur: ille, audito, rem infeliciter geri, eductis, qui intra caſtra fuerunt, L. equitibus, tympanorum pulſu, & tubarum clangore, quaſi ingens aduentaret exercitus, aera complet, atque nutanti aciei, opportune ſuccurrit. Reſumtis ergo animis, *Germani*, hoſtem adoriuntur denuo, & loco motum, in fugam coniiciunt. Rebantur enim *Hungari*, validas ſuppetias, *Germanos* in aciem ſuſcepiſſe, quibus propulſandis, impares ſint futuri. Ad eum modum, disiecto

Rákóczia-

Rákóczianorum exercitu, nihil poſtea, apertis campis, memoratu dignum, ab Hungaris geſtum eſt. Ceterum, vicus *Romhány*, fœcunda planitie conſedit, quam hinc, paluſtris amniculus *Lokuſch*, ſiluæ illinc glandiferæ, includunt.

33.) *Szátok*, eandem, quam *Romhány*, planitiem occupauit, pagus ſane frequens, & cum frumenti, tum vini prouentu, memorandus. Adſcribitur iuribus *Venerab. Capituli Strigonienſis.*

34.) *Tereske*, priori, eodem tractu, collimitaneus, incolarum copia, agri item bonitate, paucis ſecundus. Poſt longam & grauem, inter plures familias litem, *Frideczkiis* tandem, iure hæreditario, accenſus.

35.) *Détár*, ditionis itidem *Archiepiſcopalis*, cuius procurator, noſtri *prouiſorem* dicunt, iſthic ſedem habet. Locus, *Vadkerto*, agri, cum bonitate, tum laxitate etiam, conſimilis.

36.) *Patak*, eiusdem habitus, quem homines colunt induſtrii, vitium non minus, quam ſementis ſtudioſi. Adſidet riuo paludoſo, a quo & nomen accepit, riuum enim, *Patak* nominant Hungari. Vineas, depreſſioribus colliculis, poſuerunt, quibus vligo riui noxia eſſe creditur. Vterque hic vicus, *Détár*, & *Patak*, pignoris primum iure, mille florenorum pretio, in poteſtatem GEORGII III. Archiepiſcopi Strigonienſis, venit, quemadmodum id tabulæ SIGISMVNDI regis, anno MCCCCXXXVI. exaratæ, condocent. quo quidem iure, iam tum anno MCCCCXXXI. idem GEORGIVS, ſtatui ſe in poſſeſſione vici vtriusque curauit, per *Capitulum Váczienſe.*

37.) *Borsós-Birinke*, in confiniis oppido *Nagy-Oroſzy*, loco, inter nemora fœcundo, poſitus. Agris certe & paſcuis abundat, vinetorum inops. Eſt hæredíolum *Madátſiorum*, a MATTHIA Coruino, ob inſigne facinus, bello editum Bohemico, priſcæ huic genti, donatum: id quod in ipſo diplomate legimus.

38.) *Horpács*, viculus exilis, ſed agro fertili circumſeſſus. Vineas, nuper conſitas, adhuc ſine fœnore coluerunt incolæ. Depreſſo in meridiem ſitu,

39.) *Tolmáts* eſt, tenuis omnino, & hinc palude, illinc nemoribus concluſus, venatui peropportunis: præter feras enim, varii generis, auibus etiam ſilueſtribus, quin & bubonibus, abundare dicuntur. Eſt *Biberiorum.*

40.) *Rétság*, priori, ab oriente, vicinus, agro tamen multo ſteriliore. Altius inde,

41.) *Bank* eſt, in profunda valle ſepoſitus, haud pridem a *Slauis* coli cœptus, egregie profecit. Nam, qua collibus, ſiluas detraxere incolæ, agros partim, partim vineta curant, labore non minus, quam fructu eximio. Subeſt *Jeſzenskiis.* Lacum habent admirandæ naturæ, quem vulgus, *Tengeri-ſzem*, hoc eſt, *maris oculum*, vocitat, creditque, per ſubterraneos meatus, communionem cum mari habere. Certe, profunditatis eſt inexpertæ, rotundi adhæc ambitus, quingentarum

tarum plus minus, orgyiarum. Nullis vnquam imbribus, etiam diuturnioribus, tumeſcit; & cum perennem riuulum hauriat, haud tamen obſeruatum eſt, vel latum vnguem aliquando increuiſſe: diminui ſane, etiam feruentiſſimo cælo, viſus eſt nunquam: ſed nec ſæuiente tempeſtate, fluctus facile ciere ſueuit. Piſcium propemodum impatientem aduerterunt accolæ; nam, qui ad marginem capiuntur, ignobiliores ſunt, quam quorum mentio ſit habenda. Ferunt, momento olim lacum hunc exſtitiſſe, humo & ſaxis, ex imo fundo, magno impetu egeſtis. Id ſi eſt, ventos, ſubterraneis cauitatibus compreſſos, iſthic, cum vehementia, erupiſſe, oportuit; aquis, in id concauum ſuccedentibus.

42.) *Felsö-Petény*,

43.) *Alsó-Petény*, vicini conſederunt, agrum ideo, & opportunitates nacti conſimiles. Et ille quidem, iuris *Oſztroluczkyorum* eſt; hic *Jeſzenskyorum*. Præter rem frumentariam, cultu etiam vineatico, excellunt incolæ. Habent ſane, amœno & conſentaneo ſitu, poſitas vineas: quippe, meridiano ſoli exporrectas. In *Alsó-Petény*, rudera viſuntur *Verbóczyani* ſeceſſus, quem ille frequentabat, quoties a curis ſeuerioribus, laxandum putabat animum. Et eſt omnino locus, ad liberales ſeceſſus, a natura comparatus, ſi cultus accederet, etiam modicus. Altius, trans ſaltus & nemora,

44.) *Legénd* obiicitur, vicis adnumerandus opimioribus, ita & *Cerere* valet, & *Baccho*. Ager ei obtigit, totus fere collinus, & hinc, non minus vomeribus commodus, quam ligonibus. Præcipua laus vino huiati, ab accolis tribuitur.

45.) *Guta*, medio inter *Budam*, & *Loſontzinum*, itinere poſitus. Nemora, vico ab oriente adſita, paſcuis luxuriant, reliqua agris per decliuia collium latera ſuſpenſis, lætantur. Sed viti male hic conuenit; aduritur enim frequentibus pruinis, quod ſitui, aquilonibus nimium patulo, adſcripſerim. Acidæ hinc *Gutenſibus* ſunt vindemiæ.

46.) *Felsö-Sáp*,

47.) *Alsó-Sáp*, & nomine, & agro, vicinitateque ſuppares. Illum, *Baloghii* tenent, coluntque; hic *Epiſcopatui Váczienſi*, priſco iure, obnoxius eſt. Loca, frumento potius, quam vino gignendo, opportuna.

48.) *Nésa*, limitaneus *Peſtienſibus*, neque is grandis, agro gaudens amplo vbereque. Vinum, ob depreſſum collium, quibus prouenit, ſitum, a multis damnatur, quaſi auſterum ſit; tametſi meridiano ſole, matureſcat. Subeſt *Kohárius*.

49.) *Agárd*, interpoſitis nemoribus, a priori diſcriminatus, ſed haud iniquie collocatus. Frumento certe, & vino adfluit, ſi annus fauerit. Paret *Jeſzenskiis*.

50.) *Nótencs*, retruſus, inter opaca nemora ſiluasque. Rus diligenter colunt habitatores, eo tamen infelices, quod vineatico ſuo cultu, minus proficiant, cogantque miſeros colles, acetum lacrumari.

51.)

Digitized by Google

51.) *Jenő*, pagus, hac ora, frequentiſſimus, iuxta & feliciſſimus. Conſedit in montium radicibus, quibus & nomen, vt *Jenöenſes* dicantur, communicauit. Situ gaudet perquam commodo, agris pinguibus, vberibus vinetis, ſiluis præterea vaſtis, & ferarum diuitibus. Hinc, de incolarum, qui craſſiores ſunt *Hungari*, occupationibus colligere eſt. Nimirum, colunt, non minus agros frumentarios, quam vitiferos colles, induſtrie. Cum ab his operis ceſſationem habent, venatu tempus extrahunt. Profecto, quod a via regia longius ſemouetur vicus, multarum ignarus eſt moleſtiarum, quas vicini deuorare coguntur. Paret in primis *Jánokiis*.

52.) *Verőcze*, ripam *Danubii*, vno, ſupra *Vaczoviam*, milliari, inſedit, poſitu opportuniſſimo, tametſi frequentibus militum hoſpitiis, obnoxio. Abundant ſiluis cæduis, quarum prouentu egregie proficiunt incolæ; *Peſtienſibus*, nauicularum opc, ligna identidem ſubuehentes. Quin, & vineta ampla habent fructuoſaque, quorum vinum, *Kosdienſe* æmulari poſſe putant, qui biberunt. Reliquus incolarum labor, agris colendis, & cum eſt tempeſtiuum, piſcatione abſoluitur: captura plerumque adeo felici, vt præter minorum piſcium ingentem copiam, antacæos ſubinde intercipiant, eximiæ magnitudinis. Adſcribitur ditioni *Epiſcopatus Váczienſis*. Traiecto Danubio,

53.) *Kis-Oroſzy*, inſulanus vicus, idemque *Neogradienſium*, intra Danubium vnicus, occurrit. Conſedit in occidentali inſulæ, *Tót-Falußienſis*, angulo, loco omnino ſterili, ac ſabuloſo. Diu de vico, cui adſcribendus ſit prouinciæ, *Peſtienſes*, cum *Neogradienſibus*, diſceptauere; adſertus tamen eſt *Comitatui Neogradienſium*: quippe, ad cuius ditionem, inde a retruſa ætate, pertinuerit: id quod peculiari *Oroſzienſium* priuilegio, teſtatum fecerunt *Neogradienſes*. Iisdem enim *Kis-Oroſzienſes*, quil is oppidum *Oroſzfalva*, iuribus olim fuiſſe gauiſos, certum eſt. Quid, quod, teſte Bonfinio (*m*.) *Váczia* quoque, *Neogradienſium* prouinciæ, ætate *Coruinorum*, adſcripta fuerit? *Kis-Oroſzino* reducibus,

54.) *Koſd* ſe ingerit, vitifero colle, *Vaczovia* diremtus. Habuimus eius mentionem, cum *vini Neogradienſis* laudes, ſupra expromeremus. Nam, habet omnino, id encomii, ager *Koſdienſis*, quod vinum gignat generoſum, atque patiens ætatis. Reliqua vici opportunitas, præter inſignia pomaria, agris frumentariis abſoluitur, quos hic vberes obſeruauimus. Mons *Naſzály*, ſuo loco deſcriptus, & decori eſt, frequentiſſimo pago, & vinetis eximio commodo; quod obiectis dorſis, aquilones, teneram vitem facile aduſturos, retundat. Submiſſiores hinc inde colles, dumis iuniperorum inueſtitos vidimus; quorum baccis, turdi adlecti, magno hic numero, cum eſt tempeſtiuum, capiuntur. Alioquin, vici fata eadem, quæ *Vaczienſium*, ſubinde

m.) Decade I. Lib. I. p. 26, 2. initio. *Neogradienſium*, inquit, *vbertate ſoli latum, ciuitas*, Vacia *excolit*: ſi tamen fidendum ſit hiſtorico, Geographiæ Hungaricæ, ac partitionum regni, vltra modum imperito.

fuiſſe, certum eſt. Vix enim vnquam tentabatur ab hoſte *Váczia*, quin eandem calamitatem, *Kosdenſes* quoque, ferre deberent. Eſt ditionis *Epiſcopatus Vaczienſis*. Huic, in vicina valle, adſedit,

55.) *Raád*, gentis *Vajana* viculus, & ipſe vini prouentu clarus, quod *Koſdenſi*, ſi non anteferri, certe comparari poteſt; illud potiſſimum, quod vineta gignunt herilia: quippe, vite conſita *Tokayenſi*. Etſi vero ager vico obtigit probus, & frumenti, ſi rite colatur, ferax; tamen ita ſegnes ſunt coloni, vt vix aratrum habeant, quo agrum queant proſcindere. quod, an nimio vinearum cultui, vel ruſticæ gentis pigritiei, adſcribendum ſit, equidem ignoro. Illud fere metuendum eſt, vt vineis, paſſim a ruſtico cœptis coli, remiſſior poſtea rei frumentariæ, apud *Neogradienſes*, cura habeatur. Tantum eſt.

TABVLA ITINERARIA. COMITATVS NEOGRADIENSIS.

I. In *Comitatum Zolienſem.*

Losonczino, Vidafalvam, Podrecſan, Lónobánya, Vámosfalva, ſeu Mjto; inde per vallem difficillimi itineris, *Fóréſzvölgy*, ſiue *Pilnanská Dolina*, dictam, ad primum Zolienſium vicum, *Detva*. - - - - - - - - mil. 4.

II. In *Diſtrictum Kis-Hont.*

Losonczino, per Pincz, Darócz, in limitaneum Hontenſium vicum, *Osgyán*. - - - - - - - - - - - m. 2.

III. In *Comitatum Heveſienſem.*

Losonczino; per Ráp, vbi ponte ſuperatur *Ipola* amnis, Tarnóczum, Keszy, Salgonem, Homok-Terenye, in oppidum Heveſienſium - - - - - - *Pásztó*. m. 4.

IV. In *Comitatum Peſtienſem.*

Losonczino, ad Tôrincz, inde, per vallem *Rárô*, pone *Ipolam*, cœnoſo extra modum itinere, ſi tempeſtas ſit pluuia, *Múlyadum*, atque hinc, traiecta lintribus *Ipola*, per Szakal, Szétsény oppidum, Surány, Betske, Kövesd, Guta, - - - - - - - - *Acſa*. m. 8.

V. In *Comitatum Nagy-Hont.*

Losonczino, per eandem vallem *Rárô*, Múlyad, Buſſa, Cſalár, Ipoly-Kovácſy, atque *Ipola* ponte traiecta, Hugyag, Traſs, Balaſſa-Gyarmath oppidum, *Ipola* iterum ponte ſuparata, ad *Nagy-Hontenſes*, quorſum velis.

FINIS COMITATVS NEOGRADIENSIS.

COMI-

Digitized by Google

COMITATVS BARSCHIENSIS.

PARS PRIOR GENERALIS.

PROOEMIVM.

PRouincia *Neogradienſium* feliciter ſuperata, *Hontenſis* occurrit; *maior* illa, ſiniſtro; dextro latere, *minor*: vtraque, inſigni terrarum ſpatio, bipartito protenſa. Atque hanc quidem, ob ſituum adfinitatem, deſignare, animo ſederat; niſi deſtinationem eam, notitiarum, quas toties fruſtra implorabamus, inopia adhuc ſufflaminauiſſet. Pergendum tamen porro eſt; ne, ſeu tempus, diuturniore exſpectatione, prodigamus; ſeu, Avgvsti Caesaris, cuius hæc auſpiciis edimus, patientia abutamur. Id vero ita ſumus facturi, vt *Comitatum*

Barſchienſem, perpetuo collimitio, *Hontenſi* maiori hæreſcentem, nunc expromamus: dum & ille, matureſcentibus commentariis, quæ ſub manu ſunt, hoc ipſo volumine, tametſi loco alieno, pro eo, ac decet, luce publica, donari queat. Iſta certe ſituum luxatione, nihil, in vniuerſo hoc lucubrationis genere; aut nobis accidere poteſt ægrius; aut toti operi incommodius: vt proinde, habeat æquus lector, cur, & fata nobiscum accuſet, & noſtræ ſortem hanc ſcriptionis, perdoleat. Iam pedem auſpicato proferamus.

MEMBRVM PRIVS PHYSICVM.

DE

Natura & Opportunitatibus Comitatus Barſchienſis.

SYNOPSIS.

Nomen prouinciæ, ab vrbe Barſch *enatum: eius fines & amplitudo: ſitus ratio.* §. I.

Montium, *qui regionem inſident, genera duo:* Cremniczienſes, *ſiluoſi ſunt alii, alii glabri, ac fere auriferi:* Ujbanyenſes, *lignationis perpetuæ.* §. II.

Montes prouinciæ reliqui: Klyag: Hruſchow: *Mons* Ghymeſienſis: *ceteri: horum varietas, & ad fœcundandam regionem vis: nemora, planitiem inſidentia: dumeta ad* Granum. §. III.

Fluuii, *regionem intercurrentes:* Granus: *qua teneat curſum: eluuionibus, campeſtri regione, damnoſus: de aquis eius querelæ:* Nitra, *oram* Comitatus *perſtringit:* Sitva, *domeſticus amnis: nominis eius, curſusque ratio.* §. IV.

Fluuii riuique, tenuiores: Cremniczienſis, *ex metallis limoſus: aurum vehere creditur* Tollio: S. Crucis: Szklenenſis: Vihnenſis: Zernouicenſis: S. Benedicti *riuus.* §. V.

Fontes *ſalubres, & noxii:* *thermæ* Szklenenſes, & Tollii, *de iis relatio:* Nitraſzegienſes. §. VI.

Regionis vbertas: tractu montano: campeſtri: vini prouentus: frumenti: eſt regio noſtra, montanarum horreum:

Digitized by Google

horreum : probiſſimum frumentum, vbi proueniat. §. VII.
Metalla *prouinciæ, quæ, & vbi eruantur : aurum* Cremniczienſe : *&* Ujbanyenſe : *diues olim eius prouentus : pauperies hodierna.* §. VIII.
Aeris *ingenium : tractu metallico, vitia : ſalubritas alibi eximia : aduerſus accuſatores, defenſio.* §. IX.
Res pecuaria, *in montibus vilior : felicius oues proficiunt : pecorum ſagina.* §. X.

§. I.

BARSCHIENSEM (*a.*) Comitatum, olim, a ciuitate *Barſch*, ita adpellauere, noſtri illi homines, qui regionem, in *Comitatus*, primi diſpertiuerunt. *Ciuitatem* dicimus, quæ hodie, vix nomen vici tenuioris mereatur. Et fuit omnino *ciuitas*, lauta aliquando, probeque, & natura, & arte, munita. Ita eam, præter diplomata, quorum multa nos ipſi legimus, *decretum* (*b.*) CAROLI I. adpellat. Iam *Ó-Barſch* dicitur, quod *vetus Barſchum* ſignificat; regio autem ei adſcripta, *Barſch-Vármegye*; Slauis *Tekouská Stolicza*: quippe qui, *Barſchum*, ſua dialecto, *Tekou* vocant. Clauditur, ab oriente, *Zolienſi*, & *Hontenſi*; ab occidente *Nitrienſi*; a meridie denique, *Strigonienſi*, & *Comaromienſi*, Comitatibus. Itaque, ab aquilone, in meridiem proiicitur. Nam, vbi ex *Cremniczienſium* finibus procurrere cœpit, laxiore hic, arctiore alibi, tramite, in *Danubium* tandem deſinit: ſeptem circiter milliaria longus, duo latus triaue. Verſus boream, montibus inhorreſcit, qui poſtea, eo magis miteſcunt, quo ſe profundius, ſoli meridiano, regio inſinuat, dum aperta lætaque planitie, quæ ad *Lévam* init, a tergo relicta, montibus, denuo immergatur. Neque tamen, inter hos, de quibus diximus, terminos, ita decurrit regio, quin, modo in orientale, modo in occidentale latus, procliuius ſinuetur. quod, vtrum caſu factum ſit, an metatorum incuria, non habemus adfirmare. Nunc, ſingulas eius opportunitates, videamus.

Nomen prouinciæ, ab vrbe Barſch *enatum:*

eius fines & amplitudo:

ſitus ratio.

§. II.

DIximus, montoſam, qua in aquilonem adſurgit, regionem eſſe. Itaque, fas eſt, montium aliquos nominauiſſe: nam, vt

Montium, qui regio-

a.) Ita ſcribimus conſulto, vt antiquo recentique mori ſatisfaciamus. Antiqui *Barcb* ſcribebant, recentes *Bars*: nos vtrumque connectimus, *Barſch*; vt & ab exteris, rite queat pronunciari vocabulum.

b.) Anni MCCCXLII. Corporis Iuris Hung. p. 49. Ciuitas, *inquit*, Barſienſis. Vetuſtior multo, vrbis ea eſt mentio, quam eiusdem CAROLI diploma habet, ad annum MCCCXX. caſtrum *Comáromienſe*, cum THOMA, Archiepiſcopo Strigonienſi, pro ciuitate BARS, in Comitatu Barſienſi, & *Bát*, in Hontenſi, permutantis. Supereſt diploma, in Archiuo Strigon. Archiepiſcopi, Capſa T. numero I.

nem inſident, genera duo:

omnes percenſeamus, in tanto eorum, & numero, & varietate, vix fieri poteſt. Sunt autem, *vulgares* alii, alii *auriferi*. In his, iure optimo, retulerimus:

Cremniczienſes: *ſiluoſi ſunt alii:*

I.) *Cremniczienſes montes.* Duum hi ſunt generum, *glabri* videlicet, & *ſiluoſi*. Atque iſti quidem, altis iugis ſuperbiunt, denſa pino, & procera abiete, veſtiti, ſuntque, *Zolienſis*, & *Barſchienſis* Comitatus, exſtantiſſimi, hac ora, diſterminatores. Ergo, lignationi, ac rei carbonariæ, egregie commodant: quippe, venarum metallicarum, inopes. Arduum hac iter, *Neoſolium* tranſit, quadrigarum tamen, quomodocunque patiens. Id, vbi ad orientale ſuburbium iniit, lentis primum incrementis, in latus montis prorepit, obtorto dein, intra ſiluas, tramite, magis magisque, ſurrigitur. Hic vero demum, frequentibus præcipitiis, per montis articulos, adſurgit porro; dum ad *tres fonticulos*, perenni aqua manantes, eluctetur. Alueum ibi poſitum vidimus, adaquandis viatorum iumentis, factum. Et ſolent omnino, laſſatas vires, qui hac iter faciunt, ſtatione iſta, recreare. Inde, mitius iam mons adtollitur, vsque ad (*c.*) *Virginis*, quem vocant, *lapidem*, qui haud procul a cacumine poſitus, iniuriæ, eo loco, virgini illatæ, peregrinatores commonet. Hoc illud iter eſt, quod Tollivs fecit. (*d.*) *Octiduo*, inquit, Cremnitzii *conſumto*, Neoſolium *perrexi. In itinere iſto, aſperum altumque montem ſuperanti, nihil, præter plantas aliquot rariores, occurrit, cuius mihi intuitus, ſuſcepti laboris moleſtiam leuaret.* Ita eſt, nihil, toto itinere, quod delectet viatorem, in oculos incurrit, præter ſiluarum vaſtitatem, & depreſſas, hinc atque illinc, valles opacas & ſonoras, quæ vocem, etiam modicam, vrgendis forte iumentis emiſſam, multis modis reddunt validiorem. Quidquid eius ſit, nihil montibus iſtis, ad ſuſtentandas *Cremniczienſium* metallicas operas, (*e.*) eſſe potuit, ſeu, ſitu proximius, ſeu, vario opportunitatum genere, exoptatius. Præterquam enim, quod ligni cædui, inexhauſtam, carbonariis officinis, copiam ſufficiunt; riuulos profecto deiiciunt, impellendis machinis, quas in tanto metallorum ſtudio, & multas, & varias eſſe oportet, cum primis idoneos. *Siluoſi* montes hucusque fuere. Quos *glabros* diximus.

alii glabri, ac fere auriferi:

radices eorum dicendi ſunt, varie protuberantes, atque hæ, illis decliuiores. Et hi fere ſunt, qui venas auri habent, ditiſſimas olim, hodie autem, ſi non exinanitas prorſus, tamen, vix tenuiſſimis, priſtinorum temporum, reditibus, camparandas. Obiacent vrbi, a ſeptentrione partim, partim ab occidente.

Ujbanyenſes, *ligna-*

II. *Ujbanyenſes*, his, quos vidimus, ſuppares ſunt exiſtimandi. Gemino autem iugo prorogantur: quorum alterum, vbi ad *Grani* ripam,

c.) Vulgo, *Jungfrauen-Stein.*

d.) Epiſtola Itineraria V. p. 183.

e.) Sæpe vota *Schemniczienſium* audiuimus opportunitate Cremnicienſes in agro ſuo poſſe habere, optantium. Cum enim, & ſiluarum, & riuulorum inopes exiſtant, rebus carere putandi ſunt, eruendis in lucem, liquandisque metallis, vnice neceſſariis; quæ, ſi præſto eſſent, neſcio, an vsquam, in orbe terrarum, maiores, ex metallis, reditus, poſſent prouocari, qua de re, ſuo demum loco.

Digitized by Google

ripam inſurrexit, orientali vrbis latere, vaſto procurſu, in *ſeptentrionem* porrigitur; alterum, iisdem initiis progreſſum, ab occidente, vrbi prætenditur. Opacis, vterque montium ordo, ſaltibus denſatur, ideoque, ſi vſus ferret, lignationis forent perpetuæ. quod annis ſuperioribus, longiore documento, cognitum eſt: cum inſtaurato, vetere puteo metallico, aquarum ſubterranearum, infeſti operis lacus, æterno igne (*f.*) per inſolitas ſyphonum ſubſtructiones, in cuniculos primum, in apricum denique, educerentur. Nimirum, annis pluribus, dies noctesque, perpetui, atque validiſſimi ignes, haud ſecus, quam *tionis perpetuæ.*

Sulphureis ardet fornacibus Aetna,

aheno, cuius feruore machinam librari oportuit, concalefaciendo, ſine ceſſatione, ſubdebantur; vix tamen, lignorum iactura quædam, aduerſa eſt. Illud dolemus merito, ante molitionem illam intercidiſſe, ſuamque ſiluis quietem eſſe redditam; quam, fructus inde aliquis, in hos, qui ſumtus fecerant, redundarit. Iſti vero illi ſunt montes, qui ſeculis ſuperioribus, tantum dedere auri, quantum hodie, votis, etiam auariſſimis, concipere vix queas.

§. III.

QVod reliquum, tota regione, montium eſt, metallis illud quidem, non commoditatibus aliis, caret. quos ideo, *vulgares* diximus. Princeps in his eſt: *Montes prouincia reliqui:*

I.) KLYAG, mons omnino editiſſimus, atque, per *Ofzlanenſem* oram, longo tractu, ad *Nitrienſes* vsque, procurrens. Paſſim, ad eam adſurgit altitudinem, quæ proſpectu eſt, quaquauorſum, maxime in meridiem, longe patentiſſimo. Enim vero, *Ujvarinum*, atque *Comaromium*, ſi cælum ſudum ſit, tamquam e ſpecula hinc deſpicias; tametſi, ad octo, pluraue milliaria, inde disiungantur. Quo vero iucundior, e longinquo, montis obtutus eſt, eo difficiliora ſunt itinera, quæ vltro citroque, transmittit: nempe, hic ſaxis, cæco alibi cœno impedita ſunt omnia. Fuit olim, frequens latronum perfugium, in primis, cum Turcæ graſſarentur. Tunc enim, modo gentis maleficentiſſimæ, modo inſidiis noſtrorum, ſubſidebatur. Poſt hunc, Klyag:

II. HRVSCHOWIENSES montes nominari merentur; non tam, quod illos mole exæquent; quam, quod ſuperent opportunitatibus. Tametſi enim, humiliores ſi ſunt; tamen valent paſcuis, & montano illo pratorum genere, quod, *Lazy*, vulgus dicit. *Caluitia* ita vocant, probatiſſimo gramine veſtita, quod immiſſam pecudem, benigne, non nutrit modo; ſed ſaginat etiam. Vni, ex huius verticibus, arx inſedit, *Hruſchow* dicta; quod nomen, num a montibus acceperit, an iisdem communicauerit, ambiguum eſt ſtatuere. Hruſchow:

III.) GHYMESIENSIS, peculiari iugo adtollitur, & quia *Nitrienſibus* limitaneus eſt, iſthuc radices propagat: haud quidem *Hruſchouienſibus* com- *mons* Ghymeſienſis:

f.) Germanis *Feuer-Maſchine.* quam infra memorabimus; & ad *Schemnicium*, præcipue.

comparandas; attamen, neque ita humiles, quin tota circum regione, ſeſe oſtentent. Cælo liquido, montem, arcemque, ex *Poſonienſibus* vinetis, cum iucunditate, ſpectare poſſis, ad quatuordecim milliaria, in ortum ſolis, recedentem.

ceteri: IV. *Montes reſiduos*, fere, aut ex vicorum, quibus imminent, vicinitate; aut poſitus ratione, accolæ denominauerunt. Saltuoſi ſunt omnes, & non lignationis modo, ſed etiam pabuli, diuites. Itaque, paſſim ſtabulari pecus, oues potiſſimum, accepimus. Neque tamen, campeſtres poſitus, & illic deſideres, vbi confertiſſima montibus eſt regio. Plerisque locis, in planitiem ſubſident, amœnam, fertilemque, neque non late procurrentem; dum, noua iterum montium iuga, ineant. Dici nequit, quantum, montium hæc, diſtincta campis varietas, non iucunditatis modo habeat; ſed momenti etiam, ad agrum, fœcunditate grauidandum. Perennes, ſcilicet riui, hinc, atque illinc, demiſſi, varie regionem pererrant, humectantque terrenum. Magna, & nebularum vis eſt, quas nimboſa montium dorſa, cogunt, quæque poſtea, depreſſos campos, & tunc irrorant, cum alibi, ſiticuloſo cælo, marceſcunt gramina ac ſegetes.

horum varietas, & ad ſecundandam regionem, vis:

nemora planitiem inſidentia: V. Sed, nec *planitiei*, ſua deſunt nemora, dumique, ea potiſſimum parte regionis, quæ e montibus quaſi eluctata, collibus, opportune interſertis, protuberat. Vix hac ora, repereris vicum, cui non ſiluulæ quidpiam admenſum ſit. Itaque, & illic nemoroſa eſt regio, vbi montes deſinunt: at, vbi in campos laxatur, lignationis ſit inops.

dumeta ad Granum. VI. Haud ſilenda hic ſunt, *dumeta*, ad *Granum* amnem, duo, pluraue milliaria, protenſa, Hungaris, *Garam-Berkek*, dicta. quoties belli tempeſtas imminuit, ſingulare incolarum perfugium. Impeditos enim habent aditus: quippe, imperuiis paludibus, inſeſſos. quarum ignari, ſi tentare eas velint, difficultatibus ſe immergunt, ancipitis periculi. Magna hic, ſuperioribus *Turcicis*, iuxta & ciuilibus bellis, hominum, pecorisque, ſeruata multitudo eſt. Pro iſto, quem deſcripſimus, regionis habitu, venatus & aucupium, parciora eſſe cœperant, quam poſſiis reri, ſiue id, venationis licentiæ illi, adſcribendum, quam prohibuere (*g.*) regni decreta; ſiue cauſſis aliis. Iam, quod & aues, & feræ, fœtificant ſecurius, vtrumque genus, pulchre augeſcit.

§. IV.

Fluuii *regionem intercurrentes:* AMœnam, ex ſe regionem, fluuii intercurrunt. quos iam meminiſſe iuuat. Præcipuus in his:

Granus: I.) GRANVS eſt, qui apud GÖMÖRIENSES ortus, poſteaquam *Comitatum Zolienſem*, interluit, infra *Butſchenſes* pylas, in hunc noſtrum, illabitur. In ipſo eius aditu, *Cremniczienſi* riuo augetur, an fœdatur. Hucusque enim, limpidas vehebat aquas; quæ hic, ex metallici incurſu torrentis, liuidi, & limoſi, vitii quidpiam contrahunt. Mox, vbi

g.) Decreto Anni MDCCXXIX. Art. XXII. Vide, hoc ipſo Tomo, p. 10, §. VI. e.

Digitized by Google

vbi oppidum *S. Crucis*, meridionali latere, ſubluit, noua iterum, riui huiatis, acceſſione ditatus, grandior iam manat. Ponte hic inſtratus eſt, tota regione validiſſimo. Tunc, ad duo fere milliaria, per apertam, vberemque planitiem, frequentes vicos præterlapſus, acceptisque iterum; hinc, *Skleneńſi*, & *Eiſenbachenſi*, ſeu *Wihnenſi*; illinc, *Lotſentſi*, atque *Zdánenſi*, riuis, arcuato, ad arcem *Rewiſchtye*, alueo, inter prata agrosque medius, atque ponte iterum iunctus, amœna valle, *Zernowiczium* defertur, amniculo cognomine, & iſthic locupletandus. Ponte, hic quoque, transmittitur, infra oppidum, qua eſt ripis, arcte coeuntibus, validis ſublicis, iniecto. Digreſſus inde, valli ſe inſinuat, prælatis vtrinque montibus, concluſæ, &, nunc huic lateri adliſus, nunc reliſus iterum, vehemens ſtreperusque, decurrit, gemino admodum loco, neque id, niſi cælum diutius ſiticuloſum fuerit, vadoſus. Eadem iſta amnis regione, canalem, magno labore, ſumtuque, nupero *Rákóczziano* tumultu, ad montis pedem, medio fere milliari, duxerant, rei metallicæ præfecti, vt aquam, ad *Ujbanyenſes* officinas, deriuarent de fluuio, vbi

qua tendat curſum:

Fabriles operæ, tudibus (*b.*) *contundere maſſas,*
Feſtinant.

Sed, irritus conatus fuit, quod aquæ, per cataracten immiſſæ, præcipitium defuit, ad lapſum neceſſarium. Iam, rudus tantum, eius molitionis, ſupereſt. *Ujbanyenſem* agrum, eadem valle, præterfluctus, *Cœnobium S. Benedicti*, ſubterlabitur, hauſtoque illic riuo, tandem, in planam apertamque regionem, exſpatiatur. Tunc vero demum, & diffundi latius, &, quia decliuibus ripis continetur, ad imbres etiam parciores, longe lateque, exundare incipit: magno, profecto, regionis, qua eſt humilior, detrimento, eodemque, in annos ſingulos, recurrente ſæpius. Neque tamen ſunt, qui; aut, obiectis aggeribus, amnem coercere; aut, repurgato, ab ingeſtis, arenarum puluinis, alueo, expeditiorem velint reddere. quod vtrumque, minore poſſet impenſa fieri, quam ſunt damna, quæ ex detrimentoſis eluuionibus fluuii, in adſitam regionem, ſueuerunt redundare; ſi id ſibi darent negotii, ad quos, hæ iſtiusmodi curæ, adtinent. Tranſitur, & hac ora, partim vadis, partim pontibus. Præcipuum eſt, quod *Maczy-Brod* vocant, ſed id quoque tunc admodum peruium, cum pro tempeſtatis ratione, exiles ſunt aquæ: nam, alias lintribus, vaſta arbore cauatis, transuehi oportet. Ad *Barſchum*, pons occurrit, vaſti quidem ſolidique operis; ſed quod occidentalis ripa decliuior eſt, ſi modice intumeſcat amnis, aditus inacceſſi, atque etiam exitiabilis, ob cæcas foſſas, quas accolæ, pratis defenſandis, egeſſere. *Barſcho*, a tergo relicto, lenius iam labitur; verum, quia *Maandris* ludit, ingen-

eluuionibus, campeſtri regione, damnoſus:

b.) Molas, ſeu officinas, *tuſorias*, ignoto latinis vocabulo, vulgo dicunt; Germani *Puchwerck*. Melius, ex iſto VIRGILII loco, qui eſt in AETNA, verſu 561. *Tudes* dixerimus *metallicos*.

tes, in ripis, in quas ſemel incubuit, ſinus eluit. quo fit, vt a fontium natura, deſciſcat penitus. Nam, cum illinc aquas accepit limpidas, ſalubresque; hac regione, etiam leuiore pluuia, limoſus fit, & ad potandum moleſtus. Damus ideo, querelæ TOBIAE COBERI, (*i.*) medici caſtrenſis, locum: GRANVS, inquit, *paullo infra Strigonium, ab Iſtro exceptus, ex limo, ſatis canoſo, parum ſalubre ſpirat, nedum, vt aquationi commodiori inſeruiat.* Atqui, diutius ad *Granauam*, (*k.*) cum aduerſum *Quados* militaret, MARCVS ANTONINVS Imperator, ſine exercitus noxa, ſubſtitit; quin, coloniam fere, communitis, prope amnem, caſtris, poſuit. Itaque, tunc noxæ trahunt quidpiam, amnis noſtri aquæ, cum ſunt, ex abraſo limo, fœdæ. Alias, & bibuntur commode, & ſunt vitii expertes. Exit autem *Granus*, in *Strigonienſem* regionem, ſupra vicum *Keménd*, ponte commodo, inſignem. Annis ſuperioribus, auro eluendo, operas adhibere cœperunt, *Schemnitzienſes*, fructuoſis omnino initiis, quæ an reſponderint poſtea erogationi, dicere nequeo. Piſcium, vario genere abundat: maxime, qua ad oſtia *Danubii* eſt propior: illinc enim, ſeminium, non raro accipit. Nimirum, intumeſcente, eluuionibus, amne, fit, vt errore ablati piſces *Danubiales*, in noſtrum hunc, illabantur, genusque poſtea, opportunis gurgitibus, propagent. Iam,

de aquis eius querelæ:

Nitra, *oram Comitatus perſtringit:*

II.) NITRA quoque, in amnibus *Barſchienſium* ponenda eſt. Capita eius, apud *Nitrienſes* dabimus, quæ non eſt opus hic recognoſcere. Curſu iſthic breuiore labitur, quam putaris; vix enim, ad milliare, oram *Comitatus* perſtrinxit, cum alueo, ad ſolum patrium, denuo reclinato, regioni ſe noſtræ, ſubducit.

Situa, *domeſticus amnis:*

III.) SITVA, & vulgari nomine, *Zitawa*, domeſticus amnis eſt. Pluribus ortus fontibus, varie corriuatur. Vbi vero, eodem alueo manare cœpit, iuſti amnis modum adæquat, tunc potiſſimum, cum, a diffugiente, e montibus, niue, aut frequenti imbre, extumeſcit. Alias, ſi tempeſtas ſit arida, vix, ſui veſtigium relinquit; vt torrentem dixeris potius, quam fluuium. Quod regionem percurrit, frumenti, atque tritici, in primis, feracem, *Zitawam* adpellauerunt *Slaui*, amnem *frumentarium*, eo vocabulo ſignificantes. Nam, poſtquam pluribus riuis, e montium, qui ad orientem æſtiuum ſecedunt, conuallibus, egreſſus eſt, diu, intra colles labitur, multa ſegete luxuriantes. Tandem, vno collectus alueo, planitiem ſubit ampliſſimam, neque non frumenti, pabulique vberem; donec, lento aquarum tractu, regionem peruagatus, ſingulari oſtio, in *Danubium* exeat. *Sitva-Torok*, a confluenti nomen eſt, quaſi, *fauces Sitvæ*, diceres. quas A. MDCVI. ſedata perturbatione *Botskaiana*, pax, (*l.*) cum Turcis, iſthic inita, nobilitauit.

nominis eius, curſusque ratio:

oſtium, pace Turcica, *nobilitatum.*

§. V.

i.) Obſeruationum Medicarum Caſtrenſium, VII. p. 40.

k.) Belli hiſtoriam, veſtigiumque caſtrorum, in *Strigonienſi Comitatu*, ad vicum *Bisye*, dabimus.

l.) Eius leges, vide, inter Regni Decreta, ad eundem annum.

Digitized by Google

§. V.

FLuuios tenuiores, qui montana regione, & frequentes ſunt, & torrentum more, rapidi, ac ſtreperi, vehuntur, deſignare nequimus, ob inſignem copiam. Dabimus tamen aliquos. In his ſunt: Fluuii, *vtique tenuiores*:

1.) *Cremnitzienſis* riuus, ab eius vrbis machinis metallicis, quas perenne rotat, delapſus, *Grano*, quod diximus, ſupra *S. Crucis oppidum*, immergitur. Aquas, ex metallorum limo, turbidas vehit, & ſi TOLLIO (*m.*) credimus, auri feraces. *Memini*, inquit ille, *cum Altſolio, Schernouitzium reuerterer, animaduerſum mihi forte* riuum, *in* Granum *fluuium delabentem, e cuius colore cognoſcere mihi videbar*, auriferum *eum eſſe. Iuſſi igitur famulum, vt inde mihi aquam peteret, quo propius eam, & adcuratius, contemplarer. Reſpondit ille, locorum horum omnium gnariſſimus, eundem hunc riuum eſſe, qui* Cremnitzii, *eluendo auro, inſeruiret. Hoc audito, plurimum in illa mea confirmatus ſum opinione, latere, in his aquis, multum auri, quod ſingulari illinc arte, poſſit extrahi.* Vnde vero aurum illud riuo ſe miſceat, paullo ante dixerat, *Tudes Cremnitzienſes*, commemorans. *Debinc*, inquit, *Minera aurifera, per tudes, aquarum beneficio, circumactis rotis, in ſubiecta fragmenta, delabentes, in tenuiſſimum puluerem comminutio, huiusque elotio, aurique ſeparatio, ſpectata eſt. Hoc autem a me obſeruatum, quod, aut ignoratum ipſis, aut neglectum: plurimum auri* CAESARI *perire. Licet enim pluribus ſibi ſuccedentibus, ac ſubiectis capſis, puluerem illum auriferum, aquarum impetu ablatum, excipiant, & ſubſidentem, de tergo eluant, fieri tamen nequit, quin magna, immo forte maxima, auri pars, cuius leuitas, aquæ, aut innatat, aut inhæret, auferatur.* Flammeum *illud metallurgi adpellant, chimici vero* volatile: *non, quod in auras abeat; ſed quod in* deſtillatione, *cum* ſpiritibus, *vna in* recipientem *adtollatur.* Hactenus ille, quod viderint metallorum conſulti, an ita ſint auri prodigi, vt partem eius maximam, quaſi aliud agentes, dilabi patiantur: nos, iſta haud ſiluiſſe, decuit. Cremnitzienſis *ex metallis limoſus: aurum vehere creditur* Tollio:

2.) SANCTAE CRVCIS amnis, priori, & vndoſior, & eluuionibus nocentior eſt. Longiore is multo, quam *Cremnitzienſis*, alueo decurrit. Ortus enim, in ſeptentrionali ea montium regione, quæ eſt in *Nitrienſis*, atque *Thúróczienſis* Comitatus limitibus, præceps, in meridiem fertur, admiſſisque, hinc atque illinc, conuallium torrentibus, ita non raro increſcit, vt valido fluuio ſuppar, late diffuſus, ſtragem, in agris pratisque edat, longe damnoſiſſimam. Exit in *Granum*, prope ad *S. Crucis* oppidum, poſteaquam latus eius orientale, quadamtenus adluiſſet. S. Crucis:

m.) Epiſtola Itineraria V. p. 177. & p. 171. *Tranſcenſis*, inquit, *montibus*, Cremnitzium *veni: ſed, ob iter, quamquam numquam ante viſi, rini auriferæ aquæ, per anguſtam vallem, magno impetu decurrentes, animum meum ſtatim aduerterunt.* Iter, ſcilicet, e *S. Crucis* oppido, *Cremnitzium* ducens, atque eundem hunc amniculum, deſcribit.

Sklenenſis: Wihnenſis:

3.) *Sklenenſis* aduerſa plaga, ſed profundius paullo, ac infra hunc, 4.) *Wihnenſis*, in *Granum* incurrunt. Vterque, *Schemnitzienſium* montibus metalliferis editus, atque *Thermas* cognomines, præteruectus, *Grano* miſcetur. Non ſunt, tam aquarum mole memorandi, quam inſigni eo beneficio, quod intra valles, verſandis machinis, præſtant; namque, pro cæli ingenio, nunc augeſcunt, nunc iterum exinaniuntur. Ille vicum *Sklenno*, Germanis *Glashütten*; hic officinas metallicas, *Windiſchleüthen*; poſtea, vicum, longo protenſum ordine, cui *Wihnye*, & a riuo *Eiſenbach*, apud Germanos, nomen eſt; ac denique *Szénásfalvam*, antequam in *Granum* decurrat, interlabitur.

Zernouiczenſis:

5.) *Zernoviczenſis*, amniculus, & copioſior eſt, & aquis perennior. Vario is riuorum concurſu, in *Welkopolenſium* montibus, enatus, dum plures vicos intercurriſſet, *Zernouiczio*, ab aquilone; ſed in occidentem decliui, illabitur, rigatoque oppido, per quod medius fertur, *Grano* ſe intimat. Quod altis e montibus deiicitur, & rapidus eſt, & ad exundandum, facilis, atque nobis ipſis, cælo, extra modum, pluuio, A. MDCCXXV. huc, ad *Thermas Vihnenſes*, proficiſcentibus, propemodum exitialis.

S. Benedicti riuus.

6.) *S. Benedicti* riuus, naturæ prorſus conſimilis eſt; ſed aquarum parcior, tractuque multo breuiore. Enim vero, e montibus, qui oppido, a ſeptentrione impendent, demiſſus, vix milliare abſoluit, cum ſub ipſo, *S. Benedicti* cœnobio, interluto prius oppido, in *Granum* illabitur.

§. VI.

Fontes ſalubres & noxii:

FONTES, & aquarum ſcaturigines, nihil adtinet conſectari; ſcatent his omnia, potiſſimum, edito illo, montanoque ſitu. Nam, qua in planitiem *Comitatus* porrigitur, fluuiatiles partim, partim puteales aquæ, bibuntur, quod depreſſa regio, fontibus, non æque frequens eſt. Sunt, & acidi fontes, *Bukovienſes* puta, & *Ebedeczenſes*. Quin, & noxios, ad potandum, ſtrumasque bibentibus ingenerantes, ſuis locis, memorabimus. *Thermæ*, quas habet *Comitatus*, merito in celeberrimis, tota *Hungaria*, ponuntur. *Sklenenſes* Slauis, *Glashüttner-Bad* Germanis, vocitatæ. Vtrumque nomen, vico debetur, quod ille, ab officinis vitriariis, quæ iam ceſſauerunt, olim acceperat. Plenam eorum hiſtoriam, alibi (*n.*) exhibuimus, quorſum lectores noſtros dimittimus. Nunc, peregrinantem TOLLIVM (*o.*) ſuffecerit audiuiſſe: *Tandem, Schemniczienſibus, triſti valedicto*, verba ſunt laudati auctoris, *Cremniczium iter inchoaui. Medio ferme itinere,* (*p.*) *thermæ memoratæ ſunt, &, vt ibi ſubſiſterem, effecerunt. Nomen huic*

Thermæ Sklenenſes & TOLLII, *de iis relatio*:

n.) Vide Prodromum Operis noſtri, Hung. Nouæ Lib III. Cap. V p 128.
o.) Loco citato, p. 169. ſeq.
p.) Atqui quadrantem eius itineris vix ſuperauerat bonus TOLLIVS, milliario enim vnico, trans editum montem, thermæ *Schemnicenſes* ſubmouentur.

Digitized by Google

huic loco a Thermis eſt Hungaricum Teplicz, (*q.*) *ab officinis vitriariis Germanicum eſt* Glashütten. *Fontes hic XXX. circiter aut XL. e terra paſſim ebulliunt, admirabili naturæ beneficio. Hos, ea cum voluptate ſpectaui, vt eorum exſultationem, procurſum, incruſtationem diuerſicolorum marginum, viridemque his adhærentem muſcum, & quæ id genus alia, tam adtente contemplatus ſum, vt cibi, potusque, obliuiſcerer, & a famulo, ad reficiendum corpus, reuocari, neceſſe haberem. Nec diu cunctatus, non in præparata, ex his, arte balnea, inſilui; ſordebat enim ars, in tanto naturæ miraculo; ſed uno eodemque tempore ac momento, ad ſiccum & humidum me balneum contuli. Aderat enim ſpecus ingens, in quo, per latentes meatus, adeo calentes exſpirabant halitus, vt copioſiſſimum, e toto corpore, ſudorem elicerent; ſuberatque his meatibus, profluens, e ſaxo, aqua calidiſſima, quæ cum ingredienti præferuida videretur, mox, ab halitibus illis concalefacto, pro frigida erat. Locus autem, arte ruſtica, & leuicula, iniecto aſſerculo vno, & item altero, ita erat adaptatus, vt conſidentibus, humeros, & medium corpus, halitus adflarent, inferiora, aqua tegerentur.* Hactenus noſter. Iam, & ſudatorii ſpecus huius, & Thermarum facies, multo, quam erat Tollii ætate, liberalior eſt. quæ ſingula, adtentiore diligentia, ſuo illo, ad quem prouocauimus, loco, expromſimus, docuimusque vberius, quo ſint poſitu, quo conſtent mineralium temperamento, quasque lauantibus præſtent vtilitates. Hic, & *Wihnenſes*, ſiue *Eiſenbachenſes*, memorandæ ſunt. quas eodem loco, fuſe non minus, quam curate, deſcripſimus. Sunt, & ad vicum *Nitra-ſzeg*, calidarum venæ, ſalubres, vti vulgo credunt, futuræ, ſi lacubus, arte factis, concludi poſſent. Sed quia, *Pöſtényenſium* (*r.*) ritu, frequenter mutant ſcaturigines, modo enim hac, modo aduerſa *Nitræ* amnis ripa, quin inter ipſas, decurrentis fluuii arenas, ſaliunt; perpetuis balneis idoneæ reddi nequeunt.

Wihnenſes:

Nitra-ſzegienſes.

§. VII.

VBerem, natura, regionem eſſe oportere, ex his, quæ diximus, non obſcure poſſis colligere. *Naturam* dico. qua voce, ſimul, cæli ſolique ingenium, connecto. quorum rationes, ſi amice conſpirarint, nihil *Comitatui* noſtro, ad fœcunditatem deeſſe poſſe, iure exiſtimaueris: habito tamen diſcrimine, inter *montanos* illos, *campeſtres*que poſitus. Certe enim, vbi in montes aſperatur regio, vti ſolo eſt ſalebroſo, & ieiuno; ita cælum experitur iniquius. Ergo, fit, vt ſemina terræ commiſſa, ſegnius pubeſcant, ac raro matureſcant, ſine tempeſtatum iniuria: ſolito, montanorum ſituum, malo. Sed, hæc quidem ſoli cælique intemperies, eo admodum tractu dominatur, qui totus, intra montes, retruſus eſt. Nam, qua ii miteſcunt, ſeque in collinos ſitus, quomodocunque explicant, nihil non ruſti-

Regionis vbertas:

tractu montano:

q.) Monendus eſt lector, *Teplicz*, Slauicum thermarum omnium, non Hungaricum, nomen eſſe: nam *Slauicum* loci vocabulum *Skleno* eſt, vti Germanicum, a vitriariis officinis, deductum.

r.) De his, in Hiſt. Comitatus Nitrienſis, Parte Spec. Memb. IV. Sect. I. Num. IV. mentionem habebimus.

Digitized by Google

rusticanorum prouentuum, terra gignit; sola vite excepta, quæ suapte ingenio, aquilones refugit. At, vbi penitus cessare montes occipiunt, ager multo est, non fœcundior modo, sed fructuum etiam varietate instructior. Primo enim, qua collibus, leuiter esse cœpit decliuis, vitem, perbenigne alit, segetes contra, qua in campos diffunditur. Passim, & *Cereri*, & *Baccho*, hospitalis, ex æquo, regio est. Ac, vini quidem prouentus, ad *Granum*, qua colles, soli meridiano obiiciuntur, palmaris habetur. Est vero, laudatissimum vinum, quod in *Csejkú*, *Ribnik*, seu *Szölös*, *Kosmály*, *Sz. Benedik*, *Bszár*, *Krschtyenye*, *Ujfalu*, *Szolmós*, *Podluzan*, & *Léva*, vicinoque tractu, gignitur. Rusticatio reliqua, re, cum primis frumentaria, conficitur. Prouenit nimirum, hic triticum, siligo illic, hordeum alibi, lætissimis incrementis, vt merito, montanarum vrbium horreum, Barschiensem Comitatum adpellari posse credamus. Hinc enim *Schemnitzio* panis, hinc officinis *Neosolienſium cereuisiariis*, quæ ibi, & multæ sunt, & lucrosæ, hordeum sufficitur. Mirari subibat, cum vidissemus, immaturo fructu, *Neosolienſium*, opimiores quosque, &, quibus est, ex hordeacei potus coctura, quæstus aliquis, ad mercatum id genus frumenti, isthuc accurrisse, & peragratis vicis, qui eius semente antecellunt, statuisse frumento pretium, segete, necdum demessa. Variant autem agrorum rationes, seminio non solum, sed huius etiam præstantia. Triticum collini *Zitua* tractus, siliginem *Oszlanenſis*; hordeum *Kozáróczenſis*, vicinusque huic ager, probissimum ferunt.

campestri:

vini prouentus:

frumenti:

est regio nostra, montanarum horreum:

probissimum frumentum, vbi prouenit.

§. VIII.

ISta, quæ memorauimus, sub dio gignuntur: præclara illa omnia, & ad vitam degendam, vnice necessaria. In terræ visceribus, aurum, argentum, & nihil non ignobilioris metalli, latet. Famam profecto auri *Hungarici*, & qui ex eo conflantur, numorum *Cremniczienſium*, hic vnus *Comitatus* in primis sustinet. Olim, cum nondum exinanitæ fuissent venæ, tantorum fuerunt reditum *Cremniczienſes*, non minus, quam *Ujbanyenſes* fodinæ, vt plus detritum operarum vestibus, quam in rationes publicas relatum fuisse auri, hodieque, ciues metallici, referant. Atque, ex incolarum traditione hac, Beccherum hausisse credo, cum alicubi idem, quod nunc diximus, meminit. Id vero, in gratiam Tollii, monendum erat, admirantis, Beccheri relationem. *Mirari hic subit*, inquit ille, (*s.*) *vnde* Beccherus *acceperit*, *cum alicubi memorat*, *fossores plus in vestibus auri auferre*, *quam ad Cæsaris redeat ærarium*; *cum adeo tenues*, *pauperesque hic auri venæ sint*, *vt ad sustentandam loci famam magis*, *quam ob lucrum fodinæ* Caesareae, *continuentur*. Nempe, vetera illa tempora, Saturniorum æmula, Beccherus intelligebat; certe intellexisse debuit. quæ, cum suæ ætatis pauperie, male confudit Tollius. Quod nos, idoneis

Metalla *prouinciæ, qua, & vbi eruantur:*

aurum Cremniczienſe, & Ujbanyenſe:

dies olim eius prouentus:

s.) Ibidem p. 180.

Digitized by Google

idoneis auctoribus, accepimus, iſtiusmodi eſt: ex friabili, diuiteque metalli vena, aurum tunc erui conſueuiſſe: quod, quia puluerulentum erat, ac volucre, veſtibus operariorum hirſutis, plane hæreſcebat, debebatque inde bacillis ante excuti, quam exirent e cuniculis. Sed, cum ne ſic quidem, auri intertrimenta caueri poſſent, id, quod poſt excuſſas veſtes, manſit reſidui, operis, mercedis loco, permittebatur. Qui mos, quia ab auidioribus, in fraudem poſtea fuit verſus, pedetentim exoleuit. Iam, ea ſunt pauperie, vtriusque loci metalla, vt ægre admodum, id quod impendi neceſſe eſt, ex iis redeat: plane, ac ſi altius theſauros ſuos, *Plutus* demerſiſſet, quam eos habebat olim repoſitos. *pauperies hodierna.*

§. IX.

REgionis hanc naturam, aeris ingenium ſequitur, ſalubre illud, & vitæ producendæ, idoneum; haud tamen ſine exſtanti diſcrimine. Nam, qua metallifer eſt tractus, vitii illic quidpiam, ex halitibus minerarum, aer contrahit, qui poſtea penitus inſpiratus, lentore ſanguinem inficit. Itaque, raros iis locis videas, quibus facies rubore ſuffundatur: pallent plerique omnes, ac propemodum, colore ſunt aureo: quippe, auri, ad inediam vsque, ſequaces. Sed id fere in vulgo tantum, & operis metallicis, obſeruaris: quibus vita omnis in puteis, aut cuniculis, ſaltem id genus officinis: deteritur, quæ non poſſunt non, robuſtiſſimos quosque, eneruare, ſuique reddere diſſimillimos. Nam, qui vitam agunt, ab iſtis moleſtiis, vacuam, heic quoque, bono liberalique ſunt obtutu, neque tamen ſine omni noxa. Tametſi enim aeris, quæ diximus, vitia, non æque imbibunt, ob curam corporis, quam adhibent, exquiſitiorem; tamen, ab alio contagionis genere, quantacunque id diligentia, ſtudioque, auerruncatum velint, immunes non perſiſtunt. Aquarum illud eſt maleficium, quæ non hauſtæ tantum, ſed incoctæ cibis, nec aduertentibus, ſtrumas cient, tantæ nonnunquam magnitudinis, quæ molem capitis, aut æquet, aut ſuperet, atque, ſi cute laxiore pendeat, in tergum retorta, ſpurium quaſi caput quoddam, mentiatur. Neque id ſatis eſt ad deformitatem: pectus his, aliis dorſum, in gibbum protuberat; vt difficile ſit, non iſthic, omnibus compitis, videre (*t.*) *Aeris ingenium:* *eius, tractu metallico, vitia:*

Strumoſum, atque vtero pariter, gibboque tumentem.

Aliter ſe habent, regionem colentes, metallis vacuam. His enim, cum ſtatura celſior, compactiorque, tum viuacitas, niſi intemperantia, aut errore quocunque alio, ſe perdant, perennior multo eſt. Vidimus iſtis locis, ſenes decrepitos, eosque multis, grauibusque calamitatibus, ab ineunte ætate, ſubactos, abnepotes tenellos ductaſſe manu, docuiſſeque, prima, labantibus pedibus, veſtigia figere, atque hilare quid, facetumque occinere; tamquam, qui nuper prætextam poſuiſſent. *ſalubritas alibi exulmia:*

t.) IVVENALIS, Sat. X. verſu 309.

ſent. Neque id, in exemplis ponendum eſt inuſitatis; frequentia ſunt, & vicis propemodum ſingulis, obuia. Multa hi nobis, de *Strigonii* prima expugnatione, barbarica, de occupato, a *Botskajo* Ujvarino, ex parentum, qui iſta ſpectauere, traditione, narrauerunt; prorſus his conſentanea, quæ in litteras hiſtorici retulerunt. Et mirum ſane foret, iſta regione, quam toties euerruit hoſtis, peſſundedit ſeditio, qualemcunque ætatulam, homines attingere potuiſſe; niſi eximia illa, ad fouendam valetudinem, aeris placiditas, natiuaque, & ſimplex victus ratio, iſthuc conſenſiſſent. Non ſum equidem neſcius, aliis quoque regionibus, eandem ſalubritatis laudem, communem eſſe; ſed hæc tamen monenda fuerunt, vt criminationes eorum retunderentur, qui oram *Grano* irriguam, tamquam inſalubrem, totisque exercitibus noxiam, pridem accuſauerunt. Non eſt profecto ita, ſed neque eſſe poteſt. Quia enim, aquilonaris regio, ex qua *Granus*, & amnes reliqui, delabuntur, edita eſt, & *Carpathi* radicibus, niuoſis illis, horreſcens, perflatu ventorum inde immiſſorum, & tunc recreari eam oportet, cum alibi, *etheſias* deſideraueris. Id autem, quantum, ad propellendum aeris contagium, commodandamque ſalubritatem, momenti habeat, nemo, niſi omnium rerum ignarus, condocendus eſt.

aduerſus accuſatores defenſio.

§. X.

Res pecuaria in montibus vilior:

QVod ſupereſt, in opportunitatibus prouinciolæ, re id fere pecuaria conſtat. quæ, qualis ſit, non eſt, vt multis explicemus. Intra montes, pecus cornigerum, ex cæli, & regionis ingenio, minutum, & ignobile educatur. cuius quidem rei cauſſæ, ex ſe patent, & nos, ni fallor, pertractauimus, alibi. Certe, vt campeſtri genere, gracilius ſit, exiliusque, conſectandorum paſcuorum ratio, videtur requirere, quæ hic montana ſunt, & ſitu paſſim ita ſuſpenſa, vt a grandibus illis, & obeſis armentis, vix adiri poſſent. Spectauimus aliquando, adtonitis ſimiles, per præruptos petrarum articulos, modico virentes gramine, boues, vaccasue, caprarum inſtar, reptauiſſe, ac propemodum metuebamus, ne caſu quo, ex iis præcipitiis, ad lapſum pronis, in ſubeuntes nos, deruerent. Amicior ouibus, eadem iſta regionis eſt natura: nuspiam enim melius proficiunt, quam in montanis pabulis. Itaque, frequentia, alendæ pecudi vtiliſſimæ, æſtiua ſtabula, incolæ poſuere, in montibus; more haud abſimili, qualem apud *Zolienſes* (*u.*) deſcripſimus. Inde, & caſei, & lanæ, qualiscunque ruſtico prouentus: neque is tamen ad lucrum faciendum; ſed ad ſuſtentandam, amiciendamque familiam. Neſcio vero, qui fiat, caſeum, qui iſthic cogitur, *Zolienſi*, atque *Liptouienſi*, guſtu & pretio, inferiorem eſſe. Sunt, qui aiant, demtum lactis florem, cupidiuſcule ad conficiendum butyrum, transferri, caſeumque ideo macrum fieri ieiunumque. Iidem iſti montani, nemoroſique poſitus,

felicius oues proficiunt:

u.) Tomo Operis II. p. 398.

Digitized by Google

ſitus, qui aut quercubus veſtiuntur, aut fago, porcorum ſimul greges, alunt, ſaginantque: non tam mercatibus, quam rei familiari, idoneos. Iam, quod ad campeſtrem regionem, adtinet, lætiora illic pecudibus ſunt pabula, quæ idcirco, etiam proficiunt exquiſitius. Verum, hic quoque anguſtior eſt regio, quam quæ numeroſiora illa armenta, poſſet ſuſtentare. Multum ſe lucri feciſſe, exiſtimat colonus, ſi iumenta ſubmittere poſſit, ad agricolandum neceſſaria; hoc eſt: boboues equosue, aratris, & quadrigis, idoneos. Raro, neque id, niſi lautioribus e plebe, ſupereſt, quod venundent; tenuiores certe, tum demum in nundinas, vernaculum pecus, depellunt, cum id, vt faciant, res anguſta domi, & alendi militis neceſſitas, cogit. De his hactenus. *porcorum ſagina.*

MEMBRVM POLITICVM.

DE

Incolis & Magiſtratibus Comitatus Barſchienſis.

SYNOPSIS.

Antiqui regionis incolæ: Quadi: Hunni: Auares: Hungari: Slaui: Germani. §. I.

Hodiernorum incolarum ingenium, ex Tollio *deſcribitur.* §. II.

Gentis, eodem teſte, durities laudabilis: agreſte per a genus: vis ſudoris ſympathetica. §. III.

Allii eſus, Hungaris *familiaris, defenſus:* Horatii *conuitium: allium apud* Aegyptios, *inter numina relatum: faſtiditum a* Græcis: *nautis tamen familiare: & obſeſſoribus vrbium: venenis contrait:* Coberi, *de allii, apud* Hungaros, *vſu, relatio: quomodo, aduerſus nauſeam Hungaricam, adhibeatur: agreſtium, in peregrinis, pane, allio, & capis, accipiendis, hoſpitalitas.* §. IV.

Occupationes incolarum, Cremnitzium *adcolentium:* Schemnitzio *propiorum: qui longius, ab vrbibus degunt, quomodo proficiant: militiam olim, qui fuerint ſequuti.* §. V.

Dominia *prouinciolæ:* Saskôienſe: Reviſchtyenſe: Cremnitzienſe: S. Crucis: Lévenſe: Benedictenſe: Kis-Topolcsanenſe: Marothenſe: Verebélyenſe: Sallaienſe. §. VI.

Familiæ Comitatus Illuſtres. §. VII.

Familiæ nobiles: auctoris deſideria. §. VIII.

Prouinciæ Magiſtratus: hodiernus Supremus Comes. §. IX.

Comitiola, vbi celebrari ſueuerint: inſignia Comitatus: tabularium. §. X.

§. I.

Antiqui regionis incolæ, Quadi:

QVADOS, ferum indomitumque genus, ad *Granuam* vsque; id enim amni fuit nomen; fines olim ſuos prorogaſſe, alibi docuimus. Eos, multi ex imperatoribus Romanis, poſt occupatas *Pannonias*, partim armis tentauerunt, partim, quæſitis vndecunque artibus: Marco Antonino autem, nemo felicius, facere officium ſub poteſtatem miſit, coegit. Poſtea,

Hunni:

Attila, *Quados*, inque belli ſocietatem pertraxit. Eo fatis functo, cum *Hunnorum*, nupera admodum reſpublica, conuelleretur, *Slaui* regionem, vel electis, vel in eandem gentem adſcitis *Quadis*, occupauerunt: varie quidem, ab *Abaribus* laceſſiti; ſed ab *Hungaris* demum, per *Arnulphum* excitis, ſub iugum acti. Hæc ſunt priſcorum incolarum, apud *Barſchienſes*, veſtigia. quæ nunc, indice digito commonſtrauiſſe, ſuffecerit. Atque ab ea quidem ætate, ad noſtra hæc tempora, *Hungari*, rerum iſthic perpetuo potiebantur; *Slauis* ſimul, ſed æqua parendi lege, regionem colentibus. Ceteroquin,

Abares: Hungari:

Slaui:

addiſcas hinc, vnde mixti, cum *Hungaris*, *Slaui*, ortum traxerint. Vtrisque, *Germani*, pauciores tamen numero, & intra vicos aliquot repoſiti, acceſſere: verum, qua ætate, aut quibus arbitris, dictu admodum eſt difficile. Nos, quid de eorum migrationibus ſentiamus, in *Nitrienſi*, (*a.*) iuxta & *Thúroczienſi* (*b.*) Comitatu, expromſimus.

Germani.

§. II.

Hodiernorum incolarum ingenium, ex Tollio *deſcribitur.*

INgenium, lingua atque mores, idem hic, apud nationum ſingulas, obtinent, qui vicinorum fuere. Sed iuuat tamen, quæ alibi, ſiue coniectantes, ſiue adſeuerantes etiam, in medium protulimus, laudati ſæpius Tollii, teſtimonio comprobare. „ Quadruplex, inquit ille, „ dum *Cremnitzienſe* hoſpitium deſcribit, (*c.*) incolarum, in montanis „ (*d.*) hiſce vrbibus, *adde, tota regiuncula Barſchienſi*, natio eſt. Vulgus „ fere omne, *Slauonicæ* originis eſt, veſtitu, & lingua gentili, a ce„ teris diſcretum. Ciues plerique ditiores, *Hungari*; & hi quidem, *Hun-*

a.) Tomo hocce Operis IV. Hiſt. Comitat. Nitriens. Parte Generali, Memb. II. Politico, §. I.

b.) Tomo Operis II. p. 306. §. III.

c.) Epiſtola Itineraria V. p. 172. vbi emendandum eſt ſphalma, dum legitur: *Quadruplex incolarum in montanis hiſce vrbibus, natio eſt.* Atqui *triplex* tantum! quot & ipſe recenſuit, *Slauorum, Hungarorum & Germanorum*, quæ gens, inde a priſcis illis temporibus, regionem, vrbesque coluit. niſi *Saxones*, a *Germanis*, minutius quis diſpertiuerit.

d.) Ne ſit errori locus, monendus eſt lector, *ſeptem montanas ciuitates*, per tres limitaneos *Comitatus*, ſparſas eſſe. Duas *Barſchienſis* habet, puta: *Cremnicziam*, & *Ujbányam*, ſiue *Königsbergam*; *Hontenſis* tres: *Schemnitziam*, *Diluam*, & *Bakabányam*, *ſeu Pukantzam*; *Zolienſis* denique duas: *Neoſolium*, atque *Libetham*. Hic, de *Barſchienſi*, non minus, quam reliqua montanarum regione, loquitur Tollius.

Digitized by Google

Hungarica, & *Germanica* vtuntur lingua; *Saxonum* veterum reliquiæ, qui poſt expeditionem GEISAE II. (Andreæ II.) in Paleſtinam, ab eodem inuitati rege, in his oris, reſederunt. At, qui nobiles, & ruri, ac prætoriis plerique ſuis, agitant, veri *Hungari* ſunt, vt & pauciſſimi ex plebe. Reliqui, iique vt plurimum, Cæſaris in fodinis, peculium, remque monetariam curantes, *Germani* ſunt, eorumque numerus perexiguus eſt. *Slauos*, & *Hungaros*, honeſtiores mares, tunica tantum, quæ his breuior, *Slauis* longior eſt, diſtinguit. Vulgus autem *Slauorum*, & exteriore albo pallio, & nigro pileo, rudem in modum adſpectuque ingratiorem eminente, cognoſcitur. *Muliebre*, ſecus, tum veſtitu, tum capitis ornamento, differt; quod item *virginibus* aliud, atque *maritatis*. *Hungaricarum* ex lana eſt; *Slauarum* plerumque ex lino: licet ditiores ex his, *Hungaros* fere imitentur, omni colorum genere tinctis, laneis veſtibus ſuperbiant. Pedes, nigris plerumque, ſæpe & rubeis, flauisue ocreis, induuntur; at *cinctus*, tantum non virilis eſt: caput albo velo, dependentibus in tergum laciniis, operitur. *Virgines*, comam, nullo velamento, ſed circulo, tres ferme digitos lato, e raſo ſero nigricante, aut etiam alterius texti & coloris, margaritis vilioribus, aut ſi tenuiores fuerint, coralliis exornato, incingunt; cui, & floreas corollas innectunt, lætiſſimo adſpectu. atque, ita quidem pleræque, mihi hic occurrebant. Vtraque, circuli huius, non totum caput ambientis, extremitas, vittis ſericis, in triangulum conſtrictis, coniungitur, mox per colla humerosque, ac tergum, diſperſis, pudoremque virgineum, rubedine teſtantibus. Capilli vero, transuerſum a dextra, ſiniſtrorſum, trans illum circulum directi, ſuis in ſe orbibus, reuoluuntur. Pectus his *virginibus* pleriſque, nullis tæniis conſtrictum: *maritatis* autem leuiter dependentibus mammis, donec zona ſuſtententur. Cum in publicum prodeunt, corpus vtrisque, velo quadrato, ad inſtar pallii, ab humeris ad genua deſcendente, incingitur. Hic gentis *habitus*, *cultus*que eſt: *mores* candidi, ſimplices, animi elatiores, & in aduenas olim, ac hoſpites, proniores. Hactenus TOLLIVS, cuius hypotypoſis iſta, viuis, quod aiunt, coloribus expreſſa, eo minus a nobis debuit negligi, quo gratiore animo proſequendum putauimus, boni illius *peregrinatoris*, de ciuibus noſtris, *Hungari*, *Slaui*, an *Germani* ſint, iudicium, & obſeruationem.

§. III.

HIs addenda, quæ de plebe Hungarica, *Neoſolii*, in aduerſaria retulit, atque eadem illa epiſtola, (*e.*) ad KNIPHAVSENIVM ſuum, perſcripſit. *Mores*, inquit, *& victus, veſtitusque ciuium, ruſticaque plebis, iidem, qui iam antea, a me ſunt commemorati: niſi quod in hac mihi turba, frequentior matrum, famularumque occurſus*

Gentis, eadem teſte, durittes laudabilis:

Y 2

e.) Loco citato, p. 184. 185.

ſus fuit, liberos infantes, ad ſiniſtrum pectoris latus, in velo geſtantium, quod deſub altero brachio poſt tergum, ſiniſtrum humerum tranſiens, incluſum infantem, pectorali reuinctum, ſuſtentat. Sed & in his tenellulis, durum gentis morem admirabar, cum paſſim omnes, & in his, etiam nunc a matre rubentes, nudo & aperto capite, cuique cali intemperiei, viderem expoſitos. Ita eſt, hodieque, eo ritu, circumgeſtantur infantes, multo magis, ad conſolidandum corpuſculum idoneo; quam ſi purpurearum faſciolarum contextu, molliter reuincirentur. Immo, ſi quid operis, ſiue domi, ſiue ruri, faciunt matres, humi tenellos, ſine ligamine, ſine cuſtode, deponunt, qui trimeſtre nondum egreſſi, pede altero, ſub clunes reclinato, altero, genutenus erecto, & veſtigia moliente, manibus præfulti, circumrepunt, inque talos ante ſe erigunt, quam id ſperaris: cetera, in ſolidum, compactumque corpus, adoleſcentes. Poſtea, nouum, quod in vulgo obſeruauit, peræ genus,

agreſtis pera, genus: deſcribit noſter. *Nouum & illic, & alibi deinceps alias, ignoratumque* CYNICO DIOGENI, *peræ genus obſeruaui. Panem namque, de plebe homines, qui æſtate plerumque, ſine tunica agunt, & quidquid aliud obſeruandum videbatur, intra induſium recondunt. Memini, mihi, vt gens hæc perhumana, & benigna eſt, panem requirenti, oblatum aliquando, qui hinc, poſt pedeſtre vnius alteriusue milliaris iter, feruente quam maxime ſole, ex hoc penu depromeretur. Slauum*, promum condum hunc, fuiſſe oportuit, qui æſtate, ſuccincta lumbotenus induſia gerunt, atque, ſi vel ruri agendum, vel peregre proficiſcendum ſit, pane, caſeo, allio, cæpisque, opplent. *Hungaris* ſolemnius eſt, religatas agreſtis lacernæ, *Cſuha* veſti nomen eſt, manicas, pro capſis habere, quibus panem, allium, cæpas, lardumque, itineraturi, reponant. Quæ his ſubdit, non ſunt indigna relatu, eo quod ſudoris, quem panis ita

vis ſudoris ſympathetica. geſtatus, imbibit, vim, quæ *ſympathetica* dicitur, meminerunt. *Sane, credo ego, hac de cauſſa fidiſſimos dominis, in his oris, eſſe canes: quos in pueritia aliquando mea, illis fruſta, ſub axillis, ſudore noſtro humentia, mittendo, optime allici poſſe, didici. Neque alia, ſine dubio, eſt ratio, cur* Tartari, *tantopere equos ſuos diligant; nam & hi, carnibus, inter equitandum, ſub ſella, ſudore equino emollitis, veſci ſolent. Ineſt enim ſudori, magna, e corpore exhalantium ſpirituum, vis, quæ, cum ſudore, in panem, carnesque, atque deinde corporis humani refectionem, tranſiens, conuenientia naturæ, amorem conciliat. Noui ego, aliquot huius generis artes, e magia naturali depromtas, quæ amorem, etiam ignotiſſimis, & alieniſſimis, generent.* reliqua Sed, quod artes huiusmodi, nihil valeant, ſua, TOLLIVM, fata docere poterant, ad quæ digitum intendit, eius editor, HENRICVS CHRISTIANVS HENNINIVS, dum, *At ego*, inquit, (*f.*) *vnicam tantum noui:* vt ameris, amabilis eſto: *mirorque, & ſimul iudicium hic deſidero* TOLLII. *Cur ergo non dedit talia philtra, inuidis oſoribus ſuis, vt eos, vel inuitos, in ſui amorem cogeret?* Nimirum, fit toto die, vt plus prudentiſſimi quique, aliis ſapiant, quam

f.) Adnotatione LII. ad Epiſtolam hanc V. p. 213.

Digitized by Google

quam ſibi, & cum alios, egregiam docent fortunam effingere, negligant ſuam. Pergit vero TOLLIVS: *vt ad propoſitum redeam*, Hungaris, *ſatis meapte in vniuerſum fauens, huius, aut illius amore ſingulari, nolui implicari, benigneque hominibus gratias dixi, quamuis nullo dolo malo, ac ſimpliciter iſtas delicias offerrent; non tam faſtidioſus alias, in admittendis, ſumendisque, quæ adponebantur, edulibus*, allio conditis: *ab cuius tamen vſu, tam* HORATII *illa Epod. III. v. 3, quæ* cicutis allium nocentius, *vituperat, poterant deterrere; quam & ingratus, & grauis odor, cui ferendo non ſum, vtpote, delicatioris ſtomachi*, & nucibus moſchatis, & caryophillis, *magis, quam* allio, *adſuefacti.* Hæc ille.

§. IV.

AD *allii* mentionem, quam faſtidioſius ingeſſit TOLLIVS, haud ab re fuerit, id, quod ſentimus, & in gente noſtra aduertimus, iſthic exponere. Ac primo quidem, non ignoramus, conuicia, quæ *Venuſinus* ille vates, homo, vti videre eſt, non agreſtis ſtomachi, *allio* improperauit. Sic vero, ne quid diſſimulemus, eius habet cantilena:

Allii *eſus*, Hungaris *familiaris, defenſus:*

Horatii *conuicium:*

Parentis olim ſi quis impia manu
Senile guttur fregerit:
Edat cicutis allium nocentius.
O dura meſſorum ilia!
Quid hoc veneni ſæuit in præcordiis?
Num viperinus hic cruor
Incoctus herbis me fefellit? an malas
Canidia tractauit dapes?

Poſtea, æſtum, quem ex allii eſu, intimis viſceribus conceperat, deſcribens, ioco hoc, quidquid eſt vituperii, coronat:

At, ſi quid vnquam tale (allium) *concupiueris*
Iocoſe Mæcenas! *precor:*
Manum puella ſuauio opponat tuo,
Extrema & in ſponda cubet.

Iſta, in MAECENATIS prandium, an cœnam? poeta cecinit, idque, pro more ſuo, liberius. At enim, vnius, iſtud conuicium eſt, hominis. Aliter gentes integræ, de *allio* ſenſere. Certe *Aegyptiis*, inter numina referebatur *Allium, cepasque inter Deos in iureiurando habet Aegyptus*, inquit PLINIVS, (*g.*) vbi, laudes quoque, eximiæ huius radicis, legas. Quid? quod *Græci* ipſi, quibus lege cautum erat, ne, qui *allio* veſcerentur, Matris Deum ſacrarium, auderent ingredi; nautis tamen, inter optima obſonia, allium, commeatus loco, ingeſſerint; *Athenienſes*

allium apud Aegyptios *inter numina relatum: faſtiditum a* Græcis:

g.) Lib. XIX. Cap. XVII.

Digitized by Google

potissimum, Græcorum, & doctissimi, & elegantissimi. Hinc pro-
nautis tamen familiare: uerbium: *allium in retibus:* quod, tamquam penu quodam repositum, in nauibus adseruaretur. Eum morem, & Romani, suum fecerunt postea, quod ex PLAVTO in *Pennlo*, addiscas:

Tu autem plenior
Allii, vlpicique, quam sunt Romani remiges.

& obsessoribus vrbium: Sed præter nautas, in obsidionibus vrbium, veteres *allium* mandebant: credo, vt essent, aduersus castrenses morbos, tutiores. Ἀσίτημα τὸ πόλεως σκόροδα: id est: *Perdo allia in obsidione*: vti est apud SVIDAM, & ex eo, in ERASMI Chiliadibus. Quin, & venenis, præsumtum *allium*, *venenis contrait:* contraire, auctores meminerunt. Huc illud AEMILII MACRI pertinet:

Hæc ideo miscere cibis, messoribus est mos,
Vt si forte sopor fessos depresserit artus,
Anguibus a nocuis, tuti quiescere possint.

Quod & PLINIVS (*b.*) perhibet: *Allio, magna vis*, inquit, *magnæ vtilitates, contra aquarum, & locorum mutationes. Serpentes abigit, & scorpiones, odore.* Eccur ergo fastidiamus *allium?* Prudenter vtrumque, ab *Hungaris* nostris aduersum est, teste COBERO. (*i.*) *Aquarum,* Coberi, *de allii, apud Hungaros vsu, vulatio:* *promiscue omnium, noxam*, scribit ille, *fœtores, cruditates, limum, saburras denique*, RECEPTISSIMO ALLII VSV, *Pannones corrigere solent; ita quidem, vt omnibus ab hac sola antidoto, aduersus quoduis venenum, tutissima alexipharmaca, mutuari posse, certo sibi persuadeant.* ALLIVM *igitur, huic genti, non minus in deliciis, non minus familiare, non minus quotidianum, quam panis ipse: quin, multos reperias, qui hoc tutius, quam illo, carendum censent.* Castrensem hic conuictum Hungarorum, describit COBERVS; in quo allii vsus fuit omnino frequentissimus: vt & cibus esset, & medicina. Fit ea hodieque, aduersus *nauseam Hungaricam, Csömör* ei patrium nomen est, non vulgo tantum; sed etiam *quomodo aduersus* nauseam Hungaricam *adhibeatur:* apud delicatiores. Aceto scilicet intritum; fricandis artubus, successu ad prodigium vsque felici, cum cura adhibetur. Qui enim, eum in modum, semel atque iterum, sunt delibuti, prostratas, toto corpore, vires, recipiunt denuo, &, e torpore, quem morbus ille, suo more, induxerat, ad se redeuntes, cum cibi adpetentiam recuperant denuo, tum ad opus faciendum, vegeti redeunt atque hilares. Esu tamen *allii*, vulgus vt plurimum oblectatur; nam, qui sunt delicatiore stomacho, non minus id, quam TOLLIVS ipse, fastidiunt. Comeditur autem, sæpius fere crudum, quam incoctum, potissimum, vbi, vel ientacula, vel merendæ, ab agrestibus operis, sumuntur. Memini-
agrestium, his peregri- mus, cum itinerantes, hospitia rusticana subiuissemus, *panem, allium,* atque *capas*, ad primum ingressum, adpositas nobis fuisse. qui idem

mos

b.) Lib XX. Cap. VI.
i.) Obseruat. Medicarum Castrensium VII. p. 36. Adde, LVDOVICI NONNII Dietetion, Lib. I. Cap. XXV. p. 78.

Digitized by Google

mos adhuc paſſim, & apud *Barſchienſes* obtinet; vt aduenas in aedibus ſuis, oblato ſtatim pane, allioque, conſalutent. Et ruſticitatis omnino foret, has cupedias, ſaltem extremis labris non deguſtauiſſe. Ceterum, qui genti noſtræ, allii, cæparumque eſum, mordacius exprobrant, faſtidioſiſſimi, ſcilicet, homines; his ego, STILPONIS memoriam, ATHENAEO (*k.*) præeunte, refricuerim. Meminit ille: STILPONEM *Philoſophum, confiſum ſua temperantia, cum allium commediſſet, in templo* MATRIS DEVM, *obdormiiſſe; Deam in ſomnio illi dixiſſe: Philoſophus es,* O STILPON! *& ſacras tamen (l.) leges violas? viſum ſibi fuiſſe, hæc reſpondere in ſomniis:* PRAEBE MIHI, QVOD EDAM, ET ALLIO NON VESCAR. tametſi, his precibus, *Hungari* non indigeamus, ob naturæ, qua eſt in patriam noſtram, profuſam benignitatem.

nú, pane, allio, & capú accipiendú, hoſpitalitas.

§. V.

SEd, in viam, ex diuerticulo iſto, redeamus, plebis, quæ regionem incolit, occupationes luſtraturi. Ac, vici quidem, *Cremnitzio* collimitanei, poſt agreſtes operas, duras eas, neque ob ſituum iniquitatem, colono, ex æquo reſpondentes, hoc potiſſimum agunt, vt ex vrbano commercio, referant lucelli quidpiam. Itaque, præter ruſticanas merces, frumenti, ſcilicet, varium genus, legumina, & annonam quamuis aliam, res item, metallicis operis neceſſarias, in vrbem inuehunt. Nam, ſunt omnino, ruſticorum plerique, carbonarii, aut materiarii. Illi, ſtatis diebus, carbones, ad liquanda metalla, vel quadrigis inuehunt, vel iumentis onerariis: iſti, trabes ſublicas, &, quod reliquum eſt materiæ, ſuſtentandis puteis, atque cuniculis, idoneum. Vtrorumque, eo fructuoſior eſt occupatio, quo ſunt vrbi viciniores. Sed, nec feminis, a quæſticulo faciendo, vlla eſt ceſſatio. Panem hæ cibarium, album illæ, aliæ ſpirulas, grati ſaporis, coquunt, & ad fora *Cremnitzienſia*, quin *Neoſolienſia* etiam, deferunt. Atque hi quidem, *Germani* ſunt, indefeſſi laborioſique homines. Qui ex eadem gente, propius ad *Schemnitzium* degunt, iisdem fere mercibus, vrbem frequentant: *Hochwieſenſes* in primis, & his viciniores ad vrbem, *Zernowiczenſes* oppidani. Panificio hi valent potiſſimum, tametſi careant agro frumentario, qui perpetuis piſtrinarum operis ſufficeret. Proinde, coemto vndecunque tritico, opus habent, quod mariti iumentis comportant, moluntque; matronæ, in panes excoquunt. Tota ſcilicet ea curatio, ad matres familias pertinet, qua illæ, mira aſſiduitate, defunguntur. Enim vero, ad ſingula hebdomadaria *Schemnitzienſium* fora, permultum panis, vel ipſæ, equites inferunt, vel per viros, plenis caniſtris, ſubmittunt. Panis, qui

Occupationes incolarum, Cremnitzium *adcolentium*:

Schemnitzio propiorum:

k.) Dipnoſ. Lib. X. Falluntur, nimirum, *Germanorum* illi, qui *Hungariam* a fame, ſua lingua, HVNGER-LAND dictam, iactant, haud ſine conuicio.

l.) Eæ ſunt, quarum paullo ante meminimus, quibusque ſacrarium *Matri Deum* ſubire, vetabantur, allio paſti.

qui iſthic fit, non tam candore commendatur, quam ſaporis, qua eſt, præſtantia. Occupationes hæ fere ſunt eorum, qui vrbes accolunt: qui longius inde abſunt, &, vel agro valent, vel pabulis: iisdem rebus, vt proficiant, impenſe curant. Ergo, quidquid fœni, aut auenæ habent, huc venum deuehunt: eo felices, quod merces has agreſtes, numquam non, ære commutent, numerato eo, & quaſi calente adhuc, ex monetalibus formulis. Sunt quoque, qui aurigatione, *Neoſolio*, *Piſonium*, *Viennam*ue, ſuſcepta, rem ſuam auctitent. Reliqui, genus vitæ ſequuntur, ruſticum prorſus, & cum rem agrariam, tum pecuariam quoque, pro natura locorum, impenſius curant. Cum *Turcæ*, in vicinia, rerum potiebantur, multi incolarum, militiæ nomina dabant, atque in his, *Lévenſes* maxime, *Kiſs-Topolcſanenſes*, & *Verebélyenſes*. Quorum poſtea non pauci, hoſtibus reiectis, perpetuam illam, prædandi in hoſtico, adſuetudinem, in rapinas domeſticas conuerterunt. Nunc, quæ eſt temporum tranquillitas, gladiis, in vomeres procuſis pulchre & hi ruſticantur. Scilicet:

qui longius ab vrbibus degant, quomodo proficiant:

militiam olim, qui fuerint ſequuti.

Tempore ruricolæ patiens ſit taurus aratri.

§. VI.

IAm, quibus dominationibus, vulgo *Dominia* vocant, definita ſit regio, videamus. Plura horum ſunt, iſthic in compendio memoranda, dum adcuratius infra, fuſiusque, deſcribantur. Sunt vero:

Dominia prouinciola:

Sas-Köienſe: I.) SAS-KŐIENSE, metallicæ *Cæſareo-Regiæ Cameræ*, accenſum, & vicis, præter arcem cognominem, circiter XIII. deſcriptum. *Lippaiorum* hæredium fuiſſe olim, idoneis auctoribus, didicimus; ſed, quod illi, cum *Caſſenſi*, quæ apud *Trenſchinenſes* eſt, ditione, adnuente rege, permutarint.

Reviſchtyenſe: II.) REVISCHTYENSE, iisdem *Cameræ metallicæ* iuribus adſcriptum. Ad *Doczyos* aliquando pertinuit. quibus ſine hærede, prorſus emortuis, fiſco regio acceſſit. Habet vicos XII. & oppidum *Zarnócz*.

Cremnitzienſe: III.) CREMNICZIENSE, facile, antiquiſſimis adnumerandum, quod tunc vrbi adtributum eſt, cum de eius incremento, in primis ſolliciti fuere, optimi illi reges, qui *montanas ciuitates*, conſtituerunt. Sunt ei vici ſeptem.

S. Crucis: IV.) S. CRVCIS, paret id *Archiepiſcopatui Strigonienſi*, cenſetque in ſua ditione, præter oppidum, a quo nomen communicauit, vicos fortean XV. ſeptentrionali *Grani* latere, varie ſparſos.

Lévenſe: V.) LÉVENSE, inſigne omnino, atque opimis vicis inſeſſum; ſed quorum non pauci, adhuc in pignore ſunt. Paret principi PAVLLO ANTONIO ESZTERHÁZY.

Benedictenſe: VI.) S. BENEDICTI, eſt id in ditione *Venerabilis Capituli Strigonienſis*, atque, præter oppidum, nominis eiusdem, vicis circiter XX. definitur.

VII.)

Digitized by Google

VII.) KIS-TOPOLCSANENSE, ab oppido ſic dictum, vicis XI. conſtans. Eſt nunc in poteſtate Comitis *Caroli Zichy de Váſonykő.* Kis-Topolcſanenſe:

VIII.) MARÓTENSE, quod, cum cognomine oppido, ac vicis forte an ſeptem, iure hæreditario, genti *Puluskianæ de Aranyos Maróth*, benigniſſimi regis indultu, noſtra ætate, adſcriptum eſt. Marothenſe:

IX.) VEREBÉLYENSE, priſca, *Archiepiſcopatus Strigonienſis*, hæreditas, oppido cenſa, atque vicis hoc Comitatu, *tribus*, & *medio.* Verebélyenſe:

X.) SALLAIENSE, abſoluitur id hac prouincia, oppido, & vicis quatuor. Eſt *Archiepiſcopi Strigonienſis.* Sallaienſe.

§. VII.

FVere haec, Comitatus *Barſchienſis Dominia.* Quod ab his, regionis eſt reliquum, illuſtres partim, partim nobiles familiæ, ſparſim poſſident. In illis numerantur, vt earum nomina, ex *alphabethi* ordine, promamus. *Familiæ Comitatus*

1.) ESZTERHÁZY *de* FRAKNO, ea nimirum gens, cuius ab auo, PAVLLO ESZTERHÁZY, ſummo viro, & *Regni Hungariae Palatino*, inuſitata LEOPOLDI M. benignitas, axioma S. R. I. Principis, in primogenitos, perpetuo propagandum traduce, adtribuit. Hodie, PAVLLVS ANTONIVS. quem nunc laudauimus, rerum potitur. *Illuſtres.*

2.) ESTERHÁZYII, Comites de Galantha.

3.) FORGÁCS, de *Ghymes*, gens omnino vetuſtiſſima, atque iſto Comitatu, iam tum, ante annum MCCXC. cognita.

4.) PÁLFFY, ab *Erdőd*, laudata alibi familia. In eius nunc poteſtate ſunt, *Ozsláný* oppidum, atque prædia *Cſuda*, & *Leáwy.*

5.) ZICHY, *de Váſonakő*, *Szent Miklós*, & in *Oroſzvár*; ad quos, poſt nupera *Balaſſianæ*, filiæ *Adami Zichy*, fata, *Kis-Topolcſanenſis* dominatio, poſtliminio rediit.

6.) MAJTHÉNY, *de Keſſelő-kő*: gens *Nitrienſi Comitatui*, vnde prodiit, ſuo loco, adſcripta. Eſt *liberorum Baronum* prærogatiua inſignis, atque plurium, noſtra hac regione, vicorum hæres.

7.) His adde illuſtres familias: *Comitem* CAROLVM HVBERTVM OVDAILLE, anni MDCCXV. Comitiis, inter Hungaros relatum: *Barones* item *Révay*; *Amade*, de *Varkony*; *Boſſány*, de *Nagy-Boſſány*: vt nobilium, priſca, recentiaque nomina, ſileamus; tum in mentionem ventura, cum vicorum poſſeſſores ſingulares, deſignabimus.

§. VIII.

PRima hæc prouincia, *cis-Danubianarum* eſt, quæ adhuc, magiſtratibus temporariis, regitur: hoc eſt, SVPREMOS COMITES habet, *ambulatoriæ*, quod noſtri vocant, *dignitatis.* Nempe, ſi is, qui REGE indulgente, regiunculæ præfuit, fato fungitur; non id axioma genti eidem, ex qua magiſtratus ille fuit lectus, proprium re- *Prouincia Magiſtratus:*

linquitur; ſed ei a REGE confertur denuo, qui, & probatæ in principem ſit fidei, & rebus, cum cura adminiſtrandis, idoneus. Longa retro auorum ſerie, plures fuere *Georgii*, qui ea dignitate emicuerunt. Puta: GEORGIVS LIPPAY, item GEORGIVS SZELEPSÉNY, vterque Archiepiſcopus Strigonienſis; GEORGIVS, *Comes Erdödy de Monyorókerék*, ſenior; atque hodie, itidem *Comes Georgius Erdödy de Monyorókerék*, ærarii regii præfectus, & S. Reg. Hung. Coronæ cuſtos. qui rebus *Comitatus*, ſumma cum adprobatione prouincialium, hodieque moderatur. *Feliciter!* Comitiola, ſeu *Congregationes*, ſi quæ in prouincia cogi neceſſe ſit, antea plerumque *Kis-Topolcsáni*, rarius *Ujbánya*, aut *Léva*, nunc creberrime, in *Aranyos-Maróth*, vbi domus ei fini excitata eſt, aguntur. Nihil heic, quod non dictum ſit alibi, monendum habemus: adeo omnia, iisdem legibus, atque inſtitutis, & fiunt, & a magiſtratibus adminiſtrantur. INSIGNIA Comitatus, tres ædes ſacras referunt, quas arcuato alueo, & quaſi meandris luderet, fluuius interluit. regione ſcuti ſuperiore, duas, easque ſimplices cruces, referente. Si in re dubia, hariolari liceret, dicerem, totidem cœnobia, quæ *Comitatus* habeat, ſignificari. At enim, quænam illa? coniectatu difficilius eſt. Forte, vnum quidem, S. BENEDICTI fuerit. reliqua, non auſim deſignare: licet (*k.*) ſint, qui *vetus* & *nouum Bars*, eſſe velint. Fluuius interlabens, *Granus* eſt, longo tramite, per regionem decurrens. *Tabularium* denique, quod & *Archiuum* dicunt, in arce *Hruſchow*, hucusque, omni cura, ſeruabatur; iam Maróthum deportatum accepimus Atque, hæc quidem, generatim, de *Comitatu Barſchienſi*, dicta ſunto.

hodiernus Supremus Comes:

comitiola, vbi celebrari ſuenerint:

inſignia Comitatus:

tabularium.

PARS SPECIALIS
DE
Proceſſibus Comitatus Barſchienſis.

PROOEMIVM.

QVæ hucusque diximus, ad generalem, incluti Comitatus, hiſtoriam pertinent: nunc deinceps, ea demus, oportet, quibus ſingula ſigillatim, in luce ponantur. Sequemur heic quoque morem noſtrum, atque, ex huius præſcripto, regionis, qualis ab immemorabili tempore obtinuit, partitio-

k.) Auctor Chorographiæ Hungariæ, p. 133.

titionem expromemus. Diſpeſcitur autem *Comitatus* vniuerſus, in *Proceſſus*, vti adpellant, quatuor: *Oſzlanyenſem*, *Lévenſem*, *Kis-Topoltſchanenſem*, & *Verebélyenſem*. De his, ordine iam dicendum erit.

MEMBRVM I.
DE
Proceſſu Oſzlanenſi.

LAte is quidem porrigitur, totam eam regionem complexus, quam ibi *Granus* interlabitur; hic *Cremnitzienſium* ora definit; alibi montes, *Oſzlánum*, & *Kis-Topoltſchánum*, intercurrentes, deſcribunt. Bifariam eum diuiſere: vt pars ſuperior *Granenſis Diſtrictus*; inferior, *Oſzlanenſis* ſpeciatim dicatur. Noſtra nunc, quin & lectorum intereſt, vt vrbes, oppida, arces, vicosque, tractus vtriusque, pro eo, ac res poſcit, deſcribamus.

SECTIO I.
DE
Liberis, Regiis, Montanisque Vrbibus Proceſſus Oſzlanenſis.

DVæ ſunt, prouinciolæ huius, *Liberæ Regiæque Vrbes*; ac hæ quidem, inde, retruſiſſima ætate, in *Montanis*, ſeu metallicis, iure quodam ſuo, relatæ: CREMNITZIVM puta, & REGIOMONTVM Hungariæ. Vtramque deſignabimus.

I. HISTORIA VRBIS CREMNITZIENSIS.

SYNOPSIS.

CREMNITZIVM, *Vrbium montanarum, metropolis: huius origines indagantur: de etymo nominis, coniectura: an a* Granniis, *populis* Scanziæ, *ſit vrbis denominatio.* §. I.

Vrbis exordia, ad Colomannum *relata: eius ſententiæ rationes:* CAROLI I. *in vrbem propenſio: reliquorum regum in* Saxones, *liberalitas:*

litas : Cameræ Cremnitzienſis *vetuſtas.* §. II.

Lvdovici I. *benignitas :* Sigismvndi *ſollicitudo : reges eum ſequuti, quomodo erga vrbem, & metalla, fuerint adfecti.* §. III.

Cremnitzii *ſitus : Vrbis, ex* Tollio, *deſcriptio : eius porta : atque mœnia.* §. IV.

Aedificia vrbis, ſacra, profanaque : ædes Adſumtionis *B. V. M. & PP.* Franciſcanornm : *reliquæ vrbis domus, & harum priuilegia : quando ea cæperint, & a quibus regibus fuerint confirmata :* Hungarorum, & Slauorum, *irrita querela.* §. V.

Domus Archiepiſcopi Piſetaria : *eius rei origo :* Piſetariorum *officium, ex* Caroli I. *decreto : metallorum cultus diminutus, cur ?* Piſetarii *reiecti, iterumque reſtituti :* Piſetariorum *munus,* Ferdinandi I. *temporibus.* §. VI.

Camera Cæſareo-Regia : *eius ædificium : officina monetaria, a* Tollio *deſcripta : noua, ſignandæ monetæ, ratio : formæ numorum* Tökölii, *a* Tollio, *hic obſeruata.* §. VII.

Rákóczii, *in re monetaria, noſtra ætate, maleficium.* §. VIII.

Origo Cameræ Cremnitzienſis, *ex auctoris ſententia.* §. IX.

Eiusdem habitus hodiernus : Comitis Cameræ *officium :* Quæſtoris, & Comentarienſis, *accepti & expenſi munia.* §. X.

Reliqui operarum præfecti : explorator monetalis : procurator Cameræ : montium & ſiluarum magiſter : ſculptor ferramentorum : fodinarum procurator : ſupremus Commentarius : *ſcriba metallicus : promus condus : tribunus monetariorum, ſeu libripens.* §. XI.

Cauſſa, cur hæc adnotarit auctor : conſultationes metallicæ : earundem ratio : vtilitas : iudicium montanum. §. XII.

Metallifodinæ Cremnitzienſes : *duplex earum regio :* poſterioris putei : Rudolphi : S. Annæ : Kribanus : *vitriolum huius fodinæ a* Tollio *laudatum :* Matthiæ : Leopoldi : *Diuinæ benedictionis : Grundſchacht :* Anterioris putei : *opacæ ſtellæ :* Sacræ Triadis : *numerus auratiarum Cæſaris : officina fuſoria : vitrioli albi coctura : quomodo fiat, ex* Tollio *docetur.* §. XIII.

Vrbis, & priuatorum auraria : ſolertia Cremnitzienſium *in iis colendis, laudatur : vrbani cuniculi tres : priuatorum fodinæ :* Rothiorum, *ſumtus eorum annui :* Schindlerianæ *ſocietatis :* Laurentii Bukowa. §. XIV.

Vrbis

Vrbis incolæ Germani: *eorum, ac plebis in primis, occupationes, ingenium, mores, & lingua: primorum linguæ indoles: eorum iusta defensio: vrbanæ iuuentutis elegantia: lati mores.* §. XV.

Cremnitzienſium *familiæ, & harum, quæ hodie floreant: earum, in eruendis metallis, adſiduitas.* §. XVI.

Magiſtratus vrbani: eius eligendi ritus: pompa ſenatorum funebris: ſenatus exterior, & eius occupatio: iudicium ſeptem montanarum vrbium: duplici, vrbs, iurisdictioni, *obſtringitur.* §. XVII.

Arx, vrbi coædificata: eius mœnia: templum S. Catharinæ *dedicatum: turris: familiarum inibi, emortuales cryptæ: turris humilior.* §. XVIII.

Suburbiorum amplitudo, & vici: Xenodochium, *cum ade ſacra* D. Eliſabethæ: *tribuni, ſuburbanis dati.* §. XIX.

Riuus Cremnitzienſis: *eius capita: ductus, operoſe facti: quid præſtet vtilitatis: limo fœdatus, in* Granum *illabitur.* §. XX.

Ager vrbis, aſper eſt, & ſterilis: montium adſitorum nomina, & poſitus: laus pomariorum: horti Rothiani: *aeris excuſatio: vnde ſtrumoſi, & gibboſi?* §. XXI.

Vrbis fata: infeſtatur ab Huſſitis: *eſt in ditione* Giskræ. §. XXII.

Intercipitur a Botskaii *emiſſariis: quæ inde acceperit detrimenta: a* Bethlenio: & Georgio Rákóczio, *occupatur:* Tökölii *ſeditione, quid paſſum ſit* Cremnitzium: *nuperæ* Rákóczianorum *iniuriæ.* §. XXIII.

Fit malorum officina: character hominum eius temporis: redit vrbs A. MDCCVIII. ad Cæſarem. §. XXIV.

Vrbis opes, a regibus acceptæ, quibus vicis abſoluantur: eorum coloni: vrbani reditus vnde? expenſarum ratio: inſignia. §. XXV.

§. I.

CREMNITZIVM, montanarum vrbium, metropolis eſt. Celebre eius, toto terrarum orbe, nomen, is forte ignorauerit, cui aurei, qui hic conflantur, numi, viſi ſunt numquam. At, nominis ratio, in obſcuro poſita eſt. quam, vt eruderemus, noſtra nos admonet, in vrbem, propenſio. Et primo quidem, palam eſt, *Quadis*, quorum iſtis locis, cum *Jazygibus Metanaſtis*, genere *Sarmatico*, fuit collimitium, depulſis; *Slauos*, tota regione inualuiſſe: relictis paſſim, qui ex *Quadis*, natione *Germanica*, vicos habitarent. Iſto habitu, regionem, ad *Hungarorum* vsque exordia, perdurauiſſe, intra has ſolitudines præcipue, ipſi Carolo M. inacceſſas, ex eorum temporum hiſtoria, fas eſt exiſtimare. Demum,

Cremnitziuro vrbium montanarum metropolis:

eius origines inuestigantur:

Hungaris rerum potitis, & in ciuitates pagosque, coaleſcentibus, ceſſantibusque graſſari in vicinos, vti pacatior, ſic & humani cultus patientior, regio eſſe cœpit: donec, agnito CHRISTO, regnum conſtituerent, rerum domini; &, cum legibus, tum veri DEI cultu, duros immitesque animos, perdomarent. Tunc vero, firmata iam republica, exteras gentes, ſuis arceſſitas e ſedibus, intra fines ſuos induxere, priſci reges; vt, & conuictu ſuo, gentem aſperam, emollirent, & artium ignaram, condocerent, domi rurique, opus facere. Atque, in his quidem gentibus peregrinis, quas ita reges Hungari exciuere, *Saxones* fuerunt, *metallici* potiſſimum. Eorum coloniæ, in hos montes delatæ, dum ſcrutandis venis, cum fructu, operam nauant, montanas, hinc atque hinc, caſulas poſuere, vbi, & ipſi commode agerent, &, quod exorſi fuerant, indagandorum metallorum opus, ſine vicinorum noxa, & incurſionibus, tuto promouerent. Hæc iſtiusmodi tuguriola. *Krámcze*, accolæ *Slaui*, dicebant; ſiue, quod ſuis, quas colebant, ædiculis, factæ fuerint cultius; ſiue, quod mercium quidpiam, a *Saxonibus*, venum (*a.*) inibi fuerit expoſitum. Tandem, caſis illis, ad iuſtarum ædium modum, inualeſcentibus, cum vrbiculæ ſpeciem, noua hæc colonia, ſenſim induceret, *Kramnitza* Slauis dici cœpit; quaſi, quaedam elegantiorum ædium, congeries; ex quo, temporis lapſu, *Kremnitza*, factum eſt. Coniectationes iſtæ ſunt; ſed profecto, vltra veri ſpeciem, probabiles. Nam, hodieque *Slaui*, cum apud *Cremnitzienſes*, tum apud vicinos *Neoſolienſes*, ædiculas hortenſes, vernis æſtiuisque ſeceſſibus factas, *Krámecz*, (*b.*) & plurali numero, *Krámcze* vocant. Prima autem vrbium exordia, plerumque a caſulis cœpiſſe, non ſinit nos hiſtoria dubitare. Ex *Slauico* demum iſthoc nomine, *Hungaricum*, KÖRMÖCZ, iuxta & *Germanicum*, KREMNITZ fuiſſe enatum, auguror. Nam, vt credam non nemini, KÖRMÖCZ, e viri proprio nomine *Körmös*, (quaſi *vngulibus valentem* diceres) ortum eſſe, difficiliter animum induco: in primis, quod audet, neſcio quem *Cornelium*, ſine hiſtoriæ, ſine diplomatum fide, vaſtæ huius ſolitudinis, dominum facere. LAZIVS, a *Granniis*, populis *Scanziæ*, vrbis hoc vocabulum deriuat. Profecto, ex more ſuo, audaciter nimium. Vnde enim docebit, *Grannios*, JORNANDI, (*c.*) per medias *Sarmatias*, in *Scythiam* profectos, iſthic vnquam conſediſſe? Et, ſi doceret etiam; quæ eſſe poteſt vocum cognatio, vt ex *Granniis*, fieri potuerit *Kremnitz*?

de etymo nominis, coniectura:

an a Granniis, *populis* Scanziæ, *ſit vrbis denominatio.*

§. II.

Vrbis exordia, ad Colomanum *relata:*

SEd, ſi maxime expedita eſſet nominis ratio, quæ tamen, manet adhuc, coniecturis obnoxia; tamen, difficile fuerit, primos vrbis ortus,

a.) Vtramque notionem, Slauicum *Krámnitza* obtinet: nam, & caſulam ſignificat, ad voluptoſum ſeceſſum factam; & tabernam inſtitoriam exiliorem.

b.) Quid? quod carbonariorum tabernæ, occidentali montis *Nagy Hegy*, dorſo, qua id *Neoſolium* proſpicit, inædificatæ, *Krámcze* adhuc vocentur.

c.) De Rebus Geticis Cap. III.

ortus, definire. Nos, id, quod veri fuerit ſimillimum, tantiſper ſequemur, dum monumentis diplomatum, dictis fidem potuerimus præſtruere. Atque, hic quidem, prorſus adſentimur eorum ſententiæ, qui prima vrbis incunabula, ad ætatem, prouidentiamque COLOMANNI, referunt. Vt adeo ſuſpicemur, exeunte ſeculo XI. ſaltem ineunte iam, hoc eſt, circa annum MC. prima vrbis fundamenta (*d.*) iaci cœpiſſe. Ita, vt ſentiamus, pluribus argumentis inducimur; quorum, præter perpetuam doctorum, iſta vrbe, traditionem, illud fere princeps eſt; quod, quæ ſequuti reges, conditæ iam vrbi, priuilegia impertiuerunt, ea, de vrbe loquantur, non tamquam nupera; ſed quæ origines ſuas, fere, ipſi regno coæuas habuerit. Neſcio, an vera ſint, quæ mihi in aurem, amicorum aliquis; ſupereſſe in vrbis tabulario, diplomatis COLOMANNI, exſtantia quædam fragmenta. Id ſi eſſet, nihil opus foret de vrbis natalibus porro dubitare. De GEYZA II. certum eſt, *Saxones*, eum, in Tranſiluaniam exciuiſſe, ſaltem excitos iam, donaſſe priuilegiis. Sed an intra iſtam etiam *Carpathi* luſtra? neſcio: niſi prorſus credamus, inde a COLOMANNI ætate, *Saxones*, iſthic habitauiſſe; ſicuti iam coniecimus. Quod, ſi, vti par eſt, credimus, iniurii, in reliquos reges fuerimus, niſi perſuadeamus nobis, omnem eos operam, ornandis (*e.*) alendisque, intra fines ſuos, *Saxonibus*, impendiſſe: maxime, cum viderent, gentem ſolertem eſſe, & in faciendo officio, præter morem *Hungarorum*, religioſam. Poſtea CAROLVS ROBERTVS, in primis fauit *Cremnitzio*. Et ſuperſunt omnino in ſcriniis vrbis tabulæ, quas ille ciuibus A. MCCCXXVIII. egregiis refertas iuribus, conceſſit. Quibus vero incrementis, eodem regnante, vrbs fuerit locupletata, ex decreto, quod A. MCCCXLII. *Viſſegrádi* editum eſt, cognoſcas. Eius initium ita habet: *Nos* CAROLVS *DEi gratia Rex Hungariæ, memoriæ commendantes tenore præſentium, ſignificamus, quibus expedit, vniuerſis. Quod Nos, Prælatorum & Baronum noſtrorum voto vnanimi, & de conſilio eorundem, conſideratis fidelibus & induſtriosis virtutibus* Magiſtri Ipoliti Caſtelliani de Arva, *fidelis noſtri* Comitatum Cameræ noſtræ de Kremnycz, *cum omnibus Comitibus, diſtrictibus, villis, oppidis, qui, & qua*, ab antiquo ad eandem Cameram noſtram, *dignoſcuntur pertinuiſſe, ſcilicet cum Comitatibus Nitrienſi, Neogradienſi, Barſchienſi, Poſonienſi, Hontenſi, Trenchinenſi, de Zólyom, de Peſt, & de Comárom, ex*

eius ſententia rationes:

Caroli I. *in vrbem propenſio:*

d.) Nimius eſt BOMBARDI, in Topographia Regni Hungariæ p. 111. *Montanarum*, inquit, *ciuitatum vetuſtiſſima* Cremnitzium, *e cuius locupletiſſimis fodinis, e nongentis amplius annis, aurum, aliaque pretioſa metalla, eruuntur.* Hoc vero ſi eſſet, in ætatem CAROLI M. vrbis, ſaltem fodinarum *Cremnitzienſium*, ortus eſſent referendi. Quod ſi certum, atque exploratum, feciſſet, ratione indubia, ambabus id vlnis amplecteremur. Sed, tunc ego, vaſtas, inacceſſasque ſolitudines, iſthic fuiſſe exiſtimo. reliqua, in SCHEMNICZII originibus, profeſſa opera, expromemus.

e.) Vide ANDREAE II. priuilegium, *Saxonibus Tranſiluanis*, datum, apud LAVRENTIVM TOPPELTINVM, Originum Tranſilu. Cap. III. p. 16. *ſeqq.* Conſimilia vero, optimum regem, noſtris quoque *Saxonibus*, impertiuiſſe, non ſinit nos, profuſa eius, in ſubditos, benignitas, dubitare. Adi iterum deſcriptionem *Schemnicii.*

ex alia parte Danubii, ſcilicet a Poſonienſi & Bácſienſi, partibus ſituatis, eidem Magiſtro Ippolito, pro octingentis Marcis, partim in florenis, ſeu aureis denariis, Cameræ noſtræ eiusdem cuſis, & cudendis, partim vero cum integris Cameræ noſtræ monetis, annorum prateriti, tertii & quarti, & præſentis, per totum regnum vniformiter diſcurrendis, ad modum anni prateriti, tam per ipſum, quam per alios regni noſtri Camerarios ampliandis, nobis a terminis infra ſcriptis perſoluendis, anno Domini MCCCXLII. a data præſentium, per anni curriculum, ſimul cum decimis Archiepiſcopalibus, dedimus iterato & locauimus ad exercendum, procurandum & tenendum, iſto modo. reliqua. Placuit, integrum hunc prologum adſcribere, quod plura ſunt, quorum nos commonet. Et primo quidem, iam tum CAROLI temporibus, *antiquam* adpellari, tum *Cameram de Kremnycz*, tum *Comitis, Cameræ* eiusdem, dignitatem. Proinde, non eſt primus regum habendus CAROLVS, qui, aut *Cameram* eam fundarit, aut vrbem, iuribus donarit peculiaribus. Tum neque id, ſine obſeruatione, dimittendum eſt, quod *iurisdictio*, quam vocant, *Cremnitzienſis Cameræ*, tam late patuerit, vt totam, cis Danubium, Hungariam complecteretur, Comitatibus XII. conſtantem. Vt taceamus, auri argentique ſignandi officinam, iam ætate illa, *Cremnitzio* quodam modo fuiſſe propriam. (*f.*)

Camera Cremnitzienſis *vetuſtas.*

§. III.

Ludouici I. *benignitas:*

CAROLO, fatis functo, LVDOVICVS I. regum Hungariæ, inſigne decus, *Cremnitzienſes*, & multis, & exſtantibus, ſuæ, in eos beneuolentiæ, ſignificationibus proſequutus eſt. Quemadmodum enim, de augendo regno, vnice ſollicitus fuit; ita, cum primis dedit operam, ne *Montanæ Vrbes*, detrimentum caperent. quod intelligeret, ingenti, non ornamento tantum, ſed etiam commodo, *Hungariæ*, ſuisque theſauris, *metallicas* has *Saxonum* colonias eſſe. Itaque, & peculiaribus priuilegiis, vrbem donauit; & publico decreto, (*g.*) quod vnicum exſtat, eadem illa, *Cameræ Cremitzienſi* confirmauit,

f.) Numum CAROLI I. eadem hac tempeſtate, *Cremnitzii*, an *Budæ* procuſum, nos ipſi poſſidemus, mole ea, quae eſt vulgaris hodie monetæ, *ſeptem crucigerorum*, argenti tamen probiſſimi. Eius facies anterior, ſedentem in ſolio regem, dextra ſceptrum, ſiniſtra pomum aureum, cruce inſigne, gerentem, refert, cum *μεγεφῆ*: *Moneta argentea nona Karuli Regis.* Auerſa, inſignia habet Hungariæ, cum gentilitiis CAROLI, ita innexa, vt reclinati ſcuti pars dextra, fluuiorum Hungariæ tramites illos, ſiniſtra, quinque lilia, Gallicis æqualia, oſtentet; Galeam denique ſtrutionis caput, roſtro, ſoleam prenſans, cum gemino elephanti brachio, vtrinque e corona prominente, exornat, cum inſcriptione: *Dominus diligit iudicium regis.* Monendus vero hic eſt lector, & *Buda*, & *Quinqueecclesiis*, atque *Viſſegrádi*, monetariam olim fuiſſe officinam, quod ex diplomate *Scultetia Koſſenſi*, A. MCCCCXXX. a filio quondam ONVFRII *de* BAJMÓCZ, Comitis Triceſimarum, & *Cuſionis Monetæ Quinqueecclesienſis*, dato, didicimus. id, videſis in Hiſtoria Comit. Nitrienſis, Parte Spec. Membro II. Sect. III. num. 89. Idem, & ex eo, quod iam citauimus, Decreto CAROLI, p. 48. linea a fine 12. colligas, ſi loco *Pachienſ.* legeres *Péchienſis.*

g.) Legeſis: eiusdem Decreti Articulum, IV. & V.

Digitized by Google

uit, quæ pater ſuus, rata habuerat. Iniere poſtea SIGISMVNDI tempora, fortunæ variantis exemplar. Rex, certe, ſine ceſſatione, & tunc *Cremnitzienſibus* metallicis, bene voluit, cum erant res ſuæ, hinc ciuili ſeditione, illinc *Huſſitarum* incurſibus, labefactatæ. Loquuntur id, cum diplomata, *Saxonibus* indulta, tum decreta etiam, magno *ſtatuum* conſenſu, edita. Huc referimus, eos *decretorum* publicorum *articulos*, qui *de re monetaria* (*b.*) *rite conſtituenda, minerarum indagatione, & id faciendi libertate, de auro argentoque, e regno, haud efferendo*, conditi ſunt. Iſtiusmodi autem ſanctionum, plurimas, in iis, quæ ſunt a SIGISMVNDO latæ, poſſis legere. Nunquam enim rei metallicæ, monetariæque velificabantur, boni illi reges; quin ſimul, vrbium, vbi ea fiebat, commoda, procurarent. Profecto, qui poſt SIGISMVNDVM ad clauum ſedebant, in præcipuis ſemper curis, *Cremnitzienſium* ſalutem, metallorumque reditus, habuerunt. Colligi id, ex decretis ALBERTI, MATTHIAE I. WLADISLAI II. & LVDOVICI II. poteſt; atque luculentius multo, ex iis priuilegiis, quibus iidem illi reges, vrbem, ſemel iterumque, locupletauerunt.

Sigismundi *ſollicitudo* i

reges, eum ſequuti, quomodo erga vrbem, & metalla, fuerint affecti.

§. IV.

HVcusque, de vrbis exordiis, atque incrementis, quibus per plura ſecula, adoleuit; iam deinde, eius ſitum, molem, ciues, opportunitates, & quæ fata tulerit, fas erit deſcribere. Ad vrbis poſitum, quod adtinet, montibus is circumquaque concluſus, anguſti adeo eſt proſpectus, vt non ante, aduentantium obtutui ſubiiciatur, quam prorſus imminere ei cœperint. Sola meridionalis plaga, ea valle, per quam amnis, ſuburbia interluens, in *Granum* elabibitur, rimam quaſi quandam, habet. Vrbem ipſam, breuiter, pro habitus ratione, TOLLIVS deſcripſit: CREMNITZIVM, inquit, *exiguum oppidulum eſt, XXXII. domos continens, quæ in orbem ſtructæ, ſe inuicem, pauciſſimis exceptis, media intercedente perampla area, rerum venalium diſtractioni deſtinata, reſpiciunt. Adſurgit hæc area, leni cliuo; cui hinc templum, inde, vbi is paullo altior, arx leuiter munita, impoſita eſt. Atque hinc natum illud vulgare dictum:* CREMNITZII, *ſingulas ædes, templum ante fores habere; quod ex omnibus fere in illud ſit proſpectus.* Plane ita ſe habet vrbs hodieque, pomœriis concluſa, multo arctioribus, quam pro famæ, qua eſt, celebritate. Sed arx tamen, longe, quam TOLLIO videbatur, munitior eſt. Nam, & gemino muro circumcluditur, craſſo eo, & ritu veteri facto; & turribus duabus inſidetur, quadrato validoque opere, exædificatis. quarum illi, quæ firmior eſt, fiſtulæ bellicæ, tamquam, facto ad id ſuggeſtui, impoſitæ ſunt. Infra, fornices ineunt, & hypocauſta, quæ, partim a tubicinum magiſtro, partim, a machinarum curatore, habitantur. cuius muneris, id quoque eſſe accepimus, vt alendis pauonibus, quos vetuſto more, circa

Cremnitzii *ſitus* i

vrbis; ex TOLLIO *deſcriptio* i

b.) Operam perderemus, ſi eos ſingulos huc vellemus transſcribere: multi ſunt enim

arcem, ſuſtentant *Cremnitzienſes*, cum cura adtendat. Porta, quæ arcem, cum vrbe committit, robuſtæ ſubſtructionis eſt, ponte verſatili, & repagulis aliis, obfirmata. Vrbs ipſa, porta aditur gemina; *ſuperiore* altera, altera *inferiore*. Hæc, ad meridiem, illa ad ſeptentrionem, ſpectat. In orientem portula exit, quadrigis imperuia; ſed frequens tamen, quia ſuburbii partem adit, copioſam, lateque habitatam. Ingens huic, & in quadrum educta turris incubat, quam, *cantor*, & *chori eccleſiaſtici* moderator, incolit. Reliqua intercapedo, mœnibus connectitur, ritu, atque opere recentiori, factis. His propugnacula ſunt interſerta, quæ a metallicorum, & opificum tribubus, nomina acceperunt. quibus, ſi belli imminebat tempeſtas, tamquam ſtatio perpetua, adſignabantur: bono id quidem conſilio; ſed, quod nuſquam minus, quam in defenſando *Cremnitzio*, valuerit. Quis enim, vrbiculam ſumſerit defenſandam? tot impendentibus vndiquaque montibus, circumdatam, quot ea vix mœniorum habet areolas. Quidquid eius ſit: multum, hoc, qualecunque vrbis ſepimentum, barbaricis illis temporibus, valuiſſe, non eſt dubitandum; cum rapto viuere, in vectigalibus cenſebatur, ab his etiam, qui ſe rerum dominos, profitebantur.

eius portæ:

atque mœnia.

§. V.

VRbis interiora, ædibus ſunt inædificata, priuatis publicisque. In his, principem locum obtinent, ſacræ illæ, quarum altera, de qua nunc diximus, meridionali fori latere poſita, atque *Aſſumtæ ad cælos B. V. Mariæ*, dedicata eſt; altera, in eo ædium ordine, qui occidenti obuertitur, cum cœnobio PP. *Franciſcanorum*, inſedit. Ac, prioris quidem initia, ad annum MDLVII. eruditi Tyrnauienſes referunt, atque S. *Iohanni Baptiſtæ* adſcribunt. Vtrumque, haud ſine errore. Molis profecto ſubſtructio, habitum refert, multis modis vetuſtiorem, quam, quæ ad eam ætatem poſſit referri. Quid? quod manu exarati libri, qui ſunt in bibliotheca *parochiæ*, iam tum ſeculo XIV. & XV. ad hunc modum ſignati legantur: *Hic liber eſt Eccleſiæ B. Mariæ Virginis de Cremnicia. (i.)* vnde ſimul adparet, cui ædes ipſa ſit dedicata: nempe, non *S. Iohanni Baptiſtæ*, ſed *B. V.* MARIAE. *Capella* certe *Iohannea*, extra vrbis pomœria, ad mille paſſus, vltra *Perg* vicum, reſedit, liberalitate quondam *D. Ertzl*, exædificata. Poſitione eſt eleuatiori ac læta, cum vicino fonte, admirandæ, vti fertur, efficacitatis. Scatet is, medio prato, eſtque laxe intectus, atque parietibus coaſſatis, circumdatus. Huc, die S. IOHANNI BAPTISTAE feſto, religioſa proceſſione, *Cremnitienſes*, & vicinorum pagorum incolæ, coeunt, remque ſacram faciunt. Iam, quod ad *Franciſcanorum* ædem ſacram adtinet, hanc, GEORGIVS LIPPAY, *Archiepiſcopus Strigonienſis*, ſuperiore ſeculo, a fundamentis eduxit, atque *D. Franciſco Seraphico*, *ſtigma-*

Aedificia vrbis, ſacra, porſanaque:

Aedes Adſumtionis *B. V. M.* & PP. Franciſcanorum:

Capella S. Iohannis Baptiſtæ:

PP. Franciſcanorum:

i.) Annis ſuperioribus, duæ turres, templo huic ſunt coædificatæ. quæ, cum ædi ipſi, tum vrbi, eximio ſunt ornamento.

ſtigmatizato, conſecrauit. Reliquus ædium numerus, vltra tricenarium non adſurgit: quem, ita diſpertitum accepimus, vt præter *Curiam, (k.) Parochi, Scholæque* ædes, XXVII. (*l.*) iuris hucusque fuerint vrbici. Ad *Circulares* domos, vulgo, *Ring-Häuſer*, quod adtinet peculiaribus eæ priuilegiis, a priſcis regibus, ſunt donatæ. quæ huc ţedeunt fere: *Domum circularem, nemini,* Slauus *ſit* Hungarusue, *præter* Germanum, *eumque ingenuum, emere, habitareque, fas eſto; hi ſoli, vinum, cellariis deponere, & ſub hedera vendere, ius habento; id beneficii, regi, & in commune, perpetua, in colendis metallis, adſiduitate, penſanto; denique, qui his iuribus fruuntur,* ciues circulares, *honoris cauſſa, adpellantor.* Aiunt, peculiaria hæc iura, iam tum cœpiſſe, cum primum *Saxonum* coloniæ, iſthuc fuerunt deductæ. quæ poſtea, MATTHIAS *Coruinus*, non vna acceſſione, locupletauit; MAXIMILIANVS autem prorſus confirmauit. Itaque, multum ſua intereſſe putant, qui intra vrbem degunt, ne hæc prærogatiua conuellatur. *Hungaros* profecto, & *Slauos*, rei, vnde orta ſit, ignaros, ſæpe indignabundos queri audiuimus; *nimiam hanc, exteræ gentis, dignationem, cum iniuria popluarium eſſe coniunctam.* quod non eſt ita. Præterquam enim, quod ea priuilegia, cum onere eruendorum metallorum, coniuncta ſunt; vix crediderim, tantum, & operæ, & ſumtuum, ſeu *Slauos*, ſeu *Hungaros*, in curandis fodinis, collocaturos, quantum alienigenæ illi, tot retro ſeculis, inſumſerunt. Vt mirari ſubeat animum, publicis etiam comitiis, controuerſiam, magna contentione motam, & inuidioſius agitatam fuiſſe aliquandiu; *tributis pendendis adigendos vrburarios:* (ciuium metallicorum id nomen eſt) *quippe, ex auri argentique prouentu, quaſi aliud agendo, diteſcentes.* Nam, vt taceamus, ſuum REGI, auri argentique tributum, ex legum præſcripto, dependi; fit, vt boni iſti ciues, & tunc, quando cum interitimento opum ſuarum, venas ſcrutantur, in commune conſulant. Quidquid enim metalli eruunt, non id reponunt in theſauris; ſed neceſſe habent, in eas res perpetuo impendere, ſine quibus, tantæ operæ, ſuſtentari promoueriue, haud poſſent. Has vero, non ipſi educant domi; ſed vicina circumfuſaque regio: vt proinde, tamquam ad commune patriumque emporium, ruſticas merces, in montanas ciuitates inuehant, rerum circumquaque domini, cumque auro, argentoue, recens ſignato, quæſtuoſius illinc permutent. Quid? quod eruderatum, inſano, cum ſumtu, tum labore, aurum & argentum, in monetam procudatur, quæ nusquam antea exſtitit, toto mox regno ſpargendam. Hoc ergo fuiſſe putamus, quod diuos reges induxit, vt *Germanos* metal-

reliqua vrbis domus, & harum priuilegia:

quando ea caperint, & a quibus regibus fuerint confirmata:

Hungarorum, & Slauorum, *irrita querela.*

k.) Vetus prætorium, nuper, ciuico notario, pro circulari domo venditum a magiſtratu, accepimus; domo *Caſparii Magyar*, quam is, dum annis tredecim, continenter prætorem ageret, commode inſtruxerat, iuſto pretio redemta, & in nouum prætorium inaugurata.

l.) Iam numerus ille decreuit, ædibus *Schmideggianis*, quas, ætate noſtra, ex duabus aliis, *Thomæ, Lib. Baro*, coædificauerat, a *Camera* redemtis metallica. vt *officina*, ex iis fieret, *ſecretoria*; Germani *Scheid-Gaden* vocant; *Schmuitzio* iſthuc translata.

licos, his, quæ diximus, priuilegiis, donarent, prouiderentque, ne ſolertiſſimum genus, nationibus aliis permixtum, intercideret. Sed hæc obiter.

§. VI.

Domus Archiepiſcopi Piſetaria:

EST, & *Archiepiſcopo*, domus ſua *circularis*; ſed iuribus, quorum nunc mentio nobis fuit, deſtituta. *Piſetaria* domus, vulgo dicitur, quod *Piſetarius* olim Archiepiſcopi, iſthic habitarit. Quid vero id rei ſit, gratiam forte lectoris inierimus, ſi, ex *publico* Hungariæ *iure*, dederimus explicatum. Nimirum, poſt vſum monetæ, apud *Hungaros*, inualeſcentem, multum adulteratæ pecuniæ, vel inuectum in regnum, vel per *falſarios*, quemadmodum vocat ius *Hungaricum*, clam procuſum eſt. Id, vt a ſuis auerruncarent malum, reges, atque potiſſimum CAROLVS I. ſingulari decreto, quod ſupra meminimus, rei monetariæ, & quod inde redundabat, *lucro Cameræ Regiæ*, conſultum iuerunt. Proinde, ſignandæ quidem monetæ ius, *Comiti Cameræ*, tunc *Ippolito, Caſtellano de Arva*, permiſit; ne vero quid fraudis, ſiue, in feriundo auro argentoue, ſiue, in *cambiendo* eodem, ſubreperet, duos arbitros conſtituit, qui id, ſummo ſtudio, curaque, præſentes cauerent. Hi vero fuere: *homines*, quemadmodum illic dicuntur, *Archiepiſcopi*, & *Magiſtri Tauernicorum*. Quid eorum fuerit officii, optime, ex *decreti* verbis, addiſcas: *Ipſe* Comes Camerarum *noſtrarum, in ciuitatibus noſtris, vbi monetæ noſtræ fabricantur, debet habere duo ſcrinia; in quorum vno ferramenta formalia, ſub ſigillis* hominum, Domini Archiepiſcopi, & Magiſtri Tauernicorum, *conſeruentur; in altero vero virgulæ, pro monetis fuſæ, absque monetis nouis, ſub ſigillis tribus, eorundem trium hominum, videlicet*, Domini Archiepiſcopi, & Magiſtri Tauernicorum, *aperiantur; nec poſſint aliquo ipſorum abſente, aperiri, vel opera monetarum exerceri: ita, quod ſi idem* Comes Camerarum *noſtrarum, ipſis duobus teſtibus abſentibus, vel aliquo ipſorum abſente, fractis lancibus, & ſigillis, monetas faceret fabricari, per ipſum* Magiſtrum Tauernicorum, *tanquam falſarius, puniatur: dummodo hoc iidem homines*, Domini Archiepiſcopi, & Magiſtri Tauernicorum, *fateantur. Specialiter, dum funditur argentum, omnes perſonaliter adeſſe debeant, & ſingulis ſeptimanis, ipſos nouos denarios noſtros, ipſi homines*, Domini Archiepiſcopi, & Magiſtri Tauernicorum, *in (m.) combuſtione, quadraginta eorundem nouorum denariorum, debeant examinare: & ſic iidem noui denarii, cambio exponentur.* Quæ præterea eorundem hominum *Archiepiſcopi*, & *Magiſtri Tauernicorum*, partes fuerint, eodem CAROLI decreto, perſcriptum eſt. Ob hunc vero, & reliquos, *Archiepiſcopalis*, & *Tauernicalis*, hominum labores, præmium vtrique

alius rei origo:

Piſetariorum *officium, ex* Caroli I. *decreto:*

m.) Germani, *Die Probe*, dicunt. Itaque, ſenſus fuerit; vt iidem illi homines, in hebdomadas ſingulas, *quadraginta* nouos *denarios*, experiundi cauſſa, an probum ſit argentum, igni liquefacerent. quas operas, tunc forte, *Egetis*, id eſt, combuſtionem, adpellauerunt.

vtrique conſtitutum fuit, quod iam *Piſeti* (*n.*) nomine venit: *De quibuslibet Marcis*, inquit decretum, *pro lucro Cameræ, in quibuslibet Comitatibus dicatis, & exactis, vnum groſſum, ſeu vnum pondus*, homini Domini Archiepiſcopi; *alium vero groſſum, ſeu pondus, homini Magiſtri Tauernicorum, dare & ſoluere tenebitur, Comes Camerarum prædictarum.* En, *Piſeti Archiepiſcopalis* inſignem confirmationem! Poſtea, Lvdovici II. ætate, duo illi homines, *Archiepiſcopi* alter, alter *Magiſtri Tauernicorum*, diuiſim, monetæ cœperunt adtendere; iſte quidem *Budæ*; ille *Cremnitzii* (*o.*) Eandem legem redintegratam a Ferdinando I. legimus: maxime, A. MDLIII. vbi diſertis verbis, *Piſetarii* iſtud munus, ad priuilegia Eccleſiæ Strigonienſis, referri videas. *Aduertat*, inquit, (*p.*) *iuxta conſuetudinem veterem, Dominus Reuerendiſſimus Strigonienſis, & eius* Piſetarius, *ne quis error, aut fraus, in cuſione huiusmodi, & ferramentis, iuxta veterem conſuetudinem, & Eccleſiæ ſuæ priuilegia, (q.) committatur.* Vniuerſa autem, muneris, quod *Piſetario* iniungebatur, procuratio, planiſſime, decreto anni MDLVII. (*r.*) perſcripta eſt, quod ſic habet: *Eſt autem in primis ſumme neceſſarium, vt per Regiam Maieſtatem mandetur ſerio domino* Strigonienſi, *vt iuxta decretum & conſtitutiones diuorum quondam Hungariæ regum, in cuſione auri & argenti, officio ſuo ſuperintendat & ſatisfaciat: itidemque ſua Maieſtas mandare dignetur officialibus ſuis in* Camera Cremnitzienſi, *& aliis Cameris, vt ipſum Dominum Strigonienſem, eiusque* Piſetarium, *ad exercendum officium ſuum, ad quod eſt regno iuratus, ſemper admittant. Idemque* Piſetarius, *interſit ſemper, dum aurum & argentum in Cameram Regiam præſentatur, vt ſciat, veluti contraſcriba quidam, quantus numerus auri & argenti, ſingulis hebdomadibus præſentetur ad Cameram; quantum etiam confletur, ex quo* piſeti *ipſius prouentus, pro ſuo officio* Piſetarii, *reddi debeant: quo eo magis præcaueatur, auri & argenti non cuſi (s.) exportatio: exceptis tamen propriis neceſſitatibus Regiæ Maieſtatis, & Sereniſſimorum liberorum. Eo quod exportatio huiusmodi, in damnum regni,*

Piſetatiorum *munus* Ferdinandi I. *temporibus.*

n.) Piseti vocabulum, incertæ originis, adfirmant eſſe. Ego, ex Hungarico Fizet, id eſt, *ſolut*, deriuarim: eo quod pondus illud, Hungaris *Nehezék*, dabatur homini Archiepiſcopali, a quibuslibet Marcis, ſalarii loco: quod Hungari *Fizetés* adpellant; vnde vltima ſyllaba detruncata, *Fizet*, ſeu *Fiſet*, & cum noua terminatione, *Piſetum* factum fuiſſe, reor. Hæc ex ingenio: reuera autem, vox eſt Gallica, quod alibi docebimus.

o.) Artic. XIX. A. MDXXI. Ne autem prouentus, ex cuſione monetarum, &c. faciat ſua Maieſtas regia, fidelem *Domini Magiſtri Tauernicorum* hominem, *Budæ*, cuſoribus ipſarum monetarum ſemper adſiſtere: *Cremnitziaque Piſetarium Archiepiſcopi Strigonienſis*, de veteri conſuetudine, & more alias ſolito, pariter admittere: qui cuſioni illarum ſuperintendere, & prouentibus quoque ſuæ Maieſtatis exinde fiendis, fideliter euigilare teneatur, ne fraus & diſſipatio in eis committatur.

p.) Articulus eius anni XXII. Legat, qui volet, veterem querelam, anonymi, *Piſeti*, & *Viburarum* cauſſa, ad calcem *Decadum* Bonfinii, adtextam.

q.) Multa eorum ſunt, & antiqua. Inde enim, ab Emerico rege, cuius initia, in annum MCXCVII. inciderunt; vix vllus regum fuit, vsque ad ſeculi XVII. exordia, qui non adfirmarit *Archiepiſcopo Strigonienſi*, Piseti iura. quod, in *Archiepiſcopali Tabularii* indice, cuius mihi copia eſt, obſeruaui.

r.) Artic. XV.

s.) Confer Anni MDLIII. Articulum LXXIII.

Regiæ Maieſtatis, & prouentuum domini Strigonienſis vergit, non mediocre. Atque hæc quidem, priſco illo iure, & *Strigonienſis Archiepiſcopi*, prærogatiua fuit, & *Piſetarii* ſui officium. Hodie, *Parochum Cremnitzienſem*, PISETARII munere plerumque fungi, & cum prouentibus Archiepiſcopi aliis, tum *Piſetis* etiam, ne quid intertrimenti accidat, ſollicite adtendere, relatum accepimus.

§. VII.

Camera *Cæſareo-Regia:*

HVcusque, domus *Piſetariæ* mentio, nos detinuit. Nunc, Aerarium, ſiue *Cameram Cæſareo-Regiam*, vt memoremus, rei dignitas videtur poſcere. Domus eſt, verſus portam ſuperiorem, in *eorum* ſecedens, ædificio amplo, (*t.*) quodque indito nomini, haud male reſpondeat. Frons ædium, orientem ſimul, atque meridiem, obtuetur, geminaque adſurgit contignatione; quarum inferior, fornicibus ſubſtructa eſt, ad metallicos vſus deſtinatis; ſuperior, in conclauia abit, habitatu peropportuna. quæ ideo, a *Quæſtore, Perceptorem* vocant, incolitur. Quod intra prætorium ſpatii ſuperat, in aream procurrit amplam. Hanc, monetaria officina, a ſiniſtris claudit, pluribus definita hypocauſtis, in quibus operæ fiunt, fundendo partim, partim ſignando argento, deſtinatæ. Vidit domum, non ſine obſeruatione, TOLLIVS: *Proximus*, inquit, *huic dies, conſiderandæ officinæ monetariæ, tributus eſt: vbi laminarum argentearum, in longas veluti tænias, ducendi, & harum deinde, per rotulas, leui opera, in rotunditatem abſcindendi, tum nouo inuento, per rotulas item, impreſſione facta, ſignandi facilitatem, & miratus, & ipſe meis manibus, expertus ſum.* Nouum adpellat, ſignandæ monetæ inuentum, quod hodie obſoleſcere incipit. Machina iam vtuntur, quæ impulſu mota temperatiore, immiſſam metalli lamellam, ſcitiſſime ſignat; quin, & numi ambitum, leuiſſima opera, litteris inſignit, CAESARIS noſtri conſtantiam loquentibus: lemma eſt nimirum: CONSTANTER CONTINET ORBEM, ex eius ſymbolo petitum, quod eſt: CONSTANTIA ET FORTITVDINE. Primus, qui hanc ſignandi auri argentique rationem, in vrbem intulit, *Baro* de *Thauonath* fuit, luſtris pluribus, axiomate *Comitis Cameræ*, noſtra ætate, perfunctus: artifice & ſculptore, omnium ſcitiſſimo, *Daniele Warou*, vſus, qui anno demum MDCCXXIX. vita functus eſt. Atque, elaboratum ſane, in arte pulcherrima, poſtea eo ſucceſſu fuit, vt iam *Cremnitzienſis* moneta, ſiue auream (*u.*) ſpectes, ſiue argenteam, non tantum, metalli

eius ædificium:

officina monetaria, a TOLLIO *deſcripta:*

noua ſignandæ monetæ ratio:

t.) Præter *Camerale* iſtud prætorium, plures domos, in vrbano fundo poſitas, *Camera* habet, quarum iſta ſunt nomina: *Verwalt-Haus*, libero *cereuiſia educillo*, vt vocant, praedita; *Ober & Unter-Zinwarth*, olim forte, *Zieh-Werck*, quod officina hic ſit, in qua, impellente machinas aqua, fuſæ ex argento virgæ, in laminas, monetæ idoneas, diducuntur; *Handelſtall*; *Dreyhäuſel*. Item, *Malleus Cæſareus*, ſiue *Der Kayſerliche Hammer*, ferramentis metallicis fabricandis, factus; *Taberna Carbonaria*, ſeu *Kohl Kram*; *Saucierum adicula*, alias *Tatteuten-Häusl.*

u.) Auro ſignando diuerſa, ab argentaria illa, officina monetaria, deſtinata eſt, vt expeditius fieri poſſint omnia.

Digitized by Google

talli præſtantia; ſed venuſtate etiam, omnes, totius *Europæ* numos, multis modis antecellat. Neque opus hic verbis eſt, vbi rerum adſunt teſtimonia, apud gentes etiam barbaras obuia. Quo enim non penetrarit numus *Cremnitzienſis?* Cuduntur autem hodie præter venuſtos *aureos*, ſpectatiſſimæ formæ, ſolidi *Vallenſes*, *Rhenenſes*, & *dimidii*. Sed TOLLIVS, quid in officina monetaria, monſtri viderit, pergit dicere. *Oſtenſa hic mihi, rebellium Hungarorum ducis, principis* EMERICI TÖKÖLII, *inſignia; vti & aurei numiſmatis, ſiue Ducati Hungarici, cudendi forma. Numiſmatis quidem, quantum memini, ab altero latere, hac erat inſcriptio:* LVDOVICVS XIV. GALL. ET NAV. REX; *Ab altero vero:* PATRONVS HVNGARIAE. 1678. *Inſignia autem, hac inſcriptione ambiebantur:* EMERICVS TÖKÖLY PRINCEPS, ET PARTIVM HVNGARIAE DOMINVS. *Cuſi ne ſint, ad iſtam formam, numi, quamquam in eos diligenter inquirebam, vt, vel vnum ſaltem, mihi in memoriam compararem, reſciſcere a Caſarianis, non potui.* (*v.*) Scilicet, iſtis ſibi lemmatibus, hominum infeliciſſimus, blandiebatur. Nihilo æquior, & is numus eſt, quem iisdem annis, atque in hac officina, TÖKÖLIVS, procudendum curauit, & cuius nos ipſi, plumbeum ſimulacrum, in facinoris memoriam, adſeruamus. Eius pars altera, TÖKÖLII faciem, cum ementito *ducis* titulo; altera, equum refert, intra duas pilas, tamquam in equeſtri gymnaſio, reuulſis loris, domitoreque excuſſo, ac pedibus conculcato, hinnientem frementemque, cum ferociæ iſto ſymbolo: SIC VIRTVS NESCIA FRENI. Prorſus, ac ſi infrenis eſſet, atque diſciplinæ impatiens, virtus, natura ſua, diuiniſſima. Nempe, cum aliud, neſcio quid, voluit, rebellionis indolem, cuius erat molitor, ſui oblitus, expreſſit miſer.

forma numorum TÖKÖLII, *a* TOLLIO, *hic obſeruata.*

§. VIII.

LOngum foret, infelices iſtiusmodi umbras, ſtilo delineare. Non poſſumus autem, quin, noſtræ ætatis calamitatem, quam, & vidimus, & ſenſimus, apud ſeram poſteritatem, queramur. Peruaſerat, vniuerſam Hungariam RÁKÓCZIVS, ſeque ducem concitatæ multitudinis, ac pene regem, faſtoſe gerebat: cum *ius* ſimul *cudendæ* monetæ, auſu omnino ſacrilego, principi legitimo eripuit, eoque poſtea, ita abuſus eſt, vt dubium fecerit, bellone iniquiſſimo, an ſua illa re monetaria, *Hungariam*, magis adflixerit. Aes primo cyprium, in *polturas* A. MDCCIV. conflari cœptum; pulcherrimo obtentu, vt in promptu numi eſſent, quibus in metallicas operas, ſumtus idonei fierent. Mox, vbi lucripetæ auidiſſimi, *Bercſenius* in primis, aduertiſſent, quantum hoc artificio, ad theſauros furtim auctitandos, proficere poſſent, æreæ huius monetæ, neque modum, neque finem eſſe voluere. Nam, præter minutum, quod diximus, numi genus, maiores alii, *quinque*, atque *decem groſſorum*, indito pretio, tanto numero

Rákóczii, *in re monetaria, noſtra ætate, maleficium.*

v.) Neque mihi viſus vnquam numus eſt; tametſi, haud incurioſo, rerum iſtiusmodi: vt credam, varietate fortunæ, qua vtebatur TÖKÖLY, numum eum, a luce publica, fuiſſe prohibitum; ſaltem, cum auctore ſuo, abiiſſe ſub umbram.

mero procudebantur, vt biennii, trienniue ſpatio, argentum omne aurumque, vulgo euanuerit. Ne autem, turpiſſimo ſceleri, æquitatis deeſſet prætextus, lemma numis impreſſere, inſanius ne, an iniquius, neſcio: PRO LIBERTATE, (*x.*) inquiunt: ſcilicet, vt plebem auro argentoque emungerent, aurea tempora, cum æneis, maleficentiſſime permutarunt, egregii patriæ liberatores, obliti ENNIANI illius:

Aurea libertas, toto non venditur auro.

Accedebat facinori, publicum latrocinium. Plebem, nimirum, ruſticam & qui, ſeu opificiis, ſeu mercatu, rem faciebant, ſeueriſſimis ſenatus conſultis, adigebant, merces ſuas, auro argentoque, aut certe, multo ſudore partas, viliſſimo illo ære, vti venderent; quod, qui facere detrectabant, carceribus partim, partim mercium damnis, mulctabantur. Quibus rebus, factum paſſim fuit, vt ad ſeditionem (*y.*) res vergeret: cum interim aurum, argentumque, primores, (*z.*) auariſſime (*a.*) interciperent. Nam, id quoque ſignabatur, ſed profecto, non minore maleficio: quippe, & nomine, & imagine, optimi principis, tamquam nullus eſſet, exſulare a formis monetariis, iuſſis. Tacemus, memoriales *Rákóczii* numos, (*b.*) quos in *Cremnitzienſi* hac officina, fundi curauit, egregio, ſi diis placet, inſtituto; vt armorum, quæ in regem, immo patrem, corripuerat, memoriam, poſteritati commendaret. Sed nos de re monetaria, vberius alibi (*c.*) fuſiusque dicemus.

§. IX.

x.) Communi demum conuitio, LIBERTASCHII dicti, neque vnquam, niſi addita imprecatione, a populo, numerati, memoratiue.

y.) Talis fuit *Schemnitzienſium* tumultuatio *metallicorum*, aduerſus temporarium *Camerae praefectum*, IOHANNEM GODOFREDVM, L. B. ab HELLENBACH, inauſpicato concitata. Vide, Hiſt. SCHEMNICII, §. XXIII. Tomo hoc IV.

z.) Vix erat quisquam, aliquo, apud *Rákóczium*, loco habitus, qui non eo ſe maleficio contaminarit: cum contra, ipſe dux ſeditionis, quod ab hoc rapinæ genere ſe abſtinuit, pauperrimus e regno abierit.

a.) BERTSENIA, Harpyiarum rapaciſſima, in eam artem, *oculos Argi, manus Briarei, Sphingarum vngues*, penitus nouerat adhibere. Hinc, modo *Bojnitzii*, modo *Neoſolii*, tamquam in ſpecula, excubabat, vt rei monetariae inſidiaretur, atque, ſignatum aurum argentumue, latrocinantis inſtar, ſuum faceret.

b.) Tres nobis ſuppetunt, *exordia*, *incrementa*, atque *progreſſus*, diriſſimae, quam fecerat, ſeditionis, oſtentantes. *Primus*, LIBERTATEM captiuam, dextra catenas, ſiniſtra auiculam, iamiam euolaturam, gerit. quam, hinc *leges*, *iuſtitia* illinc, virgineo indutae habitu, compedibus exſoluunt: cum inſcriptione: DIMIDIVM FACTI, QVI BENE COEPIT, HABET: atque ſubtus: OPERE LIB. INCHOATO. A. MDCCIII. XIV. IVNII.

Alter, in conuentum *Szétsénienſem* lusus; tres virgines *Veſtales*, corollis redimitas, & ad aram ſacrificantes, alendoque igni, ſarmenta adgerentes, refert: cum inſcriptione: CONCVRRVNT, VT ALANT: & inferne: CONCORDIA RELIGIONVM ANIMATA LIBERTATE. *A. MDCCV. in Conu. Széc.*

Denique *Tertius*, HERCVLEM monſtrat, clauа hydram profligantem, cum inſcriptione: TENDIT PER ARDVA VIRTVS. Facie auerſa, in numis, quos dedimus, ſingulis, vultus RAKÓCZII viſitur, haud inſcite, a *Waroulo*, exſculptus, atque titulis circum inſcriptus, quos ille, inuito ſuperum numine, ſibi rapuerat.

De his ergo numis, accipiendus eſt WAGNERVS, *Hiſtoriae* LEOPOLDI M. Lib. VIII. p. 743. quando, *numos argenteos atque aureos*, libertatis, *& ſua, imagine procudi* curauiſſe *Rákóczium*, memorat. Reliqua certe, quae tunc conflabatur, moneta, nuſquam eius imaginem retulit, ſicuti recordamur adhuc.

c.) In Hiſtoria METALLORVM HVNGARIAE, ſi, volente DEO, Geographico huic operi, ſuperuixerimus.

§. IX.

CEterum, *Regiæ*, apud Cremnitzienſes, *Cameræ*, quæ metallicis reliquis dedit originem, non eosdem, ab omnibus, natales adſcribi video. Sunt, qui eosdem, vltra CAROLI I. ætatem reponant, auctoritate eius decreti, quod ſupra memorauimus, inducti. Neque eſt, cur ei opinioni contraeamus, ob veterrimum *Piſeti* ius. CAROLO *regnante, & priorioribus, fuerunt complures* Cameræ *in Hungaricis terris; nempe, Budenſis, Quinqueeccleſienſis, Sirmienſis, Cibinienſis, Cremnicienſis:* ſcribit TIMON, ad annum CAROLI emortualem. Ergo, ita ſentio: non longo poſt interuallo, quærenda eſſe *Camerarum montanarum* exordia, quam, immiſſi huc *Saxones*, metalla cœperunt ſcrutari. Quod equidem, ita factum exiſtimarim. Illectam, ſpe lucri, gentem peregrinam, diutius, quod eius priuilegia loquuntur, benigne, atque liberaliter, habitam fuiſſe remur. vt, & operas, & ſumtus, in metalla, *Hungaris*, ob ruditatem, qua tunc erant, inacceſſa, eo promtius impenderent. Mox, vbi reditibus, quos ex venis accipiebant, ditatos aduerſum eſt, *Vrburas* (*d.*) ab eis REGES exegere; hoc eſt: *decimam*, cuiuscunque metalli, quam eliquarunt, *partem*. Quæ tributi rationes, oppido æquæ, longa annorum ſerie, durauerunt; dum, ad fraudem prolapſi *Saxones*, *vrburas* illas, e viliori metallo, quam quod erutum eſt, regibus dependerent. Ergo, vt dolum auerruncarent, additi ſunt, qui *Vrburis* ſollicitius adtenderent, neque in regum rationes, niſi probum decoctumque metallum, referrent. Hac prouincia, qui fungebantur, regio, vti decuit, iuſſu, niti oportuit. Verum, in tanta auri fame, cum facile, *Argum* falli contigiſſet, quidquid metalli erutum, fuſumque eſt, in regis poſtea rationibus, cenſeri oportuit. Cum enim hucusque, aurum, argentumque vendere, quibus libebat, *Saxones* potuerint; tunc primum, vicinorum exemplo, in *Cameram* id regiam deferri, poſteaque, ſignato, ſeu auro, ſeu argento, permutari oportuit: *vrburis*, quas ſuo arbitratu pendebant antea, eadem *Cameralium* opera, detractis. Ex his initiis, (*e.*) *Cameras metallicas* increuiſſe, vt exiſtimemus, eodem loco, quem ſupra adduximus, cum *Piſetorum* originem indagaremus, ſumus perſuaſi. Adde, inſigne illud CAROLI I. decretum, atque regum, qui eum exceperunt, leges

Origo Cameræ Cremnitzienſis, ex auctoris ſententia.

d.) VRBVRA, cenſus eſt regius, ex mineris, quas priuati colunt, pendi ſolitus. Primitus, non aliud ſignificaſſe, quam VR-BORA, id eſt, *Vinum Domini*, ſeu *Dominale*; (Germani, *Wein*, ſeu *Trinck-Geld*, dicerent) opinatur, IOHANNES SZEGEDI, S. I. in Rubricis Iuris Hung. p. 51, (*a*) forte, quod Domino eius fundi, vbi eruebantur mineræ, ad agnoſcendam *iurisdictionem*, dabatur. Hinc demum, ciues, metallis operantes, honorario vocabulo, VRBVRARII ſunt dicti. Placet SZEGEDII hæc coniectatio; cum promiſcue, reliquum tabulas, & in aliis hærediis, *Vrburaria*, vocent Hungari. Sed, de *Vrburarum* metallicarum iuribus, videſis, LVDOVICI I. Decr. A. MCCCLI. Artic. XIII. MAXIMILIANI Decr. VI. Art. XIX. &, quæ heic citantur, reliqua.

e.) Alterius enim generis *Cameras*, & quo prouentus regum alii congerebantur, iam tum S. STEPHANI ætate, inſtructas fuiſſe, Tomo Operis I. in Hiſt. Vrbis Piſon. Cap. V. Art. V. §. 1. p. 438. docuimus, quæ, ſi volet, recolat, lector.

Digitized by Google

creberrimas. Qui his certiora dederint, gratiam apud nos, inibunt, haud vulgarem.

§. X.

Eiusdem habitus hodiernus:

IAm, quomodo se hodie, *Cremnitzienſis Camera* habeat, & quibus administretur officiis, lector docendus est. Totam eam, in REGIS esse potestate, ex his, quæ iam adtulimus, condiscas. Itaque, procuratio simul, ab eius arbitrio pendet hodieque. quam *Camera Viennenſis Aulica*, proco, atque id ex publica vtilitate est, perpetuo moderatur. Ab hac, sed CAESARE conscio, & prorsus adnuente, *Comes Cameræ;* summum totius rei metallicæ præfectum, iure dixeris; eligitur. qui, pro re nata, in vna montanarum vrbium, residеat, necesse est. Ad eum pertinet, non modo prouidere, ne quid detrimenti fodinæ, cuiuscunque generis, capiant; sed curare etiam, vt incrementis quotidianis, augeantur; operæ omnes, ea, qua par est, dexteritate, fiant; neque committatur quidquam, quod, siue Cæsareis reditibus, siue vtilitati horum, qui in metalla sumtus faciunt, fraudi esse possit. Proinde, perpetuum quasi obseruatorem dixeris, puteorum, cuniculorum, venarum, &, quod, seu liquandis, seu examinandis, seu signandis metallis, officinarum conditum est. Eius nutu, & auctoritate, summa imaque, maxima & minima, administrari oportet. Certe, quidquid plures munerum seorsim obeunt, id omne, in *Comitem Cameræ* recidit: vt adeo, honoris illud vocabulum, si partibus suis, rite velit defungi, tantum oneris habeat, quantum vix crediderint, nisi, qui id penitus cognitum habent. Subsunt ei, magistratus reliqui, atque in his, duo præcipue: quorum alterum, *Quæſtorem*, alterum *Commentarienſem*, accepti & expensi, latine (*f.*) dixeris. Coniuncta horum sunt munia, & istis fere partibus absoluuntur; vt ille quidem, reditus accipiat, sumtusque, quos fieri necesse est, moderetur; hic, vtrorumque rationes, in tabulas referat. quas, annis singulis, quam accuratissime subductas, dispunctasque, seorsim vterque, *Aulicæ Cameræ*, submittant, oportet. Quidquid præterea, a reliquis operarum præfectis, in rationes relatum est, iidem isti duum viri, recognoscunt, possuntque ideo, *procuratores a rationibus* dici. Suus, priori illi, *Vicarius* (*g.*) est, vtrique autem, adstricti, iureiurando, scribæ singuli. qui, quod est necessum, in litteras, fide optima, referant. Sin vero, quod euenit frequentius, secreti quidpiam, siue *Viennam*, ad *Cameram Aulicam*, siue ad absentem *Comitem Cameræ*, perscribi debeat, *Commentarienſis* ea est prouincia; vt idcirco, *Secretarius Cameræ* simul adpelletur.

Comitis Cameræ officium:

Quæstoris & Commentarienſis, accepti & expensi, munia.

§. XI.

f.) Vulgo, ille *Perceptor*, hic *Regiſtrator* dicitur. Germanis: *Einnehmer*, & *Buchhalter.*

g.) Germani: *Amts-Verwalter* vocant. Olim, & ipsi *Cameræ Comites*, vicarios suos, *Cremnitzii*, & *Neosolii*, habuere, quos *Sub-Comites*, etiam *Supremos Administratores*; Germani: *Unter-Cammer-Graffen*, *Ober-Verwalter*, *Mitt-Verwalter*, *Unter-Verwalter*, adpellabant. qua dignitate, ROTHII *de Rothenfels*, aliquando emicuere.

Digitized by Google

§. XI.

Reliqui operarum præfecti : Explorator monetalis.

RElIqui operarum præfecti, iſtis fere officiis, diſtinguuntur: 1.) *Explorator*, ſeu *Docimaſtes Monetalis*, ſiue, auri & argenti, tum puri putique, tum eius, quod pro monetæ, in quam conflandum eſt, portione, arte, vix alibi terrarum cognita, permiſcetur. Quocirca, monetæ quoque, operisque iis præeſt, quæ metallum ſignandum, fundunt, inque laminas procudunt. Germanis *Wardein* dicitur. Huic, *ſcriba*, & *explorator antagoniſtes* additus eſt. *Contra-ſcribam* barbare, Germanice, *Gegen-Schreiber*, item *Gegen-Probierer*, vocant. qui idem, ſcribæ munere, in fuſoria quoque officina, defungitur.

Montium & ſiluarum magiſter :

2.) *Montium*, & *ſiluarum Magiſter.* Eius eſt, fodinas frequenter perluſtrare, cuniculos ſubire, deſcendere in puteos, ſiluas cæduas, ab iniuria tueri, aquæ ductus, ſartos habere, ac, ſi quid litium (*b.*) metallicis, vti euenit toto die, interceſſerit, id, ex legum metallicarum præſcripto, diiudicare. Ad eundem hunc *Montium Magiſtrum* adtinet, campum metallicum his deſignare, qui mineras ſcrutari, nouis operarum experimentis, cupiunt. Germani *Schürffen* vocant, quando, depactis ligneis humi ſignis, noua eiusmodi regio, definitur: quæ demum iura, quotannis, inſtaurari oportet, ſi rata atque intemerata habere cupiunt *Vrburarii.* quod *Friſten* dicunt Germani. Sed neque fodinam, ſeu deſerere, ſeu vendere, integrum cuiquam eſt, niſi conſcio *Montium Magiſtro*, & adprobante ſingula. His muneris ſui partibus, ex æquo obeundis, ſaltuarios, lignatores, hydragogos, ſeu liberatores aquarum, ſibi habet obnoxios. Certe, ſiluas cædere, ciuis ſit vrbicus, aut *Cameræ* rationibus obſtrictus, nemini licet, niſi, qui ab iſto magiſtratu, prætore item vrbis, teſſeram acceperit. Quapropter, adulto more, *Senator*, ſimul eſt ciuicus, idemque ordine, nunc *tertius*, nunc *quintus.* Germanis *Berg- und Wald-Meiſter* dicitur.

Procurator *Cameræ :*

3.) *Procurator Cameræ*, vel, vt cum vulgo loquamur, *Prouiſor.* Hunc *Zeugſchaffer* Germani nominant, vocabulo, a muneris, quæ iuncta ſibi ſunt, partibus arceſſito. Nimirum, quidquid argenti viui, ſeu *Mercurii*, æris cyprii, chalybis, ferramentorum, reſtium metallicorum, pulueris pyrii, currulis ſupellectilis, & quadrigarum, requirunt operæ, domus item *Cameræ*, & *monetaria*, eius id procuratione, continetur. Præterea, ædium, quas *Camerales* vocitant, curam gerere, incendia, & damna cauere, adparitores, atque ſatellites, in officio continere, eisdem, & miniſteriis aliis, ſalaria dependere, vigilias, ex more, dislocare; quin & fœniſecii, quod in prato, *Remwies*, fieri ſueuit, rationem habere, inter eiusdem muneris partes, refertur. Iam, & conſultationum, quas in commune inſtitui moris eſt, aduerſaria,

b.) Lites intelligimus, *pure metallicas.* Nam, cauſſæ *ciuiles*, & *criminales*, ad vrbicos magiſtratus pertinent: more ciuitatum reliquarum.

saria, *Protocollum* dicunt, ab eodem hoc procuratore, omni adtentione, conscribuntur, curanturque ea singula, quorum expeditio, ad *Secretarium* adtinet.

Sculptor ferramentorum:

4.) *Sculptor ferramentorum*, quæ sunt, auro argentoque signando, necessaria. Hæc ille, formis, quam scitissime incidit, &, si intra operas, vitii quiddam capiant, instaurat. Idem, & numismatum memorialium, si opus sit, sculpendorum, fundendorumque, ius habet; certe, vniuersim, officinæ monetariæ, præest, ac, ne perperam signentur numi, prouide cauet, cum duobus aliis, quos in eadem procuratione, collegas habet. Vocatur Germanice, *Ober-Eisen-Sencker;* collegæ sui, vulgariter: *Eisen-Sencker.* Vni *Danieli Warou*, quem supra laudauimus, id dignationis, ob eximiam culpendarum formularum artem, adtributum est, vt, *Kayserlicher Cammer-Medaillieur*, seu *Memorialium Cæsarianorum numorum fusor aulicus*, diceretur. Ei profecto, artificiosa illa, qua iam, cum exterarum gentium adprobatione, vtimur, cudendorum numuum ratio, in acceptis ferenda est.

Fodinarum Procurator:

5.) *Fodinarum Procurator*, Germanis *Berg-Schaffer.* Impensius hic, quidquid in fodinis, subterraneorum est operum, procurat. Proinde, frequentius, cuniculorum, puteorum, & meatuum quorumuis, substructiones, ne temere dehiscant, recognoscat, metallicos debite dislocet, eorumque operi, per ἐφολώτας, *Huth-Leuthe* vocant, sollicitissime adtendat, necesse est. Ad eius curam, & *Metallici Tudes*, (*i.*) *Lauatoriæ* item *officinæ*, pertinent.

Supremus Cementarius:

6.) *Supremus Cementarius*, ac latinius forte, *Fusorum præfectus*, eo, quod Germanice *Ober-Cimentierer*, dicitur. Data ei prouincia est, (*k.*) vt fusoriis operis, quæ aurum argentumue, defecant, scrupulosius adtentat, quodque, conflandum in monetam est, in vasa fusoria, immittat, ære contemperet, atque colliquatum, in laminas diffundat. Antehac, aurum, argento maritatum, *Schemniczium* dimittebatur ad secernendum; nunc, quia officina ea, *Cremnitzium* delata est, domi, operæ eæ sudant. Fiebat hoc, in singulas fere hebdomadas. In eum finem, *currus*, quem *argentarium* vocant, vltro citroque commeabat, sex, & si quieta erant tempora, duorum equitum argentariorum, quos tribunus ductitat, præsidio comitatus. Hodie, curru eodem, deuehitur *Schemniczium*, moneta recens cusa, dissoluendis illic operis, necessaria: reuehiturque inde, quidquid hebdomadario prouentu, auri, argentique, coactum est, isthic postea, defecandum, signandumque

Scriba metallicus:

7.) *Scriba Metallicus*, cui *Berg-Schreiber* Germanicum nomen est, muneris autem ista ratio; vt, metallicorum, qui operas locauere, nomina, cum penso, quod testibus ἐφολώτας, confecere, singulis antea, nunc

i.) Germanis sunt *Buchwerck.*

k.) Partes has muneris, *Supremo auri Coemtori*, quem Germani, *Ober-Gold-Einlöser* dicunt, adtribuunt. Redimit is, designato pretio, *Aurum*, & *Argentum*, ab *Vrburariis*, vetertima lege, ad *Cameram* delatum. Nomen huic officinæ est: *Die Kayserliche und Gold-Kunst-Handlung-Cremnica.*

Digitized by Google

nunc duabus hebdomadibus, in tabellam referat, rationes expenſarum ſubducat, ac tandem, præſentibus duum viris, *Quæſtore* videlicet, & *Commentarienſi accepti & expenſi*, quin fodinarum etiam procuratore, ſuam cuique mercedem, ex æquo, & pro operis ratione, vt ne querelis locus ſit, dependat.

8.) *Promus Condus.* Germani *Zeüg-Schreiber* vocant. TOLLIVS (*l.*) non inepte, *Neceſſariorum præbitorem*, nominauit. Curæ huius commiſſi ſunt, equi, anterioribus fodinis Cæſareis, neceſſarii, vna cum eorum pabulatione, ac rectoribus. Ergo, quidquid huc pertinere exiſtimat, mature id, & quam poteſt, pretio æquiſſimo, comparat, vt præſto ſit, vbi id vſus poſtulauerit. Emtorum rationes, probe diſpunctas, *duum viri*, quos nunc nominauimus, ſcrutantur, æsque impendendum, *Promo* huic *Condo*, numerant. Idem, ſi *montanum Iudicium* habeatur, *Notarii* munere, veteri inſtituto, defungitur. (*m.*) *Promus condus.*

9.) *Tribunus Monetariorum*, ſiue *Libripens.* Ad hunc pertinet, penſi habere, vti moneta omnis, iuſti ſit ponderis. Igitur, ſi quid erratum fuerit, eius eſt, id, quod ponderi deceſſerit, cum ſuis operis, compenſare. Quod ſimul, fabris ferrariis, & quorum opera, ad rem monetariam, requiritur, præeſt, Germanis *Schmied-Meiſter* vocatur. *Tribunus Monetariorum, ſiue Libripens.*

§. XII.

NOn piguit, iſta, de rei metallicæ præfectis, adnotauiſſe, vt palam conſtet, quanta adcuratione, cum vniuerſa res, tum ſingulorum munia, obeantur. Nempe, iurata fide, elaborandum cuique eſt, ne partibus ſuis deſit. Quia enim, diſcreta hæc, quæ recenſuimus, officia, ita cohærent inuicem, vt vnius vitium, atque aberratio, non poſſit non, propemodum in reliquas omnes, tamquam virus quoddam, magno plerumque damno, propagari; conſociatis curis, ſtudioque, opus eſt, ne quid, tantæ, & molis, & ſumtuum, ſyſtema, detrimenti accipiat. Recens, ſed profecto, numquam ſatis dilaudandum, *Comitis Cameræ*, JOSEPHI ANDREAE WENCZEL, *Liberi Baronis de Sternbach*, ante hoc luſtrum, fato præmaturo functi, inſtitutum eſt, iſthuc faciens; vt metallici magiſtratus, & *Vrburariorum* primores, in hebdomadas ſingulas, in *Camera*, ad conſultandum coeant. *Metallicum* quaſi *ſenatum* quendam dixeris, cui *Quæſtor*, ſeu *Perceptor* præſidet. Hic vero demum, quidquid, ad procuranda metallorum incrementa, auerruncanda contra detrimenta, vtile, aut certe neceſſarium, plurium ſententia, viſum fuerit, decernitur, quodque decretum eſt, ad *Comitem Cameræ*, defertur. qui, vocatis, ſub examen, ſententiis, quod e re arbitratur futurum, ratum habet; *Cauſſa, cur hæc adnotarit auctor.* *conſultationes metallicæ.* *earundem ratio.*

l.) Epiſtola Itineraria V. p. 183.

m.) Moniti ſumus, PROMI CONDI munus hoc, cum PROCVRATORIS FODINARVM, cuius quinto loco meminimus, vt parceretur impenſæ, coadunatum eſſe hodie.

aut, ſi id non liqueat, iterum iterumque, cum dubitationis rationibus, ad eundem illum *ſenatum*, remittit; immo, non raro, ipſe, cum eo, deliberato conſultat. Ingens inſtituti vtilitas eſt. Prætereaquam enim, quod, ſi erroris quidpiam, vti fit ex facili, ſiue in operis, ſiue apud harum præfectos, obrepſit, id ante in viam reuocari poſſit, quam ſe malum prorſus inſinuet, atque diffundat; ſingulis, qui, & rerum vſu pollent, & ſunt in commune vtiles, integrum eſt, id, quod partim ſuo, partim aliorum damno, didicere, aut obſeruauere alias, libere, & ſine obtrectationis metu, expromere. quæ omnia, quantum valeant, ad ſuſtentandas non ſolum; ſed locupletandas etiam, metalli fodinas, monere non eſt opus. Atque, hæ iſtiusmodi conſultationes, non ſunt cum *Iudicio Montano*, confundendæ. Totum hoc eo comparatum eſt, vt lites, ſi quæ inter metallicos, aut *vrburarios*, coortæ ſunt, ex legum metallicarum (*n.*) ſententia, definiantur, ſopianturque. Nam, & hoc ad metallorum incrementa, acceſſionesque redituum, pertinet; vt ſine querela, & hi, qui ſumtus faciunt, & qui locant operas, mutuo agant. Nullum, ei *iudicio*, quod ſciamus, præſtitutum eſt tempus; ſed, quemadmodum ſunt res, ſæpius, rariusue, habetur. Conſtat id, ex quinque *iuratis*, quos vocant, *adſeſſoribus*: quorum tres, e Cameræ magiſtratibus, duo, ex ſenatu vrbano, leguntur. Prætor, in iudicio hoc, *Montium & ſiluarum Magiſter* eſt, qui ideo, *Iudex Montanus*, Germanis, *Der Berg-Richter*, adpellatur.

vtilitas:

Iudicium Montanum.

§. XIII.

Vidimus *Cameræ* magiſtratus. Nunc, quibus præſint metallis, in compendio, eam ob cauſſam dicendum eſt, quod fuſam eius rei tractationem, alii, idoneoque magis loco, adſeruamus. Vniuerſim, fodinarum regio, in *Poſteriorem*, & *Anteriorem*; Germanis, *Hinter*, *und Vorder-Zech*, diuiditur. Atque illa quidem, quam *poſteriorem* diximus, ab operis, *Cæſareo-regiis*, vnice colitur, nemine, in ſocietatem, admiſſo. Septem iſthic ſunt fodinæ, non nominibus tantum, & puteorum profundo; ſed potiſſimum, qualitate minerarum, diſcretæ inuicem. Iuuat ſingulas indicauiſſe.

Metalli fodinæ *Cremnicienſes*: *duplex earum regio*:

poſterioris, putei:

Rudolphi:

1.) Rvdolphi puteus, a Caesare, eius nominis *ſecundo*, denominatus. Deprimitur is, ad orgyias CVIII. qua demum regione, cuniculus eſt, in apricum vsque pertuſus, per quem aquæ emanant. Operæ iſthuc, machinis hydraulicis, immittuntur, educunturque iterum, vna cum mineris; eximio profecto, & temporis, & ſumtuum, compendio. quod idem, in omnibus, poſterioris huius regionis, fodinis, obſeruauimus.

S. Annæ:

2.) S. Annae puteus, ita credo adpellatus, quod eum, diuæ patrocinio commendauerunt, primi cauatores. Eius profundum, CXXX. orgyiis

n.) Germani ius illud, *Berg-Ordnung* vocant.

orgyiis definitur; minera vero, ex eo eſt genere, quod Germani, *Gold-Gänge* vocitant, ob venæ auriferæ ſoliditatem.

3.) KRIBANVS, ferax vitrioli puteus. Fallor, an iſtud eſt vitriolum illud, quod deſcripſit TOLLIVS, (*o.*) atque, negligentius ea ætate habitum, miratus eſt. *Quemadmodum* Schemncizii, *ita & hic, diuerſi coloris* Vitrioli, *ab omni parte prorumpentis, lateraque obſidentis, copia conſpecta eſt: eratque in primis notabile, albicans eius genus, quod adeo accurate* Alumen *ſciſſile, ſiue* Amianton, *referebat, vt, primo me ipſum intuitu falleret. Erat, & aliud* rubrum, *in cruſtas duratum, tum etiam in* ſtirias *efformatum. Huius* vtriusque, *tum, & variis inter ſe permiſtis coloribus, adſpectu iucundiſſimi,* auriferique, *interque ipſas* auri venas, *excreſcentis, mediocrem ſufficientemque, meis conſiliis, copiam, inde retuli. Mirari deinde ſatis nequiui, cum hic abunde, magna* vitrioli *præſtantiſſimi copia peti, eruique poſſit, cur ad* Aquas Fortes *conficiendas,* albo, *alterius fodinæ* vitriolo, *de quo mox, vti malint, quam hoc; vnde certior, maioris, e contento* auro, *lucri ſpes eſt. Quamuis enim, in* Aquæ Fortis *confectione,* vitrioli *corpus, in* caput mortuum, *vt Chimici vocant, deſidat, vnde, ſi quid in eo latet* auri, *illud eruendum ſit;* volatile *tamen* aurum, *quod ei plurimum ineſt, vna cum* ſpiritibus, *in* recipientem *eleuatur, dumque ſeparatur, ab* argento, aurum, *huic adhæret, eiusque pondus atque quantitatem, auget. Ac tale quidem illud fuiſſe* vitriolum *exiſtimo, vnde illi* Monetario, *apud* BECCHERVM, *in* Phyſica *ſubterranea, viginti (p.) aut amplius, millium imperialium, lucrum, ex inopinato, obtigit. Non ego auro, nec diuitiis inhio, eaque de*

Kribanus:

vitriolum, *huius fodinæ a* Tollio *laudatum:*

o.) Epiſtola Itineraria V. p. 175.

p.) Ex memoria hæc TOLLIVS, ideoque, non ſine errore. BECCHERVS certe, Phyſicæ ſubterraneæ Lib. I. Sect. III. cap. III. p. 142. decem millium Ducatorum lucri feciſſe meminit. Pulchra eſt hiſtoriola, quocirca, iſthuc adſcribenda, vt habeant, quo ſolentur auariſſimas ſpes ſuas, cupidiſſimi illi aurifices: *Ciuitas eſt*, inquit, *in qua, neſcio, ob quas cauſſas*, Monetæ Præfectus, *debitis, variis & multis, inuolutus, aliquot millia florenorum debebat, ita, vt plane ad inopiam redigeretur, & vix non incarceraretur. His ergo in neceſſitatibus conſtitutus, anxie* DEVM *rogauit, dignaretur eum medio extraordinario iuuare, cum de ordinariis, nulla ſpes ſuperſit. Ecce, contigit, quod neceſſum haberet, magnam* Aquæ fortis *copiam parare, qua in moneta vti vellet. In hunc ergo finem, emebat* Vitriolum, *quod pridie, in naui, ex* Hungaria *aduexerat. Nam vrbs, de qua loquimur, ad fluuium iacet. Emtum* Vitriolum, *miſcuit more ſolito, cum* Nitro, *& deſtillauit inde* Aquam fortem, *prorſus communi modo. Incepit in* Aqua forti, Lunam *ſoluere, & pars octaua, vt niger puluis decidit. Suſpicatus ille* Aquam fortem *non ſufficienter eſſe præcipitatam, & purificatam, damno cum noua* Aqua forti, & Argento *probauit; ſed idem accidit. Probauerat cum alia* Aqua forti, *non cum hoc* Vitriolo *facta, & tota* Marca, *vix mediam* drachmam auri *tenuit. Vnde, nouis curis inuolutus, timebat, ne tota* Aqua fortis *eſſet perdita, & nullius momenti. Nigrum namque puluerem faces eſſe ſuſpicabatur; nam tantum fortuna ſibi non ſperabat. Tandem, vt mori eſt, declinata* Aqua forti, *& adulcorata, ac candefacta calce*, aurum purum *eſſe inuenit.* DEo *ergo gratias agens, & tacens, nihil fecit, niſi eo modo* Argentum, *cum* Aqua forti *ſoluere, & faſſus eſt primario amico, ſe ex præfatis decem centenariis* vitrioli, (tantum enim emerat) *& parata inde* Aqua forti, 10000 Ducatos *lucratum eſſe: quibus, non modo omnia debita perſoluit; ſed & ad priſtinum vigorem rediit. Finita autem* Aqua forti, *& deficiente* Vitriolo, *numquam amplius facere potuit, etſi ipſe in* Hungariam, *eius gratia profiſceretur, vt percontaretur, quanam ſpecies Vitrioli ſueris.* Hactenus BECCHERVS.

de cauſſa Cremnitzii *diutius hærere nolui, vt experirer: ſufficit, animum hæc aduertiſſe, quæ poſt* Cæſaris Miniſtris, *vna cum aliis multis, indicauit, vt, quid inde commodi proueniret, absque vllo ſuo incommodo, tentarent.* Hæc ille, de *Vitrioli* iſto genere. Quid vero ſua, quæ Cæſaris Miniſtris ſuggeſſit, conſilia profecerint, dicere non habeo. Ceteroquin, putei altitudo, orgyiarum hodie eſt LXXV.

Matthiæ: 4.) MATTHIAE *Archiducis* puteus, cum is, pro fratre RVDOLPHO, res Hungaricas adminiſtraret, ſic dictus, prioribus profundior multo: quippe, qui ad CLV. orgyias depreſſus ſit.

Leopoldi: 5.) LEOPOLDI puteus, memoriæ Cæſaris, regisque optimi, cuius nomen refert, dedicatus. Mixtæ hic ſunt, auri argentique venæ, quas, conflato demum metallo, ſeparari oportet. Habet deſcenſum orgyiarum CLXV. eſtque profundiſſimus omnium.

Diuinæ Benedictionis: 6.) *Diuinæ Benedictionis* puteus, ſi lubet Germanicum nomen, *Gottes-Seegen-Schacht*, latine reddere. Eſt profundo orgyiarum LXXXV.

Grund-Schacht: 7.) *Grund-Schacht*, latinum nomen non ſuccurrit, niſi *puteum fundi*, dicere quis voluerit. Demergitur, ad orgyias XCVIII.

Atque iſtæ ſunt, *Poſterioris regionis*, Auràriæ CAESAREO-REGIAE. quarum mineræ, octo tudibus triturantur, eluunturque poſtea, tribus lauatoriis alueis.

Anterioris putei, Opacæ ſtellæ: Sed *Anterior regio*, duos admodum puteos habet, quos nominauiſſe, pretium fuerit operæ. Horum alter, *Finſter-Stern*, ſeu *opacæ ſtellæ* puteus dicitur, ignota nobis denominationis ratione. Exili eſt altitudine, neque enim vltra L. orgyias demergitur. Quia hydraulo caret, equorum miniſterio, mineræ, in apricum protrahuntur. Alter, *Sacræ Triadi:* *Sacræ Triadi* adſcribitur, *Heilig-Dreyfaltigkeit-Schacht*, XVIII. orgyias circiter profundus. Tantum vtrobique mineræ eruitur, cui ſex *tudes*, lauatoriæ autem menſæ, duæ, ad triturandum, eluendumque, ſufficiant. Proinde, (*q.*) vniuerſim, nouem CAESARI ſunt *Auraria*, *numerus Aurariarum Cæſaris:* quarum venæ, partim crudæ, partim triturataæ, liquantur fornacibus, propemodum perpetuis, in peculiari officina, arti huic fuſoriæ deſtinata, poſitis. Quin, & *Schemniczienſium*, aduectæ iſthuc mineræ, auro atque argento grauidæ, eadem iſta fuſura, colliquantur. Tres hic ſunt operarum præfecti, *Commentarienſis* alter, vulgo *Hütten-Schreiber*; alter *Procurator*, ſiue *Hütten-Schaffer*; tertius, *Hütten-Probierer*, ſeu *Docimaſtes officinæ.* quorum tamen alter, prioris rationibus obnoxius eſt. His, *Carbonum præbitor*, Germanis *Kohlen-Meſſer*, ſubeſt. qui rem curat carbonariam, & fornacibus, atque operis ſingulis, ne quid, ſeu prodige fiat, ſeu iuſto parcius, ſollicite carbones admetitur. Iſtis operis, vaſtis profecto, ſumtuumque immanium, *coctura Vitrioli*,

q.) In Manuſcripto PARSCHITZIANO, hæc fodinarum nomina reperio: Alt-Ferdinand-Schacht; Neu-Ferdinand-Schacht; Keyſer Rudolph-Schacht; Anna-Schacht, &c. quæ nomina, cum hodiernis concilient, qui habent cognita.

Vitrioli, olim potuiſſes adnumerare. Ea, quemadmodum inſtituata fuerit, nemo nos, Tollio, (*r.*) docuerit melius: *Horas*, inquit, *pomeridianas*, Albi Vitrioli *præparationi impendi, quod in proximo Aurifodinis monte*, (Berg Germanicum nomen eſt) *reperitur. Minera eius, ſeu vena potius, inops eſt, excoquitur in cacabis, ſeu vaſis plumbeis, diebus admodum quatuordecim, in lixiuium, quod in lacus ligneos effuſum, ſuapte indureſcit. Inde, in fornacem coniicitur, in qua, vndique, & deſuper congeſtis ignibus, in liquorem eliquatur, qui deinde emiſſus, priusquam in lapideam duritiem rurſus indureſcat, in palmi magnitudinem, æquantia fruſta, diuiditur. Hoc ita præparatum,* Calcinnatum Vitriolum *adpellant, eſtque exterior eius facies* albicans, *interioribus in* griſcum colorem, *compactis. Ex hoc Vitriolo* calcinnato, *rurſus in minores particulas contuſo, & diffracto,* Schemnitzienſes, *addito* ſale petræ, aquas *ſuas* fortes, *exſtillant, quo deliteſcens in* argento *ſuo*, aurum *eruant.* Hæc ille. Olim quatuor cacabis plumbeis, *ſex pedes* longis, *duos* atque *medium* latis, *vrnarum* vero *duodecim* capacibus, coctura hæc inſtituebatur; totidemque fornaces erant, quibus elixatum ac dureſcens *vitriolum*, eliquabatur. *Cacobos* autem, plumbeos eſſe oportet, quod ferreos æneosque, ante lixiuium illud corrodat, quam operæ poſſunt conſummari. Has, ſuo ſumtu, *Camera Schemnitzienſis*, tunc curabat. Qui, eximie ſibi, in arte *chimica*, videntur ſapere, *coctura* huius *ſedimentum*, penitus fundo cacabi hæreſcens, multæ vtilitatis eſſe perhibent; rei, ſcilicet, experimentum, ad *Græcas calendas*, daturi. Alioquin, hoc illud eſt *Vitriolum*, cui *natiuum* aliud, multis modis præferendum, Tollivs, ſupra a nobis citatus, ſeuere ſerioque cenſuit.

Vitrioli albi coctura, quomodo fiat, ex Tollio docetur.

§. XIV.

Præter Caesaris has *Aurarias*, ſuæ, non *vrbi* modo, ſed ciuibus etiam ſunt fecturæ. Ita enim priuilegia, quorum argumentum ſupra dedimus, volunt, vt hi, qui iure ciuitatis potiuntur, atque *ciues* ſalutantur *circulares*, *vrburarii* ſint omnes: hoc eſt, metallorum ſcrutatores adſidui; quique, non fortunis, non labori, curisque parcant, vt rem metallicam, in dies reddant ampliorem, iuxta & lucroſiorem. Proinde, cum id ad ſe pertinere, conſcii ſibi ſint, operam nauant vrbis megiſtratus, vt, & ſuis partibus ſatisfaciant, &, in commune ſint vtiles. Id vero, & tunc eos feciſſe, domeſtici annales meminerunt, cum factos ſumtus, non modo non redderent metalla; ſed magna etiam, vixque toleranda fierent intertrimenta. quod monuiſſe hic decuit, ne ſit porro locus obtrectationi illi; ſegnius, quam par ſit, in opus incumbere *Cremnitzienſes*. Sed, ad fodinas eorum veniamus. Tres harum ſunt, cuniculis totidem conſtantes. *Primæ*, ex re ipſa inditum nomen: *Gemeiner Stadt-Handel*, quaſi, *Communes Vrbis operas*, diceres. Sunt huic, non *auri* tantum, ſed *argenti*

Vrbis, & priuatorum, Auraria:

ſolertia Cremnitzienſium, *in iis colendis, laudatur:*

Vrbani cuniculi tres:

r.) Loco citato ſæpius, p. 178. Hodie *coctura* ea, ceſſauit.

etiam venæ, trituratione, lotioneque ante ſubigendæ, quam in metallum poſſint eliquari. *Alteri*, *ab Adſumtione B. V. M. in cælos*, vocabulum hæſit, *Mariæ Himmelfahrts-Stollen* (*s.*) vulgo dicunt. priori, mineræ, quam præbet, præſtantia, non æque copia, ſuppar. Denique, *tertiæ*, a *S. Iohanne Baptiſta*, cognomen eſt: Germanis, *St. Iohann Euangeliſten Stollen*, quæ annis ſuperioribus, ingentem, diuitis reditus, ſpem fecerat. Quidquid hinc operæ promunt, in *metallicos tudes*, deferri oportet: quorum, *primo* illi, duo; vnus *alteri*; *tertio* denique vnus, nuper exædificatus, trituram facit; tribus poſtea alueis lauatoriis, quod ibi eſt contuſum, curate eluendum. Tametſi vero, vrbis hæc metalla iure dicuntur; tamen, non ſunt plane nulli, qui, in colendorum eorum ſocietatem, admittuntur. Maxime, hac temporum iniquitate, qua, præter vrgendi operis ſumtus, ſoluendorum tributorum neceſſitas, ciuibus incumbit. Poſt publicos iſtos cuniculos, habenda quoque eorum mentio eſt, quos, aut ciuium ſinguli, aut coadunatis ſumtibus, plures mutuo cauant. In præcipuis *Auraria Rothiana*, quam, nobiliſſima *Rothiorum de Rothenfels* familia, ſagaciter, longa retro annorum ſerie, procurat, numeranda eſt. *Hülff-Gottes-Schacht* ei nomen, quod latine *puteum* ſignificat, ab *auxilio diuino*, nuncupatum. Profundum eius, L. orgyiarum eſt, vnde minera auri, equeſtribus machinis egeritur. Alioquin, in tres abit cuniculos. quorum venas, tribus conteri *tudibus*, accepimus. Quum reditus eſſent vberiores, quatuor, eius generis officinæ, habebant, quod ſine ceſſatione, triturarent; ſed, quarta iam, poſtquam non eſſet, quod diſtunderet, negligi cœpit, abiitque in vaſtitatem. quod, & lignatoriæ officinæ, accidit: lauatoriis contra, quarum tres ſunt adhuc, perpetuis operis feruentibus. Sumtus annui, qui iſthic fiunt, parciſſime ſupputati, nouem florenorum millia, facile exæquant. Vt mirum ſit, quid HENRICO CHRISTIANO HENNINIO, (*t.*) TOLLIANO editori, in mentem venerit, cum inquit: *Camera*, vt vocant, *Cremnitzienſis*, *quotannis imputat expenſis*, plures vltra octo mille florenos Germanicos, *qui excedunt*, *acceptos ex aurefodinis*, *quæ valde ſunt pauperes*: *& tamen eadem Camera adhuc*, *ob monetam*, *in ſingulas* Marcas, *ſiue* ſelibras, *accipit lucro*, ſemunciam, *quæ monetariis ſumtibus deputatur*. Nempe, ſi vnicus, priuati viri, puteus, *nouem millium florenorum*, impenſas depoſcit, vniuerſos profecto, quos in quatuordecim alios fieri oportet, ſumtus, eodem iſto puteorum numero, multiplicari neceſſe eſt. Sed, eſt iſta, peregrino homini, condonanda aberratio. Superat & alia, vrbutariorum *fodina cunicularis*, quam, *Neu GottesSeegen Handlung*, vocarunt, vt a vetere illa, cuius in CAESARIANIS, mentio nobis fuit, diſcriminarent. *nouam*, adpellatio, *bene-*

priuatorum fodinæ:

Rothiorum:

ſumtus eorum annui:

s.) Condocti ſumus, in eadem hac fodiſuam, *Eccleſia parochiali*, portionem eſſe. quam, ita procurant magiſtratus, & operarum ſocii, vt, ſine impenſe *eccleſia*, qualescunque reditus, percipiat eius fiſcus. quod non erat fiendum.

s.) In notis, ad Epiſtolam Itinerariam V. p. 212. num. 50.

Digitized by Google

benedictionem diuinam, significat. Principatum, in ea excolenda, *Schindleriana* familia obtinet, *vrburariis* pluribus, qui, & sumtus vna faciant, & lucrum participent, consociatis. Tude indiget vnico; an vero *officinam* habeat *lauatoriam*, ignoro. Denique, non est laude fraudandus, *Laurentius Bukowa*, qui suo ipsius, & arbitratu, & impensis, fodinam, haud sine fructu, percolit, tantum *minerae auri* suppeditantem, quantum duae molae, ad triturandum, requirant. Vt iam molitiones alias, quas *Hoffnungs-Gebäu*, Germani, latine, *operas, in spem futuri reditus, susceptas*, adpellamus, taceam. *Feliciter!*

Schindlerianae *societatis*:

Laurentii Bukowae.

§. XV.

VIsis, *Cremnitzienſibus* aurariis, toto orbe Europaeo, facile celeberrimis, in vrbem redeamus iterum, incolas eius, & magistratus, lustraturi. Diximus supra, dum exordia eius eruderaremus, *Germanorum* esse coloniam. quam illa prærogatiuam, tuetur hodieque; sed profecto, quam vellet, ægrius. Seculum enim, & vltra est, cum *Slaui*, publicis legibus, (*u.*) ad ius ciuitatis capessendum admissi, ita hic quoque numero inualuerunt, vt, licet *Germanis* haud sint comparandi, tamen increscant quotidie. Quidquid eius sit, peculiaria adhuc *Germanis* sunt iura, quae, ne quid capiant detrimenti, sollicite cauent. Neque id, vt aliter fiat, priscorum indultus regum, permittunt. Itaque, suo se hic modulo, *Slaui* metiuntur: meliore profecto exemplo, quam id apud *Neosolienſes* meminisse debuimus. Ceterum, suum *Germanis* est ingenium. Vulgus infimum, operis vacat metallicis. Vidimus aliquando, decennes pueros, factitasse quidpiam, ea, & adcuratione, & adsiduitate, qualem in robustissimis quandoque, frustra requisiueris. Neque in plebe hac, fieri potest aliter: quippe quae, agresti cultu destituta, eam occupationum sequi debet rationem, quae, cum obuia est, tum tolerandae vitae, quomodocunque idonea. Mirabamur aliquando, qui fieret, vt homines, auro vestigendo, triturando, eluendo, liquando, signandoque, dediti, tam sint egeni, & ab iis rebus destituti, quae sunt, ad commode viuendum, necessariae. Sed, demsit admirationem, illud Poetae:

Vrbis incolae, Germani:

eorum, ac plebis in primis, occupationes, ingenium, mores, & lingua:

Non sibi, sed domino, venatur vertagus acer.

Quid enim, ex mercenariis operis, referant miseri, quam, quod in dies singulos, aegre sufficiat. Hae virorum fere sunt propria. *Feminae*, ritu *Saxonico*, taeniis plicandis, distinentur: cui operi, pueros quoque imbecilliores, & qui haud sunt idonei ad metalla, indignius adplicant. Ciuium reliqui, opifices fere sunt, culti omnino, & artis, quam didicere, cum cura studiosi. Sunt, qui morum eis inficetam simplicitatem, linguae adhaec *Germanicae* corruptelam, mordacius exprobrent. Ac, de lingua certum omnino est, insuauem eam esse,

u.) Dedimus eas, in vrbis NEOSOLIENSIS descriptione, Tomo Operis II. p. 442.

& a *Saxonica* dialecto, prorſus degenerem. Audias enim, non vulgus modo promiſcuum, ſed elegantiores quosque, inconcinnum quid ſonare, dictionemque ita modulari, vt non vernacule, ſed peregrino quodam idiomate, ſermocinari inuicem, crederes: hos potiſſimum, quibus, ſtrumæ guttur obſident, atque adimunt loquendi gratiam. Nam, & hoc, in ciuium malis cenſueris, quod viri, iuxta & feminæ, ſtrumis deformentur, non raro, enormibus. quod nos, aquarum metallicarum vitio, non iniuria tribuimus. Haud vero deſunt, qui Germanica, *Saxonum* æmulatione, ſcitiſſime, & ſcribant, & loquantur. Sed hi fere ſunt, quibus, aut natales honeſtiores, aut educatio liberalior, aut denique, pronior, ad perdiſcendam ſermonis elegantiam, occaſio obtigit. Ad indolem autem incolarum, quod adtinet, diuerſim eam, in vulgo, & in primoribus, comparatam, ex conuictu frequentiore, obſeruauimus. Nam, optimates quidem, vti ſunt animo erectiore, ita, ad omnem, cum decoris, tum humanitatis cultum, factos vidimus: vt in celebritate ſumma, haud vero, intra hæc metalla, natos enutritosque, exiſtimares. Ingenio autem, doctrina, rerumque vſu, & quod hinc conſequitur, conſilio valentes, ipſi nouimus hodieque. Huc, (ne viuorum modeſtiam ſollicitemus) *Schmideggios* fratres, noſtra hac ætate emortuos, merito ſuo, referimus. THOMAM, *Liberum Baronem*, & dum viueret, *Supremum Comitatus Zolienſis Comitem*; IEREMIAM, virum inſigniter doctum, elegantemque; IOHANNEM (*v.*) non minus litteris, quam ſingulari quadam conuictus ſuauitae, inſignem; MATTHIAM ad omne decus factum; atque ELIAM, virum conſularem, & rei metallicæ in primis gnarum. Itaque, non ſunt ferendi, qui ſtupoſis notam, *Cremnitzienſibus* impingunt: homines, nimirum, ſcitiſſimi, & qui ſe ſolos, propitiam habuiſſe *Mineruam*, ſomnient. Quos ſane, retunderemus acriore defenſione, niſi eſſent adhuc ſuperſtites, qui inſanam illam criminandi libidinem, nobis tacentibus, conuellerent. Alioquin, diffiteri nolu-

primorum lingua, & indoles:

horum iuſta defenſio:

v.) IOHANNIS filius, IEREMIAS, varia, ab ineunte iuuentute, fortuna vſus, ideoque, patrii ſoli pertæſus, poſt ſalutatas primum *academias Saxonicas*, ad *Hollandos* abiit, datoque illic, nauali militiæ, nomine, ad *Indos*, MDCCXVI. nauigauit. Sed, cum nauis præfectus, litteratum eſſe iuuenem, rebusque gerendis idoneum, non vno, inter nauigandum, comperiſſet documento, decurionem, e gregario, primis nauigationis menſibus, facit. Tunc, excenſione, ad promontorium *Bonæ Spei*, facta, hominem illic, caſtri præfecto, de meliori commendat. Triennium hic extraxit, variis muneribus, atque vltimo, littoris præfecti, *Strand-Capitain*, vulgo dicunt, cum laude defunctus. Tandem, re ita ferente, in *Nouum Batauiam*, cum claſſe *Hollandorum*, abiit, biennio illic moratus. Inde redux iterum, ad *Caput Bonæ Spei* ſubſtitit, vixitque illic, publicis denuo muneribus adhibitus, magna prætectorum adprobatione, annis tribus. Tandem, reuiſendæ patriæ deſiderio inflammatus, ad *Hollandos*, ſuoſque, rediit. dumque ad *Indos* iterum proficiſci volens, & apud *Hamburgenſes*, nauale iter comparans, morte intercipitur. Nos, hæc, adtexenda iſthic putauimus, vt documento ſint ad poſteros, ne CREMNITZIO quidem, ſuum defuiſſe VLYSSEM. Vir alioquin fuit, multæ abſtinentiæ, moris caſtigati, atque in primis, obſeruans numinis, quæ ſingula, iam tum inſigniter prodidit, cum, in ſcholis, & conuictu noſtro, adhuc adoleſcens, enutriretur.

Digitized by Google

nolumus, multos in plebe dari, ac forte plures, quam optes, in quibus hebetudo quædam, & inconcinni mores, notari poſſint: quod tamen non fuit, his, qui meliore loco ſunt nati, adfricandum. Pulchre TOLLIVS (*x.*) vrbanæ iuuentutis elegantiam deſcripſit: *Aduentanti, non ingratum ſtatim ſpectaculum oblatum, iuuentutis vrbanæ, ſub ſignis, prater diuerſorium meum, ad probandam ſingulorum in armis induſtriam, per ſuburbium procedentis. Præcedebant* antecurſores ſeptem, *ſuum* centurionem, *quem* ſuccenturio *ſequebatur, & hoſce, ſuus quemque, ne quid deeſſet dignitati, pedisſequus: quemadmodum* vexillifero *ſuus erat, extremas vexilli latinias adtollens. Erat hæc, vti dixi,* vrbana centuria, *non nimis frequens. Ceterum, ſi omnis e ſuburbiis, militaris ætas coeat,* millenarium *excedere mihi numerum adfirmatum. Dies erat Dominicus, & hinc ſplendidior oppidanorum cultus. Sunt alias Hungari, quod ad veſtitum, plus ſatis magnifici.* En, elegantiam *Cremnitzienſium*, peritiamque tractandorum armorum! qua tunc indigebant omnino ciues: quippe, a *Tökölianis*, nuper expilati. Poſtea, lætos incolarum mores, facete meminit: *Eadem veſpera,* inquit, *liberos, lætosque gentis mores, aduerti; conuentumque vtriusque ſexus, frequentiſſimum, in oppoſitas diuerſorio ædes, ad cantum, ceſſatum ducere curas, choreisque ſemet oblectare, properantium. Nec ſumtuoſa illis hæc voluptas eſt. Vbi enim tibicini, pauxillum pecuniolæ ab his, qui primi cum puella, in orcheſtram prodeunt, collatum, vix quidquam vltra impenditur, fontana plerumque, concitatam motu corporis, ſitim, leuante: & ſicubi vinum, aut cereuiſia adpetitur, virgines habentur ſine damno; vnde ſtatim, ad tibiæ, vel fidium cantum, frequens earum eſt concurſus.* En, iterum, excitatæ indolis documentum, ab homine peregrino obſeruatum! quod, ſi re, actioneque honeſtiore fuiſſet editum, næ ego, pollicem, docto itineratori, premerem. Iam, triſtiores ſunt ciuium, iuxta & metallicorum mores, ob temporis, qua ſunt, difficultatem.

vrbana iuuentutis elegantia:

lati mores.

§. XVI.

FAmiliæ, quæ apud *Cremnitzienſes* florent, pauciores ſunt hodie, quam olim fuiſſe, annales vrbici, meminerunt. Nempe, deficientibus, qui primi vrbem condiderunt, noui ſubinde coloni, ab optimis *regibus*, iſthuc, e *Saxonum* metallis, deducebantur, vt eſſent, qui, & opus ſolerter vrgerent, & in eruendis venis, cum fructu verſarentur. His artibus, oppido arduis, & quibus, non minus ad pauperiem, quam diuitias, procliue eſt iter; hi quidem opibus inualuerunt; ad puluiſculum illi ſunt reddacti: conſueto, metallicorum malo, vt niſi fortunam prorſus, non munificam modo habeant, ſed & conſtantem, maximos illic theſauros, ſine luxu & prodigalitate, facile deterant, vnde eos ante comparauerant. Quemadmodum enim, cæli tempeſtates, nunc placide ſunt, & ad fœcundandum ſolum pro-

Cremnitzienſium *familiæ, & harum fata:*

x.) Loco toties citato, p. 171.

næ, nunc aſperæ iterum, atque depaſcentes omnia; ita *Pluti* ſe habent munera ſubterranea, vt, nunc turgeſcentibus, nunc exinanitis iterum venis, promantur. Itaque, difficile eſt, ex fodinarum reditibus, diu eſſe opulentum; niſi tunc manum retraxeris ab opere, cum ſunt venæ ditiſſimæ, atque loculi probe locupletati. quod tamen, quam ſit graue factu, in tanta diuitiarum auiditate, haud ignorant, qui ſibi ipſis norunt adtendere. Scilicet, ſpes gerimus inſatiabiles, quas, dum ſequimur incauti, prenſamus quidem abſentia, ſed amittimus, quæ ſunt in poteſtate. At enim, ad familias veniamus. Sunt in his, vt ordinem alphabeti teneamus: *Freyſeiſen; Lemoni; Maſchgo; Möſz; Örtl; Peverelli; Roſnaueri; Roth de Rothenfels; Schindler; de Schmidegg; Schröter de Wohlgemuthsheimb;* denique *Weiſz.* Nobiles eæ omnes ſunt, ac pleræque conſulares etiam, ſiue, muneribus publicis, ſæpe iterumque defunctæ. Nauant vero, pleræque, metallis operam, laudabili profecto, & fructuoſa in commune, adſiduitate. Atque, optandum omnino eſt, vt plures, qui ſe montanarum vrbium incolas gerunt, eorum adducti exemplo, huc curas, huc neruos omnes intenderent, quo res metallica, perpetuis acceſſionibus, increſceret: hac in primis temporum malignitate, qua in mediis aurariis, rarum eſſe aurum non deſinit.

quæ hodie floreant:

eorum, in eruendis metallis aſſiduitas.

§. XVII.

Magiſtratus vrbani:

IAm, quod ad vrbanos magiſtratus, & adminiſtrandæ reipublicæ, rationem, adtinet, ex more vrbium reliquarum, quæ ſunt *Liberæ Regiæque*, & hic fiunt omnia. Senatus, *duodecim viris* abſoluitur. Ex his, *prætorem*, ſiue *iudicem*, in annos ſingulos, legunt, ad quos ea prærogatiua pertinet. id quod, *Dominica*, poſt *purificationem B. V. Mariæ*, adulto ritu, in hunc fere modum, fieri conſueuit. Die *Iouis*, ante ſolemnem eum actum, faſces ponit iudex, redditque, credita fidei ſuæ *clenodia*, in manus *Senatus exterioris*, (y.) ex XXIV. viris, tribuno ac pro-tribuno, coadunato. Tum, vbi dies præſtitutus iniit, hora antelucana quarta, æs campanum grandius, pulſari incipit. cuius ſono, *ſeptuaginta* illi *viri*, penes quos, eligendi prætoris poteſtas nunc eſt, in curiam conuocantur. Hi, vbi conuenere, inuocato numine, rem exordiuntur, atque tres e ſenatu candidatos dicunt, ex quibus prætor deligatur. Ei candidatorum numero, prætorem anni ſuperioris, includant neceſſe eſt, vt exſtet, beneuolentiæ ciuium, qua eum, ob adminiſtratam rem publicam, proſequantur, teſtimonium. Iſta conſulta-

eius eligendi ratio:

y.) Eſt Senatui huic, non ſpernenda auctoritas. Cogi, nempe, ſolet, in curiam, atque per ſubſellia, ad peculiarem tabulam conſidere, quoties id res poſcit. In rebus certe, quæ ad œconomiam vrbis adtinent, nihil, niſi conſulto eodem hoc ſenatu, decernitur.

z.) Nouum hoc eſt, *Commiſſariorum*, quos vocant, *Cameræ Hungaricæ inſtitutum.* Vetere enim lege, eligendi hæc *iudicis* facultas ad omnes, ex æquo, ciues, pertinuit. Ergo, *ſeptuaginta virorum* hic ordo, cum exteriori ſenatu, *viginti quatuor viris*, duobus item tribunis, conſtante, confundendus haud eſt.

consultatione, cum plusculum moræ, vt consuetudini satisfaciant, extractum est; adest *senatus* quoque *interior*, qui, vbi, quid rerum fieret, dubius consedit, a tribuno plebis, rogatur impensius, vti ex suo ordine, ita poscente *septuaginta viratu*, *duos*, accipiendis examinandisque, eligentium suffragiis, delegarent. Tunc demum, pro se quisque, quem animo destinauit, submissa voce, & quasi in aurem, *notario*, qui calculos colligit sententiasque, indicat. Nomine eius, quem plurimi designauere, subductis calculis, comperto, *Cameræ Cæsareo-Regiæ* magistratus, vti fauerent suffragiis, recenti admodum consuetudine, inuitantur. Ii demum, vbi ratam, CÆSARIS nomine, electionem habuere, nouus *prætor*, ad ædem sacram, quæ foro insidet, tubis, tympanisque, de turri clangentibus, deducitur, auditaque paræneſi, quam illic, sacerdos ciuicus, de republica, rite & ex legum præscripto administranda, propalam instituit, fidem, DEO, *Regi*, & *Reipublicæ*, iureiurando obstringit. Tunc, hymnus S. AMBROSII, occinente ad aram, eodem sacerdote, inter symphoniacorum concentus, dicitur, recitanturque preces consuetæ; cum interea, tota vrbe, æra campana, ad augendam solemnitatem, continenter pulsantur. Reductus domum, nouus prætor, vota, ob felicem reipublicæ administrationem, concepta, & a *notario vrbano* nuncupata, haud sine gratæ mentis significatione, accipit. Atque, hæc quidem eligendi prætoris tio est: suppar fere, & legendorum, in senatum, nouitiorum, mos. Illud non facile obserues alibi, quod in funebri senatorum pompa, isthic fieri aduertimus. Nempe, cadauer mortui, tollunt primores, efferuntque. Id duo *senatores*, qui sunt infimi, pullati præcedunt, sequuntur e vestigio, reliqui. quod quidem institutum, eo pertinere existimant, vt recordarentur rerum adhuc potientes, fatum, sibi quoque imminere, caperentque inde, ad moderationem animi, facile, ex qualicunque honoris accessione, ferocientis, auctoramentum. Præter *senatum interiorem* hunc, alter *exterior* est, viginti quatuor viris, & duobus tribunis constans. Huic œconomiæ procuratio, mandata est; quemadmodum iuris dicendi prouincia, interiori illi: destinatione, profecto laudabili. quam nos pluribus *Hungariæ* vrbibus, communem esse cuperemus: quod intelligamus, quantum ad auerruncandum peculatus crimen, plurium conscientia, momenti habeat. Alioquin, tenaces esse oportet, iusti & æqui, *Cremnitzienses* magistratus, cum suapte, tum, quod, si iudicatum quidquam a se perperam fuerit, viam quasi litigantibus adaperiant, ad patrocinium, reliquarum vrbium montanarum, implorandum: quod, si eueniat, sicuti euenit quandoque, actus ille, *Adpellatio ad Iudicium septem Montanarum Vrbium*, vocatur: a quo demum, si cui litem volupe est protrahere, ad *Personalem in Iudiciis præsentiæ Regiæ locumtenentem*, prouocare moris est. Vnde patet, geminæ vrbem *iurisdictioni* obstrictam esse. Nam, qua vrbs est *Libera Regiaque*, *in ordinibus statibusque regni* censetur; sed, qua rem facit metallicam, & *Montana* dicitur, *Cameræ Aulicæ*, obnoxia

pompa senatorum funebris:

senatus exterior, & eius occupatio:

Iudicium septem montanarum vrbium: duplici vrbs iurisdictio-

ni obſtringitur.

xia eſt. Quam fori diuerſitatem, qui nuperam putant, noſtra quidem opinione, falluntur; quod palam ſit, ea cœpiſſe tempeſtate, dum *Camera Cremnitzienſis*, conſtituta primum eſt; id quod, CAROLI I. ætatem præceſſiſſe, ſupra lectorem admonuimus.

§. XVIII.

Arx vrbi coædificata:

eius mœnia:

VRbi, arx, molli adſurgens cliuo, ab aquilone connectitur. Vetuſtum opus eſſe, ac forte ciuitati coæum, ex ſubſtructionibus colligas, ritu factis vetere, hodieque obſoleto. Geminus eam murus ambit, non is quidem inualidus: ſed impar tamen obſidioni ferendæ: quod, & montes, a tergo impendentes, habet, & ob vicinitatem vrbis, facile ſubiri, & ductis, per cellaria, cuniculis, ſubrui poteſt. Media eius area, templum parochiale ſedet, S. CATHARINAE dedicatum, & pro vetere ædificandi ritu, non plane inelegans. Quæ olim hic ſedit, ædes ſacra, anguſtior fuiſſe perhibetur, quam pro arcis dignitate; vt eſſet, cur de auguſtiore mole educenda, conſilium conciperent, (*a.*) eius conditoris. Lapis memorialis, ætatem *Sanctuarii*, ad annum refert MCCCCLXXXIV. ipſius autem *Nauis*, ad annm MCCCCXCI: tempus nimium turbulentum, & hinc *Auſtriacis*, illinc *Polonicis*, alibi *Turcicis* bellis, infeſtum. Recentior multo, turris, qua templum, ad occiduum ſolem, præfulcitur, ſubſtructio eſt. Accepimus nimirum, accreuiſſe, anno MDLXXVII. ad eam vſque regionem, cui *ambulacrum* incubat: faſtigii reliquum, triennio poſt conſummatum dedicatumque eſſe. Neque fas eſt ſilere, D. ANDREAE ſacellum, cœmeterio arcis, ouali forma, inædificatum. Sedet autem, arce degredientibus, dextrorſum, ea laxitate, quæ concionis, tercentorum capitum, facile ſit capax. Diu, bellorum iniuria, non obliteratum tantum manſit; ſd etiam, a ſacris officiis, deſertum penitus: quando, eius ætatis homines, in armamentarium verterunt ædiculam, cum dote, *D. Andreæ*, dedicatam. Atque, effluxerat ſane ex ciuium memoria, ſacrum inſtitutum, vix vnquam reſtaurandum; niſi, noſtra hac ætate, Parochus, indicio fundationis, ex idoneis auctoribus ac ſchedis, accepto, ſuperiorum auctoritate fretus, huc induxiſſet magiſtratus, vti repurgaretur a profanis vſibus, diu male habitum ſacellum. Cum eruderarentur emortuales cryptæ, apotheca humanorum oſſium plena, detecta ſubtus eſt: vt pronum ſit coniectare, conditorium fuiſſe olim, forte, a primo fundatore, inſtitutum. Iam, reædificatum eſt, & omni eo adparatu, pulchre inſtructum, qui honeſtandæ ædi ſacræ viſus eſt neceſſarius. Inſunt templo *S. Catharinæ*, familiarum quarumdam emortuales cryptæ, quarum nomina, epitaphia referunt: gentis puta, *Rothianæ*, atque *Zokianæ*; quæ noſtra

templum S. Catharinæ dedicatum:

familiarum, inibi emortuales cryptæ:

a.) Suggeſſit nonnemo, hæc, poſterius curis, recenſenti: MATTHIAM Coruinum, qui A. MCCCCLXXVIII. cum BEATRICE ſua, iſthuc diuerterat, nouæ huic ædi, exordia dediſſe. quod equidem, neque adfirmare habeo, neque negare: quippe, ſilente hiſtoria, neque ſufficientibus tabulis.

noſtra ætate, *Schmideggiorum* facta eſt, habetque exuuias, Lib. Baronis THOMAE a *Schmidegg*. Reliquas, nihil opus eſt recenſere: quippe dudum obliteratas. Turrim, quam diximus, tubicines inſident, toto die, excubatorum vice, hic agentes. quo munere, ita eos defungi oportet, vt horarum interualla, poſt æris campani ſonum, clangente tuba indicent; diebus autem feſtis, concentu muſico, vrbem exhilarent; ſin vero funeſti quid accidat, edito ſigno, ciues, ad id auerruncandum, commonefaciant. Eſt enim opportuni, non in vrbem modo, ex ſe modicam; ſed in ſuburbia etiam, deſpectus: quo circa, & a nocturnis vigiliis, horas ſingulas, ſonoro clamore repetentibus, inſidetur, ne quid ciuitas, ſeu ab incendiis, ſeu, re trepida, ab hoſtibus, detrimenti capiat. Altera turris, humilior multo, æs campanum, grandius alterum, alterum exilius, vtrumque pompæ funebri deſtinatum; quin, & publicum horologium habet, ita poſitum, vt obtutu vrbi ſit obuerſo. Dubito, an vero ſint conſentanea, quod accepimus a nonnemine: *Templariorum*, arcem hanc, ſedem aliquando fuiſſe: quod nulla intus viſuntur hypocauſta, quæ genus illud, amans commoditatum, habitaſſe.

turris humilior.

§. XIX.

ADhuc in vrbe morabamur: iam eſt, vt extra eius pomœria, pedem proferamus denuo. Hic vero, ſuburbia ſe nobis offerunt, tanto ampliora, quanto exiliorem eſſe ciuitatem diximus. Nouem ea plateis definiuntur, vrbi, nullo fere ædium ordine, circumfuſis. Nomina hæc ſunt: *Ober-Gaſſen; Unter-Gaſſen; Sohler-Grund; Neu-Stifft; Gulden-Spann; Hunds-Marckt;* & *Neuer-Grund; Mittler-Grund*, atque *Alter-Grund*: quorum, an ſint latina nomina, ignoramus, noua certe nolumus procudere. Laxe habitantur ſingulæ, domibus tamen, quam ſunt vrbanæ, tenuioribus; ſed quas paſſim, adſita pomaria decorant, iis potiſſimum diuertigiis, quæ ab vrbis mœnibus, longius recedunt. Situ ſunt inæquali, ſi plateas exceperis, *ſuperiorem*, & *inferiorem*, iter, quod *Schemnitzium* ducit, transmittentem. Iſthic *Xenodochium* eſt, cum æde, *S. Eliſabethæ* dedicata, illi nempe, quæ ANDREAM II. cognomento *Hieroſolymitanum*, patrem, maritum LVDOVICVM, Thuringiæ marchionem, habuit, (*b.*) & ob ſingularem, vitæ morumque integritatem, liberalitatem inuſitatam, inter diuos relata eſt. Vniuerſa hæc ſuburbiorum moles, in ſex regiones, quas ciues ſuo vocabulo, *Die Viertel*, adpellant, diſpertita eſt, vt regi commode, cogique poſſit multitudo, ſi id vſus ferat. Singulis certe tribuni (*c.*) dati ſunt, ex *ſenatu exteriore* lecti, qui rebus præſint, & ſi quid ingruat, ma-

Suburbiorum amplitudo, & vici:

Xenodochium, cum æde ſacra D. Eliſabethæ;

tribuni ſuburbanis dati.

b.) Legeſis, de S. ELISABETHA, Hiſt. Erfordenſis Anonymi Scriptoris, de Landgrauiis Thuringiæ, Cap. XXXVII. XXXIX. XL. XLII. p. 1322. ſequ. in collectione Scriptorum Germ. PISTORII, edit. STRVVII, Tomo I. & paſſim. In diuorum numerum relata, a GREGORIO IX. Ibid. Compilat. Chronol. p. 1099.

c.) Hos, *Viertel-Meiſter*, dicunt.

ture, ad magiſtratus referant, tumultus nocturnos ſopiant, & damnis publicis ac priuatis, omni cura ac ſtudio caueant.

§. XX.

Riuus Creniczienſis:

SVburbanam regionem, qua ea, ex ſeptentrione, in occidentem, ſinuatur, *Cremnitzienſis* riuus, cuius habuimus mentionem, perlabitur, pluribus, non metallicis modo machinis, ſed inſigni etiam mola frumentaria, inaedificatus. Triplici is fonte editur. Primus orientalis eſt, ea valle ſaliens, cui *Sohler-Grund* nomen. Hunc, gemino alueo, *hydragogi* diuiſere: quorum alter, ſecunda valle, in ſuburbium inuehitur, & antequam id ſubeat, *tudes* (*d.*) *papyraceos* verſat: poſtea tortuoſo alueo aliquandiu delatus, infra vrbis pomœria, toti riuo coadunatur; alter, per montis latera, perlibrato canali deductus, ſubterraneis fiſtulis, aquas ædibus vrbanis ſuffundit. Quod reliquum ex amniculo eſt, eadem montis decliuitate, ad *machinas hydraulicas* delabitur. Fontium *ſecundus*, *tertius*que, partim ſeptentrionalis, partim occidentalis eſt. Atque illi quidem, *Der Seyffen-Brunn*, quaſi *fontem ſmegmatis* vocares; huic, *Das Schwartz-Waſſer*, forte a colore nigricante, nomen eſt. (*e.*) Vterque, ductibus, per collium latera, quin medios montes, inſano, & ſumtu, & labore, effoſſos, pertuſosque, longis mæandris, deriuato alueo, vicum *Bergh*, ſubit, tandemque, *hydraulis* immiſſus, hic ſubterraneas metallorum aquas, ex imis puteis, educit, tudes alibi impellit. Eadem hac *Bergenſi* regione, in geminum alueum, *ſuperiorem* & *inferiorem*, finditur. Ille, obiectum collem, *Seü-Berg* ei nomen eſt, per cuniculos peruadit, ſubterraneusque, ad ducentos & ſeptuaginta paſſus geometricos, fertur, nouas iterum machinas rotaturus; iſte, ſub eodem colle, octingentarum orgyiarum interuallo, decurrens, & pluribus officinis illapſus, in *Cremnitzienſem* vallem, *Neu-Grund*, effunditur; tumque, ſuperiori corriuatus denuo, metallicos CAESARIS, atque *vrburariorum* tudes; quin & monetarias officinas, aquis perennibus, verſat. Quod *Berghenſi* adhuc valle, ex canalibus dimanat, iuſto collectum alueo, operis lauatoriis ſuffunditur, inque frumentariam ARCHIEPISCOPI molam, (*f.*) delabitur; dum nouis iterum officinis, ſed minutioribus illis, aquas miniſtret. Atque ex iſtis operis, limo fœdatur aureo, labiturque turbidus, vicos *Windiſchdorff*, *Schwabenhof*, *Lehotka*, & *Kremnitska*, partim radens, partim interluens; donec, e regione arcis *Saakó*, in *Granum*, vti ſuperius monuimus, luridus exeat.

ductus operoſe facti:

quid praſtet vtilitatis:

limo fœdatus, in Granum *delabitur.*

§. XXI.

d.) Sunt hi gentis *Freyſeiſeniana*, longa retro annorum ſerie, proprii, vulgo *Papier-Mühle.*

e.) Tomo II. Hiſt. Comitatus Thúrôcz. p. 347. n. 24. 25.

f.) Habebimus eius mentionem, ad §. XXV. in notis.

Digitized by Google

§. XXI.

Ager vrbis aſper eſt, & ſterilis:

AGer, quo vrbs ambitur, aſper eſt, & ſiue ex contagio metallorum, ſiue ex montium cælique vitio, ſterilis. Adeo verum eſt, quod Poeta cecinit:

Non omnis fert omnia tellus.

montium adſitorum nomina, & poſitus:

Enim vero, montibus, vrbs circumſidetur, ipſo adſpectu, triſtibus. Sunt autem ab oriente, *Stooſs;* ab occidente *Schulersberg*, palæſtra iaculatoria celebratus, *Sturtz*, & *Voll-Henn.* Inter hos, vallis, aperta ea, neque laxa tamen, in meridiem procurrit. Per hanc, riuus *Cremnitzienſis*, in *Granum* defertur: quin & *Schemitzienſe* iter, iſthac, ad *Fanum S. Crucis*, ducit. In aquilonem collis eſt, *Rehwalder*, ob explicatius dorſum, torquendis rudentibus deſtinatus; cui *Spitzenberg*, atque *Bloſſuſſenſis Stooſs*, obiacent. Itaque, agros frumentarios pauciores, quàm pro ciuium copia, ac fere nullos, habet CREMNITZIUM; hortis tamen, atque pomariis, non eſt inimicum ſolum. Certe, qua ſuburbia exeunt, multa variique fructus arbore, conſita ſunt omnia. Proueniunt autem, poma *Boſnica*, pyra *Pergamena*, pruna, cum *durantia*, tum minutiora illa, ciendæ aluo, apprime idonea; ſed plerumque rubigine adſperſa, & matureſcentia, quam alibi, ſerius. Raro hic arbuſta pruinis aduruntur; non tam, quod aliqui volunt, ob *mineràles*, quos aurariæ eructant, halitus; quam quod ſitu ſint depreſſo, & cæcis valliculis retruſo, ideoque ſecuro, ab illapſu auræ gelidioris. Celebris præcipue eſt, hortus *Rothiorum de Rothenfels;* non ſolum, quod inſigni inſtructus eſt pomario; ſed in primis, quod, & lucum habet, & ædiculam voluptariam. Secedit ab vrbe in orientem, colliculo, ſupra *Rennwies*, pratum *Cameræ*, conſitus: vbi & piſcina *Rothiorum* eſt. Neque facile amœnior, in ſuburbano, ſeceſſus fuerit. Itaque, cum eſt formoſiſſimus annus, frequentatur ab his, qui curarum laxamenta captant. quorum pars, lætis conuictibus indulget,

laus pomariorum:

horti Rothiani:

Parte alia conos decutiente nouem.

Atque iſte quidem hortus, vetuſtate ſe commendat. Quem *Ioſephus Andreas Wenczel, Lib. Bar. a Sternbach*, nuper, ſupremus *Cameræ* metallicæ præfectus, inſtruxerat, multo, & amœnior, & hortenſibus oblectamentis, cumulatior futurus fuiſſet; niſi, viro optimo, & de metallis Hungariæ præclare merito, fatum præcox, vitam inuidiſſet. Præterquam enim, quod in areas, variis ductibus illuſas, opportune diſcretum voluit; domum ſimul, ad litteræ T. formam, gemina contignatione ita eduxit, vt æſtiuis ſeceſſibus, & ſibi eſſet commoda, & hoſpitibus, ſi qui aderant, capiendis idonea. Inerat, & caſa *eremitica*, negligenti quadam diligentia, vt ſilueſtrem cultum videretur referre, ex corticibus arborum, contexta. Fuit olim hortus, PAVLLI ERTELII, iuſto ære a *Sternbachio* redemtus. Iam, hero

Sternbachiani:

mortuo, horti simul decus emoritur. Reliqua vrbis opportunitas, fere tota, in auri spe, & diuitum ex metallis redituum, posita est. Aer, excusandus ne sit potius, quam accusandus, ambigo; saltem, non audeo definire: cum certum sit, grassante alibi pestilentia, vegetos hic, & a contagionis labe, immunes perdurauisse aliquando incolas. Quid? quod adolescentiæ, vtriusque sexus, vix alibi fata benigniora obseruaris. Toto, sæpe decennio, vix vnum alterumue funus, ex florente ætatula illa, deducitur. Raræ ad hæc sunt *variolæ*, purpureæ, atque *petechiales* febres. Sed, quod strumis deformes, atque gibbo pectoreque tumentes, non paucos e plebe, videas; non ego id vitio aeris imputarim, sed aquarum malignitati. Adde, quod hæreditaria parentum mala, & corporis, & animi, toto die, in posteros propagentur; ideoque, strumosum & hic generat strumosus, gibbosus gibbosum.

vnde strumosi & gibbosi.

§. XXII.

Vrbis fata: FAta vrbis, quæ cognouisse poteramus, iniqua fuere plerumque. Nescio, anne a *Tartaris*, qui Hungariam, victo BELA IV. euastauerant, contemeratum fuerit *Cremnitzium;* quod colluuies ea, fere loca tantum campestria, euerruerit. Ab *Hussitis* profecto, male habitam fuisse, non ignoramus. Quia enim, auidissimum rapinarum hostem, *auri sacra fames,* eo stimulabat, vt aurarias suas faceret, non potuit non, CREMNITZIVM. in perpetuo belli metu esse. *Giskra* certe, ELISABETHÆ, viduæ ALBERTI, immodicus auxiliator, dominationem isthic stabiliuerat. *Zolium* ei regina, cum appendicibus, secundum ALBERTI obitum, dono dederat, adiecta, montanæ prouinciæ huius, præfectura; vt hominem, ex se ferocem & impigrum, in pupilli sui tutelam, tanto beneficio, arctius obstringeret. Diserte BONFINIVS (*g.*) cum WLADISLAI, aduersus *Cassouiam*, quæ tunc in potestate *Giscræ* fuerat, molitiones bellicas, describit. *Ne minus quidem* GISCRA, inquit, *quid alii contra molirentur, ignorabat,* CREMNITZIAE *vectigalibus adiutus, vbi numismata, sub posthumi titulo, ac nomine, cudebantur, nouos e Bohemia milities, plane conduxerat.* Nempe, arcem ille, destinationum suarum, *Vetusolii* habebat, vnde, montanis circum vrbibus, imperitaret, suoque arbitratu, metallis, & rei monetariæ, immineret. Facile vero, homo sagacissimus, perspiciebat, CREMNITZIO in primis adtendendum esse. Quo circa, firmis, oppidum præsidiis tenebat, ne aurum, cuius tunc magni, in hebdomadas singulas, fiebant reditus, ab hostibus, siue clam, siue aperta vi, interciperetur. Ac plane equidem existimarim, exstare oportere, *Giskriana* huius dominationis, monumenta, siue in vrbis arcisque mœnibus; siue, quod creditu procliuius est, in publico tabulario, seu archiuo; quantum scimus, hactenus, ab iniuria, cum incendiorum, tum harpyiarum quarumuis, singulari fatorum bene-

infestatur ab Hussitis:

est in ditione Giskræ.

g.) Rerum Hung. Dec. III. Lib. V. p. 436, 7.

Digitized by Google

beneficio, defenſum. Durauiſſe autem *Giscræ* præfecturam hanc, vsque in MATTHIAE *Corvini* tempora, quia alibi (*g*) docuimus, non eſt opus iſthic reminiſci.

§. XXIII.

REmotiora hæc, a noſtra ætate, fuere. Quæ propius accedunt, eo ſunt funeſtiora, quo nequius, & tunc res gerebantur, cum maxime ius & æquum obtenderetur. Anno MDCV. a *Franciſci Redey* emiſſariis, auſpiciis *Botskaii* tumultuantis, exuſto primum, ac pene deleto *Neoſolio*, non tam lubidine ciuium, quam metu, ne ſe in fortunam indueret *Neoſolienſium*, vrbs hoſti conceſſit. Neque enim, ea montanarum, aduerſus belli tempeſtates, quæ reliquarum vrbium, ratio eſt. Non hic, vel vnius diei obſidio, ſine irreparabili iactura, ferri poteſt: eo, quod metalicæ operæ, hinc atque illinc ſparſæ, ceſſare coguntur: id vero, quanta cum perturbatione rerum fiat, ii docendi ſuut, qui aurarias *Cremnitzienſes*, numquam viderunt. Adde, vrbis ſitum, ob ſparſa late ſuburbia, ad defenſandum importunum. Ergo, non ſunt criminationes eorum, expertes iniuriæ, qui inermi, & tot circumdatæ operibus, vrbiculæ, noſtra etiam ætate, rerum nouarum ſtudia, nihil dubitarunt exprobrare. *Botskaio*. A. MDCVI. CAESARI reconciliato; rediit quidem vrbs ad iura optimi regis; ſed profecto, non ſine metallorum detrimento. Eductæ, ad ſubruendas cuniculis arces, operæ, inanes autarias plerasque reliquerant. Quod dum fiebat, aquis aliæ ſuffuſæ, ægrius poſtea admiſerunt foſſores; aliæ, fatiſcente ſubſtructionum mole, inſano demum, & labore, & impenſo, factæ ſunt peruiæ. Eas molitiones, vnice tunc neceſſarias, ditiſſimi ex aurariis reditus, egregie poſtea munerabantur. Fidem excedere iuraſſem, niſi idonueus id mihi auctor adfirmaſſet, poſt tempora *Botskaiana* ſeditionis, hoc eſt, ab anno MDCVI. ad annum circiter MDCX. numum aureum Cremnitzienſem, *Groſſis* XXX. ſiue numo *imperiali*, cenſum; his autem, qui, ex *vrburariorum* more, ſumtus in metalla faciebant, *Groſſis* XXV. fuiſſe imputatum. Inſigne profecto, atque inuſitatum, retroactarum calamitatum, redhoſtimentum! quod, ſi durauiſſet diutius, næ mihi, Cremnitzenſes aurariæ, Hungariam vniuerſam, auro oppleuiſſent. At enim, *Bethlenio* res nouas molienti, in nouas iterum, & vrbs, & metallorum fecturæ, inciderunt tempeſtates. quod triennio, turbo is, repetitis procellis, ſæuiit. Nam, cum A. MDCXIX. cœpiſſet, non ante ceſſauit, quam bellum id, anno MDCXXIV. pace finiretur. In hunc annum, inuſitata ac pene incredibilis, rei nummariæ anguſtia, magno, & Hungariæ, & Cæſaris malo inciderat; haud ſane, ſine *Cremnicienſis monetæ* de-

Intercipitur a Botskaii *emiſſariis:*

qua inde acceperit detrimenta:

a Bethlenio:

g) Tomo II Operis, in Hiſtoria Comitatus Zolienſis, Parte Spec. Membro II. Sect. I. de NEOSOLIO, §. III. p. 464.

honeſtameto, & famæ diſpendio. *Poſt bellum*, inquit KAZIVS, (*h.*) *omnia belli mala Hungaria habuit. Famem excepit lues, & quibus furor Martis pepercit, hos, morbi contactu vulgati, fato triſtiſſimo ſuſtulerunt. Incredibiles rei pecuniariæ anguſtiæ, ipſa ærarii viſcera, exederunt. Nummi aurei pretium ſic auctum, vt vnus, quatuordecim numis florenis æſtimaretur. Neque ſic expleta lacuna; ex vno veteri aureo, admiſto viliore metallo, quatuor; totidem floreni, ex imperiali vno; ex numo, vulgo denario, groſſus cuſus eſt. Atque ita, vetus illa* CREMNITZII *gloria, defloruit; Hungariæ iuxta, & Germaniæ impedita ſolutione, fides reddita anguſtior.* Vix, per aliquot luſtra, ex his ſe difficultatibus, expediuit *Cremnitzium*, cum noua iterum rediit calamitas, ad ingenium reuertentibus *Tranſiluanis. Georgius Rákóczius*, fuit, qui *Hungariam*, infeſtis exercitibus peruagatus, eo minus *Cremnitzio* ſe abſtinuit, quo maiore ſpe, aurariarum potiundarum, ſollicitabatur. Verum, quod ſubitanei eius, quos A. MDCXLIV. dedit, motus fuere, ſuntque opinione celerius conſopiti, non diu vrbs ſeruitutem eam ſeruiit; ſed nec manere diu poterat intemerata, quin noua iterum tempeſtate, contemeraretur. Annus erat MDCLXXVIII. cum EMERICVS TÖKÖLI iſthuc irrupit. Dabimus rem, vti eam TOLLIVS noſter, ex Cæſarianorum ſermonibus, *Cremnitzii* didicerat: *Narrare*, inquit, *non grauabantur, quomodo ille eodem anno, montanis hiſce oppidis omnibus occupatis, argentoque & auro, quod aderat, vindicatis, omnes in ſua verba iurare coegiſſet, ſibique ſacramento adſtrinxiſſet: tum, quomodo ea deinde a Cæſarianis recuperata; poſt pacto inito, alternatim diuiſis reditibus, poſſeſſa, & ſub initia huius belli A. CIↃIↃCLXXXIII, omnino rurſus amiſſa eſſent: donec Vienna liberta, victricium ſeſſe armorum metu,* TÖKÖLIVS *ſubduceret,* CAESARI*que plenum & liberum, harum omnium fodinarum, dominium concederet; ita tamen, vt in ſequentem annum vnum, atque item alterum, earundem reditus, partim in argento ſignato, partim ficta prudenter numorum inopia, in rebus ad rem metallicam pertinentibus, a fodinarum priuatarum poſſeſſoribus,* CAESARIANORVM*que curatoribus, vi minisque extorquendo, præciperet, triſtemque ſui memoriam, miſeris hiſce hominibus relinqueret: non adprobante victore* CAESARE, *quæ in anteceſſum parata pecunia, perſoluta fuerant, ſed ſui ſibi anni reditus, vindicante. Ceteris, ſua prudentia feliciter ceſſit, recepto, pro intactis, & mox in* CAESARIS *vſus cedentibus, quod ad fodinarum vſus ſuppeditauerant, pretio.* Igitur, bis terue, rediit *Tökölius*, metallis, vti videre eſt, inſidiatus. Eandem vrbis fortunam, nupera fuiſſe ſeditione, iam ſupra conqueſti ſumus. Juraſſes, totum, excitæ, ſpe prædarum, multitudinis impetum, huc ſpectauiſſe, vt montanas vrbes, expilarent. Audiuerant *Gryphes* (*i.*) illi, aureo muro *Cremnimant, mireque cuſtodiunt, & ſunt infeſti adtigentibus.* En, *Rákóczianorum* ingenium!

& Georgio Rákoczio occupatur:

Tökölii ſeditione, quid paſſum ſit Cremnitzium:

nuperæ *Rákóczianorum* iniuriæ.

h.) Hiſtoria Regni Hung. Lib. III. p. 218.

i.) *Gryphi*, inquit MELA Lib. II. cap. I. p. m. 112. *ſanum & pertinax feranum genus, aurum, terra penitus egeſtum, mire a*

mnitzium ambiri. Itaque, *Neoſolio* primum intercepto; nam, ne diriperetur, prudens, *Johannis Radvanſzkii* (*l.*) ſolertia obſtitit; iſthuc *Zabreczkio* duce, properauere, vt auariſſimas ſpes, quas nequiuerant explere *Neoſolienſium* ære, auro *Cremnitzienſium* exſatiarent. Verum, præmoniti a *Radvanſzkio* Cremnitzienſes, dum *Rákóczianorum* illa colluies, *Neoſolio* relicto, *Vetuſolium* ducit, poſteaque, per fauces *Butſchenſes*, vsque ad iter *Cremnitzienſe* pertingit, non exſpectato eorum aduentu, ſeſe, curatis quam ſollicitatiſſime rebus ſuis, ante dedunt, quam harpyiæ illæ, vrbem prædæ deſtinatam, conſpicerent. Hæc, anno MDCCIII. VI. Cal. Octobris, euenere.

§. XXIV.

FVit poſtea *Cremnitzium*, nulla ſua culpa, toto luſtro, officina malorum, in quo *Rákóczianí* belli neruos, numos videlicet æneos, infauſtum monetæ genus, procuderent: aurum contra, argentumque ſignatum, auidiſſime degluberent. Neque enim diffitemur, occœcata prius, ſpe libertatis, plebe *Hungarica*, in id vnice elaborauiſſe, turbarum incentores, vt auro argentoque, patriam emungerent, mox, ad *Garamantas* abituri, vbi bene ſe ditatos ſenſiſſent. Quod & ita euenit. Disiecti enim, vno, mox & altero prælio, non iam libertatem, quam quæſito obtentu, iniquiſſimis armis prætexebant; ſed conuaſatos, arte peſſima, theſauros, circumſpiciebant, ne in victorum poteſtatem venirent. Difficile eſt, ſine dolore, calamitatem eius remporis, quam ipſi, & vidimus, & tulimus, reminiſci, atque mores hominum recordari, huc vnice comparatos, vt pulcherrimo libertatis prætextu, patria poſſum iret. Nimirum, quod C. Sollivs Sidonivs Apollinaris (*m.*) ad. *Thaumaſtum* ſuum, de Galliæ prouincialibus queritur, huc id omne prorſus quadrat. paucula ad guſtum: *ſpes firmas, in rerum motibus habent; dubia tempora, certius amant; & ignauia pariter, conſcientiaque trepidantes, cum ſint in prætoriis leones, in caſtris lepores; timent fœdera, ne diſcutiantur, bella ne pugnent: quorum, ſi nares afflauerit vſpiam, rubiginoſi aura mærſupii; confeſtim videbis illic, & oculos (n.) Argi, & manus Briarei, & Sphingarum (o.) vngues, & periuria (p.) Laomedontis, & Vlyſſis argutias, & Sinonis*

Fit malorum officina:

character hominum eius temporis:

l.) Laudauimus eam, Tomo II. in hiſtoria Neosolii, §. XIII. p. 428.

m.) Libro V. Epiſt. VII. p. m. 327.

n.) Argvs & Briarevs, nota fabulis monſtra: Centoculus ille, de quo Clavdianvs, in laudibus Stiliconis:

Argum fama canit, centeno lumine cinctum.

Hic *ἑκατὸν χεῖρες*, id eſt, *centimanus*, vti eſt apud *Horatium*, dictus:

Nec ſi reſurgat centimanus giget.

Geminum ei nomen *Briareus* enim a diis, *Aegaeon*, ab hominibus dicebatur. Virgil. Aen. X. 565.

Aegaeon qualis, centum cui brachia dicunt, Centenasque manus.

o.) *Sphingarum* vngues, *Gryphorum* ſunt, & translate, auari cuiusuis,

qui numos triſtis inuncet,

vt inquit Lvcillvs, quod alibi deſertius:

Omnia viſcatis manibus leget omnia ſumet.

p.) Laomedon, rex Troiæ, filius *Ili*, & pater

Sinonis (*q.*) *fallacias & fidem Polymneſtoris*, (*r.*) *& pietatem Pygmalionis* (*s.*) *adhiberi.* Qui plura volet, inibi legat: nos, tantillum eius epiſtolæ tranſcripſimus: non, vt cuiquam ſint opprobrio; ſed, vt eorum, qui tunc erant peſſimi, bonorum quorumuis contaminatores, vlcera contrectantes, moneamus poſteritatem, nihil ſupereſſe honeſti his, qui conculcata principis maieſtate, cieunt tumultus. Tandem, ereptum anno MDCCVIII. hoſtibus *Cremnitzium*, eo lubentius ad iuſti principis dominationem reuertebatur, quo diuturniora mala fuerunt, quæ iſthinc, publicæ calamitatis molitores, in vniuerſam *Hungariam*, proſeminarunt.

redit vrbs MDCCVIII ad Cæſarem:

§. XXV.

Vrbis opes, a regibus acceptæ, quibus vicis abſoluantur:

DEnique, ad vrbis opes, quod adtinet, opulentum profecto, priſci illi reges, *Cremnitzium* fecerant, dominatione plurium vicorum, ei conceſſa. ſunt horum alliqui, in *Thúróczienſi* prouincia; reliquos *Barſchienſis* regio habet. Illic in iuribus *Cremnitzienſium* (*t.*) cenſentur: *Skleno*, Germanis *Glaſerheü*; *Félsö*, & *Alſó Stubna*, ſeu *Alt-* & *Neu-Stuben*, cum Thermis *Stubnenſibus*; *Haj* & *Cſeremoſchno*, frequentes, & partem opulenti vici. Eiusdem *Comitatus* finibus *Felsö* atque *Alsó-Turcſek*, continentur; ſed quorum, duos iſtos, a tributis, quæ in eam prouinciam olim pendebant, annuo, iam pridem, cenſu, vrbani magiſtratus, immunes faciunt. In *Barſchienſium* agro, atque vrbis collimitio ſunt: *Veternék*, Germanis *Legendl*; *Fel-Falu*, ſeu *Windiſchdorff*; ita dictus, quod *Slauico* nomine, *Horná-Weſz*, vocetur; *Schwab*, ſiue *Schwa-*

pater *Priami*, ſacrilegii iuxta, & periurii, reus accuſatur. HERODOTVS ſcribit, Apollinis, & Neptuni templa, depeculatum, theſauros Deorum, ſacris dicatos, ad exſtruenda Troiæ mœnia, conuertiſſe. Quod fabularum conditores alii, eo referunt quaſi iuratam *Apollini* & *Neptuno*, ob eductæ *Troiæ* mœnia, mercedem, periurus negauiſſet. BERTSENII hæc icon eſt. quid ergo mirum, ſi occinendum ei, cum tribulibus fuit, Troianorum illud opprobrium:

Satis iam pridem ſanguine noſtro
Laomedonteæ luimus periuria Troiæ.

VIRGILIVS, Georgicor. Lib. I. v. 501. vbi vide notam RVAEI. p. m. 97. De LAOMEDONTIS periurio, OVIDIVS, Metamorph. Lib. XI. v. 199. ſequ.

Aedificant muros, pacto, pro mœnibus, auro.
Stabat opus: pretium rex inficiatur; & addit
Perfidiæ cumulum falſis periuria verbis.

4.) Exercitus Græcorum proditor, in veteratoribus habitus, Σὶνων νῦ ἀνεθη, SINON, hoc eſt, *nocens*, Græcis dictus. Eſt eius mentio apud VIRGILIVM, Aeneid. L. II. v. 99.

r.) POLYMNESTOR, rex fuit Thraciæ, ſub belli Troiani tempus, qui miſſum ad ſe, ab *Hecuba*, cum magna vi auri, *Polydorum*, contra hoſpitii fidem, interemit, occæcatus poſtea a Traianis mulieribus. Adi, initio Aeneid. Lib. III. & lege notam RVAEI, ad v. 45. Fuit tyrannorum crudeliſſimus.

s.) PYGMALION, erat, BELI, regis Tyri filius, & ſucceſſor: ad cuius vituperium, ſatis eſt VIRGILII illud Aeneid. Lib. I. v. 351.

Pygmalion ſcelere ante alios immanior omnes.

Hæc, adtexuiſſe, loco illi APOLLINARIS, placuit, vt explicatior ſit, & obvia magis ſententia auctoris, atque noſtrum ſimul indigitamentum.

t.) Pleniorem vicorum deſcriptionem, in *Hiſtoria Comitatus Thúróczienſis*, exhibuimus, Tomo II. loco nunc cit.

Digitized by Google

Schwabenhoff; *Lúcska*, Germanice *Hanesheü*; *Kunesó*, ſiue *Kuneſchheü*; ac denique *Berg*. Coluntur hi, a ſolis fere operis metallicis, puta: materiariis, carbonariis, lauatoribus, quin & foſſoribus minerarum. Ptoinde, non ſunt in eorum cenſu, quos *Barſchienſes*, in tributorum ſuorum rationes poſſint referre; ſed, nec hibernantem, aut æſtiuantem militem, hoſpitio accipiunt; ne ea moleſtia impedimento eſſet operis. Suburbana hæc bona fuerunt, ab vno, atque altero, e magiſtratibus, adminiſtrari ſolita; ne, aut iuſti reditus, intercideren; aut incolæ, ſegnius rem, cui ſe deſtinauere, factitarent. Pauciora ſunt, quæ in vrbe, fructus quidpiam, in commune conferrent. In his eſt, *cereuiſiaria officina*, *braxatorium* vulgo dicimus, in qua, vulgaris fere fit cereuiſia, cui *Pfennig-Bier* nomen eſt; forte, a pretio, quod nummo venierit olim. Coquitur in hebdomadas ſingulas, ingenti vrnarum numero, quæ, vbi in vaſa diffuſa deiecit feces, a ciuibus, bene de republica meritis, quæſtus faciundi cauſſa, emitur venditurque ſub hedera. Aiunt, mille florenos, annui reditus, inde vrbis fiſco accedere. Huc, & officinam, aſſeribus findendis inſtructam, referas. Molam (*u.*) enim frumentariam, poſteaquam diutius in ære ſuo fuiſſet, *Archiepiſcopo*, perenni iure traditam eſſe, lege ſimul lata, accepimus: *ne vrbi, ſiue ad turbidam, ſiue ad limpidam aquam, toto iſto Comitatu, condendæ molæ ſit facultas.* Eſt ea, ſeptem lapidibus molaribus inſtructa, quibus, nulla vnquam, a molendo feriatio eſt. Ceterum, ex his, quos vidimus, reditibus, non fodinarum modo operæ, & vrbana ſatellitia; ſed cultus quo-

eorum coloni:

vrbani reditus vnde:

expenſarum ratio:

u.) Longum foret, molæ huius fata expromere. Ingens diplomatum copia, in eam rem exſtat, in tabulario *Archiepiſcopi Strigonienſis*. Regum aliquando fuiſſe propriam, inde conſtat, quod pignori eam dederit SIGISMVNDVS, anno MCCCCXXV. ſummæ, *mille trecentorum & triginta quatuor* florenorum, oppoſitam. quam ei *Johannes de Septemtiliis*, ciuis *Budenſis*, repræſentauerat. BARBARA demum, *Sigismundi* coniux, forte, quod ſummæ illi, additum eſt aliquid, anno MCCCCXXXI. eidem, *Johanni* de *Septemtiliis*, & *Henrico Münch*, molam donauerat, diplomote, die *S. Marco* feſta, *Diöſgyöriní*, perſcripto. Atque, habuere omnino ratam donationem eam, reges. SIGISMVNDVS ipſe, anno MCCCCXXXVI. ALBERTVS, anno MCCCCXXXVIII. Budæ, ſecundo diei feſti *S. Matthiæ. Johanne* de *Septemtiliis*, quin & *Henrico Münch*. emortuis, poſterioris viduam, *Urſulam*, deturbauerant a molæ poſſeſſione, iniurioſi quidam homines. Ergo, LADISLAVS poſthumus, non modo reſtituendam *Urſulæ*, & hæredibus ſuis, molam, triplicibus tabulis, anno MCCCCLIII. *Cremniczienſibus* mandauit; ſed nouo etiam diplomate, eodem anno, *Piſoſſii*, *die B. Dorotheæ* ſacro, veterem eam donationem, *Henrici Münch* hæredibus, adfirmauit. Sic ſe habebat molendinum *Cremnitzienſe*, dum id, DIONYSIVS de SZECH *Cardinalis* & *Archiepiſcopus Strigonienſis*, ab hæredibus *Münchii*, ſumma florenorum *quater mille* redimeret. Fauit emtioni MATTHIAS Coruinus, conſenſione ſua partim, quum anno MCCCCLXII. editis tabulis, profeſſus eſt; partim, donatione etiam regia, ſingulari diplomate, anno MCCCCLXIV. perſcripta. Introduxere DIONYSIVM in molendini poſſeſſionem, *Canonici Budenſes*, anno eodem feria quinta, proxima poſt Viſitationem B. V. M. a *Coruino* iuſſi. Ex eo tempore, Archiepiſcopatus eſt hæredium.

que diuinus, & qui ei præeſt; Parochus primarius, (*v.*) ſymphoniaci item, & quidquid eſt publici miniſterii, ſuſtentandum eſt. *Inſignia.* Inſigne vrbis, *S. Catharinam* refert, ſiniſtra ſcutum tenentem, humi innixum. Tres huius ſunt areæ. quarum ſuperior, rotæ partem mediam, ſupplicii eiusdem virginis inſtrumentum, duæ inferioris, hinc quinque lilia; illinc tres fluuiorum tramites, referunt. Dextra gladium diua tenet, rota, eidem pedi adcubante. Eadem, & ſigilli icon eſt, quod cera ſignatur rubra. Nunc, vrbi valedicturi, locupletes ei venas, & diuites reditus, toto animo, comprecamur.

II.

HISTORIA
Regio-Monti, ſeu *Uj-Bányæ.*

SYNOPSIS.

Vrbis nomen Hungaricum, & Slauicum: Germanicum. §. I.

Dubia vrbis exordia: Mariæ, *in vrbem propenſio: admenſi, oppido agri, hiſtoria.* §. II.

Montes circumſiti: vrbis poſitus: ædificiorum habitus: templa: Xenodochialis dos. §. III.

Vrbis fodinæ, auratiæ fuerunt, perquam diuites: quibus maleficiis peſſum inierint. §. IV.

Bellis ciuilibus, damnum accipiunt: clades, vrbiculæ a Turcis illata. §. V.

Saxonum, *eadem clade, exitium: ſenatus ratio: ciuium occupatio.* §. VI.

Nuperæ, in aperiendo vetere puteo, molitiones: Angli *machina, auratiæ veteri, admota: ſucceſſu irrito.* §. VII.

§. I.

Vrbis nomen, Hungaricum, & Slauicum:

CEminum vrbi nomen eſt. Hungaris *Új-Bánya* dicitur: quomodo & Slaui vocant, *Nowá-Banya.* quod vtrumque, *Nouam fodinam*, ſignificat. Rationem vocabuli, procliue eſt reddere. Nimirum, poſteaquam auri venas, iſthic, *Cremnitzienſes*, an *Schemnitzienſes* metallici, detexiſſent, vt nouos iſtos, ſeu cuniculos, ſeu puteos, a veteribus diſcriminarent, *Új-Bányam* Hungari appellauerunt. Sed Germanis, *Königsberg* dicitur, quod latine *Regiomontum* reddimus: credo, ob ſingularem REGVM, erga ſurgens

Germanicum.

v.) Ita *Plebanum*, honoris cauſſa, adpellant: eo quod, & *Slaui*, ſuam, & diſcretam a *Germanis*, habent *parochiam.* cuius procuratio, penes PP. *Franciſcanos* eſt. Huc referuntur, præter ciuicam multitudinem, vici *Slaui* ſermonis: *Legentſ, Windiſchdorff, & Schwabenbeñ.*

Digitized by Google

ſurgens metallicum oppidum, beneuolentiam. Id enim, per manus quaſi traditum, accepimus, ob diuites auri, qui hinc cogebantur, prouentus, maiorem in modum, vrbis ſeceſſu, *reges* fuiſſe delectatos. qua eorum propenſione, factum eſſe credimus, vt *Regis mons*, ſeu *Königsberg*, cognominaretur. Aliam nominis originem, reddunt alii. Cum montanæ vrbes reliquæ, metallicas ſocietates, ſeu collegia auraria habuerunt, e ciuibus coadunata, quæ, partim operas, in eruendis mineris locarent, partim ſumtus idoneos facerent; repertas iſthic venas, nemine in ſocietatem cooptato, ſibi, a regibus, ſeruatas fuiſſe; ideoque, *Königsberg*, quaſi *mons*, ſeu *fodina regum peculiaris*, forte an deſtinato conſilio, vrbs cognominari cœperit. Neque, ſi has migrauerimus coniecturas, ſuppetent certiora.

§. II.

Dubia vrbis exordia.

AT enim, ad quam ætatem, vrbis exordia ſint referenda, dicere non habemus. CAROLI I. tempora definiunt aliqui: quod is, lucri *Camera* metallicæ, obſeruator fuerit, vnus omnium ſtudioſiſſimus. Altius, alii veſtigia figunt, faciuntque vrbem, ſi non æqualem montanis reliquis, ſaltem, breui, poſt earum initia, excitatam. Certe MARIA regina, CAROLI, ex LVDOVICO I. neptis, in deliciis vrbem habuit. Heic enim, & prætorium, in quod ſecederet frequentius, poſuerat, & officinam conſtituerat, auro ſignando. Eius munificentiæ documentum eſſe aiunt, ingens, quod vrbi admenſum eſt, territorium; maius multo futurum, auguſtiusque, niſi, ſibi ipſis defuiſſent, primi metatores. Rem, ad hunc modum, e plurium ſermonibus, relatam accepimus. Statuerat *regina*, anguſtum oppidi agrum, laxiorem facere, poteſtate ei fini, ciuibus data; vt, quidquid, cis, & vltra *Granum*, pedeſtri, vnius diei itinere, circuire potuerint metatores, vrbi id, perpetuo iure cederet. Proinde, vt reginæ hanc benignitatem, in rem ſuam verterent ciues, deligunt, ad obeundum id munus, quos pedibus maxime valere putauerant. Quatuor fuiſſe aiunt; quorum duo, in aquilonem; duo, in meridiem abirent, profectionis initio, ſub diluculum longiſſimi diei, conſtituto. Simul præſtituta lux inire cœpit, curatis illi corporibus, domo exeunt, itineris veſtigia, qua proficiſcerentur, decuſſis arborum ramis, vt a *regina* iuſſi erant, deſignaturi. Atque hi quidem, qui in ſeptentrionem diſceſſere, quam poſſunt, celerrime, iter faciunt, omnemque eam montium regionem, quæ hinc, in orientem, illinc, in occidentem vergit, quaſi indagine, latiſſime concludunt, itinereque, ex animi ſententia confecto, ad ſuos, ſole occaſo, læti reuertuntur. Segnius, qui trans *Granum* abierant, rem geſſere. Nam, ſimul amnem traiiciunt, ientandi conſilium capiunt, vt validiores ad iter fierent. Itaque, haud longe a ripa *Grani* profecti, vmbroſa ſub arbore, quæ forte occurrerat, diſcumbunt, peram, quam habebant, pane, caſeo, & aſſa

admenſio oppidi agri, hiſtoria.

carne, confertam, excutiunt. Protracto diutius ientaculo, cum interea dies, ardore ſolis incaleſceret, mutuo ſe inuicem colloquio, in vmbra, tam diu detinent, dum vtrique ſomnus obreperet. Stertebant ergo, boni illi metatores, vltra, quam id tempus ferret, tum demum excitati, cum ſol, pronus in occaſum rueret. Quo viſo, limphatis ſimiles, proſiliunt, tantillum dieculæ, quod ſupererat, egregie ſcilicet collocaturi. Sed, vix ad vnius alteriuſue teli iactum, a *Grano* progreſſi fuerant; cum interea, ſol occidit, ſimulque ientatoribus iſtis, reuertendi neceſſitatem impoſuit. Atque, iſta quidem oſcitantia factum eſt, vt cum vrbs in aquilonem, laxo ſit, & extra modum, diffuſo territorio; vltra *Granum*, vix iugera aliquot, admenſa habeat. Tanti eſt, occaſioni indormire. Ciues profecto, numquam, ſine indignatione audiunt narratiunculam, ab hominibus, laſciuientis ſplenis excogitatam, adſeuerantes. quod negant alii.

§. III.

Montes vrbi circumſiti:

Situs vrbis, Grano, ab aquilone vicinus, montoſusque eſt, & non minus aſper, quam triſtis: tribus enim iugis obſidetur. Quod orienti ſoli obiacet, *Kuppa* dicitur; *Füchſenhügel*, ſiue *collis vulpecularum*, quod ab occidente prætenditur; meridiem *Taubenberg*, id eſt, mons columbinus claudit: reliquum agri, quod in ſeptentrionem ſecedit, in

eius poſitus:

ſalebroſam vallem, laxatur. Præcipuus vrbis vicus, collem occupat, mollius, a meridie, in aquilonem, adſurgentem, vtroque autem latere, præruptum. Iſthic prætorium viſitur, ſeu *Camera* domus, quam a Maria regina habitatam fuiſſe, aiunt; obſoletum opus, ac

ædificiorum habitus:

propemodum deſertum. Aedes ceteræ, ſi *Curiam*, & *Parochiam*, excipias, ſolide factas, agreſti ſunt habitu, & pro regionis more, ex trabibus, quomodcunque materiatæ; eæ in primis, quæ per valles ſparſæ, aut, per montium latera ſuſpenſæ, viſuntur. Vix domum repereris, cui non opportune adſideat hortus, laxior hic, arctior alibi. Itaque, tota vrbs, qua conſedit depreſſius, nemoroſa eſt, & arbuſtis interſtincta: quod, in retruſo iſto poſitu, habet quidpiam iucunditatis. Certe, *Boſnica* poma, pyraque, non incremento tantum, & decore, ſed guſtus etiam præſtantia, pulcherrime iſthic proficiunt. Aedes ſacræ, duæ ſunt; *templa:* *Vrbana* altera, altera *Xenodochialis*. Illa, vaſtæ molis eſt, fuitque opus, eorum temporum, quibus opulenti, ex fodinis, reditus fiebant. Deſolata, inde ab anno MDCLXIV. ſtetit, cœpitque anno, demum MDCCXXV. inſtaurari. Quæ *Xendochio* cohæſit, in meridiem, loco humiliore, ſepoſita eſt. ipſa, vti relatum accepimus, ciuitate opulentior. Cum enim vrbi, nullus ſit vicus, prouentus autem omnes, *Officina vitriaria*, & *cereuiſiaria*, duabus item tabernis, & gemina mola frumentaria, definiantur: *Xenodochiali* huic ædi, vicus eſt fructuoſus, & par alendis egenis. *Magos-Part* ei apud Hungaros, *Hochſtätten* apud

Xenodochialis dos.

apud Germanos, *Breby* apud Slauos, nomen eſt. Alioquin, vrbs nullis mœnibus clauditur: quod in ea ſitus iniquitate, fruſtra eſſet, montibus vtroque vrbis latere, impendentibus. Vidimus tamen, ea regione, qua a *Grano* aditur, portæ quoddam ſimulacrum, tunc, vti opinor, poſitum, cum *Turca*, continuis impreſſionibus regionem, fatigabat.

§. IV.

Vrbis fodinæ, aurariæ fuerunt, perquam diuites:

AD vrbis metalla, quod adtinet, auri venis olim turgeſcebat. Diuitias earum, ſupra adtigimus. Id certum eſt, ſi veterum (*a*.) ſchedis credimus, duplicato, in hebdomadas ſingulas, reddidiſſe ſumtus, *Regii* huius *Montis* fodinas. Quod, non potuit non, in amorem vrbis, *reges*, *reginas*que, illicere. Sed, quemadmodum fit toto die, vt rebus ſecundis, mortalium animi luxurient; idem illud malum, res quoque *Regiomontanorum*, peſſumdedit. Referemus hiſtoriam, frequenti incolarum ſermone, hodieque vulgatam. Ingentes opes, ex metallis coaceruauerant, boni illi *vrburarii*; iamque, ſui ipſorum obliti, tametſi, procul a celebritate hominum agerent; tamen, in eam, breui, laſciuiam, morumque licentiam, prolapſi ſunt, vt hic illud Poetæ (*b*) occini potuerit:

quibus maleficiis peſſumierint.

Effodiuntur opes irritatamenta malorum.

Nimirum, cum obſcura iſta, cæcaque valle, nulla, ad prodigendas, cum ſcelere, opes, pronior ſe occaſio daret, diurnis nocturnisque commeſſationibus, choreis, & id genus laſciuia, tempus cœperunt extrahere. Perpetua bacchanalia dixiſſes, ita hic, turpiſſima oblectamenta illa, ſine ceſſatione, agitabantur. Creuit deinde, eo vſque maleficium, vt, quod palam in vrbe patrabatur, id iam vileſceret; niſi in profundiſſimis terræ viſceribus, *proh ſcelus!* idem fieret. Itaque, quaſi non eſſet facinoris ſatis, ſub dio, numinis beneficia, ſceleribus deterere; cuniculos aurariarum ſubeunt, vxoribus; & omni ætate, ſexuque, in retruſiſſimos fodinarum anfractus, ſimul deductis. Fuit quadam fodinæ regione, ingens cauerna, diutino operarum labore, ad eam excauata laxitatem, vt accipiendæ multitudini, perquam eſſet idonea. Iſthuc ergo, ſubterranei illi commeſſatores, cum ſæpius confluxiſſent, *Baccho*, *Veneri*, & quæ ſunt illecebræ aliæ, ſtrenue litantes, rem turpiſſimam, in conſuetudinem traduxerunt, toti poſtea vrbi exitiabilem. Cum enim, præſtituto, ad laſciuiendum, die, vrbana hæc colluuies, ſuis excita ſedibus, in *Pluti* ſpecum illam, ſe demiſiſſet, iamque effuſe baccharetur, neque vlli petulantiæ, ſeu modum poneret, ſeu finem: ingens ea concameratio, ſenſim cœpit ſubſidere. Periculo, vti erat, aduerſo, conclamat cuniculi præfectus; *deſidere montem, agerent, quibus vita cordi eſſet, ſub dium properarent, antequam labaſcente mole, aditus præcluderentur.*

a.) *Alte Berichte*, Germani vocant. | *b*.) OVIDIVS Met. I. v. 140.

Digitized by Google

Hæc ille, opportune admonens, cum paucis, qui ſequuti ſunt hortantem, in apricum ægre prorepit. Contra, veſana illa ex *Baccho*, & *Venere*, multitudo, ſannis proſcindere hominem: *quid*, inquiunt, *ſi cælum rueret?* Tunc vero (*c.*)

Inſonuere cauæ gemitumque dedere cauernæ.

Totus enim mons, fragore edito, in nefariam ſocietatem, ſubito incubuit, oppreſſitque ad vnum omnes. Quadringentis plures, ex omni ſexu, atque ætate fuiſſe accepimus. Aiunt, per rimoſum cuniculum, qui & ipſe corruerat, diu, cum aqua metallica, obrutorum cruorem, tabumque demanauiſſe. Poſt eam, maleficentiſſimæ turbæ, intenecionem, parciora in dies fiebant metalla. Tametſi enim, conduplicarunt operas, neque parcebant ſumtibus; nihil tamen vſpiam fructus reditusque parari potuit; ſed, perpetua vbique fiebant intertrimenta: venis prorſus euaneſcentibus.

§. V.

Bellis ciuilibus, damnum accipiunt:

ISTis progreſſa initiis, metallorum pauperies, mirum, quantum bellis ciuilibus, inualuerit: quod, partim abſtrahebantur metallici, obſidionalibus paſſim operis adhibiti; partim, vrbs euaſtabatur frequentius. Enim vero, non vna clade, adflictam fuiſſe certum eſt. poſt ALBERTI fata in primis: tunc enim, a *Bohemis* partim, *Eliſabethæ* auſpiciis, iura *Ladislai* poſthumi defenſantibus; partim, ab *Hungaris*, qui *Wladislaum* Polonum tuebantur, ad incitas redactæ fuere, non auraria tantum; ſed vrbs etiam: quippe quæ, per quinque propemodum luſtra, ſi caſas aliquot excipias, habitatoribus vacua deſertaque iacuit. Depulſis demum, ſub MATTHIA *Coruino*, Bohemis, reædificari ſenſim vrbs, & metalla, immiſſis operis, recoli cœperunt. Ergo, inualuerunt, ad priſtini floris modum, & ciuitas, & fecturæ; dum, cladis *Mohácſianæ*, HVCVSQVE propagata mala, noua, cum vrbi, tum fodinis, adferrent detrimenta. Propius ad ætatem noſtram, exitioſiſſima omnium calamitas fuit, quam ei, anno MDCLXIV. die XVII. Maii, *Turcæ*, *Tartari*que, inflixerunt. Res funeſtiſſima ita ſe habuit. Recuperarat *Suſa*, Nitriam, iamque de *Léva* tentanda, conſilium ceperat, cum crebri adferunt nuncii, *Budenſem* purpuratum, cum viginti quinque millibus, aduentare. Eo audito, *Suſa*, ne tenuem adhuc exercitum, hoſti cogeretur obiicere, intra valles, ad *S. Crucis* oppidum, caſtra promouenda ſtatuit. Vix *Granum* traiecerant noſtri, cum hoſtes, veſtigiis eorum imminere, & vltimum agmen, tumultuarie carpere incipiunt. Proinde, ad *Zernouiczium*, vt ſubſiſteret, communiretque caſtra, non vna ratione inductus eſt. Triduo iam, in conſpectu hoſtium noſtri fuere, cum profectionem ad *S. Crucis* fanum, edicit *Suſa:* agminibus atergo obiectis, quæ *Turcas*, profecturis imminere volentes, reiicerent. Ea res, atroci pugnæ, quam ad *Zernouiczium* deſcribemus, occaſionem

cladis vrbicula a Turcis *illata.*

c.) VIRGILIVS, Aeneid. II. v. 53.

Digitized by Google

nem dedit. Cæſi, poſt pertinax prælium Turcæ, quum eo; vnde venerant, redire cogerentur, *Regis Montem* exurunt. Breuiter WAGNERVS: (*d.*) *Turcæ, exuſto* Újbányæ *oppidulo Strigonium* Suſa, *ad S. Crucis, conſedit.* Sed maior omnino, quam cogitarat, aut cognorat (*e.*) hiſtoricus, oppidi ſtrages fuit. Præterquam enim, quod hoſtis, infelicis pugnæ, quam perendie forte commiſerat, memoria fremens, vrbiculam omnem diripuit, & concremauit; incolas certe, per fodinarum cuniculos puteosque latitantes, peſſime adflixit. Stramine ſcilicet, & materia, alendo igni idonea, in fauces aurariarum ingeſta, accenſaque, quingentos, plus minus, incolarum, fumo enecauit; pari fere numero, in captiuitatem abducto. Acerba hac, funeſtaque clade, & metalla detrimenti plurimum, & oppidum, tantum malorum accepit, quantum, ad noſtram vſque ætatem, reſtaurari haud potuit. TOLLIVS (*f.*) profecto, iſthic metallorum naturam rimatus, adhuc proſtratum oppidum, debilitatas operas, exhauſtasque venas, querebatur. *Noctem*, inquit, *Regiomonti traduxi, quo me ſpes traxerat, aurifodinam viſendi, diuitem quondam, & nobilem: verum tam pauper ea erat, vt operæ pretium non eſſet, eam ingredi; quum vix denæ, in annum, auri ſemunciæ, quatuor hominum opera, expromerentur. Cauſſabatur, illius fodinæ præfectus, inopiam aquæ, qua Cremnitzium, ad comminuendam mineram, abundat. Inſpecta venæ auriferæ particula, ſtatim pauperem eam eſſe, agnoui, minimeque lucroſam. Sunt etiam officinæ hic vitriariæ; quæ tamen oppidulum, ab egeſtate vindicare nequeunt, maxima ſui parte deſertum.* Hæc ille.

§. VI.

CLade, quam meminimus, a *Turcis*, oppido illata, ſimul, quidquid e *Saxonica* gente erat ſuper, exſtinctum fere eſt: confluentibus, in ciuium ſupplementum, ex *Slauica*, & agreſti vicinitate, quam plurimis. Factum ea reeſt, vt, quæ *Germanorum* olim colonia fuit, in *Slauicam* abierit. Et, pauci omnino ſuperſunt, qui *Germanice* loquantur, atque hi fere, *Schemnitzio*, aut *Cremnitzio*, iſthuc ad operas arceſſiti. Iura interim vrbi eadem ſunt, quæ montanis reliquis. Senatus duodecim viros habet, plebeios fere omnes. *Notarius*, e nobilitate deligitur, qui, & iuris peritus, & latini ſermonis, quo negotia publica, referri in litteras conſueuerunt, gnarus ſit oportet. Sin occurrat quiddam, quod momentum, ſeu in deliberando, ſeu in exſequendo, trahat, ex vicinis vrbibus, *Schemnitzio,*

Saxonum, *eadem clade, exitium:*

Senatus ratio:

d.) Hiſt. LEOPOLDI M. Lib. II. p. 149.

e.) Nos rem funeſtam, ex ſchedis *Thomæ Dorotbiczii*, apud Regiomontanos tunc ludimagiſtri, didicimus: quem cum vxore, & liberis, retruſus quidam, & probe oppeſſulatus, fodinæ puteus, ab exitio, conſeruarat: fruſtra eum, pertundere conantibus *Turcis.*

f.) Epiſtola Itiner. V. p. 195. His adde, quæ ibidem p. 165. leguntur: *Ab alio* Pukantzii *latere*, Königberga *eſt, tribus milliaribus diſtans, oppidulum tantum non deſertum, vbi itidem aurifodina eſt, quam tamen pauperem offendi, vnde, & tantum non pro derelicta, habetur.*

tzio, *Cremnizio*que, arbitri, aut iudices, euocantur. Victus, ciuium plerisque, non iam ex metallis, sed agricolatione, suppetit. Tametsi enim, agrum nacti sunt asperum; tamen, percolunt eum diligentia, longe scrupulosissima. Accedit, res pecuaria, quam, pro montium ingenio, sollicite procurant. Quia enim, derasa montium caluitia, multo gramine herbescunt, alunt oues, per æstiua non minus, quam hiberna, tuguria. Sed ista, in re facienda, opportunitas, eorum fere est, qui sunt lautiore fortuna. Plebs residua, collinos suspensosque agros, ligone subigat, necesse est. Adeo, nimirum, commutata *Regiomonti* fortuna est, vt cum olim opibus luxuriarit, abusumque sit ad omnem lasciuiam; nunc, vix alendis ciuibus, neque id sine querela, sufficiat.

ciuium occupatio.

§. VII.

Nuperæ, in aperiendo vetere puteo, molitiones:

NOstra hac ætate, in spem, pristini floris erigebatur oppidum; cum *veterem auraria*m, perpurgare cœpissent, coadunatæ, domesticorum, iuxta & exterorum, operæ. In magna semper opinione, diuitum venarum, fuere, obsoleti *Regiomontanorum* putei: quo circa, iis aperiundis, facile fuit, plures in societatem illicere. Percrebuit incœpti rumor, diffususque ad exteros est, spe, ingentium redituum, passim iniecta. Sed, subterraneæ aquæ, quibus offusus erat *vetus* (*g.*) ille *puteus*, remoram, tantis conatibus, ponebant. Erat tunc Viennæ, *Anglus* quidam, POTTERO nomen fuit, qui artem, a parente condoctus, secum adtulerat, aquas subterraneas, vasto syphone, ex imis puteis, caloris ope, exhauriendi. Is ergo, posteaquam machinæ illud genus, ad hortenses, principis *Trautsohnii*, delicias, condidisset, cœptum est cogitari, de eadem illa machina, *Regiomontano* puteo, admouenda. Multum, ad persuadendum ponderis accessit, quod in stanni fodinis, quas *Cornubia*, Angliæ prouincia, diuites colit, ingenti sumtuum compendio, fructu autem maximo, adhibitam machinam, idem *Anglus*, publicis testimoniis, docuerat. Itaque, collatis, cum *Camera Aulica*, rationibus, datur id negotii POTTERO, rem vti, diligentia, qua posset, maxima, conficeret, præmio, si molitio illa ex animi sententia cesserit, simul proposito. Proinde, in ærariis *Neosolienſium* officinis, moles, singulari operarum assiduitate, conflata procusaque, *Regiomonti* tandem A. MDCCXXII. si bene recordamur, *veteri*, de quo diximus, *puteo*, admota est, successu ad prodigium vsque felici. Tantam enim aquæ vim, singulis hausti bus educebat, quantum, qui non viderunt, vix mente conceperint. Verum, quod subterraneæ illæ scaturigines, perrennes essent, moles vero, subinde fatisceret; facile, dum, quod luxatum in machina fuit, instauraretur, ad pristinam altitudinem aquæ increscebant. Nempe, *Sisyphi*

Angli *machina, auraria veteri, admota:*

successu irrito.

g.) Germanis *Alt-Schacht*, Item *Alt-Gebäu*.

Digitized by Google

Siſyphi ſaxum, tanto molimine, voluere dixiſſes, addictam operi (*h.*) ſocietatem: cum id, quod plurium hebdomadarum interuallo, ſubductum, e ſubterraneo lacu eſt, vel ad modicam ceſſationem, inualceſcebat denuo. Creuit interea, cum operarum ardore, ingentium redituum ſpes, an confidentia; pellectique ſunt plurimi, qui exiles (*i.*) etiam ſortes, ingenti ære coemerent. Et profuit ſane, iſta nundinatio lucripetis, eoque iam res vergebat, vt parum abfuerit, quin in quæſtum, *Miſſiſippenſi* illo; ſi magnis fas eſt parua comparare; qui nuper, *Galliam* ære emunxit; multo iniquiorem, abiret. At enim, cum diu, ſpe fruſtratos ſe viderent, qui nomina, in ſocietate profeſſi fuerant; neque, ſiue ſumtuum vllus eſſet finis, ſiue certa fractuoſioris venæ, oſtenderentur indicia; contra, priſcæ illæ ſchedæ, funeſta quæuis portenderent: ita ſubductæ ſunt rationes; vt ab opere ceſſaretur, &, ſi poſſit fieri, grandis illa ſumtuoſaque machina, alibi adhiberetur. id quod anno MDCCXXIX. eueniſſe meminimus: poſtequam, temtamine illo, ſi parciſſime ſupputaueris expenſas, triginta & centum florenorum millia, prodacta ſunt. Iſta vero molitionum ceſſatio, quanto oppidanorum damno, acciderit, facile eſt ad coniiciendum. Iam enim, reuiuiſcere incipiebant ciues, conciliabaturque vrbi ſenſim celebritas priſtina: cum frequentes adeſſent, qui iſthic ſumtus faciebant, exteri non minus, quam vicini impenſæ autem, in operas factæ, iſthic conſumerentur. Nos, adflictis oppidi rebus, optima quæque comprecati, pedem vltra proferamus.

SECTIO II.

DE

Oppidis & Arcibus Proceſſus Oſzlanenſis.

PROOEMIVM.

TRia, PROCESSVI huic ſunt Oppida; Arces, præter Cremnizienſem illam, duæ. ſingula, vt deſcribamus, ordo nos vocat, inſtitutique ratio.

SYNOPSIS.

I. OSZLÁNY, *ſitus amœnus, ſed non æque vber: agro eſt frumenti patienti: mercatus oppidi hebdomadarii: iniqua eius fata: cui hodie pareat.*

II. S. CRVCIS *poſſeſſor, ſitus oppidi: fata*

h.) Inſigne, mettallicæ huius ſocietatis, in qua, ne quid diffitear, & ego nomen eram profeſſus, machina hæc fuit, qua, & in ſignandis litteris vtebatur, cum inſcriptione: TANTAE MOLIS ERAT. Vtinam, ne fuiſſet!

i.) Germani noſtri, *Die Theile*; Saxones, *Kuckus* vocant.

fata, tumultuante Tökölio*: prælii, iſthic commiſſi, hiſtoria: clades illata oppido: incolarum occupatio: nota eis ſcribitur inhumanitatis.*

III. Zarnoczini *poſitus: nominis origo fabuloſa: labor oppidanorum, panificio, fere totus, conſtat: oppidi habitus: amnis intercurrens: eſt oppidum, in poteſtate regis: prælii* Zarnocenſis*, deſcriptio.*

IV. Welká-Polya: *eius habitus, adtinet ad* PP. S. Pauli*, primi Eremitæ:* Tollii*, de oppido elegans mentio.*

V. *Arcis* Sáskő *ſitus, nomen, origines: proſpectus ratio: eſt caput dominii* Saskőienſis.

VI. Arx Revischtye*, quo ſit loco poſita: nomen, vnde enatum: molis habitus: fuit olim* Vrbani *præſulis Agrienſis poſſeſſio: eius viri laudes, ex* Bonfinio*:* Vrbano *decedente*, Docziis *adſcribitur: & his emortuis,* fiſco *regio.*

VII. *Caſtella varia.*

I. Oppidvm Oszlány.

Oſzlány *ſitus amœnus, ſed non æque vber:*

Oſzlány, amœni eſt poſitus. Præterquam enim, quod montibus, hinc altioribus, humilioribus illinc, circumſidetur, agro potitur, adſpectu læto. Sed ad ruſticandum, haud æque idoneo. Nam, qua admenſum ei terrenum, ſitu planiore procurrit, lætaminis vltra, quam reris, indigum obſeruauimus: reliquum, quod per colles ſuſpenditur, ex ſe aſperum eſt atque effœtum. qua re fit, vt duræ hic ſint arationes, & laboris adſidui. Oppidani interim, *Slauum* genus, tametſi proficiunt opificiis: tamen, præcipuam laudem ferunt agricolationis. Frumentum certe, quod huiate in agro gignitur, in pretio apud vicinos eſt; *hordeum* præcipue, ob farris, quo turget, præſtantiam. Accedunt, ad oppidi commoditatem, mercatus hebdomadarii, die *Solis* & *Mercurii*, vetere inſtituto, inſigni multitudinis concurſu, celebrari ſoliti. Ac ſunt omnino, in primis ſolertes oppidani, vt hæc, qualiacunque fora, in rem ſuam vertant. Itaque, cum ex frumento, domeſtico eo, conuectoue aliunde, tum e re pecuaria, quam venum adpellunt, quæſticuli nonnihil faciunt. Dum *Turcæ* eſſent viciniores, frequenti hoſtium impreſſione, fatigabatur *Oſzlánum.* Truculenta ea fuit, quæ A. MDCLXII. euenit: quippe, non oppido tantum, ſed *duodecim* ſimul circumpoſitis vicis, exitialis: at truculentior multo, qua A. MDCLXXXIII. peſſundatum eſt. Duo millia *Turcarum*, *Tartarorum*que, *Ufvarino* egreſſa, clam, his ſe montibus inſinuauerant. Pepercere, ſcilicet, vicis, a tergo relictis, ne rumor impreſſionis, temere dimanaret. Itaque, nec aduertentibus montium incolis, ſummo mane, diei *Paſchatos*, qui in VIII. Aprilis inciderat, oppido circumfunduntur, peruadunt foſſas, lateque, in omnem ætatem, ferro graſſati, prædam ingen-

agro eſt frumenti patienti:

mercatus oppidi hebdomadarii:

iniqua eius fata:

Digitized by Google

ingentem cogunt; quin, ducentos incolarum, e ſacra æde, quorſum, tamquam ad aſylum quoddam confugerant miſeri, raptim protractos, in captiuitatem abigunt, exuſtoque oppido, inulti ad ſuos redeunt. Diu, poſt eam calamitatem, ſemirutum *Oſzlánum* iacuit; donec reiectis hoſtibus, cum vniuerſa circum regio, tum adflicta oppida, vicique, ad ſe redirent, priſtinum mox florem, recuperatura. Fructuoſum adeo hæredium, ad gentem *Gécziorum*, *de Aſſa Kürth* pertinet; iam vero, Comiti *Johanni Pálffyo*, auiti iure pignoris, obnoxium eſt. Diſſidet *Cremnitzio*, quatuor, in occidentem æſtiuum, milliaribus. *cui hodie parcat.*

II. Oppidvm, sev Fanvm S. Crvcis.

Oppidum eſt, Strigonienſis Archiepiſcopi, Hungaris *Szent Kereſzt*, Slauis, *Swaty Kriz*, vocitatum: quæ nomenclatura, & apud *Germanos*, qui id *Helig Creutz* dicunt, obtinet. *S. Crucis poſſeſſor:*

Sedet, ad aquilonarem Grani ripam, loco hilari, eleuatoque. *Trans Granum*, inquit, *Schemnitzio* veniens, Tollius (*a.*) *S. Crucis nomine, elegans, ante hoc bellum, nunc fœdum in modum, a rebellibus Hungaris, deformatum oppidum eſt: cui arx addita, haud magni momenti.* *ſitus oppidi:*

Bellum, aut ſeditionem potius *Tökölianam*, intelligit, quæ in primis, funeſta oppido exſtitit. Cum enim, montanis potitus, latius, infeſta arma, diffunderet *Tököli*, hic, a fortuna deprehenſus, magnæ oppidanis fuit calamitati. Iuuat rem plenius expromere. *Tökölium*, & opibus, & exrrcitu inualeſcentem, vti reuocaret ad officium Caesar, Gallico bello, immane, quantum diſtentus, *Strigonienſem Archiepiſcopum*, ad conciliandum eum ablegat. Multa is, ſed præter morem, modeſtius, apud præſulem conqueritur; cumque de induciis, & harum legibus, cum *Archiepiſcopo* agit; *Turcis*, montanas vrbes, clam, venales offert: ſiue, vt ære, quod accepturum ſe inde ſperabat, exercitum in officio contineret; ſiue, vt placabiliorem, hoc iniecto metu, Cæſarem ſibi redderet. Ergo, fructu legationis fruſtratus *Strigonienſis*, huc, vnde miſſus fuerat, incolumis redit; *Tökölii* rogationes promit, (*b.*) quantoque in periculo, *Auraria Hungarica*, verſarentur, ſimul explicat. Re, vti erat, cognita, datum id negotii *Wurmio* eſt, Cæſarei exercitus, ſummo, iſta ora, duci; vti hoſtes, ex metalliferis vallibus, tentaret eiicere. Obſequitur ille, nihilque cunctatus, exercitu coadunato, profectionem ſuſcipit. *Wurmius*, inquit Wagnervs, (*c.*) *vt hanc opulentiæ venam eriperet, comparato mediocri exercitu, in ipſo vallium aditu, incidit in ſe-* *fata, tumultuante Tökölio:*

pralli, iſthic commiſſi, hiſtoria:

a.) Citato loco, p. 171. Primum caſtelli eius conditorem, Franciscvm Forgach *Cardinalem & Archiepiſcopum Strigonienſem*, gentis inclytæ monumenta, loquuntur: qui etiam An. MDCXV. d. XIII. Oct. vitam iſthic, cum morte commutauit.

b.) Adcuſate eas recenſuit Wagnervs, loco iamiam citando.

c.) Hiſtoriæ Leopoldi M. Lib. VIII. p. 558.

ditioſos. Pugnatur vtrinque ardore maximo; pugna multis horis ancipiti; dum noua, quæ Germano aduenerant auxilia, victoriam denique firmarent. Tökölivs, *perpetua fuga, ſub* (*d.*) *Neoſolii mœnia euaſit.* Fuit omnino præliorum, quæ toto ſeditionis tempore, cum *Tökölianis* commiſſa ſunt, facile atrociſſimum. Nam, cum ſummo mane, hoſtem adoreretur *Wurmius*, tanta pertinacia, die propemodum integro, depugnatum eſt mutuo, vt ſæpe, in noſtrorum caſtris, de victoria trepidaretur, parumque abfuerit, quin receptui caneretur; donec, peropportuno auxiliorum aduentu, fracti animis *Tököliani*, inacceſſas vallis *Butſenſis* (*e.*) fauces, ſub ſerum diei, circumſpicerent: *Bohamo* ſimul, qui auxiliarias Tökölii copias ductabat, in fugam conuerſo.

clades illata oppido:

(*f.*) Non potuit, ſine oppidi clade, *Tökölianorum* hæc ſtrages, accidere: quippe quæ, in patentiſſimis (*g.*) eius aruis, illata perduellibus eſt. Ac profecto, ſegnius reparabatur poſtea, quod vna ſubinde calamitas, ediderit aliam. Itaque, poſt belli demum *Turcici*, quod pace *Carlouitzenſi* terminatum eſt, exitum, inualeſcere oppidum cœpit. Quia enim, in itinere poſitum eſt regio, licentia, commigrantium vltro citroque, militum, & tunc conficiebatur, cum poſt reiectos, quam longiſſime, hoſtes, potuiſſet incolis, iuxta atque ædificiis, conualeſcere. Acceſſere, malis reliquis, frequentia incendia, quæ inſtauratum eleganter oppidum, ſæpius deſolauerunt. In his, funeſtiſſimum id fuit, quod A. MDCCXXVI. menſe *Aprili*, ſubito coortum, vniuerſum, quam late porrigitur, oppidum, cum æde ſacra, in cineres redegit. Quia enim, ædibus cultum eſt, e materia contignatis, & hic ſtramine, ſcandulis alibi, intectis; eſtque, in tanta *Grani* vicinia, puteorum inops, fit ex facili, vt flammæ, tenuibus conceptæ initiis, latiſſime ſerpant, & ante vniuerſum conflagret oppidum, quam præſto ſit, quod eſt, ad reſtinguendum incendium, opus. Incolæ,

d.) *Vetuſolium* fuiſſe, in eius vrbis fatis meminimus.

e.) Præſidio eas, aggereque clauſerat, ne poſſet ab hoſte circumueniri.

f.) Miſerandus error eſt, quem ad prælii huius mentionem, nouus ille *Iſtuánffii* architectus, errauit: *Tökölius* inquit, Lib. XLIV. p. 573. b. *victoria aleam, vsque adeo Cæſareanorum conſtanti permiſit fortitudini, vt Altſolium, medium inter Ujuarinum, & Cremnicziam, ſubter tormentorum tutelam confugerit.* Quis vnquam hos locorum ſitus ſomniarit? niſi in vltima *Thule* natus. Si medio, inter *Cremnitzium*, & *Ujuarinum*, loco ſederet *Vetuſolium*, *Leua* eſſet, ſex Hungaricis milliaribus, hinc diſſidens. Adeo infelix cœptum eſt, ſi audeas *hiſtoriam* moliri, ignarus *Geographiæ*: quod ſi alias male cecidit, apud *Iſtuánffii* certe hunc editorem omnium peſſime: quippe qui, ita fœdauit res *Hungaricas*, vt eis repurgandis, Herculeo ſit labore opus. Laudandus ergo eſt, Christianvs Avgvstvs Cardinalis de Saxonia, quod, dedicatam ſibi, deturpatam editionem illam Istvanffii, tanquam, quæ in opprobrium gentis *Hungaræ*, ab indoctiſſimo homine procuſa ſit, *Ratisbona* tunc agens, excelſo animo, & propenſo in *Hungaros*, repudiarit. id quod noſſe cupimus eruditos.

g.) Miror, non indicauiſſe Wagnervm, loci nomen, vbi depugnatum ſit. Ager *Sanctæ Crucis* fuit, quod in omen vertiſſe aiunt *Strigonienſem*, cuius legationem deluſerit *Tökölius*, nimirum, in eius aruis cædi oportuiſſe ſeditioſum antelignanum, cuius ille pacis ſtudium, ſpreuerat. Nam, *S. Crucis* opidum, veterrimo iure, ad *Archiepiſcopos Strigonienſes* pertinere, initio monuimus.

Digitized by Google

colæ, *Slaui* ſunt omnes, multæ, in percolendo agro, ſedulitatis: id quod, præcipuum fere, quo vitam ſuſtentent, occupationis genus eſt. Et eſt ſane, eo territorio oppidum, quod, re in primis frumentaria, pratis, atque aruis, valet. Quocirca, & ipſi multum ſementis educant, & peregre coemunt plurimum, vt habeant, quod, quæſtus gratia, vrbibus montanis ſubuehant. Notam inhumanitatis, ſcribi oppidanis, non vno auctore accepimus: quod, in tam frequenti nundinarum (*b.*) celebritate, qui fieri poſſit, coniectatu difficile eſt: niſi id, lucripetarum vitio, fieri exiſtimes, qui, vti reliqua omnia, ſic & officia, quibus continetur ſocietas humana, venalia habent. Diſſidet *Cremnitzio*, duobus in meridiem milliaribus.

incolarum occupatio:

nota sæ ſcribitur in humanitatis.

III. Oppidvm Zarnócz.

TErtium, iſto *Proceſſu*, oppidum, Zarnócz eſt. *Zarnoczinum*, quin & *Zarnouiam*, latina terminatione, aliqui dicunt. Slauis *Zarnouicza* dicitur, gemino, in meridiem, milliari, a *Fano S. Crucis*, eodem *Grani* margine, ſeiunctum. Nominis origo, ne eam prætereamus, fabulam redolet. quæ in compendium miſſa, iſtiusmodi eſt. Inualeſcentibus *Schemnitzii Germanis*, cum oppreſſum ſe iri, *Slani* priſci incolæ, viderent, cœpiſſe conſilium, pellendorum, in exſilium, *Saxonum*, vt laxius ipſi, commodiusque habitarent. Aegre primum, in demigrationem *Germani* conſentiebant; ſed, cum vrgerent illi pertinacius, conuaſatis, quæ in promptu erant, reculis, tripartito, *Schemnitzio* deducunt colonias. Qui primi vrbe exceſſere, proſciſſis conuicio *Slauis*, dixiſſe feruntur: *Nagdeme my ſebe chleby;* hoc eſt: *victum ſe panemque, ex facili reperturos*, tametſi decedendum ſit, ob *Slauorum* iniurias, *Schemnitzio.* quæ demum colonia, eo loco fortunarum ſedem poſuit, vbi iam oppidum, *Nagy-Honthenſis* prouinciæ, *Sebechleby*, exædificatum eſt. Generoſior multo, potentiorque, colonia fuit altera. Hæc, ſimul vrbe exiit, conſilium cœpit, arcis *Sachſen-Stein*, ex ſuo nomine, in *Grani* ripa, exædificandæ, qua ſe aduerſus *Slauorum* maleficia, tutaretur; ſi quæ porro eſſent intentaturi. At illi, inſanos *Saxonum* conatus ridentes, arcem illam, primamque *Saxonum* ſedem, probroſe, *Hladomér*, ergaſtulum *famis*, atque *inediæ* vocitarunt, quam eo fini excitarent miſeri, vt ignobilium ritu ferarum, muris concluſi, *fame* & *inedia*, conficerentur. Tertia denique colonia, illic ſubſedit, vbi iam *Zarnouicza* eſt, loco opportuno, & multitudini alendæ, idoneo. Hic, cum, & agris inualeſcerent *Saxones*, ex opibus, *Slauos* Schemnitzienſes, riſſiſſe aiunt, quod ſibi exſilii moleſtia illa, tam bene verterit, frequenter regerentes: *Zereme mi wiacz*, hoc eſt: *lautius*

Zarnoczinl *poſitus:*

nominis origo fabuloſa:

b.) Nundinarum, eas tantum in faſtos relatas video, quæ die S. *Michaëli* ſacro, agi conſueuerunt: plures omnino quas, neque vacat, neque operæ pretium eſt indagare, eſſe oportet.

tius se isthic, paratiusque, quam Schemnitzii *viuere:* vnde postea nomen oppido, *Zermewicze*, & iam, *Zernowicza*, hæserit, enataque sit laus panificii perpetua. Non putauimus hæc omittenda, vt sint auocamento lectori. Laxe iam quoque habitatur oppidum, sed a plebe Slauica, eaque, quam credi possit, tenuiore, & cuius victus fere omnis, panificio comparatur. Panis certe, hic coctus, laudatissimus est, quem ad hebdomadaria fora illatum, auidissime coemunt *Schemnitzienses*. Neque id sine fructu incolarum: quippe qui, non domesticum modo frumentum, isto quæstus genere, bene collocant; sed emtum etiam alibi, optimo cum fœnore, in rem suam conuertere didicerunt. Quod autem panificii hanc curam, suam fecerunt *Zarnoczensium* vxores, natum hinc dicterium est: *viros isthic, ab vxoribus ali, sustentarique*. Et est omnino, in eo prouerbio, veritas: nam, cum viros, de parando, molendoque tritico, feminæ iubent esse sollicitos; ipsæ, dies noctesque, in opus coquendi panis, sunt intentæ, vt habeant, quod, siue ipsæ, siue mariti sui, *Schemnitzium*, & ad circumsitas tabernas metallicas, venum deferant. Ac profecto, remissioribus isthic sunt animis viri, quam feminæ. Frumentum huias, vicinumque, agro, situs collini editum, pistrinis maxime idoneum est: tum, quod commolitum, farinam præbeat, multo, quam solet campestre, probiorem; tum, quia subactum fermento, turgescat felicius, atque ideo in panem excoquatur, saporis commendatissimi. Aedes oppidi, ordine fere nullo, vtroque, intercurrentis amniculi, latere, positæ sunt, eædemque rusticano opere, e trabibus factæ. Fenestras earum, miratus est Tollivs, (*i.*) dum his locis, peregrinaretur. *Latissimo*, inquit, *animo*, Altsolio *discedens, per amœnissimam vallem, quæ vsque ab* Neosolio *hinc & inde, iuxta Granum fluuium porrigitur, occaso sole, in oppido* Sanctæ Crucis *pernoctaui. Postridie* Schernovitzium *transiens, obseruaui, fenestras, quæ in Italia charta claudi solent, hic exsiccatis*, inductisque ligno vesicis, *iniuriam aeris excludere*. Non sunt omnino vesicæ, sed detractæ, pecorum abdominibus, omentisue, tenuiores, membranæ, (*k.*) quas derasis sordibus, & sæuo, pellucidas efficiunt, atque madentes adhuc, fenestrarum formis, quibus alias vitra solent contineri, inducunt, successu, ad agrestes istos vsus, egregio; pulchre enim lucem transmittunt. Sed amnis, qui locum intercurrit, multum, haud raro, cum oppido ipsi, tum decliui, vltra illud, agro, vastitatis inuehit; subito enim increscit, & qua dissunditur, arenis ac silice, quem secum raptat, cuncta offundit. Quia enim, intra editos *Welkopolenſium* montes, non vno capite oritur, recipitque, longa valle procurrens, complures torrentes, fit, vt extra modum intumescat, si compluat diutius, aut vernis solibus, eliquentur niues. Ponte, ad castellum superius commissus, reliquum oppidum, sine ripis

labor oppidanorum, panificio fere totus constat:

dicterium in viros Zernouiczenses:

oppidi habitus:

amnis intercurrens:

i.) Ibidem pag. 193.

k.) Eadem arte rusticula, & lampada norunt conficere. Plura, de Zernouiczia, apud Tollivm legas, p. 155, & 206. atque 107.

Digitized by Google

pis perluit, eſtque canicula feruente, nonnunquam, adeo inops aquarum, vt ſicco, per ſummos lapides, greſſu tranſiri queat. Fuit olim oppidum *Dóczíorum* gentis. quæ hic, frequentes ſeceſſus capiebat. Iam, in regis poteſtate eſt, accenſeturque, cum *Reuiſchtyenſi* dominatione reliqua, *Cameræ Schemnitzienſi Metallicæ*. Silendum haud eſt, eo audaciæ, anno MDCLXIV. progreſſos fuiſſe *Turcas*, vt in has vſque anguſtias, infeſtis agminibus, perſequuti fuerint *Cæſarianos*. quæ eorum temeritas, acri prælio primum; tunc & conſummatæ victoriæ, occaſionem dedit. Narrabimus rem, WAGNERI (*l.*) verbis, ſimul ac monuerimus, quæ profectionis, exercitus vtriuſque, cauſſæ fuerint. Receperat a Turcis *Nitriam*, Suſa, belli, iſta Hungariæ ora, dux. Id vbi factum, *Lévam*, ſine mora, adgrediendam ſtatuit, vti tutas præſtaret valles auriferas. Ergo, *Buckantii*, Hungari *Bakabányam* vocamus, *firmatis caſtris, cum binis legionibus, ipſe* SVSA, Lévam *excurrens, prope adeſſe Budenſem, cum viginti quinque hominum millibus, intelligit. Itaque, ne intra vallium anfractus, hoſtium inſidiis ſe daret*, S. Crucem *verſus, peditatum, cum grauioribus machinis, præmittit, ipſe, cum cæteris copiis ſequuturus. Verum, premente veſtigia hoſte, ad* Cſernouiczium *pagum, communire denuo caſtra cogitur. Hæc ita diſpoſuit, vt binis vtrinque montibus clauderentur latera, nec, niſi anguſtum inuaſuro hoſti ſpatium, & explicandis ordinibus ineptum, relinqueret. Triduo, in conſpectu ſe mutuo habuere. Sed hærens lateri domeſticum malum, fames, diſcedendi iterum neceſſitatem impoſuit, curamque, ne in receptu, cladis aliquid acciperetur. Id, in hunc modum factum. Granus amnis, qua in flexum curuatur, geminum pontem, aquo fere a* Cſernouiczio *pago, interuallo, ſuſtinebat; ſuperior, ad S. Crucem ducebat. Turcæ, trans alterum, in oppoſita ripa, tendebat. Collem imminentem*, Kellerus, *Brandeburgus protribunus*, & Mauritius *centurio, cum peditum & deſultoriorum cohorte, obtinere iuſſus; medio, inter vtrumque pontem, ſpatio*, Zeiſiana *legio collocata. Et iam primum agmen, cum* Suſa, Zeiſiani *item, pontem emenſi erant; cum in recedentem* Kollerum, *emergentes, magno numero, Turcæ, ferociſſime inuadunt. Procellam non improuiſam*, Kellerus, *actis in orbem ſuis, & colle tectus, ſumma virtute, eo vſque ſuſtinuit, dum* Zeiſius, *geminato, per ſiluas, ſcloporum fragore, de periculo agminis vltimi coniiciens, vna, &* Garnierii *legio, & ipſe* Suſa, *cum* Capraræ *legione*, Brandeburgis *equitibus mille, campeſtribus item tormentis, vndeuiginti, via ac ponte, incredibili celeritate, relectis, feſſis opportune ſuccurreret; adductisque in collem colubrinis, magna ſtrage edita, cæſis mille Turcis, recedere ceteros, vltra Granum compuliſſet. Ingenti certe ſua gloria, qui tantillam manum tot hoſtibus, octo millia erant, impetitam, in tutum ſubduxiſſet.* Iſta tunc, *Zernouiczium* nobilitauere; dum interim, hoſtibus reiectis, & via, ab infeſſoribus repurgata, refectum, aliquot dierum annona, exercitum, *Suſa*, ad *Lévam* oppugnandam, reduceret, noua illic momentoſaque victoria, potiturus.

eſt oppidum in poteſtate regis:

prælii Zernouicenſis deſcriptio.

l.) Libro II. p. 148.

IV.

IV. Oppidvm Welka-Polya.

Welká-Polyæ *habitus:*

Elká-Polya, Germanis, *Hoch-Wies*, amœna valle insedit, &, non incolis modo frequens ; sed rure etiam haud sterili, tametsi indigo lætaminis, obsessus. Vetusto iure, ad *PP. S. Paulli, primi eremitæ*, qui in *Elefant*, apud *Nitrienses* colunt, pertinere oppidum, ex annalibus, (*m.*) eiusdem ordinis, didicimus. Ita vero habent: *Succedit annus, a Deo nato*, supra millesimum, tercentesimum nonagesimus, *quo nobiles viri*, Laurentius, *&* Iohannes, *fratres germani*, *filii Domini* Stephani de Baracko, *in expeditione contra* Turcas, *de consensu & voluntate* Sigismvndi *regis*, *legarunt monasterio* S. Iohannis Baptistæ de Elefant, *possessionem*, Welkó-Polyam, *additis tribus molendinis*, *in superficie pagorum* Ugrócz, Kalathna, *&* Pautyth. (*n.*) Situm oppidi, & opportunitates alias, Tollivs descripsit: (*o.*) *obuius*, inquit, *ad pedem montis* fuit, (Nowá-Wesa, Nitriensis Comitatus vico vltimo, egredienti,) *pagus* Klischa, *a quo mox altos montes superauimus*, *antequam sub vesperam veniremus* Hohenwiesam. *qui pagus* Klischa *distat Hungarico milliari*, (*p.*) *tantum vnico; sed quod æquale est, quatuor Hollandicis. Ob iter hic paullo ante, ab opilione, petii lac caprillum*, (*q.*) *quod bibi. Sunt enim hic capræ pulcherrimæ, & hirci pulcherrimis cornibus, in multos gyros flexis. qualibus etiam ornantur arietes, a fronte promissis, & mox retortis gyris. Hic pernoctaui, & altero die, equum conduxi, dimidio imperiali. quo, per tria milliaria, equitaui* Schemnitzium. *Pagus autem* Hohenwiesa, *profunda valle situs, pulcherrimus* (*r.*) *omnium est, quos in Hungaria viderim. Colles, montesque vicini, latissimi, & cultissimi sunt. reliqui luxuriant quercetis, & fagetis. Hinc vero, vno milliari distans, perueni Sernouitzium.* Omnino, industrii sunt oppidi incolæ, iique, quod mireris, *Germani*; sed oris crassi, &, cuius sermonem, vix diuinando possis adsequi. Ipsum oppidum, frequentibus olim Turcarum impressionibus fatigabatur; eo vsque, vt lege publica, a gratuitis laboribus, qui tunc, instaurandis munitionibus erant impendendi, eximeretur. Sanctionis (*s.*) verba hæc sunt: *Possessio* Welkopolya, *in Comitatu Barschiensi existens, excursionibus* Turcarum *exposita, a præstando gratuito labore eximitur; ita nimirum, vt* Turcis *se nullo modo subdat, & passus Turcarum, diligenter exploret, & custodiat.* Quod & strenue faciebant omnino, quando concisis, per opportuna

adtinet ad PP. S. Paulli primi Eremitæ:

Tollii, *de oppido, elegans mentio.*

m.) Lib. II. cap. XVI. p. 179.

n.) Ore hodierno *Pásith* legendum credo.

o.) Adnotante Henninio, ex eius Adeursariis Belgicis, ad Epist. Itinerar. V. p. 206.

p.) Milliarium Hungaricorum longitudinem, damnat Tollivs, eodem loco, p. 155.

q.) Equidem, serum lactis fuisse, existimarim, quod coacto caseo, residuum est, quodque opiliones, sua quadam arte, integris ahenis excoquunt, & partim suauiter acidum, ad potum adhibent, atque ligneis lagenis, greges sequuti, secum circumferunt; partim calidum sorbillant. *Zinczica* liquori nomen vulgare est.

r.) Ita tunc visum Tollio: quippe, regionem peragranti, igni ferroque, ex *Tökőliana* seditione, euastatam.

s.) Decreto Anni MDCLIX. Art. CXXX.

Digitized by Google

portuna locorum, ſiluis, imperuios aditus, reddebant. Iam, poſt tot calamitates, quomodocunque, refloruit oppidum.

V. Arx Sas-Kö.

Arcis Sas-kö ſitus, nomen & origines:

Arx eſt, celſo & abrupto circumquaque monti, inædificata. Germani *Sachſen-Stein* dicunt, quod originem loquitur *Saxonicam*, facitque, vt credamus, excitatam ab iis *Saxonibus* fuiſſe, qui primi huc conceſſerant, metallorum eruendorum gratia: forte, vt haberent auriferarum vallium, quaſi clauſtrum quoddam, arcendis populatoribus idoneum. Hæc noſtra, de *Germanico* vocabulo, opinio eſt. Nomen *Hungaricum*, alii coniecturæ locum facit. Dicunt enim *Sas-Kő*; quaſi *aquilæ lapidem* vocares: forte, ab aquila, quæ iſthic nidificarit, aut læto omine alio, cohoneſtarit ineuntes operas, ducta adpellatione. At, ni errarim, crederem, ex *Germanico* factum, quidquid hoc nominis ſit. Nimirum, *Saxo*, Hungaris *Száſz*, *Stein* autem *Kő* vocitatur. Itaque priſci quidem *Hungari*, Száſzkő poterant arcem nuncupauiſſe; quod poſteri, ne genti alienigenæ, natales eius concederent, *Sas-Kő*, cœperunt pronunciare. Hinc, & Slauicum *Saſſow* enatum putamus. Adſeuerantem aliquando virum, oppido grauem, audiuimus, *Germanicum* vocabulum, ex *Hungarico*, ſeu fato, ſeu conſilio, detortum eſſe; vt cum *Sas* debuiſſent dicere, ſuum illud, *Sachs*, ingeſſerint. Ergo, dubia adhuc erit nominis eius deriuatio. Quidquid rei ſit, moles certe vetus eſt, & ita facta, vt coniici poſſit, non vnis eam operis, neque ab iisdem conditoribus, ſubſtructam eſſe. Prætorium ſane, vix quidquam habet elegantiæ. Omnia iſthic ſunt anguſta, & luxatis angulis, informia; ſi demas, vnum alterumue hypocauſtum, ætate recentiore, quomodocunque adſtructum. Proſpectu, contra, amœno eſt, liberoque. Quia enim, in faucibus vallis *Butſenſis*, ſupra *Fanum S. Crucis*, aduerſa *Grani* ripa inſedit, totam eam vallem, quæ vltra *S. Crucis* oppidum, ſecundo amne, vſque ad arcem *Reviſchtye*, late porrigitur, iucundiſſimo obtutu, deſpicit. Ceteroquin, caput eſt *Dominii*, quod Hungari *Saskőienſe* adpellant, cenſebaturque olim in regum ditione: dum, poſt Corvini tempora, Beatricis indulgentia, caſtellanorum fieret propria: denique, in *Lippaiorum* veniret poteſtatem; ſed, quam illi ditionem, dum florerent adhuc, cum *Caſſenſi*, quæ eſt apud *Trentſchinenſes*, commutauerunt. Iam, *Camera Schemnitzienſi metallica* (*t.*) paret.

operis vetuſtas, & inconcinnitas:

proſpectus ratio:

eſt caput dominii Sasköienſis.

VI. Arx Rewischtye.

Rewiſchtye, quo ſit loco poſitum:

Secundo *Grano*, per vberem laxamque vallem, ad duo miliaria hinc progreſſis, *Rewiſchtye*, modica arx, edito monti impoſita, obiacet, eo prorſus loco, vbi laxa ea vallis, arctius coire incipit. Nomen Hungaricum, quod

nomen vnde enatum:

primi-

t.) Multa olim *Schemniczienſibus*, & cruenta etiam, cum *Saskőienſibus* præfectis, de agrorum finibus, erant certamina, de quibus in eius vrbis hiſtoria.

primitus arci fuit inditum, *Rév* fuiſſe, qui putant, non id ſine ratione faciunt. Enim vero, traiectui (*u.*) *Grani* obuerſa eſt, qui Hungarice *Rév* dicitur: quod demum nomen *Slaui*, ſua dialecto, in *Rewiſchtye*, permutauerint. Sed enim, non eſt opus, ſcrupuloſe adeo, arcis nomen exquirere, cuius ignoramus origines. Ipſa moles, longior eſt, quam latior, rupi impoſita, difficilis acceſſus. A tergo, quod in occidentem vergit, montes ſunt prælti, ſiluoſique; frons, lætam illam vallem proſpicit, quæ aduerſo amne, vſque ad *S. Crucis* oppidum, laxatur, eſtque, ob crebros vicos, & pingues agros, prataque, læto viridantia gramine, multæ iucunditatis. Olim, ſedes fuit, ſummorum virorum. Bonfinivs, Matthiae *Coruini* temporibus, Vrbano, Agrienſium præſuli, eius adſcribit poſſeſſionem. *Barſchienſis*, inquit, *regio ſequitur, vbi* Rewischtye, Vrbani, *Agrienſis pontificis eſt oppidum.* Oppidum dicit, cum arcem debuiſſet vocare. Sed quis iſte Vrbanvs? de (*v.*) *Nagy-Luche* ei cognomen; cetera, quantus fuerit, non piget ex Bonfinio, (*x.*) ad hanc eius mentionem, recitare. Vrbanvs, inquit, *pontifex Agrienſis, diuo* Matthia *imperante, claruit; vir tanti conſilii ac ſapientiæ compos, vt apud principem illum inuictiſſimum, primum locum obtineret, omnia regeret, quæſturam perpetuam gereret, & per multos annos, prætorii præfecturam, quem Palatinatum dicunt. Nec Vienna quidem Alemannicæ, pontificatu caruit. Procero corpore, ac obeſo, adſpectu liberali, ac venerando, probitate ſumma, moderatione non mediocri, inaudita negotiorum laborumque tolerantia, profuſa liberalitate, & amore fuit, in ſtudioſos, non mediocri. Vniuerſas principis curas obibat, imperium & omnia, e ſententia gerebat, nullius vnquam otii particeps, vt æternam ſibi domini gratiam compararet. Iniuriarum ſuarum diſſimulator egregius, & præ animi magnitudine, iræ, ac indignationis, victor indomitus; omnia æquo animo perferens, vtriuſque fortunæ, pari æquanimitate, tolerator; amantiſſimus ſuorum, amicis deditiſſimus, vir gratiſſimus omnium, & cumulatiſſimus relator gratiarum: cui, triginta millia, circiter, aureorum quotannis prouentus erant, ex quibus, præter corporis neceſſaria, nihil recondere voluit, aulam ſemper frequentiſſimam, nitidamque habuit, maxima nobilium principumque familia, refertam. In menſa lautiſſimus, parciſſimus in veſtitu. Veſtem ſolemnem nunquam tulit pluris, quam quæ triginta aureis veniret; octo aureorum, togæ, forenſi & domeſticæ, vtebatur. In ceteris vero rebus, quæ, vel ad diuinum honorem, vel ad humanam pietatem, munificentiamque facerent, vſque adeo magnificus & profuſus, vt neminem illi parem, Pannonia, eo tempore viderit. Præterea, liberalitate,*

molis habitus:

fuit olim Vrbani præſulis Agrienſis, poſſeſſio:

eius viri laudes, ex Bonfinio:

u.) Is hodie ponte ſtratus eſt ſublicio, firmo tamen, aduerſus eluuionum iniurias.

v.) Vicus eſt, non, ſicuti perſuaſit nobis amicus quidam, in inſula *Csallóköz*; ſed, vno hinc milliari, ad aquilonarem *Grani* ripam, cui ille natales debuit. Erat enim *Docziorum* gente, quæ de *Nagy-Luche*, cognomen habuit, ſictus. Vide Istvanffyum, Lib. VIII. p. 117, 32. quem noſtrum, an alienum errorem, vti emendet lector, Tomo Operis II. p. 244. num. 8. ceratum, impenſe rogamus.

x.) Decade I. Lib. I. p. 4, 10.

Digitized by Google

ralitate, æquitate, temperantia, religione, misericordia, comitate, magnificentia, fide, ac dignitate tanta, vt omnes in amorem obseruantiamque sui, iure conuerteret & alliceret. En, consummatissimum, boni præsulis, atque innoxii aulæ ministri, exemplar! Sed, ne quid laudibus viri detrahamus, pergit, virtutes eius describere, historicus. *Sæpe patrem illum optimum dicentem audiui: se nihil, præter lautum victum, corporisque tecturam, sibi ex hac vita vsurpaturum: cetera, quæ superarent, se in DEI honorem, & alienam vtilitatem, erogaturum. Nobilia pascebat & fouebat ingenia; pauperes & calamitosos, mira beneficentia complectebatur. In litterario ludo, multos alebat, templa ædesque magnificas, erigebat, suas Ecclesias, superbis non modo ædificiis, verum etiam aureis vestibus, scyphisque argenteis, mirifice exornabat. Ita vixit, vt non sua, sed aliena vtilitati vixisse videretur, & semper esse, quam videri maluit.* Placuit ista (*y*.) ad arcem meminisse, vt heic quoque constet illud poetæ:

Habitarunt di quoque siluas.

Nam, diuertisse huc crebrius VRBANVM, vt curarum auocamenta caperet, inde colligi potest, quod frequens in montanis, *Vetusólii* potissimum, MATTHIAS fuerit, a cuius comitatu, vix vmquam diuelli se noster patiebatur. Tunc vero, quin huc secesserit, nemo, cum ratione dubitauerit. Pronum est præterea coniicere, in ornanda arce hac sua, nihil eum feciſſe residui, cum alibi, tam effuse, & liberalis fuerit, & magnificus. VRBANO tandem, post WLADISLAI *Poloni* initia, anno circiter MCCCCXCIII. vita functo, in *Dóczíorum, Vrbani* consobrinorum ditione, arx mansit. Nunc, posteaquam gens ea, prorsus emortua est, arx iuxta, & vici, quos adscriptos habuit, fisco regio accensa, & in rationes *Cameræ Schemnitzensis*, relata est. Cum adhuc ab heris habitaretur, non vna ei opportunitas fuit. Nam, & pomaria, ad vsum non minus, quam luxum, pone montis, cui incubat, pedem, consita habuit, & piscinam, viuariumque, vtraque omni piscium, ferarumque genere, instructissima. Iam, quod nemini cura est, ædificiorum,

Vrbano decedente, Dóczíis adscribitur; & hic emortuus, fisco regio.

Tecta non leui disiecta ruina,

ostentat, ruitque in peius quotidie, suis breui parietinis, sepelienda.

VII. DE CASTELLIS.

PLura hoc *Processu*, castella visuntur, vetera partim, partim nuper educta, & ad eximiam facta commoditatem. Princeps, ob ædificii concinnitatem, iure id dixeris, quod est in *S. Crucis* oppido. Prætorio definitur quadrato,

y.) Plura, in catalogo *Episcoporum Agriensium*, de VRBANI laudibus, dicemus, in Historia Comitatuum, HEVES & SZÓLNOK *Extr.* Part. I. Memb. II.

& in duas contignationes adſurgente, multis conclauibus diſcretas. Id a peregrinis deſiderari audiuimus, quod ritu vetere, tametſi recentibus operis, factum, humilioribus cubiculis, quam pro ſeculi elegantia, atque domini dignitate, inſtructum ſit. Cetera, laxitatis eſt non contemnendæ, & quæ familiam poſſit capere, etiam numeroſiorem. Cingitur circumquaque vallis, ne facile poſſit adſiliri. Immo, præſidio munitum recordamur, cum eiecti e montanis *Rákóczíani*, latrociniis infeſtabant regionem. Iſtud, in felicitate caſtelli ponendum eſt, quod, cum crebris incendiis fœdetur oppidum, id, orientali eius angulo ſedens, intemeratum adhuc manſerit. Et ſunt omnino, priuatorum ædes ſubmotæ longius, quam, vt temere flammæ iſthuc queant propagari: in primis, ſi ſint, qui manus, ignibus reſtinguendis, adhibeant. Ad ſolem orientem, vaſtum pomarium, ſed ſitu, quam eſt caſtellum, humiliore, diffunditur, quod, ne pateret iniuriis, muro concluſum eſt, ſic ſatis valido. Ingens hic arborum, & varietas eſt, & præſtantia, fructuumque ideo, ſi cæli fauit temperies, copia inſignis. Qua propius ad prætorium hortus ſuccedit, viridarium inſtructum vidimus, procera tilia decorum: cui, voluptariam ædiculam inædificauerunt, vt eſſet recreationi, feceſſu iſthoc vtentibus. Christianvm Avgvstvm, *Cardinalem de Saxonia*, cum anno MDCCXV. huc feceſſiſſet, arboreo iſthoc diuerticulo, delectatum tantopere fuiſſe accepimus, vt nihil dubitarit, in ædicula illa ſemel iterumque, & prandere, & cœnare. Iam rarius, a præſulibus ſuis aditur, eſtque procuratoris dominii, *prouiſorem* vulgo dicunt, hoſpitium, qui iſthic, inferiore ædium parte, commodiſſime, & habitat & viuit.

Sunt & *Zernouiczii* duo prætoria, *Dóczíorum* aliquando feceſſibus, exædificata. Minus alterum, aquilonari oppidi latere, petræ humili incubat, & a procuratore regio, incolitur. Pauca ei ſunt conclauia, ſed ob deſpectum in oppidum, habitatu iucunda. Subtus herile cellarium eſt, vbi vinum perenne venit. Reliqua collis declituitas, quæ in orientem vergit, arbuſto conſerta eſt, & amplo, & amœno. De caſtello, Tollivs: (z.) *Hic*, inquit, *accepi, eo ibi meridie adfuturum* Cammer-Gravivm, *excellentiſſimum* Viechterum. *Itaque, me ad Cæſaream domum, in colle ſitam, contuli, veri experiundi cauſſa, apud* Ivdicem Avlicvm. *Certior veri factus, trado, illuſtri viro, litteras, qui humaniſſime exceptum ſecum prandere, blanda vi coegit, licet adfirmarim, me iam in diuerſorio pranſum eſſe. Interea, eius filius, ante quatuor demum hebdomadas, ex Italia, Gallia & Belgio, itinere facto, redux, me amico ſermone detinebat. Hic pernoctare coactus ſum, quod ruſtici ſeruus, equum conductum, precio iam perſoluto, ſeque vna, clam domum ſubduxerat.* Alterum, quod adverſo oppidi margine viſitur, longiore quidem eſt prætorio, ſed inculto, quodque pridem in granarium abiit. Poſitum eſt loco modice edito, & areæ, ſtabulorumque capaci.

z.) Citante *Henninio*, loco toties memorato, p. 206. ſeq. Reli-

Reliqua, quod a poſſeſſoribus, pro eo, ac decet, deſcripta, nobis ſubmiſſa haud ſunt, ſaltem nominauiſſe iuuerit. In his cenſeas, autem, vt alphabethi ordinem ſequamur: *Brogyanenſe; Cſerenyenſe; Félſaluienſe; Simonienſia; Koſztolanenſia; Nagy-Ugroczienſia; Nitraſzegienſe, Marothenſe,* nuper, a *Georgio Paluska,* cœptum ædificari.

SECTIO III.

DE

Dominiis Proceſſus Oslanenſis, horumque vicis.

I.

DOMINIVM SASKÖIENSE, SEV HLADOMÉRIENSE.

ACcepit nomen ab arce, quam nunc deſcripſimus, *Saskőienſi,* habetque, in ditione ſua, vicos ſequentes:

1.) *Saskő-Várallja*, viculus arci ſubſitus, neque alia re magis, quam ſitus hac ratione, memorandus.

2.) *Teplá*, in edito colle poſitus, & priſco iure, arci adſcriptus.

3.) *Hladomér*, copioſior multo, & agris pratisque inſtructior, quæ meridionali *Grani* ripa, vario poſitu, huc atque illuc, protenduntur. Reducitur ab arce, medio, in occidentem, milliari, ſedetque, ea *Grani* ripa, quæ eſt oppido *S. Crucis*, obuerſa. Iſthic, totius dominationis procurator, noſtri homines, *prouiſorem* dicunt, ſedem habet.

4.) *Alſó-Trnauka*, vicus non plane exilis, ſesqui milliario, ab arce, in occidentem, ſeiunctus.

5.) *Prochot*, duobus, a *S. Cruce*, in occaſum, milliaribus ſubmotus.

6.) *Ihrács*, in meridiem abit.

7.) *Klacſan.*

8.) *Trnawa.*

9.) *Ielná*, ſinguli in meridiem recedunt, qualibuscunque, ad ruſticandum, opportunitatibus, præditi.

10.) *Mocsár*, &

11.) *Zekély*, profundius in meridiem demerſi, agro ſunt collino, & indigo lætaminis.

12.) *Skleno*, Germanis *Glashütten*, nomen a vitriariis officinis indeptus; hodie, furnos habet liquatorios, quibus *Schemnitzienſe* metallum funditur. *Therma*, (*a.*) quæ heic, mira naturæ prodigali-

a.) Dedimus earum hiſtoriam, in PRODROMO Operis totius, Hungariæ Nouæ, Lib. III. Phyſico Cap. V. num. 1. p. 128. vbi ad ſequentem pag. iconem ſimul ſpectare poſſis thermarum vicique.

tate, innumeris propemodum fontibus, ſcaturiunt, præcipuam vico celebritatem parauerunt. Nam, ex ſe quidem ſatis tenuis eſt: quippe, in cæcam vallem retruſus, atque, ob eam ſitus iniquitatem, ſterili, ſuſpenſoque, per montium latera, agello, memorandus.

13.) *Repiſchtye*, in glabro monte, qui *Vihnenſes* a *Sklenenſibus*, dirimit, poſitus. Ager ei macer eſt, & argilloſus, neque tam ſementis patiens, quam rapæ: a cuius vbere, & felici prouentu, nomen accepiſſe fertur. *Repa* enim, rapum eſt Slauis; *Repiſchtye* autem, ager, rapis conſitus. Denique

14.) *Peſzerény* in mediocribus vicis ponendus. Hucuſque *Dominium Saskőienſe* fuit.

II.

DOMINIVM REVISCHTYENSE.

SUppar eſt priori, ſi vicorum numerum, ſin reditus æſtimes, multo ſane fructuoſius. Ab arce, cuius meminimus, ſic dici, monere non eſt opus. Iſthic cenſentur, cis, & trans *Granum*, præter oppidum *Zarnócz*, vici:

1.) *Reuiſchtye-Várallja*, vicus omnino tenuis, memorandus tamen, quod ad pedem arcis cognominis, poſitus eſt.

2.) *Felső-Hámor*, trans montem, qui arci imminet, in occidentem, milliari ſeiunctus. Vallem inſedit amœnam, & amniculo, *Welkolukenſi*, irriguam. Vicus incolis frequens eſt, ſed duræ agricolationis. Ex nomine colligas, *malleos* hic fuiſſe olim poſitos, quibus ferrum procuderetur: nam *malleum* Slaui, *Hámor* dicunt.

3.) *Pjla*, longius in occidentem repreſſus, neque infrequens: vicus, cuius *partem*, PP. *S. Pauli Eremitæ de Elephant*, poſſident. Reliqua *Cameræ* ſunt accenſa.

4.) *Bukowina*, adhuc cis *Granum* poſitus. Nomen a *fagis* habet; forte, quod ſiluis eius generis gaudeat. Sunt iſthic *acidulæ*, ſaporis probi.

5.) *Alsó-Sdány*, propius ad *Granum* adſedit, eſtque multarum opportunitatum. Agro certe lætatur vbere, pratis graminoſis; ſed nec ſiluarum eſt egenus. Quæ ſingula, in rem ſuam, ſolerter norunt conuertere incolæ. Fons acidularum, qui hic ſcatet, magna adcolarum adprobatione bibitur.

6.) *Felső-Sdány*, & ſitu, & agri qualitate, cognomini illi, ſimillimus. Vltra eſt,

7.) *Felső-Trnauka* mediocribus vicis adnumerandus. Hucusque, cis *Granum* verſabamur; eo traiecto, occurrunt:

8.) *Alsó-Hámor*, vicus aliquando metallicus. Confinis ei adſedit,

9.) *Kopanicza*, ita dictus, quod deraſis olim ſiluis, conditus ſit.

Digitized by Google

ſit. Ferunt, haud pridem, *ferri*, quin & *auri*, atque *argenti* mineram, in iſtorum vicorum montibus, repertam eſſe.

10.) *Woznicza*, infra *Zarnoczinum*, in Grani ripa, qui hic, quandoque vadoſus eſt, excitatus.

11.) *Rudno*, altius hinc in meridiem ſubmotus.

12.) *Hlinik*, Hungaris *Geletnek*, opimus vicus, quem lapidum molarium, inſignes prouentus, multis retro ſeculis, nobilitarunt. Latumias enim habet, medio fere milliari, in orientem, ſubmotas, in quibus, perpetuæ incolarum ſunt operæ, quæ petram ſolidam omnino, ſed *poroſam*, ideoque molendo frumento idoneam, in orbes, atque id ruditer primum, poſtea vero, quam diligentiſſime, ad regulam exſcindunt. Nulla hic domus eſt, quam non molares iſti circumſideant: dum adſint, qui eos, definito, publicis legibus, (*b.*) pretio redimant, auehantque, etiam in diſiunctiſſimos regni *Comitatus*. Caſtellum, aquilonari vici angulo inædificatum, & a *Tökölianis* exuſtum, rudus eſt, vaſtæ molis parietinas, oſtentans. Ager profecto, qui vico obtigit, tametſi lætificatione, ob argillaceum terrenum, fœcundandus ſit, frugum tamen, egregie ferax eſt. Recedit a *Grano*, ad teli iactum, verſus orientem.

III.

Dominivm S. Crvcis.

Est id, quemadmodum ſupra monuimus, in ditione *Archiepiſcoporum Strigonienſium*, ab indulgentiſſimis REGIBVS, ſedi illi, adſcriptum: eo magis fructuoſum, quo opportuniore ſitu, montanis interſeritur. In eius vicis, ſequentes numerari accepimus:

1.) *Nagy-Lócſa*, Slauis, *Welká Loucſa*, eodem *Grani* latere, quo eſt oppidum, *S. Crucis*, poſitus, idemque, cum agro vber, tum incolis frequens. Seiungitur inde mille circiter paſſibus, eſtque, ob *Dócziorum* titulos, in quibus referebatur olim, memorandus.

2.) *Preſzta-Wlk*, longius multo in eandem plagam, ac fere ad milliaris interuallum ſubmouetur, eſtque commoditate, ad ruſticandum, haud tacenda, montoſa tamen, ſiluoſaque.

3.) *Trubin*, pari intercapedine, ſed reclinato ſitu, ab oppido, in meridiem intra montes, proiectus, agricolationis admodum duræ.

4.) *Kis-Lócsa*, Slauis *Malá-Lucsa*, vti a maiori diſcriminaretur, nomen minoris indeptus. Et eſt omnino, cum agro anguſtiore, tum incolis, quam alter ille, paucioribus. Succedunt his

5.) *Uj-Lehota*, ſitus, intra montes, iniquiſſimi.

6.) *Jano-Lehota*, itidem montibus interſitus, agro tamen meliore.

7.) *Koszorén*, non longe ab oppido abeſt, agrum nactus collinum.

8.)

b.) Vide, Decreti anni MDCCXV. Art. LXXXV.

8.) *Szlaska*, in meridiem, a *Fano S. Crucis*, Hungarico milliari ſecretus, atque, non minus agro, quam coloniis, rei ruſticæ idoneis, inſtructus. In primis ſiluis valet, & harum opportunitate.

9.) *Kapronczа*, immiti agro, cuius malignitatem, *Cremnicii* vicinia mitigat.

10.) *Lutilla*,

11.) *Kremniczka*, &

12.) *Barthos-Lehotka*, triſtiſſimi poſitus. Riuus, hac decurrens, vehit, non raro, lapides pretioſos.

13.) *Jaſztraby* vero, &

14.) *Pityelowá*, ac denique

15.) *Nyewolno*, in meridiem iterum reducuntur, ſuntque, quam reliqui, quos vidimus, ſitus nihilo commodioris.

16.) *Némety*, quatuor milliaribus a *S. Cruce*, in occidentem ſubmotus, & infra recenſendus.

17.) *Csejkő* item, &

18.) *Szölös*, reliqui

IV. Vici Variorvm.

SVnt & nobilibus familiis, *Venerabili* item *Capitulo Strigonienſi*, ſua, iſto *Proceſſu*, bona, vicique. quos nunc adnotabimus:

1.) *Nemes-Koſztolány*, vicus omnino nobilis, quod & nomen Hungaricum, *Nemes*, indicat, ab oppido *Oszlány*, milliario, in *aquilonem*, ſepoſitus, atque *Nitrienſi* prouinciæ, collimitaneus. Eſt antiquiſſimæ gentis *Kosztolány*, cui & cognomen impertiuit, hæredium. quæ, excitatum iſthic, paucis retro annis, caſtellum, habitat. Conciliat vico celebritatis quidpiam, quod *locus* ſit *Articularis*, Auguſtanæ confeſſioni addictorum, cultui diuino, indulgentia regis optimi, adtributus.

2.) *Alsó-Kemenecz*, &

3.) *Felsö-Kemenecz*, vici contigui, eidemque *Koſztolaniorum* familiæ adſcripti. Diſiunguntur ab oppido *Oſzlány*, vno, in orientem, milliari. Incolæ, præter agricolationis operas, perficiendo corio, quod arte ruſticula, rubro colore tingunt, cum fructu ſtudent. Modico hinc interuallo,

4. *Kis-Falud*, Slauis *Wieszka*, conſedit, tenuis omnino, ſed qui *Kis-Faludiis* nomen conciliauit. Iam, inter plures diſſita eius poſſeſſio eſt.

5.) *Biſztricsén*, ab oppido *Oſzlány*, in ſeptentrionem, ter mille circiter paſſibus, ſubductus.

6.) *Cſerenye*, vicinus, ab aquilone *Oſzlányo* adſedit. *Hunyadiis* iam paret. Caſtellum huias, opportune ſubſtructum, herorum hoſpitiis frequentatur.

7.) *Nitra-*

Digitized by Google

7.) *Nitra-Szeg*, vulgo *Chalmawa*. In plurium herorum *Nagy-Leſſenyeiorum*, puta, *Berényi* & *Emerici Litaſſy*, poteſtate eſt: cetera, caſtello, & eleganter facto & commode, nobilis. Hic ille vicus eſt, in cuius agro, qua is a *Nitra* amne lambitur, *Therma* ſcaturiunt, dubiis, vagisque capitibus. Seiungitur ab oppido *Oſzlány*, medio, in ſeptentrionem, milliari.

8.) *Fel-Falu*, Slauis *Horná-Weſz*, ex dominatione, *Keſelő-Köienſi*, decerpta, iamque *Hunadiis*, obnoxia poſſeſſio. Caſtellum, quod habet, modicum eſt, ſed habitatu tamen opportunum. Obiacet *Oſzlányo*, ab ortu ſolis.

9.) *Nagy-Krſtyenye*, trans fluuium *Nitram*, loco haud iniquo, poſitus, idemque iuribus, *Collegii Generalis Cleri Regni Hungariæ*, adſcriptus. Recedit *Oſzlányo*, medio, in occidentem æſtiuum, milliari.

10.) *Kis-Krſtyenye*, eadem plaga, ſed vicinior multo *Oſzlányo* adſedit poſſeſſione inter plures diſpertita.

11.) *Páſit*, proxime ab oppido abeſt, paretque *Boßányiorum* familiæ.

12.) *Nagy-Ugrócz*, gemino ſuperbit prætorio, quorum laxius, alterum, alterum arctius, ſubſtruxere conditores. Vicus itidem *Boſſanyiorum* eſt. Diſcedit *Oſzlányo*, medio, in meridiem, milliari.

13.) *Kolecsno*, & ſitus, & iuris eiusdem; eſt enim, cum prioribus illis, in *Boſſanyiorum* poteſtate.

14.) *Simonyi*, inſignis vicus, cum ob rus, quo circumfunditur, opimum, tum in primis, ob natales vetuſtæ familiæ *Simonyi*, quam iſthac prodiſſe, præter cognomen, diplomata gentis loquuntur. Gaudet prærogatiua nobilitari.

15.) *Radobicza*, montano ſitu, neque tamen ideo rei ruſticæ iniquo. Eſt in *Simonyiorum* ditione, milliari *Oſzláno*, in orientem repoſitus.

16.) *Kis-Ugrócz*, agro præditus, alendæ ſementi, idoneo. Poſſidetur, per *Majtényos*, *Hunyadios*, & ſucceſſores *Leſſenyeianos*. Abeſt *Oſzláno*, bis mille, verſus meridiem, paſſibus.

17.) *Brogyán*, profundius, in meridiem, recedit. eſtque inſigni prætorio *Ladislai Kuaſſai*, inſtructus, qui, cum *Brogyaniis*, partem vici in poteſtate habet. Rure gaudet, ad agricolandum commodo.

18.) *Wieſzka*,

19.) *Apáti*, (c.)

20.) *Poubrehy-Lehota*,

21.) *Berzeneze*, &

22.) *Orownicza*, vici omnes, *Capitulo Strigonienſi*, ſubditi, & alter altero poſiti clementius.

c.) Frequens apud *Hungaros* vicorum nomen, ab *Apát* ductum, quod *Abbatem* notat. Eſt autem dictione Hungarica *Apát*, quaſi dicas, *Abbatis* vicus, quod alias plenius, *Apát-Falva*, dicunt.

23.) *Szénásfalu*, Slauis *Szenicza*, & vulgo *Bzenicza*. Vallis *Wihnenſis* aditum inſedit, pratis hinc, illinc agris frumentariis circumfuſus, atque *Grano* orientali margine, vicinus. Poſſidetur, partim a *Camera Metallica*, partim ab *vrbe Schemnitzienſi*. Hinc, medio, intra vallem, milliari,

24.) *Wihnye*, Germanis *Eiſenbach*, recedit. Frequens omnino vicus. Nempe, vtroque amniculi, qui hac deiicitur, latere, in longum procurrens, totus, valle concluditur; agro, per editos, hinc atque illinc, montes, ſuſpenſo; ideoque, ad agricolandum ſcrupuloſo & difficili. Amniculus, quod haud raro, ex immodicis imbribus, aquarum mole, grandeſcit, damnoſus incolis eſt. Nomen, a ferri, quod hic olim conflabatur, officinis, apud *Slauos*, accepit; ſicuti apud *Germanos*, a ferreo torrente, qui vicum, vallemque facit irriguam. Accenſetur vrbi *Schemnitzienſi*. *Thermarum*, quæ infra vicum, eadem valle, ſcatent, ſupra meminimus, laudes autem, ingeniumque earum, in prodromo operis totius, explicuimus.

V. Cremnitziensivm Vici.

AD vicos denique *Cremnitzienſium*, quod adtinet, dedimus eorum nomina, cum vrbis hiſtoriam (*d.*) enarraſſemus. Hic certe ſilere eos, ſine iniuria, haud poſſumus, quod nouimus, priſcorum liberalitate regvm, in poſſeſſionem vicorum illorum veniſſe ciues. Sunt autem:

1.) *Weternék*, ſeu Germanico vocabulo, *Legendel*, modicus vicus, & agricolationis inops.

2.) *Fel-Falu*, (*e.*) Slauis *Horná-Weſz*, Germanis *Windiſchdorff*, forte, quod a *Slauis* aliquando coleretur.

3.) *Schwab*, ſeu *Schwabendorff*, nomen ipſum arguit, *Sueuorum* olim fuiſſe coloniam.

4.) *Lúcska*, & Germanice *Hanes-Heü*, vbi Slauicum quidem a prato, Germanicum a *fæno* traxit nomen,

5.) *Kunesó*, Germanis *Kuneſch-Heü*, eadem dominationis ratione. Denique,

6.) *Berg*, in vicinia vrbis, eleuatiore loco poſitus, vnde & adpellatio facta. Nullæ his, ad ruſticationem ſuppetunt opportunitates. Itaque, non tam agricolæ ſunt inquilini, quam metallici: quippe qui, perpetuas, apud *Cremnitzienſes*, operas locant, eruendo quidem metallo iſti, triturando illi, alii eluendo, denique conflando alii. Sunt, & materiarii quamplurimi, qui ſuſtentandis puteis, cuniculisque, nauant operam. Atque, ob eam rem, e publicis, tributorum prouinciæ rationibus, exemtos eſſe, iam indicauimus. Iſta, de *Proceſſu Oſzlanenſi*.

MEM-

d.) Supra, Parte ſpeciali, Membr. I. Sect. I. §. XXV.

e.) Non eſt vicus hic, cum alio illo, quem paullo ante §. IV. num. 8. exhibuimus, confundendus: quippe, & ſitu diſcretus, & poſſeſſoribus.

Digitized by Google

MEMBRVM II.

DE

Proceſſu Lévenſi.

PROOEMIVM.

Maximam is partem, trans *Granum*, in orientem atque meridiem, reductus eſt, campeſtri hinc, collino illinc, ſiluoſoque poſitu, interſtinctus. Vrbs ei nulla: oppida, præter *Lévam*, a quo, & nomen manauit, duo: *O-Barſch* nempe, & *Nagy-Sarló*. Nunc, quo ſint habitu ſingula, videamus.

SECTIO I.

DE

Arcibus & Oppidis Proceſſus Lévenſis.

I.

Arx et Oppidvm Léva.

SYNOPSIS.

I. *Arcis, & oppidi* Léva, *coniuncta rationes: ſitus; prima eius mentio: ætas incerta: arcis, ex* Tollio *deſcriptio.* §. I.

Nominis etymon: Slauicum forte Levá: *an a heris ita dicta: dominorum de* Léva, *hiſtoria:* Gabrielis Léva, *atrox fatum: eius filius* Iohannes. §. II.

Venit in poteſtatem Melchioris Balaſſæ: *eius actus: arcis hinc diſcrimen:* Iohannis *de* Léva, *pupilli occaſus.* §. III.

Donatur a Maximiliano, Stephano Doboni: *rei geſtæ ex* Iſtvánffyo, *hiſtoria: paret* Kolonitſchiis *quoque:* Csákiis *poſtea: nunc principi Eſzterházio.* §. IV.

Arcis, & oppidi, fortuna: prima oppidi clades: rei geſtæ narratio: Balaſſii, *in repellendo hoſte, fortitudo.* §. V.

Eiusdem ferocia, Léva *adflicta:* Salmenſis, *aduerſus arcem, adparatus: obſidionis initia: difficultas: adſultus ratio: præſidiario-*

Digitized by Google

rum ſtrages : arx vi capitur. §. VI.

Fit inde Léva, *fortiſſimorum virorum, perfugium : arcis præfecti : militum* Lévenſium *exiſtimatio.* §. VII.

Fata arcis reliqua : ſub Botskaio : Gabriele Betlenio : Rákóczio: *poſt captum* Ujvarinum, *ab* Abaffyo, *deditione capitur :* Turcis *demum tradita.* §. VIII.

Recuperatæ arcis hiſtoria : quibus legibus, in deditionem redacta. §. IX.

Budenſis, *recipiendæ arcis ſtudium :* Suſæ *prouidentia :* Léva, *a* Turcis *obſeſſa : noſtrorum, ad repellendos hoſtes, adparatus :* Suſæ, *ad milites adlocutio.* §. X.

Pugnæ & victoriæ, leuiuſcula occaſio : noſtri Granum *traiiciunt : aciei ratio, ex* Wagnero *decerpta : pugnæ adcurata deſcriptio : noſtrorum inſignis victoria : cæſorum, ac prædæ numerus : laus ducum : militumque :* Kohárii *occaſus : quot e noſtris deſiderati :* Neumuthii, *arcis præfecti, virtus.* §. XI.

Arcis, vſque ad Tökölii *ſeditionem, requies : redditur* Cæſari, *& qua occaſione : intercipitur a* Rákóczianis : *eorum accepta, a* Schlikio *clades :* Léva, *a Cæſarianis inſeſſa : reiecto, ex* montanis Schlikio, Rákócziani *mœnia arcis, pertundunt : victi, Cæſari arcem relinquunt.* §. XII.

Oppidi habitus : incolarum indoles : nundinæ Lévenſes. §. XIII.

Vicos, arci adſcriptos, quis pignori oppoſuerit. §. XIV.

II. Ó-Barsch, *denominationem Comitatui dedit : vrbis prærogatiua, olim potiebatur : eius ſitus, munitionibus idoneus : ruſticationis incommodæ eſt, ob* Grani *eluuiones : an ſit* Yſcenum *veterum.* §. I.

III. Nagy-Sarló, *ruſticanum oppidum : eius mercatus : eſt in ditione* Archiepiſcopi Strigonienſis. §. I.

§. I.

Arcis, & oppidi Léva, *communia rationes :*

ſitus :

LÉVA, arx & oppidum eſt, multæ, poſt inualeſcentes *Turcas*, celebritatis. Vtriuſque, arcis, & oppidi fortunam, quam habebant communem, & habitum, quo fuere olim, eadem opera expediemus. Atque *arx* quidem, monticulo incubat, cui eleuatior alter, ab oriente connectitur ; ingenti munitionum damno : quod poſitis illic tormentis, verberari poſſint, infeſtarique, arcis interiora. Plus, ab occidente, ad defenſandum opportunitatis, a natura ei datum. Paluſtri enim vligine, late circumfunditur, quam, deductus e *Grano* alueus, perenni ſubluuie, reddit propemodum impermeabilem. Primam *Léuæ* mentionem, res Caroli Roberti,

ROBERTI, habent, eo loco, vbi ſupplicia parricidarum, regi mortem intentantium, BONFINIVS (*a.*) deſcribit: SEBEN, inquit, *Feliciani filia, pro* LÉVA *arce*, Emerici Bechei *iuſſu, qui caſtellum, cum præſidio tenebat, capite multata: vir eius*, Copais, *coniectus in carceres, inedia vitam intercepit.* ISTVÁNFFYVS, *rudi veterum artificio, conditam* arcem ſcribit; (*b.*) ætatem ſilet. quam & nos, fruſtra indagauerimus, tacente hiſtoria. Credo, molem primum fuiſſe, tutandæ rei familiari, ab heris excitatam; vti caſtra pleraque alia; quam demum, increbreſcentibus, domi forisque, bellis, militaribus præſidiis muniri, nouisque operibus firmari, oportuit. *Solymanni* in primis temporibus, qui cæſo, ad Mohácſum, LVDOVICO II. perpetuis bellis ac ſeditionibus, *Hungariam* implicuit. Propius arcem ſpectauit TOLLIVS: (*c.*) *Altero*, inquit, *a traiecto fluuio Grano, milliari*, LEWENTZIVM *ſe offerebat, modicum oppidulum, arce nobile, licet non ex arte militari munita, collique editiori adiacente, ipſo caſtro, vnde exciſa manu, ſex, ſeptem, ad ſummum, pedum foſſa diuiditur; cui iterum, & alius, multo celſior, contiguus, vitibus conſitus. Ad hæc, aquæ nonnulla inopia eſt, in ipſis aquis, id eſt in loco paludoſo, vnico riuulo, ex ipſo Grano, deducto, incolarum vſibus vix ſufficiente. Petra, cui arx inædificata, cuniculis ſubrui nequit, ſcaturiente ſtatim aqua, & ad ambientis paludis altitudinem, adſurgente. Oppidum a* CVRVCZIS, *flammis deletum, maxima ex parte, inſtauratum eſt, ſenſimque, ad priſtinam dignitatem, adſpirat.* Iſto habitu, anno MDCLXXXVII. fuit, dum hæc TOLLIVS ſcribebat. Cuius nos teſtimonio, eo libentius frequentiusque vtimur; quod is, & extraneus fuerit peregrinator, & minutiſſimarum etiam rerum, obſeruator eximius.

Prima ejus mentio:

ætas incerta:

arcis ex Tollio deſcriptio.

§. II.

SEd vnde arci, oppidoque nomen? *Léva* Hungaris, Slauis *Lewicze*, Germanis, mutuato a *Slauis* vocabulo, *Léwentz*, dicitur. Facile adducor, vt opiner, antiquiſſimam *Slauorum* eſſe adpellationem, quam recentiores, latine reddiderint, *Lévam* vocitantes, quod & *Slauum* nomen, *Lewicze*, ſignificat: denominationis ratione, credo, a ſitu petita; quod locus, ſecundo *Grano*, Barſchum, olim Comitatus metropolim, deſcendentibus, *leuo* latere poſitus eſſet. quam deinde nomenclaturam, *Hungari*, ciuitate donarint, ſcribendi ratione, linguæ ſuæ accommodata, *Léva* (*d.*) ſcribentes. Neque vero deſunt, qui ab heris, arci & oppido, communicatum nomen exiſtiment. Nam, priſci omnino poſſeſſores, domini *de Léva*, dicebantur. Vetuſtum fuiſſe genus oportuit, & opulentum. Mentionem certe *Sigismundi de Léva*, in decreto anni

Nominis etymon:

Slauicum forte Léva.

an ab heris ita dicta:

a.) Decade II. Lib. IX. p. 319, 44.
b.) Lib. XVI. p. 285, 37.
c.) Loco toties citato, p. 195.
d.) Carent *Hungari* Diphthongo AE; itaque LEVAM maluerunt ſcribere, quam LAEVAM.

dominorum de Léva *hiſtoria:*

MCCCCXCVIII. (*e.*) reperio, inter optimates regni, qui ſuo cum milite, ſuisque ſtipendiis, militare, pro re publica, tenebantur. Laudem vero *Gabrielis Léuæ*, apud ISTVÁNFFYVM (*f.*) adparatum Peſtienſis belli deſcribentem, legas. *Andreas*, inquit, *Bathorius, conſilio & manu promtiſſimus iuuenis, nondum, vt poſtea, pedibus captus, cum quingentis equitibus venit, ſimul cum Caſpare Seredio, Franciſco Nyário*, Gabriele Leva, *Stephano Loſontzio, Ladislao Orſzágo, ac compluribus aliis, inſignibus viris, qui ſingulas, peculiareſque equitum alas, habebant.* En, inter quos *Gabriel Léva*, quaque laude & adparatu, cenſus fuerit! Verum, ea expeditio, *Gabrieli* exitialis fuit. Iterum hiſtoricus. (*g.*) *Et quum*, inquit, GABRIEL LÉVA, *ac Ladislaus Bánfius, nobiles viri, eminentiore e loco, complicatis manibus, prælium ſpectarent*, Gabriel, *maioris colubrinæ hoſtilis, ex oppido emiſſa ferrea pila ictus, illico diſcerptus dilaniatusque eſt:* Bánffium *vero, cruore, & viſceribus eius fœdatum, & fere exanimem, famuli, in ſuum tabernaculum detulerunt, qui poſtea tamen conualuit.* Triſti adeo fato, functus *Gabriel*, credo, *Sigismundo* patre, aut auo, genitus, filium poſt ſe reliquit, *Iohannem*, (*h.*) poſtea *Melchioris Balaſſæ*, infelicem pupillum: quod infra dicemus. Ab hisne vero *Léuæ* nomen inditum? an a loco heris communicatum? equidem, iſtud credere malim: quod, in vicis fere ſingulis, obuia, denominationum huiusmodi, ſunt exempla.

Gabrielis Léva, *atrox fatum:*

eius filius Iohannes.

§. III.

Venit arx in poteſtatem Melchioris Balaſſæ:

GAbriele de *Léva*, vti diximus, tormenti ictu, anno MDXLIV. ad *Peſthum* diſcerpto, arx, oppidumque, ac dominatio vniuerſa, nuptiarum, & tutelæ iure, in poteſtatem *Melchioris Balaſſæ*, venerunt: euentu ſane funeſto. *Balaſſa* enim, vti erat contumacis vir ingenii, rapinarum, quas perpetuo agebat, artem iſthic conſtituit, male ea propter mulctatam. Actus eius, apud ISTVÁNFFYVM, (*i.*) viuis deſcripti coloribus, leguntur. quos iam non recognoſcimus. Illud certum eſt, contaminauiſſe facinoribus ſuis, *Lévam*: dum, præſentiſſimo obſidionis, quam *Salmenſis* moliebatur, periculo, atque rapinarum conſcientia, ex ſuo iſthoc perfugio, ante, quam arx caperetur, decederet. quæ poſtea, laborioſa cruentaque obſidione, in regis FERDINANDI I. poteſtatem venit: *Balaſſa* autem, vt ſe, iniquiori fortunæ, quam prouocauerat, ſubduceret, præmiſſa, cum pupillo, vxore, in Tranſiluaniam abiit, partes *Iſabellæ*, fide omni-

eius actus:

arcis hinc diſcrimen:

e.) Articulo XXII. Vetuſtiorem ea inueni, in SIGISMVNDI diplomate, quo is, *Fratres Elephantenſes*, aduerſus iniurias, *Petri Cſoch de Léua, Hinconi* Epiſcopo Nitrienſi, & *Petro Forgách*, ſupremo, eiusdem Comitatus Comiti, defenſandos iniungit. *Conſtantiæ*, Anno MCCCCXVIII. *Dominica Iudica.* Vide Cœnob. Elephantenſe, in Comitatu Nitrienſi, expromtum.

f.) Lib. XVI. p. 246. 33.

g.) Ibidem pag. 252., 18. quæ viri fata, recoluimus. Tomo Operis III. in Hiſtoria Belli Peſtani, p. 64.

h.) ISTVANFFYVS, Lib. XVI. p. 283., 37.

i.) Idem, Lib. XVI. p. 283., 35.

Digitized by Google

omnino ſequutus dubia: a *Telekeſſio* enim, & *Franciſco Turzone* (*k.*) in fidem *Cæſaris*, magnis illectus muneribus, in MAXIMILIANI obſequio, *Viennæ*, anno MDLXIX. fato ſuo functus eſt. Quid autem, cum *Iohanne de Léva* decenni pupillo, cum ſe in has tempeſtates conieciſſet *Melchior*, actum ſit, nondum reperii: e viuis certe tunc exceſſiſſe oportuit, cum *Iſabellæ*, vitricus ſuus, in Tranſiluania, militaret. Neque enim auitæ paternæque arcis hæreditatem adiiſſe, vſpiam lego.

Iohannis de Léva, *pupilli*, occaſus.

§. IV.

NImirum, nondum in Cæſaris partes, redierat Balaſſius, cum *Léva*, a MAXIMILIANO Cæſare, *Stephano Dobóni*, dono data eſt. Erat is, FERDINANDO I. ob *Agriam*, (*l.*) contra acerrimam *Achomatis* oppugnationem, fortiter defenſam, in primis gratioſus: præfectura ideo *Tranſiluaniæ*, (*m.*) addito collega *Kendio*, donatus. Sed, cum illic, rebus, poſt *Iſabellæ*, ex Polonia reditum, penitus conuerſis, atque deficientibus a Cæſare, *Tranſiluanis*, diu irrito conatu, egregie partibus ſuis defungeretur; præter datam fidem, dedito iam, ex FERDINANDI voluntate, *Varadino*, a *Gabriele Perénio* (*n.*) capitur, inque noua arce *Samoſia*, cum vxore ac liberis, cuſtodiæ mandatur. Hæſit in ea captiuitate, duobus & amplius annis, dum effracto carcere, funibus, per mœnia demiſſus, clam ad Cæſarem elaberetur; vxore, & liberis, quod abducendi ſecum facultas non eſſet, in cuſtodia relictis. quam poſtea, *Iohannes Sigismundus*, ne de femina ſupplicium videretur ſumere, maritum ſequi iuſſit. DOBÓ *vero*, ſcribit ISTVÁNFFYVS (*o.*) *atra veſte, barba, ac capillis, ad pectus & humeros promiſſis, obſtipoque & ad ſupplicium compoſito vultu, ad Cæſarem venit; ac, ne tot tantarumque calamitatum & carceris miſeriarum, quas pro ipſo, tam diu pertuliſſet, obliuiſci vellet, rogitabat. Interim eos, quorum conſiliis Cæſar vtebatur, vt ſibi fauere non grauarentur, ampliſſimis datis muneribus, induxit: partim multa boum paria, ab iis, vt fama erat, qui Lapideo ſale quæſtum faciunt, ablata, partim auri ingens pondus, ac poculorum argenteorum, ad abacum exornandum, affabre factorum, magnum numerum, large diſtribuens. Itaque, breui tempore, tantum a* FERDINANDO *præmii, amiſſæ Tranſiluaniæ, accepit, quantum, vel illa ſeruata, vix fuiſſe promeritus, cenſeretur. Nam, vltra ſtipendia emerita, integre ſoluta, & arcem* LÉVAM, *maximi cenſus, ei, iure* (*p.*) *hereditario donatam; Vigleſum*, reliqua, *ſuperaddidit.* His ergo, ſiue meritis, ſiue artibus, *Lévam*, a CAESARE accepit *Dobó.* Sed is deinde, peſſimas, pro tanto

Donatur a Maximiliano, *Stephano Dobóni*.

rei geſtæ, ex Iſtuánfio, *hiſtoria*:

k.) ISTVANFFYVS Lib. XX. p. 400., 8.
l.) Vide, eius oppugnationis hiſtoriam, apud ISTVANFFYVM Lib. XVIII. p 339.
m.) Lib. XVIII. p. 349, 20. & Lib. XIX. p. 355, 8.
n.) Ibidem, pag. 376. ſeq.
o.) Lib. XX. p. 396., 10.
p.) Id vero, ſi ſuperſtes fuiſſet *Johannes de Léva*, Balaſſæ pupillus, haud quidem per leges facere potuiſſet FERDINANDVS: quod fecit tamen.

tanto beneficio, gratias retulit. Namque, *Georgio Bocskaio* administro, & collegis quibusdam aliis, nefariam (*q.*) conspirationem, improbus conflauerat. quæ, vbi indubitatis indiciis propalata, & a regio senatu discussa est, in nouos se *Dobó* carceres induit; biennio post, deprecantibus pro eo statibus, dimissus, atque altero, postquam liber esset, mense mortuus. Reliquit filium, *Franciscum* bonæ indolis, vti habet Istvánffyvs (*r.*) adolescentem, opum paternarum, adeoque *Léuæ* simul, ex asse hæredem. Anno dein MDCV, cum *Stephanus Bocskaj* tumultuaretur, in potestate *Kolonitsii* fuisse, *paruit* Kolonitschiis *quoque:* Istvánffyvs auctor est. (*s.*) Lévam, inquit, *oppidum, a* Colonitschio, *vxoris* Sophiæ Perényiæ, *quam duxerat, iure, possessum, Rédaiani Haydones, iniectis, de nocte, facibus, totum combussere: arce intacta relicta, quod ea, ab ipso* Colonitschio *custodiretur.* Ergo, vxoris iure, ad Colonitschium arcis possessio, delata est: vt procliue sit opinari, *Doboiano* sanguine, *Sophiam* illam *Perényiam* satam fuisse. Multa postea *Colonitschiis*, de arcis hæreditate, lis fuit, publicis decretis perscripta. Anni certe MDCXXII. (*t.*) sanctio, ad hunc modum habet: *Quia Magnificus Dominus* Sigefridus a Kolonitsch, *superioribus annis in aresto suæ Maiestatis Viennæ existens, arce sua* Léva, *in Comitatu Barschiensi constructa, bonisque, & pertinentiis, ad eandem spectantibus, rebus item quam plurimis mobilibus, absque legitimo iuris processu, per Magnificum Dominum* Joannem ab Althan, *via indirecta, priuatus esse comperitur: decernunt status & Ordines, vt Dominus Comes Palatinus, cum Dominis consiliariis, iudicibusque regni & Tabulæ Regiæ ordinariis, quos ad manus habere poterit, in termino, per ipsum tempestiue præfigendo, ad instantiam eiusdem Domini* Kolonitsch, *contra præfatum* Joannem ab Althan, *negotium dictæ arcis, & pertinentiarum eiusdem, rerumque prætactarum mobilium, peremtorie iudicialiter reuidere, finaliterque decidere, & debitæ exsecutioni, abscissis omnibus iuridicis remediis, demandare possit, & valeat.* Sed, frustra fuisse sanctionem eam, iteratæ toties (*u.*) leges, satis superque condocent. Post has lites, in *Csákiorum*, veterrimæ gentis iura, *Léva*, & vniuersa circum dominatio, concessit: donec, in hæredium abiret principis Pavlli Eszterházii, regni Hungariæ Palatini. cuius eam nepos, Antonivs Iosephvs Eszterházy S. R. I. princeps, hodieque possidet. *Feliciter!*

nunc principi Esterházio.

§. V.

Arcis, & oppidi, fortuna.

IAm, arcis & oppidi, fortunam, videamus. In limitaneis præsidiis, tunc censeri cœpit, cum tyrannis Turcica, *Budam*, regni caput, insedit. Itaque, impensis publicis, instauratam subinde,

q.) Istvanffyvs, Lib. XXIV. p. 507. seq.
r.) Lib. eodem. p. 552, 40.
s.) Lib. XXXIV. p. 821, 26.
t.) Articulo LXIII.
u.) Vide anni MDCXXV. Art. LVI. Anni MDCXLVII. Art. CXVII. & CXI. Anni MDLV. Art. CII.

Digitized by Google

de, (*v.*) communitamque, legimus, idque plurium *Comitatuum* operis. Prima ei vis, a Strigonienſibus Turcis intentata, reiectaque, a *Melchiore Balaſſa* fuit, ſed cum oppidi clade. Res ita ſe habuit. *Sabanus*, Strigonii, alæ equitum præfectus, venia, a *Mehmete* accepta, adſcitisque expeditionis ſociis, *Cubate*, *Ramadano*, & *Naſuffo*, qui turmas ſingulas ductabant, Danubium, cum ſelecta equitum peditumque (*x.*) manu, ſub primam noctis vigiliam, traiicit: quodque nox luna illuſtraretur, præcipitato itinere, *Granum* ſuperat, & ſummo ſilentio, *Lévam* aduolat. Hic, cum ſecura omnia reperit, admotis, ad oppidi vallum, ſcalis, ante, quam hoſtem adeſſe, conclamaretur, munitiones ſuperat, expilatisque oppidanorum ædibus, arcis portæ, magna *Janitſcharorum* contentione, incumbit. Inerat arci *Melchior Balaſſa*, quem *Gabrielis de Léva*, viduam duxiſſe, ſupra memorauimus, vir omnino acris, & ad bellum vnice factus. Is ergo, incondito concurſantium clamore, e ſomno expergefactus, cum portam arcis, ſumma ferocia, ab hoſte peti ſentiret, nudus e lectulo proſilit, corripit arma, & in portæ veſtibulum, vbi iam atrox pugna ciebatur, ſe infert. Victores ſe putabant *Turcæ*, quia oppido, cæſis obluctantibus, potiti iam fuerant: ideoque, nullo ordine, apum ritu, in globos acti, portæ imminere, pergunt. Eo viſo, *Balaſſius*, in confertam hoſtium multitudinem, ſclopos, & minutiora tormenta alia, continuatis ictibus, diſplodi iubet, tantamque in *Turcis*, cladem edit, quæ eos, receptui canere cogeret. Proinde, pedem referentes, oppidum expilant, & ſubiectis ignibus, fœdiſſime exurunt, tandemque, vnde venerant, præda quidem onuſti, haud tamen ſine inſigni clade, abeunt. Inſtat, recedentium tergis *Balaſſa*, concurſantibus, ad ferendam opem, vicinorum caſtellorum, præſidiariis. In his, *Georgius Tury* fuit, e *Ságh* caſtello, tormentorum fremitu excitus; ſed quia ſuperari ſe numero vidiſſet, pugnæ poteſtatem haud fecit; eo contentus, quod vltimum agmen, pluribus interfectis, potuerit carpere. In his, qui e noſtris deſiderabantur, cum multi gregariorum militum, tum in primis, *Ambroſius Boſnyák*, vir militaris, atque plures alii, numerati ſunt. Ita tunc *Léva*, aduerſum improuiſum hoſtium furorem, ſeruatæ, laus, vni *Balaſſæ*; cæſorum autem *Turcarum* (*y.*) in *Salcano* campo, *Nyário*, adtributa eſt.

prima oppidi clades:

rei geſtæ narratio:

Balaſſii, *in repellendo hoſte, fortitudo.*

§. VI.

SEd *Balaſſa*, vti erat inter bella enutritus, hoc, quantumcunque laudis fuit, breui, ſua culpa, decoxit. Supra rem memi-

Eiusdem maleficio Léva *afflicta:*

v.) Anni MDLIV. Art. XVI. Anni MDLIX. Art. XXIX. Anni MDLXVII. Art. XVII. Anni MDLXIX. Art. XIX. & paſſim.

x.) Quadringentos *Janitſcharos*, & mille quingentos *equites* fuiſſe, ISTVANFFYVS auctor eſt. Lib. XVI. p. 275, 20.

y.) Cæſos enim, ad internecionem, a *Nyário* fuiſſe, ibidem legas, pag. 276.

nimus. Hic, in quam ſe, cum adſerta nuper *Léva*, fortunam coniecerit, narrauiſſe iuuat. Mouerat, ſuis facinoribus, indignationem FERDINANDI, *Balaſſa*. Proinde, cum neque regis monitionibus, neque hortatui procerum, locum daret, communibus omnium ſuffragiis, proſcriptus eſt, datumque *Nicolao Comiti Salmenſi*, in mandatis, vti hominem refractarium, quacunque vi poſſet, in ordinem redigeret. Coadunato is exercitu, expeditionem molitur. Erant in caſtris, ad decem hominum millia; adparatus autem bellici tantum, quod diuturniori etiam bello, ſufficere poſſe, credebatur. Hungaros, *Vriel Majténi*, Germanos *Ebersdorffius*, cum imperio ductabant: *Auguſtinus* autem *Sbardellatus*, Epiſcopus Vacienſis, commeatum procurabat. Tandem, acceptis, in exercitum, nobilibus, qui e *Gömörienſi* (vbi *Matthias Baſò*, non ſecus quam iſthic *Balaſſa*, tumultuabatur) & *Neogradienſi* prouincia, ſiue lege ita iubente, ſiue iniuriarum, quas a *Balaſſa* & *Baſone*, acceperant, vindicta ſtimulati, alacres in caſtra, confluxerant. Ergo, itur in bellum; ac ne *Mehmetes* Budenſis præfectus, ex tam acri, ſubitaneoque adparatu, ſuſpicionis aliquid, præter rem, colligeret, *Johannes Desöffy*, ad eum, quid ſibi expeditio ea vellet, docendum, ablegatur. *Lévam*, tamquam firmiſſimum latronum perfugium, ante omnia obſideri placuit. Id, antequam fieret, *Sitna* deturbantlos *Balaſſianos*, res ipſa poſcebat, ne obſidionales operas, quas exorſuri erant, factis inde eruptionibus, interturbarent. Ac *Sitnam* quidem *(z.) Ebersdorffius*, nec admotis tormentis, opinione celerius, capit. Proſpero hoc expeditionis initio, exhilaratus *Salmenſis*, acceptoque in caſtra *Ebersdorffio*, exercitum, *Lévæ* admouendum ſtatuit; *Horuatinovitzio*, ad incingendum, lenta obſidione, *Csábrágum*, cum delecta manu, dimiſſo. Aduentu *Salmenſis*, per exploratores cognito, *Balaſſius*, qui hucusque, ſolita animi ferocia, ad tolerandam obſidionem, ſollicite curauerat omnia, cum *Sitnam*, nullo obſidentium negotio, interceptam audiret, cedendum fortunæ ratus, in *Tranſiluaniam*, vxore, cum liberis præmiſſa, feſtinatis itineribus euaſit: *Thoma Dacsó*, præfecto *Lévæ* conſtituto, dum ipſe, *Turcarum*, & *Tranſiluanorum* auxilia contraheret, opemque ferret laborantibus, nihil penſi habens, quod alicubi Tragicus SENECA. (*a.*)

Salmenſis, *aduerſus arcem, adparatus:*

Haud eſt virile, terga fortunæ dare.

obſidionis initia:

Salmenſis interea, exercitum, oppido admouet, atque caſtra metatus, aggeres obſidionales, & ſuggeſtus, collocandis tormentis idoneos, moliri incipit; ne ſacros quidem dies *Reſurrectionis Domini*, quorum alter iam inierat, moratus. Vix in conſpectum arcis ventum fuit, cum res tormentis geri cœpta eſt. Quo viſo *Balaſſiani*, haud minori ala-

z.) Oppugnationis hiſtoriam, ſuo loco dabimus, in *Comitatu Nagy-Honthenſi*, Parte Spec. Membr. I. Sect. II.

a.) Oedipo v. 86.

Digitized by Google

alacritate, arcis fortiter defenſandæ, munia obibant. Nam, & hoſtium molitiones, collimatis machinarum ictibus, perpetuo infeſtabant; & quod perforatum in muris interdiu fuit, nocturnis id operis, ceſpite atque materia, ſtrenue ac feſtinato, reſarciebant. Iam vigeſimus quartus obſidionis dies, magna *Salmenſis* indignatione, agebatur, cum *Hiſpani* tormenta in collem, arci impendentem, adtrahunt; *Salmenſis* autem, portam, perpetuis globorum iactibus, deturbare occipit. Vtrinque, tanta breui, in muris ſtrages fuit edita, vt integris ordinibus, adſiliri poſſe, duces exiſtimarent. At, *Salmenſis*, parcendum *Chriſtiano* ſanguini ratus, obſeſſos per caduceatorem, ſe vti dederent, admonet; patere, ſi vellent, ad veniam, aditum; ſin perſeuerarent in maleficio, nemini poſtea parſum iri. Ferocius, quam opinabatur *Salmenſis*, *Balaſſiani* reſponderunt, ſimul, integri menſis inducias poſtulantes, dum interea iuratam *Balaſſio* fidem obnunciarent. Id vero, cum ad deludendum ſe, fatigandumque porro exercitum, pertinere, odoraretur *Salmenſis*, adſultum, duobus locis, ſuſcipiendum, ex templo, præmiis propoſitis, edicit. Itaque, ſublato clamore, pedites *Hungari*, *Germanis* permixti, ruinas ſubeunt: tollunt & obſeſſi vocem, atque, factis cuneis obiiciunt ſe irruentibus. Sed, cum *Salmenſis*, nouos ſubinde milites, feſſis ſurrogaret, *Balaſſiani* e ruinis proturbantur: inſtant, pedem referentibus noſtri, lateque in præſidiarios, & ſclopis, & acinacibus, graſſantur. Dum hæc ad portam fiunt, *Hiſpani*, quos in colle tormenta collocauiſſe diximus, admotis ſcalis, in muros enituntur, inque maius arcis atrium peruadunt. Fit atrox pugna, fortiſſimis quibusque, ad reiiciendos *Hiſpanos*, concurſantibus. Cecidere hic *Thomas Török*, *Nicolaus Pohárnoky*, *Andreas Kelecsény*, *Clemens Teſsény*, & plures alii. Atrocior multo, parte ruinarum altera, clades, præſidiariis illata eſt. Cum enim *Thomas Dacsó*, arcis præfectus, multa vociferatione ſuos, confertis ordinibus, pro ruinis pugnare cogit, geminari ſtragem oportuit. Occubuere iſthic, ſpectante *Salmenſi*, præter ingentem gregariorum numerum, *Iohannes Kávásy*, *Vitus Horváth*, *Blaſius Török*, *Demetrius Kóróskoſy*, atque *Thomas Nemeſy*. Tunc & *Dacsó*, deſperata ſalute, per ruinas, in paludem, quæ iuxta arcem diffunditur, præceps irruit, cumque capite tantum protenſo, euadere nititur, inſequentibus noſtris, in mediis aquis, ſeſe victoribus dedit. Quod a cæde reſiduum, e præſidiariis fuit, præcipiti curſu, in eandem ſe paludem, iniecit. qui dum illinc, anatum ritu, innatant, ab *Hiſpanis*, ſcloporum ictibus, trucidantur. Præcipua, in conſectandis fugientibus, *Hiſpanorum*, & *Germanorum*, ferocia fuit. *Hungari* certe, victoria contenti, coniectos in fugam, inſequi noluerunt, ne, præter, quam par eſt, in gentem ſuam, deſæuiiſſe putarentur. *Hiſpanorum* atrocitati, & id acceſſit, quod demeſſa triginta duo capita, *Salmenſi* obtulerunt, cadaueribus, vt a canibus dilaniarentur, ſub dio relictis: ſed quæ *Salmenſis*, ne humanitatis ſenſum exuiſſe, qualicunque hac victoria, exiſtimaretur, contumulari iuſſit. Funeſto adeo

difficultas:

adſultus ratio:

præſidiariorum ſtrages:

arx vi capitur. exitu obſidio *Léva* A. MDXLIX. poſtridie *Iduum Maii*, terminata eſt. *Vriele Majténio*, cum firmo præſidio, illic impoſito. Diſcat hinc poſteritas, quod habet SENECA : (*b.*)

Vis magna populi eſt ; Principis maior tamen.

Et poſtea : (*c.*)

Id facere laus eſt, quod decet, non quod libet.

Namque : (*d.*)

Pulchrum eminere eſt inter illuſtres viros ;
Conſulere patriæ ; parcere adflictis ; fera
Cæde abſtinere ; tempus atque iræ dare ;
Orbi quietem ; ſeculo pacem ſuo.
Hæc ſumma virtus : petitur hac cælum via.

§. VII.

Fit inde Léva, fortiſſimorum virorum perfugium :

VIndicata, a ſeditioſis, *Léva*, iuſtis poſtea præſidiis, cuſtodiebatur, eratque fortiſſimorum virorum, quaſi vagina quædam. Quia enim ruri, ob Turcarum graſſationes, intuta erant omnia, iſthuc, viri nobiles, habitatum veniebant, qui demum, vbi res ferebat, aut militiæ nomina dabant, aut ſuis ſtipendiis, caſtra, volonum more, ſequebantur. Neque id fieri potuit aliter, in tanta vicinitate hoſtium. Ad ius ciuitatis profecto, ne plebeios quidem homines, alia admiſſos lege, accepimus, quam, ſi militari ſe ſacramento obſtrinxiſſent. Itaque, ſui, & arci, & oppido, magiſtratus militares fuere, iique e viris lecti, nobili loco natis, & arte militari præſtantibus. Certe, *Ladislaum Csáky*, hæreditarium arcis capitaneum fuiſſe, lego ; tunc forte inauguratum, cum in ius arcis veniſſet. Alter hunc *Ladislaus Csáky* ſequutus eſt, eodem gauiſus axiomate, tametſi inſigni munere, *Iudicis Curiæ Regiæ* fungeretur. Horum fuerat, arci adtendere, obſeruare hoſtes, graſſantes reiicere, atque, ſi ſe dabat occaſio, laceſſere etiam, inuadere hoſticum, regis præterea ſequi militiam, & ne quid detrimenti caperet vicinia, quam ſollicitiſſime prouidere. Quam ob rem, magni tunc, cum iſta prouidentia opus fuit, præſidiarius *Levenſium* miles fiebat, cautumque lege publica legimus, vt, nobiles, qui iſthic, fere omnes, milites erant, immunes a decimis haberentur : quod licet priſco iure, prærogatiuæ nobilium virorum, a *Turcis*, ſedibus depulſorum, dabatur ; tamen, apud *Levenſes*, militiæ ſimul, cui erant dediti, rationem exiſtimatam fuiſſe, non eſt, cur ambigamus. Sanctio FERDINANDEA (*e.*) generatim ſic habet : *Nobiles, patriis ſedibus eiecti per Turcas, & qui*

arcis præfecti :

militum Levenſium exiſtimatio.

b.) Octauia, v. 183.
c.) Ibidem, v. 444.
d.) Verſu 463.
e.) Decreto X. quod *Tyrnauiæ* A. MDXVII. editum eſt, Articulo XXXVI. Ortam, eius legis occaſione, apud *Scabolzenſes* item, quomodo FERDINANDVS I. deciderit, in eius vrbis hiſtoria exhibebimus.

qui ad loca tutiora profugerunt, non teneantur decimas ſoluere, ex vllis terræ fructibus, etiam in illis bonis, ad quæ ſeſe receperunt. Eam poſtea cum latius tyrannis ſerpſiſſet turcica, FERDINANDVS II. (*f.*) atque eo mortuo, FERDINANDVS III. (*g.*) recognouerunt, ratamque habuerunt. Miles interim *Levenſis*, cum perpetuis *Turcarum* incurſionibus diſtinebatur, & nunc edita ſtrage ferociebat, nunc ringebatur accepta, pedetentim ab ingenio militaris diſciplinæ, ad eum modum deſciuit, vt honeſtiſſimum vitæ genus, propemodum, in latrocinandi libidinem verterit; tunc in primis, cum ſubmoto, poſt captam *Budam*, hoſte, agendæ, ritu adulto, prædæ, & occaſio deeſſet, & materies. Nempe: (*h.*)

Comportare iuuat prædas & viuere rapto.

Valuitque, longa poſt annorum ſerie, illud SENECAE: (*i.*)

Dediſcit animus ſero, quod didicit diu.

§. VIII.

Fata arcis reliqua; ſub Botskaio:

SEd, ad fata arcis, & oppidi, redeamus. A *Botskaianis*, varia, ſeditioſorum acceſſione, conualeſcentibus, oppidum exuſtum igni denuo, arx contra, *Colonitſchii* ſeruata virtute eſt. Meminit eius cladis ISTVÁNFFYVS: (*k.*) *Lévam oppidum, a Colonitſchio, vxoris* SOPHIAE PERENIAE, *quam duxerat, iure poſſeſſum, Redaiani Hajdones, iniectis, de nocte facibus, totum combuſſere; arce intacta relicta, quod ea, ab ipſo* COLONITSHIO, *defenderetur.* Fuit tunc oppidum foſſa, & aggeribus, quomodocunque munitum. Itaque, facile id, prædabunda colluuies, nocturna impreſſione, ſubditis ignibus, potuit exurere: arcem, ne tentare quidem auſa. An vero *Ujvarino* capto, in poteſtatem venerit *Botskaianorum*, nil reperio. *Gabrieli* certe *Bethlenio*, herbam porrexiſſe, ORTELIVS auctor eſt, non tam, quod nequiuiſſet hoſtem reiicere, quam quod arcis præfectus, quisquis ille fuerit, nouarum rerum ſtudio, quam cauſſæ iuſtitia, vinci maluerit. Neque *Rákóczius* prior, intemeratam omiſit; ſed, quod tumultuatio ea, pace conſopiebatur ante, quam prorſus vires ſumeret, ſua, breui poſt, tranquillitas, *Léva* reddita eſt. quæ tamen, turbatis iterum iterumque, patriæ rebus, diuturna eſſe haud potuit. Ceperant Turcæ *Ujvarinum*, cum vicinis circum arcibus, *Nitria* atque *Neográdo*: cum his *Léva* ſimul interiit. Ac *Nitriam* quidem, ſoli *Turcæ* occupauere; *Neográdum* autem, & *Léva*, *Michaelis Abaffii*, Tranſiluaniæ principis ductu, & artibus, in hoſtis poteſtatem venerunt. Oſtentabat ille, armorum, quæ cum *Turcis* iniquiſſime corripuerat, iuſtitiam, multa obſeſſis, de ſe, de liberanda patria, & neſcio, qua tempo-

Gabriele Bethlenio:

Rákóczio:

poſt captum Ujvarinum, ab Abaffyo *deditione capitur:*

f.) Anno MDCXXXV. Art. LXXIV.
g.) Anno MDCXXXVIII. Art. LXI.
h.) VIRGILIVS Aeneid. IX. 614.
i.) Troadis, verſu 60.
k.) Libro XXXIV. p. 821, 26.

rum in melius reparatione, pollicitus. Quibus rebus, facile erat, in ſententiam pertrahere, fluctuantes animo præſidiarios. Vix autem ſe *Abaffyo* dederat *Léva*, cum is, *Turcis* inſidendam tradit; fruſtra exſecrantibus facinus, qui arce, incauti deceſſerant. Recte WAGNERVS (*l.*) *Pari flagitio, Levenſis arx tradita, ne tormenti quidem ictu exſpectato. Germanus loci præfectus; nam ex vtraque natione præſidiarii erant; ſupplicio affectus.* Iſta anno MDCLXIII. exeunte fere Octobri, accidere, cruentæ poſtea victoriæ locum datura.

Turcis demum tradita.

§. IX.

Recuperata arcis hiſtoria:

RES, ad hunc modum geſta fuit. Fruſtra, ineunte anni MDCLXIV. vere, *Caniſam* tentauerant *Caſariani*, cum *Suſa*, Cis Danubianæ dux expeditionis, coadunato, *octo millium* exercitu, hoſtes, maturatis itineribus, præuenit, *Nitriam*que primo, *Lévam* poſtea, recuperat. Et ad *Nitriam* quidem, res, ex animi ſententia, ceſſit. *Léva* autem oppugnatio, permultum habuit diſcriminis. Promoto *Nitria* exercitu, communitisque, ad *Pukantzum*, (*m.*) caſtris, ipſe dux, cum binis legionibus, ſub *Léva* conſpectum excurrit, cumque illic metandorum caſtrorum opportunitatem ſpeculatur, aduentare *Budenſem*, cum viginti quinque hominum millibus, idoneis auctoribus, condiſcit. Tantæ multitudini, imparem ſe fore ſentiens, profundius intra valles, deducendum exercitum ſtatuit. Præmiſſo itaque cum grandioribus machinis, ad *S. Crucem* peditatu, ipſe vltimum agmen, cum equitatu, claudit. Vix primi proficiſcentium ordines *Zernouitzium* adtigerant, cum hoſtis legere noſtrorum veſtigia, & pugnæ occaſionem ferocius quærere. Coegit ea res *Suſam*, vt caſtra ad *Zernouitzium* poneret, & quam poſſet, celerrime communiret. Hinc *Zernouitzenſi* illi pugnæ, enata occaſio. qua profligati hoſtes, exuſta, ob iter, *Ujbánya*, Strigonium, vſque, inglorii receſſere: *Suſa* vero, ad *Fanum S. Crucis*, loco, reficiendo exercitui, idoneo, conſedit. Recollectis ergo viribus, & annona, quæ diebus aliquot ſufficeret, coacta, cum per hoſtium abſentiam, iter, *Lévam* vſque, patere denuo videret, expugnandam eam ſtatuit. Præficitur obſidioni, AVGVSTVS HOLSATVS, imperialium copiarum dux, eo ſucceſſu, vt quatridui oppugnatione, fracti hoſtes, die VII. Iunii, noſtris ſe dederent, iisdem, quas Nitrienſes acceperant, legibus. (*n.*) *Octingenti, qui ſupererant, Turcæ, cum familia, ac impedimentis, Strigonium vſque, inter militum quingentorum comitiuam, deportarentur; ipſi, cuniculos ante, ſi qui laterent, detegerent; annonam, quanta ſupereſſet, ne corrumperent, neque* GERMANOS *atque* HVNGAROS, *captos, ſecum*

quibus legibus in deditionem redacta.

l.) Lib. I. p. 135.

m.) Hungaris *Bakabánya* dicitur, eſtque in numero ſeptem montanarum vrbium, cuius hiſtoriam in *Hontenſi Comitatu* dabimus. P. Spec. Mem. II. Sect I.

n.) Adſcribimus eas, vt ſunt apud WAGNERVM Lib. II. p. 149.

Digitized by Google

secum abducerent. Itaque, post octimestrem tyrannidem, arx, & oppidum, *Cæsari* vindicata sunt. Impositis quadringentis præsidiariis, arx, *Neümutho*, strenuo centurioni tutanda, traditur: exercitu, intra vallis fauces, quæ vltra *Fanum S. Benedicti* ineunt, iterum reducto.

§. X.

SImul, interceptæ arcis fama, ad *Budensem*, perlata est, *Valachorum* ille, & *Moldauorum*, insigni accessione, adauctus, *Strigonio* iterum mouet; *Susa*, contra ea, ad *Vagi* ripam, castra eo loco metatur, vnde, cum molitiones hostium obseruare, tum obiicere etiam se posset, *in Austriam* aut *Morauiam*, excursionem tentaturis. Accidit vero, magno exercitus malo, vt pars tyronum maxima, quorum ad sex millia numerabantur, alui profluuio, laboraret, veteranis fere immunibus. Sed, ne *Susa* quidem intactus mansit, vt cogeretur omnino, curandæ caussa valetudinis, *Tyrnauiam* secedere. Hic, cum moratur, quo loco, quamque obnoxiæ discrimini, res Christianorum essent, *Cæsarem* docet, auxiliaque, eo impensius efflagitat, quo maior erat suspicio, *Turcas*, relictis tantisper arcibus, *Austriam*, *Morauiam*ue inuasuros. Nec cessatum *Vienna* est, posteaquam terror ille, opportune inualuerat; *imminere hostes, & ni confirmetur* SVSAE *exercitus, regionem, superioris anni clade adflictam, euastatum iri denuo.* Proinde, missus, in subsidium, *Heisterus*, præter equestrem legionem suam, pedestrem *Heidelbergicam*, & prætorianorum equitum turmam, tempestiue in castra adduxit. Hæc dum fiebant, Turcæ *Lévam* obsidione cingunt, adeoque militaribus operis vrgent, vt, nisi *Neümuthi* virtus, præsidiarios, ad rem fortiter gerendam, suo excitantis exemplo, interceßisset, actum de arce videretur. De præsentissimo, vti erat, periculo, edoctus *Susa*, XVIII. Julii, exercitum ad *Granum* promouet, ita castra metatus, vt ab hostibus, solius intercursu amnis diuideretur. Isthic mille *Tartaris*, a statione depulsis, collem, quem insederant, cum exercitu occupat; aciem, quasi iam iam depugnaturus, instruit, & ordines singulos obequitans, ad rem masculè gerendam, accendit: *Meminissent Zernouiczensis pugnæ, vbi pauci ac debiles, victoriam de hoste reportassent; nunc, & numero valentioribus, & fastis adeò initiis, in spem optimam erectis, nihil ad consummatum triumphum defore, quam, vt ordines seruare, excipere primos inuadentium impetus, pedem, densatis agminibus, proferre; sclopos, per interualla exonerare, denique, vbi amisso aculeo, torpere cœperit hostis, aciem inuadere, acriterque non minus, quam constanter, depugnare velint. Inconditum barbarum gentium clamorem, micantes, totis castris acinaces, & volitantia, nullo ordine, agmina haud reformidarent; multitudinem esse, bello inexpertam, quæ vbi inclinata acie, turbari*

Budensis, *recipiendæ arcis studium:*

Susæ *prouidentia:*

Léva, a Turcis obsessa:

nostrorum, *ad repellendos hostes, adparatus:*

Susæ *ad milites adlocutio.*

turbari cœperit, ipſa ſibi fugæ facultatem, ademtura ſit. Irent ergo, cum tempus aderit pugnæ, expedirent dextras & arma, animo ſe præſagire, lætam diem poſteram, atque prædarum diuitem, habituros. Iſta, ad commilitones, ſumma virium contentione, tametſi, ex nupero morbo adhuc imbecillis, prolocutus *Suſa*, militem, corpora curare, ſomnumque capere, iuſſit.

§. XI.

Pugnæ, & victoriæ, leuiuſcula occaſio:

HInc, quieta in caſtris, ad tertiam vſque vigiliam, fuere omnia. qua exeunte, res leuicula, claſſicum quaſi noſtris cecinit, contulitque ad victoriam plurimum. Nondum ingruebat aurora, cum leues venti, qui adſita caſtris nemora perflabant, ſuſurrum ediderunt, proficiſcentium, ſuſpenſis paſſibus, militum, conſimilem. Accedebat modica pluuia, quæ frondium illam ex vento fluctuationem, adauxit, iniecitque noſtris, *Turcarum*, ex inſidiis erumpentium, ſuſpicionem. Ducti, errore hoc, extremi ſtationarii, ſignum ingruentium hoſtium edunt, quod, vbi longo vigiliarum ordine, in caſtra propagatum eſt, nihil cunctatus *Suſa*, arma corripere ſuos iubet, atque inſtructa acie, in hoſtem mouere. Superandus erat *Granus*, ante, quam id hoſtis poſſet impedire. Itaque, turmæ equitum, tripartito, in amnem deſcendunt, enituntur que in aduerſam ripam, nemine prorſus, ſicuti metuebatur, obluctante. Equitibus ſingulis, ſinguli additi, a tergo, pedites, eadem opera fluuium traiicere, ſtetitque intra duas horas explicata, in campo, noſtrorum acies. Audiamus WAGNERVM, (o.) aciei rationes enarrantem: *Primæ*, inquit, *aciei hæc forma fuit. Dextra ala, cataphractorum Heydelbergenſium turma, Heiſteriana legione; ſiniſtra, Knieggianis turmis equitum quatuor, tribus Caprarianis, conſtabat. In medio Brandeburgi ſclopetarii ſexcenti, quingenti Saxones. In acie ſecunda, Seiziana legio equeſtris in dextro, in ſiniſtro Holſatica, in medio, duæ Saxonum ſclopetariorum cohortes, locatæ. In ſubſidiis diſpoſitæ turmæ Brandeburgorum tres; vna deſultorum; tres item Garnierii; Joanelli Baronis, centuriæ duæ, quas ſub ipſum conflictus initium, adduxerat, e montanis fiſtulatoribus collectæ. Ad impedimenta, cohortes duæ ſclopetariorum relictæ; extrema latera, leuis Vngarorum equitatus, inde* Kóharii Comitis, *inde* Valentini Balaſſii, *claudebant. Vniuerſim ſeptem millia cenſebantur. Turcarum viginti millia fuere, ſeu hoſtium contemtu, ſeu virium fiducia, pugnandi auidiſſima.* Tantilla Chriſtianorum manus fuit: quippe, morbis caſtrenſibus, vſque ad ducem ipſum, male adfecta. Sed, fauit tamen, ſummus rerum, atque armorum arbiter, cauſſæ meliori. Pergit WAGNERVS: *Ergo, conſpecta Chriſtianorum acie, nihil morati, e collibus Turcæ, in plana ſe demittunt. Dextrum cornu Valachis & Spahis adtributum; Moldauis & Tartaris ſiniſtrum; Janitſchari in medium accepti.*

noſtri Granum *traiiciunt:*

aciei ratio, ex Wagnero *decerpta:*

CAPRARA,

o.) Hiſtoria LEOPOLDI M. Lib. II. p. 151.

CAPRARA, *laceſſere hoſtem, cum octingentis leuioribus* KOHÁRII, *totidemque cataphractis equitibus. Ferociter, ab Janitſchariis, & Spahiorum flore acceptus, durauit pauliſper; demum, multitudini impar, & latera circumuentum iri metuens, retrocedere eſt coactus, nonnulla ſuorum cade ac fuga. Horum aliqui, contento curſu, Nitriam effugiſſe feruntur.* GLOCKIVS, *cum Brandeburgica deſultoriorum turma, qui in ſilua ſe hactenus tenuerat, cohibito Janitſchariorum impetu,* CAPRARAE, *colligendi ſe ſpatium fecit.* SVSA, *rem omnem certaminis, huc vergere conſpicatus, tres Kniegianas turmas ſubmittit, praeter Saxonicas cohortes, & quatuor campeſtria tormenta. Tum vero, inſtaurata acerrima pugna, loco mota hoſtium acie, robur ipſum Janitſchariorum, in fugam agitur. Praeludium duntaxat hoc, vniuerſi certaminis, tormentis ſolum, ſiniſtra ala, hoſtem infeſtauerat.* CAPRARA, *cum victore iam milite, in octo Valachorum & Spahiorum millia inuectus, & non intermiſſis tormentorum ictibus, haud dubiam eo latere, victoriam peperit. Minore negotio* HEISTERVS, *in dextro cornu, Tartaros, Moldauoſque, e ſilua erumpentes, profligauit. Loci opportunitas, collium ſiluarumque obiectus, magno adiumento fuit, ne circumueniretur noſtrorum paucitas.* Iſtud, pugnæ totius diſcrimen fuit. Loco motus hoſtis, in fugam, quaquauorſum, effundebatur. quem conſectati *Hungari*, in ſerum vſque diei, haud minori, quam quæ illata in acie eſt, clade, adfecerunt. *Holſatus* præterea, cum laceratos Turcarum ordines, denſatis agminibus acrius inſequitur, in delectam quingentorum Janitſchariorum cohortem, inter dumos deliteſcentem, incidit. Conſeritur illico manus, pugnatur aliquandiu, donec, viſa loci opportunitate, dux, hoſtem, totis circum lateribus concludit, & ad internecionem delet. *Octo*, vniuerſim, cæſorum *millia* cenſa, fauciatorum, in quibus *Budenſis* fuit, numerus, reſciri nequiuit. Signa *centum*, victis erepta, caſtra triplicia expilata, *mille* currus, annona iumentisque inſtructi, in poteſtatem venere. Sed prædæ, non omnibus, eadem portio, adtributa eſt. Erant, inter ignauiſſimos, quibus *decem millia* nummuum, ſed erant etiam inter fortiſſimos, quibus vix lacerna obtigit. Pugna certe, memoranda in primis ad poſteros; quod, in ea noſtrorum paucitate, tanta animorum contentione decertatum eſt, aduerſus multitudinem, & viribus pollentem, & armis. Præcipuam, rei bene geſtæ laudem, *Suſa* tulit: quippe qui, æger corpore, horas, ſine ceſſatione, XVII. eques, vbi res maxime fuit trepida, verſabatur. Quin & duces reliqui, egregie functi ſunt officio. AVGVSTVS in primis *Holſatus*, *Caprara*, atque *Heiſterus*. Milites certe documento fuere, non in numero, ſed in dextris, ni fata contraiuerint, poſitam eſſe victoriam. Vtriuſque gentis, *Germanorum*, atque *Hungarorum*, eximia virtus emicuit; ſed *Hungarorum* tamen iactura maiore, quod *Stephanum Kohárium*, ducem laudatiſſimum, ſub primum pugnæ æſtum, amiſerint. Ceterum, quingentos admodum, e noſtris, deſideratos fuiſſe, conſtanter perhibent, qui acerrimi prælii hiſtoriam litteris conſignarunt. Tanti tunc,

noſtrorum inſignis victoria:

cæſorum, ac prædæ numerus:

laus ducum:

militumque:

Kohárii accenſus:

quot e noſtris deſiderati:

Neümuthi, *arcis præfecti, virtus.*

& laboris fuit, & diſcriminis, *Lévam*, ab hoſtibus eliberauiſſe. *Neümuthus* certe, arcis præfectus, vocibus omnium celebratur, qui non modo, infirmam arcem, nullo fere præſidio, ſola ſua virtute, aduerſus numeroſum adeo hoſtem munitam, feliciter tutatus ſit; ſed præbuerit etiam, ſua hac fortitudine, occaſionem victoriæ memorabili.

§. XII.

Arcis, vsque ad Tökölii *ſeditionem, requies:*

REpreſſis, ad hunc modum, hoſtibus, S. *Gotthardiana* autem pugna, adtritis prorſus, pax, eodem, quo hæc geſta ſunt, anno, coaluit, manſitque in Cæſaris ditione *Léva*, vſque ad *Tökölianam* ſeditionem. Nimirum, cum A. MDCLXXXII. *Hungariam* omnem, torrentis inſtar, peruaſiſſet, ſimul *Lévam* corripuit, demum, poſt liberatam *Viennam*, & cæſos iterum, ad *Párkánum*, *Turcas*, Caesari redditam. *Lévam* inquit, Parschitzivs, (*p*) *præſidium validiſſimum, diu reſiſtentem, adgreſſus, intercepit; ingenia præſidiariorum, ad ſui amorem & obſequium, adtemperauit.* Ergo, ne tunc quidem, proditionis crimine caruit, miles præſidiarius. Deditionis poſtea Caesari factæ occaſionem, Wagnervs (*q.*) in litteras retulit. Fas eſt auctoris verbis, rem enarrauiſſe. *Dum ita*, inquit, *in opus incumbitur*, (Strigonium ſcilicet oppugnabatur) *venere ad regem Poloniæ, perduellium principes. Studioſa oratione, gentis ſuæ mala, Germanici ſæuitiam imperii, exaggerant. Coactos ſe ad conſilium, fœdum prima ſpecie, ac impium, ad Ottomannica auxilia confugiendi. Iis deuictis, etſi duriora omnia ſibi augurari poſſint, in regis tamen patrocinio, cui ſe permittant penitus, ſpem veniæ maximam collocatam habere. Auditi ab rege, nulloque reſponſo, ad ducem Lotharingum reiecti ſunt. Dux, etſi armatos ac perduelles, ne audiri quidem decore poſſe, crederet; vt hoc regi tribueret, coram admiſit. Vſi autem ſunt oratione longe inſolentiſſima, & quæ cum factorum inſania plane conſentiret.* Leopoldvm, *aiebant*, haud grauate, pro rege agnoſcimus, ſi is, pro rege ſe geret; neque Germanorum procerum libidini, queis, cum Hungarica nobilitate, interneciuum eſt odium, ſpoliandos nos, conculcandosque, abiiciet. Pacem facimus, ſi commoda hiberna noſtro militi, inducias ſemeſtres, comitia, ac durantibus comitiis, ſtatiua impetramus; ſi regni defenſio, deportatis *Germanis*, noſtræ nationi, permittitur. *Hæc adeo intoleranda duci ſunt viſa, vt non alias, commotiorem viderint. Faceſſere iubet impios, ac ſecum reputare, qui Chriſtiani ſanguinis riui, ipſis auctoribus, defluxerint? in quod diſcrimen, nomen omne Chriſtianum, coniecerint. Eandem cæleſtem vindictam, quæ barbarici faſtum imperii, tam illuſtri miraculo, depreſſerit, pauculis perduellium manipulis, inſtare. Niſi audacia, minis, armis poſitis, ſimpliciter ſe, iuſtiſſimi Cæſaris arbitrio ſubmittant, nullas conditiones exſpectarent.* Iſtæ nimirum ſeditioni, oppido ſanguinolentæ

redditur Cæſari, *& qua occaſione:*

p.) In Tabella Regni Hungariæ, p. 200. (*q.*) Lib VIII. pag. 625.

lentæ, cauſſæ tunc obtendebantur. Dux interim, ſua illa ſeueritate, vno quaſi ictu, plures, e manibus *Tökölianorum*, arces excuſſit. Pergit enim hiſtoricus: *Opportuna hæc ſeueritas, metu nimirum magiſtro, Tatam, Veſzprimium, Pápam, Lévam, ad officium reduxit.* Vix autem effluxerat vicennium, cum noua iterum inquies, Hungariam peruaſit; *Lévam* certe noua clade, nobilitauit. Pertigerant iſthuc A. MDCCIII. medio fere Octobri, *Rákócziani*, iamque ad iuſti exercitus ſpeciem, coadunata, ſpe prædandi, multitudo, excreuerat; cum *Schlickius* comes, modica *Germanorum*, & *Hungarorum*, quos, e *Poſonienſi*, atque *Nitrienſi*, Comitatibus, in ea trepidatione, cogere potuerat, manu ſtipatus, inſanientibus ſe obiicit. Neque illi pugnam detrectauere; tametſi inſtruendæ aciei non minus, quam ſeruandorum ordinum, ignari. Itaque, vt rei fortiter gerendæ auſpicia caperent, primi *Cæſarianos*, tanto ardore inuadunt, vt cornu vtroque, nutare cœperint noſtri: quippe, incondita multitudine, in primo illo pugnæ feruore, propemodum offuſi. Sed, dum facto, vtrobique, cuneo, hic manualia, currulia alibi, tormenta, in confertos, ſemel atque iterum, diſplodunt, fœdam in *Hungaris* cædem edunt. Quo viſo, qui in acie altera conſtiterant, equites, laxatis habenis, in fugam ruunt, pedites, fortius obſiſtere auſos, deſerunt, victoriamque *Schlickio* relinquunt. Primus iſte conflictus fuit, in quo *Rákócziani*, virium ſuarum periculum fecerant; digno triſtiſſimis cœptis, auſpicio. Poſt pugnam, tantum præſidiarii militis, arci impoſitum eſt, quantum eius, in ea paucitate, fieri potuit. Verum, quod *Schlickius*, montanis vrbibus, cupidius, quam res ferebat, imminens, ad XV. Nouembris, inde reiectus eſt; *Léva*, in tumultuantium poteſtatem, recidit denuo. qui demum, ſiue, vt cladem, iſthic acceptam vlciſcerentur; ſiue, vt ne cogerentur præſidio munire locum, poſt captum *Ujvarinum*, mœnia arcis proruunt, turpemque hanc memoriam, poſt ſe relinquunt. Rediit in CAESARIS ditionem *Léva*, poſt *Trentſchinenſem*, quæ in diem III. Auguſti, anno MDCCVIII. inciderat, victoriam.

*intercipitur a Rákócziani*s

eorum accepta, a Schlickio, cladem:

Léva, a Cæſarianis inſeſſa:

reiecto ex montanis Schlickio, Rákócziani, mœnia arcis perrumpunt: victi, Cæſari arcem relinquunt.

§. XIII.

AD oppidum, quod adtinet, obiacet id arci, ſitu, a meridie, in orientem, reclinato, eſtque poſt tot, quas ſubiit, conuerſiones, cultu tenui. Incolæ fere *Hungari* ſunt, multique in his nobiles, & qui olim militiam ſequebantur. Iam, in agro colendo, operam ponunt, qui circa oppidum, & frumento vber eſt, & vino. Sed iſtud, auſterius eſſe credunt, quam, vt cum adprobatione guſtus, ab omnibus queat bibi: ætatis certe intolerans eſt. In primis, magna hominum celebritate, nundinæ *Lévenſes* aguntur. Plures harum numerant, ad dies *Epiphaniæ Domini; Corporis CHRISTI; D. Jacobo; & S. Michaeli Archangelo*, ſacros, præſtitutas. Neque mer-

Oppidi habitus:

incolarum indoles:

nundinæ Lévenſes:

catus tantum fabriles, ſed boarii etiam, quatriduo ante, ſueuerunt celebrari, magno accolarum emolumento. Inſtitores certe pecuarii, frequentes huc confluunt, qui, vel adpellunt venale pecus, vel abigunt coemtum. Olim, furtis, & latrociniis, *Lévenſes* hæ nundinæ, infames reddebantur: iam, quæ eſt magiſtratuum ſeueritas & vigilantia, crebriora fiunt inueterata illa facinora. Oppidum ipſum pulchre iam reficitur, vt ſpe ſit, breui, ſuperiorum annorum iniurias, obliteraturum.

§. XIV.

Vicos arci adſcriptos, quis pignori oppoſuerit.

COpioſi, olim vici fuere, *Lévenſis* Dominationis, tunc partem maximam, pignori oppoſiti, cum iſthic, *Ladislaus Cſáky*, rerum potiretur. Vti enim vir erat, ad omnem factus magnificentiam, atque, præter ſeculi morem, non modo non adtentus ad rem; ſed etiam, in ſumtu faciendo, extra modum profuſus: factum breui eſt, vt, quidquid vicorum, priſco iure, accenſum arci fuit, omne id, grandi ære alieno, obrueretur. Bonbardi auctor eſt, iſthinc, adagio Hungarico: *Nem Cſáky ſzalmája*: quod & *Slaui* ciuitate donauerunt: *Nenj to Cſákyho slama*; id eſt: *non eſſe, hanc illamue rem, ſtramen Cſákii*; ductam originem. quo in eos vtimur, qui, aut ſuarum rerum cura ſoluti, rapinæ eas permittunt; aut aliena, tamquam neglecta, ſibi vendicant liberius. E *Cſákiano* enim horreo, pronum erat olim, ſine cuiusquam offenſa, & paleas ſublegere, & quantum quiſque vellet, probi ſtraminis auferre. Latine, & ex veterum vſu, adagium illud, per, *Porſennæ bona* (*r.*) poſſis reddere. Iam, qua ſunt, *Eſzterházíani* procuratores, prouidentia, diſſoluto ſenſim ære alieno, multos paſſim vicos, in iuſti hæredis poteſtatem, vendicant. *Feliciter!*

II.

Oppidvm Ó-Barsch.

Barſch, *denominationem Comitatui dedit: vrbis prærogatiua, olim potiebatur:*

IStud illud oppidum eſt, a quo, toti *Comitatui*, communicatum nomen diximus. Vrbem fuiſſe olim, & frequentem, & probe munitam, ſub exordia commentationis huius, meminimus, Caroli I. decreto adducti. qui locum, diſerte *ciuitatem* vocauit, *Trentſchinio* copioſiorem, & opibus valentiorem. Nam, ita habet ſanctio: *Ciuitas Trentſchinienſis decem marcas; item, ciuitas Bách triginta quinque marcas; item Korponya ſimiliter triginta quinque marcas; item* ciuitas Barſienſis *quindecim marcas; & ciuitas de Topolchán, viginti marcas, modo prædicto, cambire*

r.) Vide, Erasmi Chiliadas, p. m. 80. & 447. Liviym, Libro II. c. 14. p. m. 104. edit. *Geſneriana* Lipſienſ. vbi, de Porſennæ bonis.

bire teneantur. Videre hinc eſt, quo loco, priſci reges, vrbem habuerint; meliore ſcilicet, quam *Trentſchinium* fuit. Reſpondebat cultui, opportunus, ponendis munitionibus, ſitus. Collino enim eſt poſitu, qui, cum a reliquis plagis adſurgit clementius, in ſeptentrionem & occidentem præceps abrumpitur. Circum, vaſta eſt planities, quam præterlabentis *Grani* eluuiones, ſæpe inacceſſam, imbres autem, etiam modici, impeditam cœno reddunt, difficulterque peruiam. Itaque, exiſtimauimus aliquando, *Grani* exundatione iſthic detenti, tota regione, commodiorem, excitando munimento, poſitionem, reperiri haud poſſe. quod, & *Granus*, leui opera, colli circumduceretur, & proſpectus late hinc in depreſſos campos pateret, eſſetque defenſandis montanis vrbibus, multo, quam, ſeu *Léva*, ſeu *Carpona*, aptior. Aduertere id, *Status* & *Ordines.* Proinde, cum alias, tum anno potiſſimum MDCVIII. muniendum ſtatuerunt *Barſchinum: Comitatus Barſchienſis*, inquiunt, (*a.*) *ædificet Barſch.* Sed, ad ruſticandum, rure eſt, quam pro ſoli vbertate, incommodiore, ob exundantis *Grani* damna. Is enim, vbi ripas ſupergreſſus eſt, cum agrum frumentarium, tum ſolum fere omne, obruit, atque ita oppidum circumcludit, vt ne armenta quidem habeant, quo paſtum depellantur. Sunt, qui putant, PTOLEMAEI *Ἰανίνα*, ſeu *Vſcenum*, hic ſtetiſſe, quod is (*b.*) apud *Jazyges Metanaſtas* collocat. quos iam in re dubia, non moramur. Germani *Berſenburg*, Slaui *Tekou* hodie vocant. Iam, ad eam exilitatem redactum oppidum eſt, vt ne vici quidem ſpeciem referat. Secedit *Léva* medio, in occidentem æſtiuum & aquilonem, milliari, paretque dominationi *Levenſi.*

eius ſitus, munitionibus idoneus:

ruſticationis incommoda eſt, ob Grani *eluuiones:*

an ſit Vſcenum *veterum.*

III.

OPPIDVM NAGY-SARLÓ. (*c.*)

RVſticanum eſt oppidum, Slauis, *Welikè Scharluby*, dictum. Quidquid opportunitatis habet, agro id conſtat pingui, atque ſegetum amico. Itaque, non alia re magis diſtinentur incolæ, quam ruſtication̄e, fructuoſa ea, & niſi ob cæli iniurias, colonum fraudante. Adde, frequentes nundinas, quæ loco adferunt celebritatis quidpiam. Agi eas, *Dominica II. Epiphanias Domini; Sexageſimæ; Reminiſcere; Exaudi;* & die *S. Matthæo* feſta, accepimus. Eſt oppidum in ditione *Archiepiſcopi Strigonienſis*, duobus & medio milliari, in occiduum ſolem, *Léva* diſiunctum.

Nagy-Sarló, *ruſticanum oppidum:*

eius mercatus:

eſt in ditione Archiepiſcopi Strigonienſis.

a.) MATTHIAE II. Decr. I. Articulo XV. fine.

b.) Geograph. Lib. III. Cap. VII.

c.) Elidunt caninam alii, I. in eius locum repoſito, dicuntque *Salló.* quod monendum erat.

SECTIO II.

DE

Vicis Proceſſus Lévenſis.

AD regiunculæ, ex ſe fertilis, elegantiam pertinet, quod vicis frequentibus colatur. Duum hi ſunt generum. Alii enim arci *Lévenſi* adſcribuntur; alii poſſeſſoribus variis. Illos prius, hos poſtea luſtrabimus, in *Lévenſi* vicinia exorſuri.

1.) *Kis-Szetſe*, bis mille circiter paſſibus, *Léva* in meridiem, loco haud importuno, ſepoſitus. Cenſetur in eiusdem arcis ditione.

2.) *Nagy-Szetſe*, priori, & nomine adfinis & ſitu. *Magnum Szetſe* dixeris, forte, quod altero illo, colonis, agroque ſit copioſiore.

3.) *Nagyod*, vno, ab oppido, in occidentem milliari, ſubmotus. adtinet ad dominationem *Lévenſem* parte ſui media. Vltra eum,

4.) *Semlér* conſedit; vterque, ad ruſticandum commodo agro. Eſt in poteſtate *V. Capituli Strigonienſis.*

5.) *Óvár*, vocabulum, arcem veterem ſignificat: credo, quod munitionum quidpiam, aut ſtatiua militum habuerit aliquando. Recedit *Léva*, duobus, in occaſum, milliaribus. Poſſidetur a *Comite Oudaille.* Longius abeſt,

6.) *Szent-György*, ſeiungiturque ab oppido duobus, atque medio, milliari. Poſſeſſio vici, ad *Dominium Sallaienſe* adtinet.

7.) *Nagy-Saró*, in meridiem, eodem fere interuallo, reductus, & colonorum copia, & præſtantia agri, memorabilis. Eſt in poteſtate familiæ *Révay* & *Beniczky.* Profundius in meridiem

8.) *Szodó*, inſedit, mediocribus vicis adnumerandus, & a pluribus nobilibus poſſeſſus. Eodem tractu

9.) *Garam-Vezekény*, Grano amni, a quo & cognomen accepit, adpoſitus, idemque, illuſtribus familiis *Eſzterházy*, & *Amade*, adtributus.

10.) *Kis-Oroſzi*, pertinet ad *Abbatiam Lekévrienſem.*

11.) *Helyvén*, duobus *Léva* milliaribus, in occidentem ſepoſitus, agro fruitur, agricolationi haud inimico, eſtque in ditione *Sallaienſi.*

12.) *Lök*, vicus inſignis, cuius pars altera, ad dominationem *Lévenſem*, altera, ad *Comitem Oudaille*, pertinet.

13.) *Alsó-Várad*, priori haud deterior, oppignoratus. Eſt hæredium *Lévenſe.*

14.) *Vj-Barſch*, eximius vicus, aduerſa Grani ripa, oppido *Barſchenſi* obiacens, & *Léva* accenſus. colitur ab *Hungaris.*

15.) *Kelecſen*, mille admodum paſſibus, in meridiem *Léva* ſeiunctus. Poſſidetur ab *Adamo Tapiay.*

16.) *Lodány*, recedit ab oppido, tribus fere in meridiem, milliaribus. Eſt in hæredibus *Léva.*

17.)

17.) *Keſzy* eadem plaga, eodemque interuallo, *Léva* diſcretus, eiusdem ſimul ditioni accenſus.

18.) *Podluzan*, ad bis mille paſſus, in occaſum ſepoſitus. *Lévenſe* hæredium.

19.) *Szolmos*, ad orientem vno, ab oppido, milliari, reductus, idemque, hæredibus *Gabrielis Koſztolány*, adſcriptus.

20.) *Nagy-Koſzmály*, ſecedit in aquilonem, horario interuallo, cognomento *magni* inſignitus, vt diſcriminaretur a minore *Koſzmály*, qui in poteſtate eſt gentis *Paluskianæ*, infra, in *Marothenſi* ditione memorandus.

21.) *Mohy* pari intercapedine, ſed in occaſum ſecretus. Paret hæredibus *Nicolai Vaſs*.

22.) *Gyékényes*, duobus, & quod vltra eſt, milliaribus, in meridiem reiectus, idemque, per *Prouinciolatum Ordinis S. Paulli Eremitæ* poſſeſſus.

23.) *Kis-Saró*, inſignis omnino vicus, *Dominii Salloienſis*. Diſiungitur *Léva* duobus, & quod excurrit, in meridiem, milliaribus.

24.) *Garam-Mikolya*, Cœnobii *Elefantenſis* hæredium, a *Grani* vicinitate, ſic dictum. Venerunt in eius poſſeſſionem Eremitæ, anno MDL. Ita habent eius ordinis annales, (*d.*) vbi Nicola cis Garan, dicitur: *Ianuario demum ſequenti, vrgente potiſſimum Ferdinando rege, poſſeſſio Nicolgran, Fratribus D. Iohannis Baptiſtæ de Elephant, per moderatores arcis Lévæ, ad requiſitionem Comitis Nicolai a Salmis & Archipræſulis Strigonienſis, adtribuitur.*

25.) *Zeléſz*, eſt in ditione *Comitum Eſzterházy* & *Baronum Amade*, receditque *Léva*, duobus, in occaſum ſolis, milliaribus. Habet templum, e ſecto lapide eductum, præcipuæ antiquitatis.

26.) *Damaſd*, Venerabilis *Capituli Strigonienſis*, haud inops hæredium, ab oppido, milliari ad occaſum, ſepoſitum.

27.) *Aghó*, ad eandem plagam, ſed geminata intercapedine retruſus. Eſt *C. Eſzterházy* & *B. Amade*.

28.) *Lekkér*, dos eſt Abbatiæ *S. Saluatoris*, quam iſthic priſci reges conſtituerunt. cuius ædem ſacram nuper inſtaurauit *Ioannes Okolitsány*, poſtea *Epiſcopus Váradienſis*. Secernitur *Léva* duobus, in ſolem occiduum, milliaribus.

29.) *Csatta*, poſſeſſio FF. Paulinorum Noſtrenſium.

30.) *Malyas*, inclytæ gentis *Ordodyorum* partim, partim *Baloghiorum* hæredium, duobus milliaribus *Léva*, occidentem verſus ſeiunctum.

31.) *Kis-Sarló*, oppido cognomini, collimitaneus, atque inter plures poſſeſſores diſpertitus.

32.) *Nagy-Endréd*, ad occaſum vergit, plurium poſſeſſio.

33.) *Alsó-Pél*, vicini poſitus, atque natalibus gentis, *Nagy de Pél*, memorandus. Poſſidetur a *Ioſepho Hunyadi*.

34.) *Felsö-Pél*, familiæ *Hunyadi* poſſeſſio, milliari ab oppido, in meridiem ſecedens. 35.)

d.) Lib. II. Cap. XXXIX. p. 303. & Cap. XLIII. p. 321.

35.) *Nagy-Tüſe*, ſucceſſorum *Oudaille*, & *Mihályfiorum* vicus, in occidentem, gemino milliari ſubmotus.

36.) *Nagy-Kálna*, & agro & colonorum numero, inſignis. Eſt in *Hunyadiorum* ditione, qui heic templum, elegantis & ſolidi operis, erexerunt.

37.) *Kis-Kálna*, bipartito a *Kálnaiis* partim, partim a *Nagyiis de Pél*, poſſeſſus.

38.) *Marosfalva* itidem *Hunyadiana* poſſeſſio, *Léva* milliari, in meridiem, repoſita.

39.) *Ujfalu*, eiusdem tractus vicus, pluribus tamen heris accenſus.

40.) *Cſeikő*, vicus, ſi quis toto *Comitatu* alius, laudatiſſimi vini prouentu, celebris. Paret *Archiepiſcopo Strigonienſi*, ſeceditque, in aquilonem, vno, ab oppido *Lévenſi*, milliari; alias, ditioni *S. Crucis*, adſcriptus. Ager, qui eſt a cultu vineatico reſiduus, partim ſemente vber eſt, & pratis; partim ſiluoſis montibus, & ſi annus concordet, glandium feracibus, inſidetur. Opportuna in iis luſtra habent, varii copioſique generis feræ. Riuus, qui vicum interlabitur, quia ſicco diutius cælo, inareſcit penitus, aggere, in piſcinæ modum, collectus eſt, vt molæ frumentariæ ſufficiat.

41.) *Szőlős*, nomen, a cultu vineatico, qui & hic, optimi fructus eſt, indeptus. Itidem *Archiepiſcopo Strigonienſi*, atque ad dominationem *S. Crucis*, adſcriptus. eſtque priori vicinus, cum quo, ſiluas, prope *Granum*, communes habet. Amnis ipſe, gemina mola commode inſtructus eſt: tertiam, riuulus quidam tenuis, aquas vehens tepidiores, quam quæ gelu poſſint concreſcere, ſub vici Eccleſia verſat. Inſunt in vico *Prædiales Curiæ* aliquot, ab eodem genere nobilium cultæ.

42.) *Kis-Koſzmály*, gentis *Paluskyorum* poſſeſſio, dominationi *Maróthenſi* adſcripta, atque nobiliſſimi vini prouentu, in primis, commendanda.

43.) *Nagy-Györöd* poſſeſſio *Ioſephi Hunyadi*.

44.) *Kis-Györöd*, ſuppar priori vicus, quem *Comes Carolus Zichy*; & nobiles *Nagy de Pél*, poſſident. Vterque meridiem verſus, milliari *Leva* ſubmouetur.

45.) *Kis-Endréd*, variorum iuribus adſcriptus. Vicinus ei adſedit:

46.) *Dereslén*, familiæ *Litaſſy* milliari, in occidentem, ſecedens.

47.) *Bajka*, *Nagyiorum de Pél*, & aliorum.

48.) *Felső-Várad*, vicinus priori, *Kazyis* obnoxius.

49.) *Tolmacs*, *Capituli Strigonienſis* poſſeſſio, vico vtique exiguo.

50.) *Garam-Apáth*, ita cognominatus, quod *Grano* adſederit. Eſt in ditione eiusdem *Capituli*.

51.) *Kis-Töre*, familiæ *Simonyi* poſſeſſio.

52.) *Nyér*, adſcribitur ſucceſſoribus *Stephani Ebeczky*. De his hactenus.

MEM-

MEMBRVM III.

DE

Proceſſu Kis-Topolcsanenſi.

PROOEMIVM.

RA eſt, citeriori *Grani* latere, vſque ad fines *Nitrienſis* prouinciæ, decurrens, *Oſzlanenſi Proceſſu*, ab aquilone, *Verebelienſi* autem, a meridie, concluſa. Eius arces, & oppida, vicique, pluribus adſcripti dominationibus, more noſtro, & pro eo, ac decet, iam erunt deſignandi.

SECTIO I.

DE

Arcibus & Oppidis, Proceſſus Kis-Topolcsanenſis.

SYNOPSIS.

I. Kis-Topolcsán.
Oppidi nomen: ſitus & opportunitas: incolarum occupatio: diuerſa ea fuit bellis Turcicis. §. I.

Munitiones oppidi, caſtellique: ſolo æquandas ſtatuunt Regni ordines: iterumque inſtaurandas. §. II.

Caſtelli moles, & ad habitandum commoditas: loci poſſeſſores. §. III.

Oppidi facies: nundinæ: incolæ Slaui: *prouinciæ comitia iſthic aguntur.* §. IV.

II. Arx Hrvssow.
Arcis Hruſſowienſis *origines, fataque ignota: eius habitus, priſtinus, & hodiernus.* §. I.

III. Fanvm S. Benedicti.
Cœnobii conditor: ſitus amœnus: ades ſacra: archiuum: Cœnobium: adificia reliqua. §. I.

Fuit olim, & Martis *domicilium:* Turcarum, *&* Tökölianorum *clades: caſtra* Sufæ, *& horum veſtigium: præſidiariorum excubiæ, atque virtus.* §. II.

Munitionum fani ratio: ſitus, ad defenſandum importunitas: ſpecula, mon-

tis cacumini impoſita. §. III.
Quomodo, in poteſtatem Capituli Strigonienſis, *venerit:* Tollii *relatio: laus hoſpitalitatis* Canonicorum. §. IV.
Habitus, & vici oppidi: incolarum labor: eorum aſperitas: Iudæorum *colonia hinc deiecta.* §. V.
IV. Oppidvm Aranyos-Maróth: Maróthi *nomina: ſitus agricolationi idoneus: inſigne granarium: auctoris, de adſeruandis, eadem diligentia, frugibus, deſiderium.* §. I.
Herile prætorium, eleganter factum: mola frumentaria: cum opportunitatibus villicis: ciuium plerique opifices: oppidi mercatus. §. II.

I. Kis-Topolcsán.

§. I.

Oppidi nomen:

Eodem vocabulo, caſtellum, adſitumque ei oppidum, adpellamus, cognomento *parui* addito, vt a *Nagy-Topolcsáno*, (*a.*) diſcriminaretur. Quemadmodum enim illud, ob molem grandiorem, maius; ita, minus vocauerunt iſtud, quod, & incolarum, & numero ædium, eſt infrequentius. Hinc & Germanicum *Klein-Topoltſchan:* quin & Slauicum, *Malé Topoltſchany (b)* manauit: quod vtrumque, eodem redit. Et eſt omnino oppidum, ſicuti non exile, ita, neque laxum nimis; fœcundo tamen, atque hilari ſitu. Nam, a tergo quidem, præcelſi montes, vtroque latere, colles inſederunt, agris frumentariis perculti. Quod a fronte, in meridiem, regionis ſupereſt, in valliculam abit, late exporrectam, & tumulis hinc atque illinc, ſed miteſcentibus illis, inſeſſam, amneque *Zitwa*, irriguam. Ex iſto poſitus ingenio, coniici poteſt, ſegeti eum in primis eſſe commodum. Occupatio profecto incolarum, tota fere agreſtis eſt, hic *Cereri*, *Baccho* alibi, dedita; ſed illi potiſſimum: eo quod viti, ex montium vicinitate, cælum obtigit auſterius. Egregio, ad augendam rem familiarem, compendio, plerique ciuium, opificia, cum agricolatione, hanc porro, cum arte inſtitoria, coniungunt. Frumento enim partim, partim iumentis, quantumuis quæſticuli facere didicerunt. Cum res patriæ bellis *Turcicis* miſcerentur, ſequi militiam, & actis prædis, quam agricolatione, viuere malebant: quod malum, poſtquam Leopoldi M. felicitas, longe profligauit, ruri ſe totos dediderunt, & hi, quibus

ſitus & opportunitas:

incolarum occupatio:

diuerſa ea fuit bellis Turcicis.

raptas ad victum vertere prædas
Luſus erat.

§. II.

a.) Eius hiſtoriam, in Comitatu *Nitrienſi* dabimus, vbi & nominis etymon, excuſſum legas.

b.) Alii, diminutum, *Topoltſchánky*, & per pleonaſmum, *Malé Topoltſchánky*, malunt dicere.

§. II.

QVia militare fuit oppidum, foſſa, aggere, vallisque, communiebatur: caſtellum in primis. Id demum, quia neque validum ſatis eſſet, neque pro eo, ac res trepida depoſcebat, cuſtodiretur, publico decreto, ſolo æquandum fuit. Iuuat, verba ſanctionis eius adſcripſiſſe: *Quia*, inquit, (*c.*) *in Comitatu Barſchienſi, eſt quoddam caſtellum, nobilium de Topolchán, Kis-Topolchán vocatum, & Turcis valde propinquum, quod negligenter admodum cuſtodiri dicitur, vtpote in quo, nec vllæ gentes interteneantur, nec alia neceſſaria inſtrumenta, ad defenſionem pertinentia, habeantur; ſtatutum eſt, vt illud quoque per Comitatum diſtrahatur.* Ita tunc decreuerant ſtatus atque ordines. Sed, anno dein MDLXIX. muniendum ſtatuerunt, *Kis-Topolchánum.* Ita habet eius anni ſenatus conſultum: (*d.*) *Ad S. Benedictum*, & Kis-Topolſchán, *laborent coloni, ad hæc duo loca pertinentes:* id quod anno quoque MDLXXVIII. (*e.*) repetitum legas. Vnde adparet, non parſum modo fuiſſe caſtello, ob Turcarum tyrannidem, ſubinde ſerpentem latius; ſed communitum etiam eo firmius, quo magis rei publicæ intererat, præſidiis firmari limites, hoſtium impreſſionibus, expoſitos.

Munitiones oppidi, caſelliquæ:

ſolo æquandas ſtatuunt regni ordines:

iterumque inſtaurandas.

§. III.

IPſa caſtelli moles, eximia eſt, opportuneque ſubſtructa. Nam, præter aggeres, pridem deteri cœptos, prætorium habet, multis, & commodis habitationibus, diſcretum. Apertus his amœnusque, partim in oppidum, partim in adſitum rus, & obiectos montes, collesque, proſpectus eſt. Sedet, nimirum, frequentiſſima oppidi regione, quam mediam vocant, ad duorum riuorum confluentem. quorum alterum *Leves*, alterum *Szkiczó Zſitva*, adpellant. Eductum eſt autem in quadrum, pro eius ingenio ætatis, non quidem ineleganter, ſed neque ſatis, ad noſtri temporis habitum. Circumeunt hypocauſta, aliis alia capaciora, vt poſſint omnino, non herum modo, cum familia; ſed numeroſiores etiam hoſpites, cum familiaribus, commode accipere habereque. Aditur, porta vnica, orienti obuerſa, quam turris, firmi quadratique operis, ſubtus transmittit. Huic cœnaculum inſtructum eſt, laxum id ſane, atque epulis frequentatum opiparis, dum ritu patrio viuebant *Hungari.* Area, quam intra prætorium habet, concamerato circumquaque ambitu, centum ſex & viginti paſſuum vulgarium, ſpatio definitur. Eius medio, puteus depreſſus eſt, vber ac perennis; ſed aquarum dulcium, ideoque, non tam inſalubrium potatu, quam guſtu moleſtarum. Molem reliquam, ſacellum ornat, quod *Eliſabetha Bánffy*, vxor *Ladislai*

Caſtelli moles, & ad habitandum commoditas:

c.) FERDINANDI I. Decreto XIX. Art. XXIX.
d.) Art. XIX.
e.) Artic. XXVII. adde, anni quoque MDCLIX. Art. CXXX. & Anni MDCLXXXI. Art. VII.

Rákóczii, B. V. Mariae, ſua eductum impenſa, conſecrauerat, rotundo illi angulo, quod in occidentem vergit, inædificatum. *Rákóczius* itaque, & ſua iſta coniux, *Topoltsaniorum* opus, vetuſtate fatiſcens, reſtaurauere; id quod, marmor rubrum, portæ inædificatum, loquitur, in hunc modum:

Castellvm hoc proprivm instavravit
Illvstrissimvs Comes Ladislavs Rákóczy de Felső-Vadász,
cvm consorte sva carissima
Elisabetha Bánffy de Nagy-Mihály.
Anno MDCLXII.

Sed, vti eſt tempus edax rerum, *Rákócziana* hæ ſubſtructiones, paſſim vitium cœperunt facere, reddique, ad ruinam, procliues: vt neceſſum habuerit, *Comes Carolus Zichy*, ad quem hodie ditio tota pertinet, pro ea, qua eſt, elegantia, non tantum redintegrare molem veterem, ſed reddere etiam, ex ſeculi more, auguſtiorem. Poſſeſſores varii fuere. Sanctio, quam ſupra recitauimus, *nobilium de Topolchán*, meminit. Itaque, nobilibus primum viris paruit, quibus, ſimul cognomen tum communicauerat. His, ſiue emortuis, ſiue in gentem, nomenque aliud tranſeuntibus, ſimul dominos oppidum caſtellumque, permutauit. Venere enim in eius poſſeſſionem *Rákóczii*, *Erdödii*, *Zichii*, *Balaſſii*, Comites: quorum iura, nihil adtinet expromere. Iſtud palam eſt; *Paullum* quidem *Balaſſam*, nuptiarum lege, ad oppidi dominationem acceſſiſſe; quod *Adami Zichy* filiam, *Catharinam*, *Caroli*, quem laudauimus, ſororem, in matrimonio haberet. qua, anno MDCCXXIX. e viuis excedente, morientibus item, quos ex ea ſuſceperat, ſexus vtriuſque liberis, ad *Carolum Zichium*, ex pacto, loci, bonorumque poſſeſſio, rediit.

poſſeſſores loci.

§. IV.

Oppidi facies:

AD faciem oppidi, quod adtinet, oblonga ea eſt, totaque, ita comparata, vt ſatis adpareat, non tam ad luxum, quam ruſticationis opportunitatem, ſubſtructum id eſſe. Aedes ſacra, medio oppido, conſedit, loco, & laxo, & opportuno, niſi adlabentis riui eluuionibus, murorum fundamenta, contemerarentur. Vicina huic eſt *Parochi* domus, heri impenſa, haud pridem, eleganter, atque ad habitandum commode, excitata. Ineſt oppido & *Xenodochium*, ab *Eliſabetha Bánffy*, cuius meminimus, fundatum, ac locupletatum reditibus. Inter heriles opportunitates, piſcina, laxa ea, & vario referta ſeminio; tum & hortus, pulchre conſitus, referuntur; vtraque, inferiore oppidi parte poſita. Aedium oppidanarum capita, habitaculis conſtant, diligentius hic, ſegnius alibi, factis. Quod inde procurrit, ſtabulis partim, partim horreis, inſtructum eſt: latiore area, vicinos a vicinis, interſtinguente. Huc, quidquid habent, ſeu ſegetis, ſeu fœni, conuehunt incolæ,

colæ, alii aliis, pro agri portione, copioſius. Ceterum, inopes ſunt multi incolarum. Meliuſcule habent, qui ruſtications, artes alias adiungunt. Nam, ita ſitum eſt oppidum, vt, & agro ſit præditum, ad agricolandum idoneo, & commoditatibus aliis, quibus rem ſuſtentare familiarem, augereque poſſint ciues, ſi adſiduitatem, frugalitate tueantur. Iſthuc, nundinæ loci faciunt, in annos ſingulos, vetere inſtituto, quater frequentatæ. Aguntur enim, *Epiphania Domini;* diebus *SS. Philippi & Iacobi; Iohannis Baptiſtæ;* atque *S. Catharinæ.* Alioquin, incolarum plerique omnes, *Slaui* ſunt, idiomatis Hungarici non ignari. Diſſidet oppidum, a *Fano S. Benedicti*, duobus, in aquilonem, milliaribus. Hic, & prouinciæ comitiola, congregationes vocant, adulto more, plerumque haberi accepimus. quod ad oppidi celebritatem pertinet.

nundinæ:

incolæ Slaui:

prouincia comitia iſthic aguntur.

II.

Arx Hrvssow.

IGnotæ originis fatorumque (*f.*) caſtrum, inſedit vni montium *Hruſſouienſium* iugo, a quibus, aut accepit nomen, aut certe iis commodauit. Quod celſo, præruptoque loco eſt, latiſſime, in occidentem & meridiem deſpicit, eſtque, ob ſaxa, & petras, impedito acceſſu. Proxima circum regio, ſiluis, & varie ſe miſcentium iugorum implexu, aſperatur. Portam, ab aquilone habet, cuius tamen pons, iniuria tempeſtatum ſolutus, ſuperari amplius nequit, vt ſi arcem adire velis, celſior ſcala ſit admouenda. In abſide portæ, adhuc inſcriptum legas: C. L. Rákóczy. 1662; vt proinde, eodem, quo caſtellum *Topolcsanenſe*, anno, arcem quoque oportuerit inſtaurari. Cingitur prælatis mœnibus, quæ turritis propugnaculis, maxime in meridiem, præfulciuntur. Intra hæc, prætorium eſt, difficilis, ob ruinas, acceſſus. Quæ inſunt, hypocauſta, fornices & cellaria, validiſſimarum licet fuerint concamerationum, rimas tamen agunt, ob ruinam tectorum. Puteo caruit, cuius inopiam, laxa profundaque ciſterna, media area depreſſa, egregie penſabat. Alioquin, commune, *Topolcsanenſis* ditionis non ſolum, ſed adſitorum etiam vicorum, perfugium erat, cum res trepidæ imminebant: vt, vel ob hanc opportunitatem, dolenda ſit arcis hæc, in quam præcipitauit, vaſtitas. Atque notantur omnino hodieque, cæci fornices, neque, niſi arcis præfectis, cogniti; in quos plebs, rebus dubiis, ſupellectilem familiarem, condebat. Cum ſarta eſſet, tabularium *Barſchienſis Comitatus*, iſthic adſeruabatur. quod, fatiſcente arce, in *Topolcsanenſe* caſtellum, inde, *Aranyos-Maróthum*, translatum eſt. Cenſetur, in eadem, cum *Kis-Topolcsáno*, ditione, diſſidetque inde, mediocri, inter aquilonem & orientem, milliari.

Arcis Hruſſouienſis originas, fataque ignota:

eius habitus, priſtinus, & hodiernus.

f.) Mentionem eius legas, in Sigismundi diplomate, quo gratiam offenſarum promulgauit, in Decreto, p. 64. fine.

III.

Fanvm S. Benedicti.

§. I.

Cœnobii conditor:

S. Benedicti fanum, monumentum eſt pietatis Geysae I. (*g.*) qui id, a. MLXXV. conſtituta iſthic *S. Benedicti* familia, liberaliter poſuit, atque, *Conuentum S. Benedicti de iuxta Gron*, voluit adpellatum. Nam, ad arcis modum, in eleuatiori petroſaque *Grani* ripa, ad occidentem conſedit, loco, vti amœno, ita, non ſatis idoneo ad defenſandum. Amœno inquam, cum enim imminens *Grano* petra, triſtem, primo obtutu, aditum præbeat, fauces has ſubeuntibus; reliqua inde vallis, aduerſo amne, in ſeptentrionem porrecta, mirificam habet voluptatem; non modo, quod irrigua ſit perpetim; ſed etiam, quod agris, pratisque, pro loci ingenio, excolatur. Moles, ædem ſacram habet, *S. Benedicto* dedicatam, planeque ita factam, vti eſt ædes *Budenſis*, *S. Stephani* nomine inſignita; præterquam, quod huic gemina ſit turris, non item *Budenſi*. Auguſta in ea ſunt omnia, & ſculpturis decora antiquis. Ad dextrum ſummi altaris latus, *Tabularium* eſt, priſca lege, cœnobio huic, tamquam *loco authentico*, creditum. *Archiuum* alias dicimus, in quo familiarum tabulæ, & diplomata, magna cura, at fide maiore, cuſtodiuntur. Sunt, qui non ſine ratione exiſtiment, monumentorum adparatum, qui iſthic habetur, longe omnium eſſe inſtructiſſimum; eo quod, cum ab incendiis, tum rapinis, ad noſtram vſque ætatem, integer perdurauit. Pone templum, cœnobium exædificatum, inſtructumque hypocauſtis eſt, haud inelegantibus. Coluntur ea, a *Canonicis Strigonienſibus*, quos, *Conuentuales* ſigillatim, vna omnes, *Conuentum* vocant. Qui rebus, cum dignitate præeſt, *Præfectus* dicitur: reliquis, ſua, ex more, ſunt munia, cum ſacris faciundis, tum curandæ etiam rei familiari, deſtinata. Aedificiorum reſiduum, fornicibus, valido concameratis opere, granariis, cellisque, abſoluitur. In his, cum bellis *Turcicis* infeſta fuit regio, & miles degebat, & commeatus neceſſarius adſeruabatur.

ſitus amœnus:

ædes ſacra:

archiuum:

cœnobium:

ædificia reliqua.

§. II.

Fuit olim & Martis domicilium:

Enim vero, præter rem diuinam, *Martis* quoque domicilium fuit, fanum noſtrum. Lubet, peregrinatoris Tollii (*h.*) loci hanc laudem expromſiſſe. *Eſt*, inquit, *hæc Abbatia, in colle modico, aduerſus Turcarum præcipue vim, eximie munita, quos ſæpe, ante & poſt, ſed præcipue anno a N. C. MDCLXIV. ad triginta millia*, Ujvarino, ſiue Neühäuselia, Leventzio, & Nitria, *captis, fortiter*

g.) Ita Cardinalis Pazmany, ad Synodum Strigonienſem, Appendice II. p. 102. in *Strigon.* diœceſi.

h.) Epiſtola Itineraria V. p. 194.

ter præſidiarii reiecerant. Nec melior hoc bello HVNGARORVM *fortuna fuerat. Hi, cum, duce* TÖKÖLIO, *Vienna reuerſi, portis ſucceſſiſſent, rogati, vt acceptis vini panisque xeniis, abirent, cum ſpe prædæ, quæ hic plurima erat ruſticanæ ſupellectilis, vim inferrent, ſimulato primum metu, mox ex improuiſo diſploſis tormentis bombardiſque, ita excepti ſunt, vt intra quartam horæ partem, ducentis ſuorum deſideratis, reliqui præcipites, per caput & pedes, in flumen agerentur, & ne exſpectatis quidem cœnæ huius menſis ſecundis, quam ocyſſime aufugerent.* De TÖKÖLIANIS, non vna clade hic adflictis, res certa eſt. Sed, quæ de triginta Turcarum millibus reiectis narrat, quia in SVSAE illam expeditionem inciduut, qua is *Lévam* recepit, videre, quid verum ſit, oportet, atque, vti res fuit, edicere. Poſt *Zernoviczianam* pugnam, cuius ſupra meminimus, *Turcæ* profligati, iamque ex pugna reduces, *Regiomontum*, fœdiſſime euaſtarant. In itinere, valle hac deſcendentibus, *S. Benedicti* fanum obiiciebatur, quod non potuerunt non, rabidi, ex accepta clade, hoſtes, iteratis adſultibus, tentauiſſe; ſiue ſpe prædæ ducti; ſiue, vt caſtrum reuera ſub poteſtatem mitterent. Tunc vero, octo admodum millium *Turcarum* fuit exercitus, mille plus minus, ad *Zernoviczium* deletis. Itaque, metu famam augente, tenuior ille exercitus, *triginta* fuiſſe *millium*, vulgo creditus eſt. Alioquin, eadem hac tempeſtate, ſequutus hoſtem SVSA, caſtra hic communiuerat. Ita WAGNERVS: (*i.*) *Impoſitis* (Lévæ, quam ceperat) *præſidiariis quadringentis*, Neümutho *præfecto*, *ſtrenuo centurione*, *ad* S. Benedicti fanum, *copias reduxit.* Exſtat hodieque caſtrorum veſtigium, foſſa, & agger, ab vno montium, ſiniſtro illo, aduerſo amne, ad *Granum* vſque protenſus, & a cœnobio, ad grandioris tormenti iactum, in aquilonem ſubmotus. Alioquin, in iis munimentis, connumeratum fuiſſe *S. Benedictum*, quæ arcendis, a montanis vrbibus, *Turcis*, acri tenebantur præſidio, ne TOLLIVS quidem, hac profectus, ignorabat. *Poſtquam*, inquit, *receptum cum* Nitria, Leventzium, *ſi quando a præſidio* Neüheüſeliano, *quod oppidum quinque tantum milliaribus, ab hoc fano diſtat, vis fieret, tribus tormentorum bellicorum exploſionibus*, Leventzium *præſidiariis ſignum dabant, qui duabus rurſus reſpondebant, & mox equis conſcenſis, Turcas inuadebant, ni ſe matura fuga periculo ſubducerent. Hoc, vna cum* CARPONENSI *præſidio, ſemper montanas fodinas, a* TVRCARVM *inuaſionibus, tutas præſtitit.*

Turcarum & Tökölianorum clades:

caſtra Suſæ, & horum veſtigium:

præſidiariorum excubia, atque *virtus.*

§. III.

ITaque, ad eum modum muniri oportuit fanum, vt ſe non tutari modo; ſed retundere etiam hoſtes, vim molientes, poſſet. Inter occidentem, & aquilonem, porta eſt, ponte verſatili, & qui, pro re nata ſubduci queat, inſtructa. Hanc, turris præmunit validior, quam celſior, in cuius faſtigio, æneæ tympana, ſtatis diei tempo-

Munitionum fani ratio:

i.) Hiſtoria LEOPOLDI M. Lib. II. p. 149.

temporibus, more reliquarum *Hungariæ* arcium, pulſantur. Inde, templi latus alterum init, e cæſo lapide, coagmentatum, & columnis ſuffultum. Qua vallem proſpicit moles, gemino propugnaculo, ſuccingitur. Minus alterum eſt, ac fere in hypocauſta diſtinctum; grandius alterum, idemque in orbem, firmo ſolidoque opere, ſubductum. Tormentorum hic ſunt ſuggeſtus, vnde patens late vallis, & montis vtriuſque dorſa, globorum iactibus, defenſari poſſunt. Idem fere habitus eſt, earum quoque munitionum, quæ ad ſolem orientem & meridianum ſpectant, præterquam, quod eæ, recto latere, in montis cliuum, adſurgant, atque illic in nouum, ſed exilius priori, propugnaculum deſinant. Tergum arcis, vaſto muro, foſſaque, in petra excauata, præcingitur; ſitu tamen importuniore: quod mons, cuius lateri inædificatum eſt cœnobium, altius inde, atque ad eum modum ſurrigatur, vt caſtri interiora, lapidibus inde peti queant. Id, vt arceretur, neque temere munitiones, ab hoſte ſubiri quirent, ante luſtra aliquot, murum, toto cœnobio circumduxere, non eum quidem celſum, firmum tamen, neque inutiliter factum. In montis cacumine, ſpecula fuit, ex qua, late, in regionem, patebat deſpectus. Perpetui, in ea, belli temporibus, excubatores vigiliæue, habebantur, quæ hoſtium impreſſiones obſeruarent, admonerentque periculi, cum præſidiarios, tum vicos, varie, hinc atque illinc, ſparſos. Sed iam rudus & ipſa eſt, quod alta pace, nihil opus eſt ea ſollicitudine.

ſitus, ad defenſandum importunitas:

ſpecula montis cacumini impoſita.

§. IV.

Quomodo, in poteſtatem Capituli Strigonienſis, *venerit?*

DIximus, *Benedictinorum* ordini, a GEYSA I. cœnobium fuiſſe traditum; at enim, quomodo eorum ditione exemtum? *Benedictinos*, nempe, bella disiecere: in quorum locum *Strigonienſe Capitulum*, anno MDLXV. ſucceſſiſſe, TIMON auctor eſt. TOLLIVS, (*k.*) ex *Canonicorum* credo ſermonibus, qui eum hic diuertentem, liberaliter acceperant, ea de re, ad hunc modum: *Hoc cœnobium, a Monachis deſertum eſt, ob bella; poſtea Imperator, illud* Capitulo Strigonienſi, *quod Tyrnauia reſidet, donauerat. Id* Capitulum, *vt appellant, ſingulis bienniis, huc mittit Canonicum, tamquam curatorem, & inſpectorem prouentuum, qui, Prælati huius Abbatiæ, nomine gaudet, & ſalutatur.* Hæc ille. Sed, nos certiora dare cuperemus, & fide diplomatum confirmata; tametſi, curam eam, aliis, haud illubentes, permittamus. Iucunde vero TOLLIVS, Canonicorum, qua perfruitus eſt, hoſpitalitatem deſcripſit. *Sequenti*, inquit, *die Dominico, quum Zernovicii pernoctaſſem, circa meridiem, ad* S. Benedicti Cœnobium, *deueni; quod explendi animi cauſſa, adeunti, obuius in porta fuit,* Reuerendiſſimus Dominus Emericus Pongrátzius, Dominus de S. Nicolao & Óvár, Archi-Diaconus Eccleſiæ Huntenſis, Canonicus Strigonienſis, *& huius* S. Benedicti Abba-

Tollii *relatio:*

laus hoſpitalitatis Canonicorum.

(*k.*) Vide Notas, ad Epiſtolam Itiner. V. num. 63. p. 235.

Digitized by Google

Abbatiæ ad Granum, Prælatus. *Is, comiter ſane, quod proficiſtendum ſibi ad thermas eſſet, ſemet excuſauit, quod non ipſe me, pro mea, vt aiebat, dignitate, poſſet tractare: verum, ſacellano ſuo, viro perquam officioſo*, Antonio Lucæ Huſtouichio, *huius rei curam demandauit. Cum* illuſtriſſimum Abbatem (*l.*) *de* Abbatiæ *bibliotheca interrogarem, feſtiue reſpondit:* vnum ſe tantum habere codicem, per quam bonum, qui & me, ſine dubio, ſicut ceteros homines, delectaturus eſſet; *ſimul, in cellam vinariam, quæ in conſpectu erat, digitum intendit. Hoc igitur codice, licet non manuſcripto, hilare inter prandendum, vſi ſumus, memores, inter pocula, tam benigni, facetique hoſpitis.* Habent omnino, propriam, *Conuentuales S. Benedicti*, laudem hoſpitalitatis, raroque accidit, vt peregrinos ſe inuiſentes, quique alicuius ſint dignitatis, impranſos aut incœnatos, dimittant: priſco *Hungarorum* ritu, quem toties commendauimus.

§. V.

IAm, quod ad oppidum adtinet, vico id gemino conſtat. quorum alter, in eam vallem abit, qua *Granus* delabitur; alter, qua riuus huias deiicitur. Vterque, ſub conſpectu cœnobii eſt. Colitur, ædibus, e cemento quidem, ſed fere agreſti more, factis; ſi lautiores quosque excipias, exquiſitius habitantes. Incolæ, agricolationi ſtudent, vnde etiam agreſtis quidpiam moris, participant. In primis vero, cultu diſtinentur vineatico. Primus enim ager huias eſt, qui vitem, poſt aſperos retro montes, benignius incipit alere. Tota ea montium regio, quæ occiduò partim, partim meridiano ſoli, miteſcentibus iugis opponitur, vinetis culta eſt. De quorum fructu, id accepimus: bibi poſſe, ſingulari guſtus adprobatione, ſi annuus ſit; ætatem, quæ vltra proceſſit, ægre ferre: quod, in eo ſoli cælique rigore, creditu facile eſt. Incolas ipſos, inhoſpitalitatis accuſant multi: quod crimen minus iam obiectabunt, diuerſorio educto, in quo, ſi quid tecum habeas, quod edas, ſine ſumtu poſſis hoſpitari. Mirum eſt nobis viſum, in tanta herorum, erga peregrinos, beneuolentia; eſſe poſſe in ſubditis, qui alio ſint ingenio. Nuper, *Iudæi*, habitatum iſthuc confluxerant, iamque tabernis excitatis, gentis inſtituto, mercatus cœperant inſtituere. Verum, quod propius, ad vrbes montanas, acceſſerunt, quam id lex permittat, amoti hinc ſunt ante, quam potuiſſent radices egiſſe. Iam eorum domicilia, longo ordine ſubſtructa, opifices incolunt *Chriſtiani.*

Habitat. & vici oppidi.

incolarum labor.

eorum aſperitas.

Iudæorum colonia deiecta.

l.) POPGRATZIVM abiturientem, ita, ex ſua opinione adpellat. Neque enim, quod ſciamus, *Abbates*, ſed *Præſecti* ſalutantur, qui iſthic rebus præſunt: quod quidem nomen, & dignitatis eſt, & muneris.

IV.

Oppidvm Aranyos Maróth.

§. I.

Maróthi nomina:

Maróth, vetuſto iure, in oppidis cenſetur: cognomen autem *Aranyos* (*m.*) nuper accepit, quando, cum vniuerſa dominatione, illuſtris vir, *Georgius Paluska*, ſuis id iuribus, indulgente, rege, adſeruit: credo, vt diſcriminaretur ab aliis, eiusdem vocabuli, ſeu vicis, ſeu oppidis. Slaui *Moraueze* adpellant, forte quod colonia *Morauorum* fuit, quorum olim fines, ad amnem vsque *Nitriam*, protendebantur. Ita & Germani *Morawetz* dicunt.

ſitus agricolationi idoneus:

Situm eſt loco, ad agricolandum, in primis idoneo; rure enim circumfunditur, cum omnis generis ſegetum, tum tritici, maxime feraci. Horreum bonorum *Paluskyanorum* diceres, ita hic blanda *Ceres* amat hoſpitari. Antequam in ditionem veniſſet *Paluskyanorum*; *Gymeſienſi* enim arci, antehac paruit; exile fuit admodum, habitaturque ruſticanis caſis. Iam, ſpeciem cultioris oppidi induit, ornatumque eſt,

cultus oppidi renaſcens:

non vnis ædibus, etiam vrbibus idoneis. Gemino hæ, laxoque ordine, ab oriente æſtiuo, in occaſum poſitæ ſunt. Quod inter vtrumque ſpatii intereſt, forum occupat, in cuius medio granarium inſedit, molis non modo, ſed fabricæ etiam exquiſitæ.

inſigne granarium:

Quadrato id opere, ſed protenſo longius, atque, in plures contignationes, eductum eſt. Imam partem, fornices occupant, mercatoribus accipiendis facti; mediam, & ſummam, concamerationes, frequentibus feneſtris inſtructæ, vt commode in iis frumentum condatur. Plane ex M. Terentii Varronis (*n.*) ſententia: *Triticum*, inquit, *condi oportet, in granaria ſublimia, quæ perflentur vento ab exortu, a ſeptentrionum regione, ad quæ nulla aura humida, e propinquis locis adſpiret.*

auctoris, de adſeruandis, eadem diligentia frugibus, deſiderium.

Et, optandum ſane eſt, vt huiate exemplo, plures adducantur poſtea, ad fruges, eadem hac diligentia, conſeruandas. Nam quod tota fere *Hungaria*, Capadocum Thracumque ritu, ſub terris habere granaria malint villici; magna id ſæpe, cum frugum iactura accidit, dum, aut pluuialibus aquis, ſuffuſi, (*o.*) corrumpunt, quid-

m.) Id quod Hungaris *Aureum Maróth* ſignificat. Egregii ominis cognomen.

n.) De Re Ruſtica, Lib. I. Cap. LVII. p. 223. editionis Gesneri, forma quadripart. Lipſiæ A. MDCCXXXV.

o.) De Siris, legantur Scriptores ruſtici, Varro Lib. I. capite & p. nunc indicatis. Et Colvmella, Lib I. Cap. VI. edit. laudatæ pag. 405. In Hungaria, familiariſſimum granarii hoc genus, ita fit. Locus deligitur, ſi fieri poſſit, eleuatior, quique humo ſit ſolida, ac fere argillacea. In hanc, puteus deprimitur orbicularis, & qui, ſacco frumentario transmittendo, ſufficiat: altitudine pedum circiter quatuor. Tunc laxari puteus incipit, ad modum ventroſi vrcei cauatus, capacitate tanta, quantam ſibi villicus propoſuit. Antequam indatur frumentum, parietes, ſtramine conueſtiuntur, ad palmi craſſitiem, ne humum contingat frumentum. Poſt, vbi plenus eſt ſirus, os illud, ſubdito fulcro ligneo, eadem quæ egeſta eſt, terra, ſtudioſe obturatur, tum ad aperiendum, cum ad vſum, expromendum erit aliquid.

Digitized by Google

quidquid ingeſtum eſt ; aut ſubterraneis fœdisque (*p.*) halitibus, ita frumentum inficiunt, vt panis inde fiat, ſi non prorſus improbi, moleſti tamen ſaporis. Meminimus, præpoſtera hac, condendarum frugum, conſuetudine, annonæ aliquando caritatem patriæ inuectam fuiſſe. quod metuendum haud eſſet, ſi tutius reponeremus fruges; contra, ex facili foret, Persii illo præſcripto, viuere:

Iam nunc adſtringas, iam nunc granaria laxes.

§. II.

EO latere oppidi, quod aquiloni, granarioque obuerſum eſt, prætorium viſitur, decore non minus, quam ſolide, exædificatum. In ſuperiore ædium parte, herilia ſunt conclauia, omni eo adparatu inſtructa, qui eſt, ad commode, & cum elegantia habitandum, neceſſarius. Reliquum, partim bonorum procurator, partim familiares alii colunt. Meridionali oppidi regione, quaque apertum rus init, nouum ſubſtrui caſtellum conſpeximus; facileque erat, ex parietibus, qui tunc excitabantur, coniicere, molem fore, dum conſummabitur, haud alibi, iſta ora, obuiam. In oppoſitam plagam, villa ſecedit, recenti opere, atque ita exædificata, vt præter molam frumentariam, officinam ſimul *cereviſiarum*, *braxatorium* vulgo dicunt, habitationesque, longo ordine poſitas, habeat. Atque, hæc quidem herilia fuere ædificia, quæ, ſi incolæ, pro facultatum portione, ſicuti cœperunt, perrexerint æmulari, breui futurum ſperamus, vt oppidum vniuerſum, habitum induat, vrbiculæ haud abſimilem. Ciues, quos habet, plerique opifices ſunt, a loci domino, egregia prouidentia, iſthuc arceſſiti, vt inſuetas, hac ora, officinas inſtruerent. Itaque, eo iam, in lanificio cum primis, profecere, vt pannos texant, exoticis ſuppares, noſtris autem hominibus, multo etiam gratiores. Neque artes reliquas deſideres, cum ruſticationi neceſſarias, tum etiam elegantiæ. Ad quas res, hero non minus vtiles, quam regioni circumpoſitæ, mercatus accedunt, qui hic aguntur frequentius, puta: *Die Purificationis B. V. Mariæ; Die Martis poſt Dominicam Palmarum; S. Georgii; SS. Petri & Paulli; S. Michaelis; Omnium Sanctorum*; ac denique *S. Thomæ*. quos ſingulos, pecuaria fora, ex more, præcedunt. Sedet oppidum medio fere, inter arcem *Gymes*, & *S. Benedictum*, itinere; reduciturque *Kis-Topolcsáno* modico, ad profluentem *Zitvam*, in meridianum ſolem, milliario. Suum fecit oppidum, cum admenſa dominatione, *Georgius Paluska*, multarum laudum vir, dum rebus humanis intereſſet.

Herile prætorium, elegantur factum:

noua moles:

molafrumentaria, cum opportunitatibus villicis:

p.) Tam hi ſunt noxii, non raro, vt, niſi, vno alteroue die, aperti ſiri, exſpirent, conceptos iſtiusmodi halitus, immitti, ad exhauriendum frumentum, ſine vitæ periculo, vix poſſit quisquam. quod nos triſte experimentum aliquando condocuit, dum puer, intempeſtiuius demiſſus, ante præfocatus eſt, quam hauſtrum, frumento admouiſſet.

SECTIO II.

DE

Vicis Proceſſus Kis-Topolcsanenſis.

VIci huiates, in tria *Dominia* diſpertiti ſunt hodie, poſteaquam *Maróthum*, peculiari iure, genti *Paluskyorum* adtributum eſt. Sunt enim, *Kis-Topolcsanenſe; S. Benedictenſe;* & *Aranyos-Maróthenſe.* quæ ſingula adibimus.

I.

Vici Dominii Kis-Topolcsanensis.

Szkiczow, in vltimum, dominationis *Kis-Topolcsanenſis*, aquilonem, retruſus, ea valle, cui *Léves* nomen eſt. Agros circum habet, poſitus collini. Hos montes obſident, calui partim & ſiticuloſi, partim opacis ſiluis conueſtiti. Itaque, lignationem habet inexhauſtam. In caluis illis, *Welky-Wrch*, quod magnum montem ſignificat, famam habet præcipuam, cum ob figuram *conicam*, inquam celſus ſurrigitur, tum ob inſignem ſcaturiginem, quam orientali parte, vberem adeo fundit, vt, molæ vrgendæ, ſufficere poſſe videatur. Nempe, foramen eſt, duorum pedum ambitu, quod limpidiſſimum iuxta & ſaluberrimum laticem, ſuaui ſtrepitu, eructat: ſyringem diceres, nulli non arte facto anteponendum. Eſt & monti *Kruſſi* ſingularis ſcaturigo: quippe quæ, rigente bruma tepet; gelidiſſima contra eſt, cum ſunt feruidiſſimi Syri. Vterque fons, prona valle *Léves*, pone arcis *Hruſſow* radices, demanans, in riuum, haud inopem aquarum, coit, atque per *Topolcsan* prouolutus, ad oppidum, *Zſitvæ Szkiczovienſi*, coadunatur. Qua montes collesque ſubſidunt, valles ſe aperiunt, pratis irriguis herbidisque, niſi inundarentur ſæpius, amœnæ. Montium, quos diximus, ſaltuoſi receſſus, copioſas alunt feras; in quibus *carniuoræ* illæ, moleſtæ non raro ſunt incolis. qui *Slaui* hic ſunt, iique ſcrupuloſi agricolatores.

2.) *Fennyő-Koſztolány*, a ſilua abietina, cui vicinus adſedit partim, partim, vt diſcriminaretur, a vicis, eiusdem vocabuli, aliis, ſic cognominatus. Intra montes, iniquiore loco poſitus; agros certe, per collium latera ſuſpenſos habet, operoſæ ideo ruſticationis, neque tunc reſpondente colono, cum largiter, arationibus lætamen adſperſit. Intra montes, qui ad *Welikó-Pole* vergunt, turris, incognitæ ætatis, rudus viſitur, fabulis accolarum famoſum. quibus inde volunt fidem conciliare, quod nummos illic repererint veteres, qui parietinas ſcrutabantur. Vallis, quæ eadem ora, in occaſum procurrit, *Zſitwa* dicitur,

citur, riuum cognominem deuehens. Is demum, in molam deriuatus materiariam, verſus *Ebedecz* curſum tenet, & prope *Hizér* cum *Zſitwa Szkiczovienſi*, coadunatur.

3.) *Kis-Lehota*, montanæ, atque ideo poſitionis improbæ, vicus. Neque enim perpetuo ædium tractu, ſed diſſitis paſſim, tuguriis caſisque colitur. quarum propemodum ſingulæ, tantum habent admenſum agri, quantum tenuior ruſticationis modus requirit. Proinde, neceſſe eſt, late porrigi vicum, habitarique anfractuoſis ſitibus. quorum indolem, & ager ſequitur, aſper omnino, atque, ſine larga lætificatione, plane infœcundus. Ergo, cum re agraria nequeunt proficere coloni, ouilia curant, & caprarum greges, quos æſtiuis & hibernis ſtabulis, diligenter alunt, per opportuna montium. Ea cura, & victum ſibi parant, & veſtitum: ille enim caſeus eſt, & lac, cum crudum, tum in *Zinczíczam* excoctum; iſte, lacerna vilis, e lana craſſiore, arte ruſtica, confecta. Sunt autem, & robuſti & viuaces adeo, vt non raro, ſæculum viuendo ſuperent. Id in moribus eorum ſingulare eſt, quod cum apud prætorem agreſtem, *iudicem* vocant, conſulendum aliquid in commune eſt, diſperſos longe lateque vicinos, non oſtiatim, quod ſit alibi, ſed alta voce, cum boatu, conuocet prætoris vicarius. Collem is, reliquos altitudine præcellentem, aſcendit, atque illic, tamdiu, vociferatur in omnes vici regiones, dum auditum ſe ab omnibus poſſit exiſtimare. Et ita omnino fanxerunt inuicem, vt audito ſtentore illo, ad ædes prætoris, nil cunctantes, adcurrant. *Slauum* & hic genus regnat, ad montes, & ſalebroſa quæque loca habitanda, vnice factum.

4.) *Nagy-Lehota*, maiorem dicunt, vt a minore, quam nunc vidimus, *Lehota*, diſtinguerent. Secedit intra montium concaua, agro præditus collino, & ob ſituum hanc iniquitatem, effœto: quin & imbrium damnis obnoxio, qui vbi vehementiores deciderunt, exaratos agros, vna cum facta ſemente, profunde deluunt. Incolæ proinde, quia nequeunt agricolatione proficere, montanis vrbibus locant operas, referuntque ex iis ſudoribus lucelli quidpiam. Ex vici territorio, riuulus oritur *Wojſzniczky-Potok*, poſt prima capita, a quibus demanat, piſciculorum minutorum bene patiens. qui, vbi cum *Kis-Lehotenſi* altero, cui *Na Doline*, nomen, in vnum coiuit alueum, amniculum efficit, *Zſitwa-Koſztolanenſem*, qui inde, prope rudera turris, ad *Fennyō-Koſztolán* memoratæ, delapſus, trutis iam eſt hoſpitalis. Secedit, a *Kis-Lehota*, in meridiem, habetque ab *oriente*, *Ujbanyam*, vrbem metallicam, collimitaneam, in ſiluoſis montibus illis, quibus *Cſervená-Studna*, a ſcaturigine, rubram habente glaream, nomen tributum eſt. *Meridiem*, Ebedeczenſis; *occidentem*, *Fennyō-Koſztolanenſis*; *ſeptentrionem*, ager *Kis-Lehotenſis*, definiunt.

5.) *Kereſzt-Úr*, vicus eſt, arci *Hruſſow*, inter orientem & meridiem, ea in valle, ſubſitus, per quam *Zſitwa* amnis, collectis in ſe riuulis, delabitur. Ager frumentarius, egregie ſterilis, in occiden-

tem porrigitur; in orientem prata, commoda, & vberis fœniſecii futura, niſi ab eluuionibus infeſtarentur. Agger iſthic obſeruatur, ab vno collium, ad alterum, valido tramite, deductus, cuius obiectu, riuus hac interlabens, in piſcinam olim colligebatur, laxe diffuſam. Aedes ſacra, in memoriam *S. Crucis* dedicata, medio vici, ſitu paullo eleuatiore, inſedit. Incolæ, *Slaui* ſunt, gnauum, in ruſticando, genus, ſi reſponderet induſtriæ cæli ſolique aſperitas. Clauditur vici territoriun, ab occidente quidem, *Hruſſovienſi,* vetitæ lignationis ſilua, terreno item *Szkiczovienſium* montano ſaltuoſoque. Septentrionem, *Fennyő-Koſztolanenſe* collimitium, in ſiluis, *Peſtolnicze nad Mlinom,* pratisque *Lomatinyecz* vocatis, definit. Ab oriente, *Ebedeczenſibus* ſiluis, vſque ad *Cſelár*, & agris, quos *na Winiczno Pokogisko* dicunt, præcingitur. Meridiem denique, hinc poſſeſſio *Maholány*; illinc oppidum *Topolcsány*, deſignant.

6.) *Maholány*, orientalis *Topolcsáno*, vicus. Hinc prodiiſſe gentem cognominem, inde arguunt aliqui, quod hodieque ſuperent ex ea conſanguinitate, non plane nulli. Adhuc montoſo ſitu eſt, ex cuius ingenio, ager quoque, per colles montanaque, ſpargitur: agricolationis, oppido, difficilis, quam tamen ſcrupuloſe faciunt *Slaui* incolæ. Medium vicum, *Koſztolanenſis Zſitwa* intercurrit, quæ hinc prolapſa, ad *Hizér*, *Szkiczovienſem Zſitwam*, recipit, dum, ad vicum *Födémes*, pernicioſi amnis *Csétény*, illapſu, ad iuſti fluminis modum increſcat, poſteaque, quod ſupra in fluuiis diximus, ad *Zſitwa-Torokum*, Danubio intimetur. quas quidem *Zſitwa* acceſſiones & decurſus notaſſe iuuat. *Circumſidetur* ager *Maholyanenſis*, ab oriente *Cſarádienſi*; a meridie, *Perlepenſi*, *Apathenſi*, & *Knyeſiczenſi*; ab occidente *Topolcsanenſi*, & *Kereſztyrenſi*; denique ab aquilone *Ebedeczenſi*.

7.) *Knyeſicz*, vicus haud quidem incultus; ſed qui parte tantum altera, dominationi *Topolcsanenſi*, accenſetur. quod ab ea eſt reliquum, *Dióſſii*, aliique nobiles, poſſident. Terrenum vici, partim montibus ſaltuoſis, partim collibus horret, per quorum deuexa, agri ſunt frumentarii, ruſticationis duræ quidem; verum ob incolarum, qui ſunt *Topolcsáno* adſcripti, ſolertiam, haud infructuoſæ: nam, quæ nobilibus tenentur, negligentius habentur, colunturque, fere herilibus tantum operis ac villis. Rigat vicum memoratus toties *Zſitwa* amnis, trutarum iam, & cancrorum probi ſaporis, diues. Incingitur, ab oriente *Keletſenyenſium*; a meridie *Aranyos-Marothenſium*; ab occidente *Kis-Topolcſanenſium*; ſicuti a ſeptentrione *Apáthenſium* finibus.

8.) *Závoda*, alias *Kis-Valkócz*, bihorii itinere, *Kis-Topolcsáno*, intra meridiem, & orientem, ſeiunctus. Subſedit amœnum collem, multaque arbore veſtitum; ad cuius pedem amniculus labitur, *Slauis* incolis, *Olichocsky-Potok*, dictus, varii generis piſciculorum, atque inprimis fœtura *lampertarum*, quas Plinivs, Libro XXXII. Cap. VII. *oculatas* vocat, inſignis. Agro eſt, multo, quam erant antegreſſi, fertiliore:

tiliore: quippe qui, aperto ſitu procurrens, & arationes habet faciliores, & indendi lætaminis proniorem commoditatem. Id damnares, quod campo paſcuo, deſtituatur. quam ideo opportunitatem, in vicinorum aruis, pretio redimant, neceſſe eſt. Haud pridem, vitem ponere cœperunt incolæ, ea ruris portione, quæ, ſitu erectiore, meridiei obiicitur. quæ res, quo ſit ſucceſſu itura, dies docebit. Prætor vici, non vti ſolemne eſt alibi, in annos, ſed in hebdomadas ſingulas, peculiari ac vetuſto inſtituto, deligitur. vnde fit, vt vagabundum, hoc, quidquid eſt, muneris, in ipſa hac plebe ruſtica, iam pridem, vltra modum, euiluerit. Habet ab oriente, *Nagy-Valkótz*, quod & ab aquilone, ſitu viciniſſimo, prætenditur; a meridie *Nemſchitz*; ab occaſu *Wozokány*, ſeu *Nagy-Vezekény* & *Keletsény*, collimitaneos.

9.) *Kis-Györöd*, altius, & ad tria fere milliaria, intra orientem & meridiem, *Topolcsáno* recedit, media ſui parte, ditioni *Topolcsanenſi*, adſcriptus. Territorio gaudet collino eo, ſed, fertili, & cultus ſimul vineatici, patiente: quod *Hungari*, admixtis ſimul *Slauis*, excolunt. Adſident vico, ab oriente quidem *Uj-Barſch*; a meridie, *Nagy-Györöd*; ab occidente, *Patyi* prædium, & *Cziſár*, inſignis vicus; qui ei, & a ſeptentrione ſimul, cum *Moby*, obſidet. Quod prope eſt ad pontem *Barſchienſem*, commeantis vltro citroque militis frequentia, multum, ex crebris hoſpitiis, hic, & adfines vici, detrimenti capiunt.

10.) *Malonya*, ſecedit *Topolcsáno*, in meridiem vltra milliaris ſpatium, ſedetque in *Zſitwæ* occidentali margine. Agro lætatur fertili, quodque poſitionis ſunt eleuatioris, ſecuro ab eluuionibus. quod aliter ſe habet in pratis: quippe quæ, *Zſitwa & Kocſinka*, confluentes, in huiate agro, fluuioli, non raro inundant, & fœniſecia corrumpunt; cetera, piſcium minutorum, & cancrorum, ſaporis eximii diuites. Pontem, quo amnium vterque conſtratus heic eſt, prouinciales magiſtratus curant; eo quod regiam transmittat, *Nitriam* ducentem. Herilis mola, vico proxima, villa item ruſtica & fructuaria, egregiorum ſunt redituum. Quia dumetis, & id genus opacis lucis, ager vici paſſim inſeſſus eſt, locum facit, & aucupiis, & venationi: niſi hanc luporum, illud *dendrofalconum*, miluorumque frequentia, imminueret. Obſidetur vicus, ab ortu, *Nagy-Vezekényo*, & *Kis-Vezekényo*; a meridie, *Kis-Faludo*; ab occaſu, *Nagy-Hereſtényo*; denique ab aquilone, *Hecſe*, & *Teſſavo*, vicis.

11) *Zſikawa*, inſedit ſub montibus, qui *Topolcsáno* ad ſolis occaſum obiacent, poſitu haud ſane iniquo. Ager ei, frequentibus riuulis, quos montes proximi, & perennes, & vberes demittunt, irrigúus eſt: qui poſteaquam ſupra vicum, in vnum alueum coiuere, medium eum intercurrunt. E vico, vbi molam frumentariam, ad incolas ipſos adtinentem, rotauerat, egreſſus, agrum bipartito ſecat, dum ad vicinos exeat: cancrorum, ſi quis alius, ferax. Coloni, laudem habent, eximiæ in agricolando, induſtriæ. Circumcingitur, ab oriente

ente & meridie, rure *Kis-Topolcsanenſi*; *Geſzticenſi*, ab occidente; ſed a ſeptentrione *Krncsa*, *Nouejſza*, *Geſtowecz*, *Kolos*, & *Szkiczow*, vicis definitur.

12.) *Lócz*, priori propemodum ſimilis, ſed agris non æque ruſtico benignis. Hæreſcit, vallis lateri, habetque vberem adeo ſcaturiginem, vt non incolis tantum, ſed pecudi etiam adaquandæ ſufficiat, poſteaque in riuum collecta, in proximum torrentem incurrat. Terminatur *Zſikawa* ab oriente; *Geſztowecz*, a meridie; ab occidente *Kraſin* & *Zſerensk*; denique ab aquilone, *Geſztoweczenſi* partim, partim *Noveiſzenſi* & *Zlathoienſi* agro. Iter hac, ad *Szolcsán*, arduum illud & montibus impeditum, deducit. Reliqui dominationis vici, puta:

13.) *Szolcsány*,

14.) *Kraſznó*, & prædium *Hornyán*, in *Comitatu* ſunt *Nitrienſi*, vbi eorum, inter vicos *Proceſſus Bajmoczenſis*, numero VII. & XIII. recurret mentio. Atque hæc de *Kis-Topolcsanenſi* dominatione, dicenda erant.

II.
Vici Dominii S. Benedicti.

Zeleptsén, aquilonaris, *S. Benedicto*, vicus, a quo ſeſqui milliari ſubmouetur.

2.) *Teſzár*, eadem ora poſitus, priorique ſuppar.

3.) *Ebedécz*, altius, in ſeptentrionem retruſus.

4. *Nagy-Vezekény*, in occidentem, duobus milliaribus ſepoſitus, agro vbere, frequentibusque colonis.

5.) *Robocznicza*, propius, eadem plaga, ad *S. Benedictum* accedit.

6.) *Valkócz*, priori vicinus, & frumenti ferax.

7.) *Kovácſy*, Slauis *Kozárowcze*, eximius vicus, & cum incolarum frequentia, tum agri præſtantia, in primis memorandus. Inſedit viam regiam, medio in occidentem milliari, vltra eum montem, *S. Benedicti*, cuius lateri cœnobium inſedit, ſecretus.

8.) *Nemcsén*, ſitus collini, ſed opportuni ad agricolandum. Poſſidetur, partim a *Capitulo Strigonienſi*, partim a nobilibus quibusdam.

9.) *Kis-Apáthi*, &

10.) *Peſzſzér*, in ſeptentrionem abeunt, ſuntque propinquo ſitu. Vicorum reliqui in *Comitatu Hontenſi*, occurrent.

III.
Vici Dominii Aranyos-Maróthensis.

Jfalu, ſeiungitur ab oppido, modico, ad ſolem meridianum, milliario, eſtque ſitu ſegetibus amico. Habet vineas, & vberes, & fructus haud ſpernendi.

2.) *Cſarád*, ad orientem, eo itinere, quod ad fanum

fanum *S. Benedicti* ducit, milliari ſepoſitus, agroque ſegetum feraci partim, partim montibus ſiluoſis circumfuſus.

3.) *Geſztócz*, ad occidentalem plagam, medio ab oppido milliari ſeiunctus.

4.) *Fekete-Kelecsen*, in meridiem, ad duo fere paſſuum millia repreſſus, agrum inſedit fœcundum, & nemoribus interſtinctum.

5.) *Hecse*, ad ſolem occiduum reductus, colonoque perquam idoneus.

6.) *Hezér*, vicinus, ad oppidum adſedit, ideoque, agro eodem, quo eſt oppidum, præditus.

7.) *Szent-Márton*, bis mille circiter paſſus, aquilonem verſus, reductus, idemque agricolationi opportunus.

8.) *Nagy-Manya*, cum prædio *Gödör*, multæ ad ruſticandum opportunitatis. Diſſidet *Maróthо*, milliaribus duobus, vno *Verebélyo*, habetque pontem *Zitvæ* impoſitum, quem herus vici inſtruit, ideoque ius telonii, regis indulgentia, conceſſum habet. Iam, Iosepho Koller, Cæſaris, Regisque in Aulica Hungariae Cancellaria, conſiliario, iure hæreditario paret, in titulis ſimul eius relatus, vt de *Nagy-Manya* dicatur.

9.) *Szencse*, profundius in meridiem, & ad bis mille circiter paſſus, vltra *Nagy-Manyam*, ſepoſitus, nullo non beneficio, quod eſt ad agricolandum neceſſarium, præditus. Eiusdem heri vicus.

10.) *Kis-Koſzmály*, ſeſqui milliario, ab oppido *Maróth* ſeiunctus, *Granoque* adpoſitus. Pollet feraci ſegetum agro, ac pratis, ſed quæ exundans, non raro, amnis, corrumpit. Vinearum, quas habet, laus eſt præcipua; vini autem tota hac ora, ingens adprobatio; ita, & ſalubritatis eximiæ eſt, & ſubacti guſtus, dum annus fauit fructui.

11.) *Nagy-Koſzmály*, aduerſo *Grani* margine, *Szőlőſiö*, Archiepiſcopali vico, limitaneus, priori, naturæ beneficiorum egentior: nam & vitis inops eſt, & quem habet agrum frumentarium, prataque, eluuionibus *Grani* ſunt infeſta.

Vici reliqui, eidem huic ditioni accenſi, *Nagy-Hind*, *Nagy-Kaláſz* & *Babindál*, in Comitatu Nitrienſi ſunt, illic memorandi.

IV.

Vici Variorvm.

Némethi, haud infrequens vicus, iuribus *Archi-Epiſcopi Strigonienſis*, adſcriptus, & dominationi *S. Crucis*, accenſus. Territorio eſt, collino partim, partim montoſo. Fauet ager, & *Baccho*, & *Cereri*: niſi vineas vrſi ante deprædarentur, quam vindemia poteſt cogi. Illabuntur hi, ex monte, cui

Kis-Inowetz, nomen eſt. Iſthinc amnis *S. Benedicti*, collectis, hinc illincue riuis, deiicitur.

2.) *Mankócz*, poſſeſſio cœnobii *Elephantenſis*, egregii reditus: cuius quidem partem alteram, *Petrus I. Forgách*, ſolemni *faſſione*, quam inter adparatus habemus; alteram *Felicianus*, & frater ſuus *Albertus Forgách de Gymes*, ad altare *SS. Trinitatis*, tanquam futurum, ſepulturæ ſuæ locum, perenni iure, cœnobio illi donauerunt. Iſta, ex monumentis genealogicis vetuſtiſſimæ *Forgáchiorum* familiæ adſcripſiſſe placuit. Ceterum, *Albertus Forgách* A. MCCCCXCVI. *Felicianus* autem A. MDIII. improles obiere, conditique ſunt, ad idem *Altare S. Trinitatis*, quod altera vici *Mankócz* parte dotauerant. Adde his, (*a.*) Annales Eremitarum, vbi donationis huius hiſtoriam legas, non ſine laudibus *Petri*, deſcriptam, ex diplomate Sigismvndi Regis. quod is *Petro* A. MCCCC. *Szakolczæ*, *die B. Nicolai Epiſcopi*, indulſerat, cuiusque nos fragmentum, in arcis *Gymes* hiſtoria, exhibebimus.

3.) *Veres-vár*, paret *Franciſco Beliczaj* & *Paullo Bacskády*.

4.) *Weleſicz*, itidem *Forgáchiorum* hæredium, quod iam *Paullus* iunior poſſidet.

5.) *Gymes-Koſztolán*, priori vicinus, quem hodieque *Forgáchii* tenent.

6.) *Belad*, eſt in poteſtate variorum, vicus haud omnino inique poſitus.

7.) *Kis-Hereſtyén*, priori, & ſitu adfinis, & agri ingenio, paretque diuerſis nobilibus.

8.) *Nagy-Hereſtyén*, ſeiungitur *Maróthо*, duobus in occidentem milliaribus. Poſſidetur a ſucceſſoribus *Ladislai Malyonyai*.

9.) *Kis-Szelesén Adami Tajnay*.

10.) *Nagy-Szelesén*, vicus, oppido eximius; ſed quod ius hæreditarium, ex æquo, ſexus eſt vtriuſque, inter plures heros diſpertitus. Habet *Locum Articularem* Auguſtanæ Confeſſioni addictorum.

11.) *Kis-Vezekény* itidem, a *Paullo Bacskády* & aliis nobilibus varie poſſeſſus. Secedit *Maróthо*, vno, in occidentem, milliari.

12.) *Néved*, tenetur a pluribus heris, quorum plerique, vxorum ſe iuribus tuentur. Nam & hic ſexus vtriuſque hæreditas eſt. Sunt autem in poſſeſſoribus, præter *Ladislai Petény* viduam, *Comes Oudaille*, *& Stephanus Tapjay*.

13.) *Perlep*, modico, in orientem, milliari, ab oppido *Maróth* ſubmotus, in plurium eſt poteſtate: quippe ſexui etiam femineo obſtrictus.

14.) *Zlatno*, pariter, iisdemque iuribus, inter plures poſſeſſores diuiſus. Recedit *Maróthо*, vno, verſus occidentem, milliari.

15.) *Kis-Fálud*, nomen ipſum, tenuem vicum ſignificat; ſed qui tamen, haud inique conſedit. Eſt gentis *Radvanſzkyanæ*.

Hactenus *Proceſſus Kis-Topolcsanenſis* fuit.

MEM-

a.) Lib. II. Cap. XVII. p. 186.

MEMBRVM IV.
DE
Proceſſu, & Sede Verebélyienſi.

PROOEMIVM.

Uplici nomine, oram hanc, inſigniuimus; *Proceſſus* altero; *Sedis* altero. quod vtrumque, cum ratione, expromendum eſt. Nimirum, *Sedes Verebélyienſis*, Hungarice *Verebélyi-Szék*, adpellatur, ob peculiaria, *Archi-Epiſcopi Strigonienſis*, & *Nobilium*, quos vocant, *Prædialiſtarum*, iura, quæ hic obtinent. Vetere enim inſtituto, ea, in ſede hac, præſulis auctoritas eſt, quæ alias regum eſſe conſueuit. Non modo enim ſummus *Nobilium Prædialiſtarum* (*a.*) magiſtratus eſt; ſed bona etiam, deficientibus familiis, pro eo, ac lubet conferre, perenni iure poteſt. Quin, ad totius regni ſimilitudinem, peculiaris *Sedi Palatinus* eſt, atque minutiores magiſtratus alii. Hi demum, ſi quid occurrat litis, dirimunt, & rem publicam, ex communium legum præſcripto, adminiſtrant. Itaque, nihil Comitatui, in *Prædialiſtas* iſtos, iuris eſt. Hanc vero illi prærogatiuam, bellica olim virtute meriti ſunt, tenebanturque ſuis ſtipendiis, quoties res poſcebat, ſub *Archiepiſcopi* ſignis militare. Perſcripta hæc eorum iura ſunt, publico, anni MDLXVII. (*b.*) decreto. *Statutum eſt*, inquit, *ex clementi annuentia Maieſtatis ſuæ, vt Prædiales quarumcunque eccleſiarum, qui in Hungaria & Sclavonia, iisdem fere prærogatiuis, ſemper vſi ſunt, quibus alii poſſeſſionati nobiles, & quorum homagia & iuramenta, æqualiter ſemper cum aliis nobilibus fuerunt æſtimata,*

a.) Egimus de iisdem hiſce *Prædialiſtarum*, & originibus, & prærogatiuis, in Comitatu Poſonienſi, ad *ſedem Pajkenſem*. Operis Tomo II. p. 284. ſequ. vbi, citata, ad notam §. III. *b.*, ſic emenda: anno MDXLVII. Art. XXVI.

b.) Artic. XIV. Colligas ex hoc Articulo, & *Prælatis* aliis ſuos fuiſſe *Prædialiſtas*, quod ad *Abbatiam Szekſzárdenſem*, ſuo loco adnotabimus.

non dicentur : potiſſimum, quando cum iis Dominis Prælatis, & Baronibus, in quorum bonis reſident, perſonaliter, ſineque ſumtibus, ſimili cum aliis nobilibus onere, exercituare teneantur. Sed, multum, ex ea prærogatiua, detractum eſt, cum Anno MDCXLVII. (c.) iidem *Prædialiſtæ*, in cenſum redacti ſunt. non id quidem nouo prorſus inſtituto ; iam tum enim anno MDXCIX. idem legas decretum ; (*d.*) ſed vero, ad eum modum, vt a ſuis ipſorum magiſtratibus *taxarentur: Prædiales Domini Archiepiſcopi Strigonienſis, taxabunt Palatini & Vice-Comites eorundem Prædialium, in quantum non ſunt armales, aut alibi ſeſſionati nobiles non fuerint.*

Cui quidem legi, *Prædialiſtarum Verebélienſium*, querelæ, quas anno ſuperiore, regi detulerant, occaſionem præbuiſſe, cenſendæ ſunt. Didicimus id ex WLADISLAI tabulis, quibus diploma SIGISMVNDI, Verebélienſibus datum, anno MDXLVIII. Budæ recognouit, ratumque habuit. Iam tum, nimirum, SIGISMVNDO rerum potiente, fuere, qui iura *exercituantium* Verebélienſium, audebant contemerare. a quorum iniuriis, vti, non tutos modo præſtaret, ſed adfirmaret etiam priſcorum regum, de libertate eorum editas ſanctiones, vrgente momentoſam adeo rem, JOANNE II. de Kaniſa, Archiepiſcopo Strigonienſi ; diploma id perſcribendum ſtatuit. *Volentes*, inquit, *Eccleſiaſticas immunitates, ex debito noſtri officii manutenere, de cetero inuiolabiliter, ab omnibus obſeruandum decreuimus ; vt præfati nobiles vniuerſi dicti Archiepiſcopatus, in dicto Comitatu Nitrienſi commorantes, ſemper, vt antea, iuxta antelatam ipſorum antiquam prærogatiuam ; ſeu iuramentis deponendis, homagiis emendandis & repetendis, ceterisque proceſſibus, atteſtationibus, affirmationibus, faſſionibus, & cauſationibus, in iudicio, & extra, per omnia, eodem modo & iure, quo veri nobiles regni, ac-*

c.) Articulo XXVI.
d.) Articulo VIII.

acceptentur & reputentur ; eorumque iuramenta, teſtimonia & homagia, cum illis vero titulo nobilitatis inſignitis, æquale pondus ſortiantur. Ad tributarias vero ſolutiones, ad quas veri nobiles non tenentur, nullatenus exiſtant peramplius obligati, nec ad ipſa ſoluenda, per quempiam compellantur, eorum antiqua libertate prænotata, ſimiliter exigente. Quocirca, vobis fidelibus noſtris, reliqua. *Datum Poſonii in feſto B. Dionyſii Martyris, anno Domini, milleſimo quadringenteſimo vndecimo.*

Fas erat exiſtimare, ceſſaturas *Verebélyienſium*, quibus cum conflictabantur, iniurias; maxime, quod WLADISLAVS, inſtaurandam eorundem libertatem, recognito SIGISMVNDI hoc diplomate, ſtatuerat; at enim vero, ea, reliquæ nobilitatis, aduerſum *Prædialiſtas* fuit commotio, vt ne tunc quidem ceſſarint adflictare vtile reipublicæ hominum genus, cum bella ex bellis fererent *Turcæ*. Ergo, nouis, rerum ſuarum calamitatibus, nouæ parandæ fuerunt medelæ. Euenit hoc, anno MDXLIII. cum pro-Palatini munere, *Franciſcus de Réva*, fungeretur. Huic enim, tabulas *Sigismundi*, a WLADISLAO confirmatas, obtulere iterum, vti moleſtiis ſuis, quas ſubinde cumulabant prouinciales, modum poneret, ſeque, pro ea, qua pollebat, auctoritate, tutos præſtaret, recenſitisque, optimorum regum tabulis, caueret apud poſteritatem, ne iuribus ſuis porro fraudarentur. Atque, ſuſtentauit omnino *Révaius*, cum vniuerſo Prælatorum, Baronum & Nobilium, quod tunc Piſonii coegerat, concilio *Prædialiſtarum* cauſſam; perſcriptumque eſt ab eo *Tranſſumtum*, vtriuſque, SIGISMVNDI & WLADISLAI, diplomatum, anno MDXLIII. feria proxima poſt Dominicam *Judica* in *Octaualibus iudiciis*, Poſonii celebratis, vt ſarta tectaque, iterum ac tertio, libertas *Verebélyienſium*, adſtrueretur.

Sed, quemadmodum ſunt hominum ingenia, vt eo fortius nitantur in vetitum, quo validioribus

auctoramentis, reprehendi, & ad ius æquumque reduci deberent; non ceſſauere mala *Verebélienſium*; dum a CAROLO III. anno MDCCXII. tertio menſis *Martii*, editis, ad ſeptem Comitatus, tabulis, retunderentur. Longum foret, grauiſſimas litteras, & plenas, iuſtiſſimæ, in *Verebélienſes*, benignitatis, expromere. Id certum eſt, laborantibus *Prædialiſtarum* rebus, nihil, eo edicto, accidere potuiſſe, opportunius; ſiue CHRISTIANI AVGVSTI, *Cardinalis de Saxonia*, præſulis tum Strigonienſis, in adſerenda eorum prærogatiua, vigilantiam; ſiue, noui regis clementiam, ſpectes, ante præſtitam quiritantibus, quam diademate Hungarico, redimiretur. Quæ demum res, publicis comitiis, agitari cœpta, interceſſione, *proteſtationem* vocant, eiusdem *Cardinalis de Saxonia*, conſopita, ſuaque, *Verebélienſibus* adſerta eſt libertas. quam eis perpetuam intemeratamque ex animo precamur.

Quod, a *Verebélienſibus*, reliquum per prouinciam, ſeu nobilium, ſeu plebis eſt ruſticanæ, id, ad *Comitatus* iura pertinet, & *Proceſſus Verebélyienſis* nomine cenſetur. Vnicum hic oppidum, cum dominio; vici plures, occurrunt, varie poſſeſſi.

I.

DE

OPPIDO VEREBÉLY, EIVSQVE DOMINIO.

Verebély, Slauis *Wráble*, militare olim oppidum, valido aggere, foſſis, vallisque communiebatur. Quadratum opus fuiſſe, (*e.*) cuius angulos, vaſta committebant propugnacula, ex detritis ruderibus, quæ aliquando ſpectauimus, coniiciebamus. Et erat profecto, eximio, ad defenſandum, poſitu. Laxa enim amœnaque valle, ad *Zſitvam* exædificatum fuit, cuius aquis munitionum foſſæ, ſubluebantur. Illud damnoſum putaris, quod ædes oppidi, ex materia eductæ omnes, & partim arundine, partim ſtramine contectæ, flammis concipiendis, alen-

e.) Icona eius, apud ORTELIVM, Parte II. videas, quo fuerit anno MDCLXV. habitu.

alendisque idoneæ fuerint. Itaque, ne hoſtis, ſiue clam, ſiue palam, ignem tectis poſſet iniicere, extra interiores eas munitiones, amplo, circunquaque ambitu, palis, denſo ordine defixis, incingebatur. quæ intercapedo, atrium quaſi oppidi fuit, quorſum hoſte ingruente, homines, armentaque, ex agro refugerent. Sed, quando inerme oppidum, operibus militaribus incingi, communirique cœperit, dictu eſt difficile. Si ex publicis ſanctionibus, quæ curam muniendarum arcium, adulto illo more, inter *Comitatus* diſpertiuntur, argumentum capere oporteat, *Bethlenianis* tumultibus, opus cœpiſſe oportuit. Anno enim MDCXXV. primam *Verebélyi* mentionem reperio: (*f.*) *Proceſſus*, inquit, *Záhora in Comitatu Trenſchinienſi, ad præſidium Verebély, eſt deputatus.* Quæ poſtea ſanctio, ſingulis propemodum comitiis (*g.*) confirmabatur. Miles certe præſidiarius, qui iſthic aduerſus Turcarum impreſſionem excubabat, acris erat, & crebris, cum hoſte, congreſſibus, laudatiſſimus. Inerant vero, tercenti equites, neque pauciores, qui pedibus ſtipendia merebantur. Horum numerus, prout res belli poſcebat, nunc augebatur, nunc diminuebatur iterum. Sui illis præfecti fuere, quos *Capitaneos* vocant: quo quidem munere, fortiſſimos quoſque viros, perfunctos fuiſſe, in eorum temporum commentariis, reperimus. In his *Nicolaus Nadány* (*h.*) fuit, vir, & manu fortis, & promtus conſilio, poſt deditum ABBAFFIO. *Neográdum*, iſthuc delatus. Ceteroquin, quæ oppidi fortuna fuerit, colligi inde poteſt, quod ſemel iterumque, fruſtra tentatum a *Turcis* fuit. Ceſſit eorum furori, cum anno MDCLXIII. *Ujvarino, Nitria, Lévâque* interceptis, late graſſabantur. Præſidiarii enim, viribus diffiſi, retractis clam tormenis, inane reliquerant oppidum. Adfuere mox inſanientes *Turcæ*, qui æquatis ſolo mœnibus, ædium materiam, *Ujvarinum* deuexerunt, vt eius loci ruinas, ex nupera, acceptas, obſidione, quam ocyſſime repararent. At ſimul, *Nitriam, Lévam*que, *Suſa* recuperauit, renaſci *Verebélyium* occepit, tenebaturque præſidio, dum *Ujvarino* Turca depelleretur. Poſtea, hoſte ex vicinitate, quin *Buda* etiam, & reliqua regione, deiecto, ceſſauerunt *Verebélyienſium* excubiæ, atque munitionibus deiectis, iterum inerme factum eſt oppidum. Hodie frequentibus incolis habitatur, vixque habet, quod ex priſtino flore oſtentet, præter qualemcunque rerum, a præſidiariis geſtarum, memoriam. Protenditur oppidum a ſeptentrione in meridiem, inſtructumque eſt domibus, ritu factis agreſti, ſed ruſticationi commodo. Itaque, *Marte* profligato, *Cereris* iam eſt horreum. Commoditatibus oppidi accenſueris, mercatus annuos, qui hic *Dominica Sexageſima; die Viridium; Miſericordiæ Domini;* atque *die S. Catharinæ* feſto, qualicunque celebritate, agun-

f.) Articulo XIX.
g.) Vide Anni MDCXXXV. Artic. XCII. Anni MDCXLVII. Artic. CLIII. Anni MDCLXXXI. Art. VII.
h.) Imaginem eius æri inciſam, videſis, apud laudatum ORTELIVM, in iconibus, illius ætatis celebrium virorum, Tab. XII. num. V.

aguntur. Iam, & diuerſorium ſeptentrionali oppidi angulo, poſitum habet, eo maiore itinerantium opportunitate, quod difficile admodum fuerat, nocturna hoſpitia, ab incolis impetrare. Traiicitur heic *Zſitwa*, ponte vimineo, quem amnis eluuiones, haud raro, deiiciunt. Diſiungitur oppidum, duobus *S. Benedicto*, in occidentem brumalem, milliaribus.

§. II.

De Vicis Sedis Verebély.

AD dominationem *Verebélienſem*, præter oppidum nominis eiusdem, quod nunc expendimus, pauciores, quam reris, vici in *Comitatu Barſchienſi*, pertinent. Sunt autem in his:

1.) *Téld*, aliis *Tilt*, paſſibus circiter bis mille, ab oppido, in orientem ſeiunctus. Agro eſt plano, & patiente ſementis; at ſiluis tenuioribus.

2.) *Aha*, in eandem plagam, ab oppido, mille paſſibus ſecedit. Territorium ei obtigit, priori ſuppar.

3.) *Ledécz*, limitaneus *Nitrienſibus* vicus, atque interlabente riuo, ita diſcretus, vt pars orientalis, *Barſchienſibus*, occidentalis *Nitrienſibus* adſcribatur. Subſedit a meridie arcem *Ghymes*, eſtque media tantum ſui parte *Verebélyienſis Dominationis* proprius.

4.) Præter hos, ad idem iſtud *Dominium* referri accepimus, *Pográny, Cſiſtek & Nagy-Kér.* de quibus in Comitatu Nitrienſi.

§. III.

De Vicis Variorvm.

HOrum nomina ſitusque, ſic ſe habent:

1.) *Nagy-Lodth*, diſſidet, ab oppido, ſeſqui milliario, verſus occiduum ſolem, eſtque agro, ad ruſticandum eximio. Poſſidetur per *Prouincialatum Ordinis S. Paulli Primi Eremitæ.*

2.) *Kis-Lodth*, ob tenuiorem vici habitum, quam eſt alter ille, minoris nomen indeptus, milliari, ab oppido, in occaſum, ſubmouetur. Eſt *Adami Tajnay.*

3.) *Cſéke*, eſt in ditione *Sallaienſi.*

4.) *Bellek*, eodem tractu ad oppidum adiacent, rureque circumſidentur, ſegetum feraci. Paret, eidem, quem nunc diximus, *Prouincialatui.*

5.) *Óhaj*, mille, circiter, ab oppido *Verebély*, paſſibus, aduerſo, in ſeptentrionem, *Zſitva* amne, orientali eius margine, ſeiunctus. Vicus omnino eximius, atque frumenti non minus, quam vini, diues.

ues. Itaque, gemino hoc prouentu, proficiunt incolæ *Hungari*, egregie rerum ſuarum ſatagentes. Sunt in poteſtate variorum nobilium.

6.) *Cséfar*, opimus vicus, milliari ab oppido, in orientem brumalem, ſecedens. Paret ſeminario *S. Stephani*, Regis Hungariæ.

7.) *Tehély*, gentis *Hunadyana* poſſeſſio, ſitu, in occidentem, ad vnius milliaris interuallum ab oppido reducto.

8.) *Poſzha*, fuit olim in *Stephani Balogh* poteſtate, iam inter eius hæredes diſpertitus eſt. Seiungitur *Verebélyo*, modico, in occidentem, milliari.

9.) *Baraczka*, diuiſa, inter complures nobiles, poſſeſſio. Itidem, milliari in occidentem recedit.

10.) *Fakó-Vezekény*, inſignis quidem vicus, ſed inter plures diuiſus poſſeſſores. In eandem, cum priore, plagam, ad ſeſqui milliare, ſecluditur.

11.) *Beſſenye*, Venerabili Capitulo Strigonienſi obſtrictus.

12.) *Huly*, iuris eſt inclytæ familiæ *Moteſchiczkyana*, medio milliari in occidentem, ab oppido ſeiunctus.

13.) *Rendue*, ad eosdem *Moteſchiczkios* pertinet, neque longe a priori abeſt.

14.) *Mettek*, eſt *Seminarii S. Stephani*, milliaris interuallo, in occidentem *Verebélyo* ſubmotus.

15.) *Füſs*, iam a *Balogbianis* ſucceſſoribus tenetur. Poſitu cum prioribus, eodem.

16.) *Valkaz*, variis poſſeſſoribus obnoxius vicus, medio milliari *Verebélyo* ad occidentem ſepoſitus.

17.) *Beſſe*, in meridiem, ſeſqui milliario demerſus, nobilibus quibusdam familiis adſcriptus.

18.) *Tajna*, locus, vt vocant, *taxalis*, idemque natalibus inclytæ *Tajnaiorum* gentis, cui & cognomen mutuauit, nobilitatus. Reducitur *Verebélyo*, vno, in meridiem milliari.

19.) *Nagy-Sári*, tenuis oppido locus; ſed cuius poſſeſſio poſt *V. Capitulum Strigonienſe*, in heros diuiſa eſt complures.

20.) *Eny*,

21.) *Sötét-Kút*, &c

22.) *Faj-Kürt*, veſtigia vicorum ſunt, quæ noſtri homines *prædia* dicunt. Adiacent ad vicum *Ohaj*.

23.) *Lehota-Gyarmath*, eſt in poteſtate *Martini Majtényi*.

Atque hæc, de *Comitatu Barſchienſi*, dixiſſe iuuit.

TABVLA ITINERARIA COMITATVS BARSCHIENSIS.

I. *In Comitatum Zolienſem.*

1.) CREMNITZIO, per vaſtum montem, *Neoſolium* - mill. 3.
2.) *E Fano S. Crucis*, per fauces *Butſenſes*, & vicum cognominem, *Neoſolium.* - - - - - - mill. 4.

II. *In Comitatum Nagy-Hontenſem.*

1.) CREMNITZIO, ſecundo amniculo *Cremnitzienſi*, in oppidum *S. Crucis*, inde per vicum *Opatovecz*, SCHEMNITZIVM. - - - - - - - mill. 4.
2.) *Verebelyino*, per vicum *Cséfár*, *Barſchinum*, vbi, ponte traiecto *Grano*, vel per traiectum *Macska-Rév*, BAKABÁNYAM - - - - - - - mill. 4.

III. *In Comitatum Nitrienſem.*

1.) *Oſzláno*, ad *Kis-Ugrócz*, & hinc per *Nagy-Boſsány*, vel *Zámbokréth*, in oppidum NAGY-TAPOLTSÁN, mill. 3.
2.) *E* FANO S. BENEDICTI, per *Kovácsj*, *Ohaj*, *Verebély*, *Örménynum.* - - - - - - mill. 3.
aut *Ohaj*, *Nitriam* - - - - - mill. 4.
3.) *Kis-Tapoltsáno*, *Nitriam.* - - - - mill. 2.
4.) *Aranyos-Maróthо*, per vicum *Ledicze-Nitriam.* - mill. 2.

IV. *In Comitatum Thúróczienſem.*

1.) CREMNITZIO, per *Thurcſek*, *Stubnam* & *Haj*, *Moſoczinum.* - - - - - - mill. 2.
2.) *Oſzláno*, traiectis montibus, ad *Krikehaj.* - mill. 2.

CO-

COMITATVS NITRIENSIS, PARS GENERALIS.

MEMBRVM PRIVS PHYSICVM,

DE

Situ, Natura, & Opportunitatibus Comitatus Nitrienſis,

SYNOPSIS.

Nitrienſis *Comitatus denominatio: eius forma, fines, & amplitudo; montanus, iuxta & campeſtris ſitus.* §. I.

Montes, *quos habet, e* Carpatho *propagati: horum, qui ſint celebriores:* Kráſzná-Lipa: Jaworina: Oſztry-Wrch: Zaloſztná: Kitſchera, & Stribrnjk: Inowecz: *Mons* Radoſchienſis: Hawran: Homola: Klag: Ghymes: Thábor: Kozlicza: Zobor. §. II.

Nemora, ſiluæque regionis. §. III.

Campeſtris prouinciæ ora. §. IV.

Præcipui regionis Fluuii: Vagus: Nitra: Zitwa: Liwina: Blaua: Holeſchka: Mijawa: Chwognitza: *riui minores.* §. V.

Fontes, *indolis variæ: gelidi, & cibi excitantes adpetentiam: ſulphuroſi.* §. VI.

Thermæ *prouinciæ:* Bajmoczenſes, *& harum opportunitates: prodigium, quo notatas vulgo perhibent:* Póſtinenſes: Beliczenſes. §. VII.

Soli, cælique ingenium: montanum aſperius: campeſtre felicius: regionis laus & ſegetes. §. VIII.

Vini prouentus ingens: vineta celebriora. §. IX.

Hortorum cultus: ruſticanus, exquiſitior: croci præſtantia. §. X.

Res pecuaria Nitrienſium. §. XI.

Metallorum veſtigia: foſſilia reliqua: antrum inſigne. §. XII.

§. I.

Nitrienſis Comitatus denominatio:

NITRIA, Epiſcopalis, cum arce, ciuitas, nomen *Comitatui Nitrienſi* impertiuit, a fluuio præterlabente acceptum: nam, ita moris, apud maiores noſtros fuiſſe, alibi docuimus, vt ab amnibus arces, & ab his demum, integras prouincias, denominarent. Regio ampla, & arcuato flexu, a *Morauiæ* limitibus, inter plures Comitatus, vſque ad *Comaromienſium* fines, procurrens, formam quodammodo refert *cornu copiæ*, anguſto incipientis turbine, ſed laxatis poſthac interuallis, quaſi in calathum definentis. Nimirum: incingitur, ab oriente *Barſchienſi;* ab aquilone *Thúróczienſi*, & *Trentſchinienſi;* ab occaſu, *Morauiæ* limitibus partim, partim *Poſonienſi;* denique a meridie, *Poſonienſi*, iuxta & *Comaromienſi*, Comitatibus. Colligas hinc de amplitudine prouinciæ. Qua ad aquilones, ſolem occiduum, atque orientem, vergit, montibus diſcreta regio eſt, qui e *Carpathi* iugis, hinc inde propagatis radicibus, decoram reddunt atque eximie ſalubrem. Sed, qua ſe in meridiem diffundit, in campos abit patentes, & rei frumentariæ non minus, quam pecuariæ, commodos. Procurrit autem a limitibus *Morauiæ*, vſque ad collimitia *Comaromienſium, milliaria Hungarica*, plus minus duodecim; latitudine, non vbique æquali: nam, cum alibi ad ſex pluraue milliaria diffundatur; alibi, tam eſt iterum arctus, vt vix *duorum* milliarium habeat intercapedinem: anguſtiſſimus fit, ad *Sámbokrét*, vbi, hinc quidem, a *Trentſchinenſi*, illinc vero a *Barſienſi Comitatu* preſſus, arctiſſime, ac fere ad quadrantem milliaris, coit. Sed iuuat ſingula perluſtrare ſigillatim.

Eius forma, fines & amplitudo:

Montanus, iuxta, & campeſtris ſitus.

§. II.

Montes, *quos habet, e* Carpatho *propaguti:*

MONTES, quos occidenti, & ſeptentrioni prætenſos habet, propagines ſunt *Carpathi*, e *Comitatu Poſonienſi*, vbi is caput habet, ludentibus iugis dorſisque, huc protruſi. Nomina his indita ſunt, pro ſituum varietate. Recenſebimus aliquos, atque eos po-

Digitized by Google

potiſſimum, quibus iam pridem celebritas eſt conciliata. Principem in his locum merentur: [1]

Horum, qui ſunt celebriores:

I. Kráſzná Lipa, quaſi *venuſtam tiliam* diceres. Ita nuncupatur, quod, iſto genere arborum, in primis lætetur. Mons omnino memorabilis, & diuaricatis, longe lateque, iugis, varie procurrens. Qua inter *Verbouiam*, & *Brezouiam*, verſus *Cſeitham* porrigitur, non arce modo *Cſeitenſi* inſignis eſt; ſed tuetur quoque nomen, a tiliis acceptum, donec miteſcentibus pedetentim iugis, pone *Vágh-Ujhely*, penitus deſinat. Dextrum iſtud montis iugum fuit, ſiniſtrum *Sobotiſchtinum* prorepit, arce *Berencs* ſuperbiens. Quæ quod rotundum montis verticem occupauit, & ſiluoſis nemoribus incincta eſt, iucundum, e longinquo, adſpectum præbet. Inde, iuga eadem, *Szakoltzam* vſque continuantur, non quidem perpetua, & æquali altitudine; ſed ea tamen, quæ ſatis prodat *Carpathi* naturam, hic petris & ſcopulis, alibi ſiluis opacis, extra modum horridam. Vltra *Szakoltzam* vrbem;

Kráſzná Lipa:

II. Jaworina ſurrigitur, a *platanis*, quibus luxuriat, ſic dictus. Celſitas montis tanta eſt, vt *Hungariam* hinc, *Morauiam* illinc, grandemque *Auſtriæ* portionem, quaſi e ſpecula luſtrare poſſint, quibus volupe eſt, ſumma eius cacumina, conſcendere. Præter platanos, *fagum* etiam, certa montis regione dominari, accepimus, Sed nec *querceta* deſideres, paſſim, per montis radices, præcipuo arborum incremento, conſpicua. Ad infamiam montis referunt, quod latronibus infeſtus eſt hodieque, eo atrocioribus, quo ſunt luſtra montis, occultando iniquiſſimo generi, commodiora. Diutinæ ei niues ſedent, qua re fit, vt circumiecta vtrinque regio, frigidior ſit, & longiori brumæ obnoxia. Eadem iſta regione viſitur:

Jaworina:

III. Osztry-Wrch, latine, *acutum montem* vocaueris, inter vicos *Werbőcz* & *Turalukam* ſitus. Geminam, denominationis rationem, reddi video. Altera eſt, montis forma, in acutum quodammodo deſinens; altera, frigus acutum, cuius cauſſas in niuoſo illo *Jaworinienſe* habitu, ponunt. Vnde accidere ſimul credunt, vt amœniſſima etiam anni temperie, rara hic, a ventis ſit ceſſatio. Vltra hunc,

Oſztry-Wrch:

IV. Zalosztná ſedet, non ſine omine, ea voce adpellatus. Latinis *mons triſtitiæ* diceretur, ob periculoſum, & letalis triſtitiæ plenum iter, quod ex vico *Verbőcz*, vnius interuallo milliaris, pone limites Morauiæ, *Szakolczam* ducit. Eſt id plerumque a latronibus ſanguinolentiſſimis ſubſeſſum. Neque enim *Morani* tantum limitanei, auidum genus; ſed accolarum etiam multi, rapto, cædibuſque viuere, in lucris ducunt. *Turolucenſibus* vero imminet:

Zaloſztná:

V. Kitschera, cum adfini alio, quem Stribrnjk, ſeu *montem argenteum* nuncupant; non, quod metalli eius ſit diues; ſed quod arenis abundet, colorem referentibus argenteum. Alii, ad herbam nominis rationem referunt, cui *Anſerinæ* nomen, quam *Stribrnjk* Slaui, hoc eſt, *argentinam* dicunt. Ante duo hæc, & quod excurrit, ſe-

Kitſchera, & Stribrnjk:

cula, tota iſta regio, quæ inter *Szobotiſchte*, & Ó *Thuram* interiacet, ſiluis opaca, ac propemodum imperuia fuit; ſed quam *Turolucenſes* primum, mox & *Mijauienſes*, ſuccidere cœperunt, vt ſedes ſibi nouas iſthic elaborarent, conſtituerentque vicos, hodie, ſic ſatis copioſos. Illud mirere, potuiſſe eouſque ſiluas eas exſtirpari, vt iam, lignorum penuria, vicus vterque laborare occipiat: Certe, quæ *Mijauienſes* querceta habent, ea, ex induſtria educari neceſſe eſt. In iſtis montibus, *Swehla*, latronum ille dux, ab Ó *Thurenſibus* interceptus eſt: qua de re infra, vbi locus fuerit, BONFINIVM audiemus. Fuere iſti montes, qui occidentale *Vagi* latus præmuniunt, trans eum amnem:

Inowecz: VI. INOWECZ adtollitur, intra limites *Comitatus Trentſchinenſis* ſeſe abdens; ſed meridionali tamen parte, regioni noſtræ adſcriptus. Eſt altitudinis eximiæ, atque illic, vbi celſiſſimus exſurgit, fonte perenni ac gelido, nobilis. Sedet ſupra arces, *Beczkouienſem*, in Comitatu *Trentſchinienſi*; *Nagy-Topolcſanenſem*, & *Temetuinienſem*, in *Nitrienſi*, poſitas. Eius pars altera, ſecundo *Vago*, in meridiem ſe porrigit; altera, a thermis *Póſtinenſibus* incipiens, verſus vicum *Radoſchin*, exſpatiatur, diciturque:

Mons Radoſchinenſis: VII. RADOSCHINSZKÁ-HORA, ſeu mons *Radoſchinenſis*, vnius milliaris latitudine, atque ſiluarum vaſtitate, memorabilis. Multa hic fagus quercuſque prouenit. Ad eiusdem montis iuga pertinet, ſuo tamen nomine inſignitus, celſiſſimus vertex,

Hawran: VIII. HAWRAN; ſed cur ita montem dixerint; *coruum* enim vox illa ſignificat; vix hariolando adſequare: niſi forte, aut corui ſpeciem referat, aut coruorum fœtura, diues ſit. Sunt, & aduerſus *Trentſchinenſem Comitatum*, oræ huic noſtræ, montes eximii, qui regionem vtramque diſterminant. Huc referas:

Homola: IX. HOMOLA, miræ rotunditatis montem, cum radicibus, quæ latiſſime ſerpunt. Surrigitur is, inter *Porubam*, & *Belam*, vicos. Porro, limitaneus eidem tractui eſt:

Klag: X. KLAG, rupibus horrens, quæ vaſtitatem *Carpathi Keſmarkienſis*, æmulari poſſe videantur. Parte ſui maxima, in *Barſienſium* regionem ſe immergit. Neque ignobilem, cenſueris:

Ghymes: XI. GHYMES, cum arce inædificata, qui tametſi nudus ſiluis eſt, qua tamen verſus *Barſienſem Comitatum* excurrit, vaſtæ molis eſſe incipit. Circa arcem, caſtaneto lætatur. Hinc, inter aquilonem & orientem:

Tabor: XII. TÁBOR, eleganti rotunditate ſe commendat, ex cuius vertice, longe patet proſpectus. Id nominis, a *Huſſitarum* caſtris, fertur accepiſſe. Imminet vico *Krentſch*, ſubluiturque, a riuo, cancrorum feraci.

Kozlicza: XIII. KOZLICZA, ingens mons, *Barſienſibus* limitaneus, idemque, tranſitu arduus. Pedem montis, vineæ *Krentſchenſes* vberem reddunt, & adſpectu iucundum. Neque ſilendus eſt:

Zobor. XIV. ZOBOR, arci *Nitrienſi*, trans amnem, eleganti, & celſo po-

Digitized by Google

positu, ab ortu solis, obiacens, atque per plures *Comitatus*, e longinquo, conspicuus. Multa sunt, quæ montem fecerunt celebrem. Nam, *Sanctus* quidem STEPHANVS, cœnobium isthic instruxerat, Ordini *S. Benedicti* traditum, & *S. Hyppolito* dedicatum. Quod iam, familia *Camaldulensium* obtinet colitque. Vinum, quod montis latera gignunt, inter generosiora *Nitriensium*, referunt accolæ, quodque mensis, etiam vnctioribus, idoneum est, rhytmo vulgari celebrant: *Vinum Zobrense, decus est, & gloria mensæ.*

§. III.

ISti montium præcipui fuerunt: singulos enim recensere, sicuti non vacat, ita res molestiæ, quam frugis, futura esset, maioris. *Nemora*, & sparsæ, per acclives colles, *siluæ*, montibus passim subsident, aut planam regionem, iucunda varietate, interstinguunt. Innumera horum sunt, sed quædam ita comparata, vt mereantur omnino commemorari. Est in his, pineum illud, quod ab oppido *Szeniczensi*, in aperta fere planitie, versus *Posonienſium* limites, excurrit, & parte sui quadam, *Nitrienſium* fines stringit. *Buor*, siue *Bory*, quomodo *Pinetum*, vulgus *Slauicum*, vocat. E longinquo adspectantibus, obtutum præbet iucundum, quod & perenni virore lætetur, & quasi ad regulam consitum videatur tonsumque. Intus, densæ ei sunt arbores, & quod nemus, loco est fabuloso, multa pice turgentes: nam, huiusmodi solo, istud picearum genus, in primis gaudet. Consimile huic, *Holicsense* nemus, dixeris; nisi, quod situ minus sit amœnum, neque laxe adeo protensum. Vtrique, *Baymoczense* addas, elegans quidem illud; sed fructus, quam illa, exilioris, eo, quod, regione ista, lignatio minoris venit. Quin, & *Nitria*, nemoribus ac siluis querceis, vicina est; nam, & ab oriente, colles ei obiiciuntur, quercetis obsiti, &, qua occidentem prospicit, silua exstat, vasta ea, & *Galgotzinum* vsque procurrens: vt *lucorum*, qui sunt ista regione, varietates, taceamus.

Nemora siluæque regionis.

§. IV.

HVcusque, oram *Comitatus*, montanam potissimum, vidimus; campestris nunc mentio iniicienda erit: neque enim, ita montibus exasperatur regio, quin, passim interposita planitie, mitescat. Certe, infra *Nitriam*, perlibrata init planities, eaque, gemino amne, *Nitria* hinc, illinc *Zitawa*, irrigua. Nam, vbi primum colles, oppido illi circumpositi, subsiderunt, elegans se æquor aperit, collibus quidem nullis, lucis autem interstinctum rarissimis. Verum, quia decliuiore situ, totus ille est tractus, fit non raro, vt deuoluti, ex montibus, quos diximus, amnes, vbi ex imbribus increuerunt, totum, quam late patet, inundent. Quod, cum alias frequen-

Campestris prouincia ora.

Digitized by Google

quentiſſime, tum in primis, anno MDCCXXV. ſemel iterumque, magno incolarum damno, eueniſſe, recordamur. Adde his, eas planities, quæ montibus circumſeptæ, tametſi arctius diffundantur, tamen, eo plus amœnitatis referunt, quo, naturæ opificis varietas illa, animum aduertit efficacius. Et nemora enim, paſſim ſparſa habent, & errantes varie riuos, quos inter, vici conſederunt, obtutu, ſi e loco excelſiore deſpicias, omnium iucundiſſimo. Eſt, & *Nitriæ* ac *Zitwæ* amnium, conuallibus, per quas labuntur, hilaritatis plurimum. Præterquam enim, quod vicis inſeſſæ ſunt, & copioſis, & frequentibus; hic quidem agris frumentariis, pratis alibi, lætantur. Sed, quia de amnibus obrepſit nobis mentio, eos iam deſcribemus.

§. V.

Præcipui regionis Fluuii.

NImirum, non ſola ea *Comitatus Nitrienſis* eſt opportunitas, quam illi, ſiue montes pariunt, ſiue poſitus campeſtres. *Fluuios* etiam habet, multæ omnino vtilitatis, niſi dimanent ex alueis. In his ſunt:

Vagus. I. VAGUS, Liptouienſium montibus editus, (*a*) poſtquam *Thúróczienſem*, ac *Trentſchinenſem* Comitatum emenſus eſt, noſtro huic, infra *Beczkouiam*, oppidum *Trentſchinenſium*, ſe infundit, non ſimilis modo ſui, hoc eſt *vagus*, & pronus ad eluuiones; ſed incurſu etiam, plurium fluuiorum, ferocior factus, vehemens ac præceps fertur. *Meandrum* crederes, ita quæſitis, quaſi ex induſtria, flexibus, ſinuoſus labitur. Certe, alueum ſæpius migrat, & nunc iſtam, nunc aduerſam ripam, impulſa aquarum mole, ſubradit. Adfunditur oppidis: *Vág-Ujhely*, cui & cognomen impertitur, *Pöſtény*, *Leopoldopoli*, & *Galgoczio*; celebrioribus autem vicis, *Lúka*, *Brunócz* & *Szokolócz*. *Galgotzio* digreſſus, *Nitrienſem*, & *Poſonienſem* Comitatus, diſterminat, duplici ponte, apud *Galgóczium*, vulgo *Freyſtädel*, vnico ad *Semptauiam*, iunctus: ſublicio vtrobique, quos Aleo, veris cum primis inundationes, propemodum quotannis, lacerant. Piſces alit, vernas eosdem, quorum in reliquis Comitatibus mentionem habuimus. Sed, qua *Danubio* ſit propior, peregrinos etiam admittit, antaceorum potiſſimum, minutius illud genus, quod plerumque aduerſo amne, altius enatat. Incurrit in *Danubium*, altero, ſupra *Comaromium*, lapide. Alioquin, frequenter exundat *Vagus*, eſtque inter præcipuos agri *Nitrienſis* vaſtatores, per ea loca, qua fertur, cenſendus. Ac, dubium ſane facit, vtiliorne ſit prouinciæ, an pernicioſior.

Nitra: II. NITRA, poſt *Vagum*, in primis nominari debet; tum, quia domeſticus amnis eſt; tum, quia nomen habet, cum regione, commune.

a) Deſignauimus, hæc eius capita, Tomo operis II. in Hiſtoria *Comitatus Liptouienſis*, Parte Generali, Memb. Phyſico, §. VI. p. 525. ſequ. Atque procurſum, apud *Thúróczienſes*, ibidem, p. 300. num. I. Item, apud *Trentſchinenſes*, eodem hoc Tomo IV.

mune. Geminum huic caput, alterum, ſupra *Teuto-Prónam*, in altiſſimis montibus, qui iſta ora, *Trentſchinenſes*, a *Nitrienſibus*, diſcriminant; alterum, intra iuga vici *Walaſzká-Bela*, quod *Nitricska* vocant. Fontium vterque, largus admodum eſt: ille tamen copioſior, iſte rapidior quidem; ſed multis modis tenuior: vnde *Parua Nitra* dictus. Adſident ei, præter oppidum *Szkacsán*, vici: *Veſztenicz*, *Divék-Ujfalu*, *Divék*, & *Rudnó*. Poſteaquam prope *Bilicz*, in eundem corriuati ſunt alueum, amnem efficiunt ſtreperum, velocemque, dum lentus manare incipiat, & qua crepidinibus haud coercetur, quaſi in ſtagna abire, multa paſſim arundine conſeptus. Adluit, poſtea *Teuto-Prónam*, *Bilicz*, vbi ponte ligneo inſternitur, *Novakinum*, *Zambokréth*, *Nagy-Boſsán*, *Baymotzium*, *Nagy-Tapoltſchánum*, *Szerdahelyinum*, *Kovártz*, *Ludány*, *Apony*, *Elefanth*, *Szalakuſz* & *Pereſzlény*, atque inprimis, *Nitriam* vrbem arcemque, Epiſcopatu inſignem. Iſthinc exſpatiatus, lento aquarum tractu, (*b*) verſus *Ujvarinum* defertur, cuius foſſis, aquas ſuffundebat, cum exſtaret adhuc, arx validiſſima. Inde reflexo aliquantum alueo, in *Danubium* exit. Piſcium varii generis ditiſſimus, nam, qua a fontibus propius abeſt, ſaxatiles vt plurimum, atque in his, trutas habet; ſed, qua per apertos campos limoſior vehitur, lucios, ſiluros, atque id genus, alit benignius. Labitur, a ſeptentrione, in meridiem; eo infauſtus accolis, quod frequenti eluuione, regionem late corrumpat.

III. Zitwa, fontibus variis, vltra *Kis-Tapoltſchánum* ortus, varieque fiſſis vallibus decurrens, tandem, vno coadunatus alueo, vbi campos ſubiit, ſtagnare potius videtur, quam labi. Eſt ſubinde exundatione noxius; ſicuti vero ex imbribus, etiam non immodicis, opinione celerius, intumeſcit; ita plerumque, noctis vnius interuallo, ſubſidet, & intra ripas collectus, vadoſus vbique fit, & ſui ſimilis. Intimat ſe *Danubio*, duobus, infra *Comaromium*, milliaribus, ad eum vicum, cui nomen *Zitwa-Torok*, latine *oſtium Zitwæ*, Germanorum imitatione, *Zitwa-Münde*, dixeris, pace, cum Turca, anno MDCVI. inita, nobilitatum. *Zitwa.*

IV. Livina, priori, aquarum mole, nihilo minor; ſed decurſu tamen, in hoc *Comitatu*, breuior. Oritur, apud *Banoviczium*, Comitatus *Trentſchinienſis*, oppidum, &, cum noſtra iſta regione, vicos *Livina*, *Nadlitz*, *Rayczán*, *Koroſſ*, occidentali latere ſubluiſſet, ſupra *Nagy-Topolcsánum*, in *Nitriam* incurrit. Et hi quidem fluuii, trans *Vágum* manant. Cis eum ſunt: *Livina.*

V. Dudvág, vndoſus amnis, & piſcium diues. Habet capita, in montibus *Csejtenſium*, vnde prolapſus, concitatior primum manat; ſed, vbi vltra oppidum *Csejte*, prouectus eſt, langueſcit ſenſim, &, qua per depreſſos ſitus vehitur, ſtagnans fere euadit, & ſui diſſimilis. Dum intra *Nitrienſium* limites voluitur, vicos adluit complures, in quibus nominatiores ſunt: *Cſaſzthócz*, *Otskó*, *Rakowicz*, *Dudvág.*

b) Adluit, hac regione, vicos, *Emike*, *Ivanke*, *Berenti*, *Szálos*, & oppidum *Komiáthi.*

Digitized by Google

Bory, *Petófalva*, *Koſztolán*, & *Ujváros* oppidum. Infra quod, ponte inſternitur, ob late diffuſum alueum, longo, & a præſidiariorum *Leopoldopolis* excubiis, inſeſſo. Hinc digreſſus, ad *Felsö-Lócz*, in agrum *Piſonienſem* effunditur: vbi procurſum amnis, & exitum in *Danubium*, (*c*) deſcripſimus.

Blawa: VI. BLAWA, amniculus, non tam longo aluei tractu, quam opportunitate, inſignis. Nam, vbi ex petra, arci cognomini ſubſita, pluribus ſcaturiginibus, ad ædem ſacram, ſolotenus effuſus eſt, ad teli iactum vix procurrit, cum molam, egregii fructus, perenni aquarum adlapſu, impellit. Hinc, per vicos, *Dejta*, *Radosótz*, *Maniga*, & *Butsán*, delatus, in *Dud-Vágum* defertur. Inſidetur pluribus molis frumentariis, quas, & rigidiſſima ſub bruma, ſine ceſſatione verſat: quippe, gelu impatiens. Vnde, & *Dobrá woda*, hoc eſt, *bona aqua*, ſcaturiginem eius dictam credunt. Sane, femellæ ruſticæ, linteas ſuas veſtes, acutiſſima hieme, in mediis aquis, nudatis genu tenus pedibus, haud ſecus ſueuerunt eluere, quam id æſtate fieri moris eſt. Alioquin, *Comitatum Poſonienſem*, a *Nitrienſi*, quadamtenus, disiungit, vicumque *Dejtam*, ita ſecat, vt partem eius alteram huic, illi alteram, admetiatur.

Holeſchka: VII. HOLESCHKA, inter oppidum *Brezowa*, & vicum *Krayne*, edito fonte deiectus, tantum aquarum vehit, quantum pluribus molis verſandis, ſufficit. Accolæ vſu didicerunt, cum riui ceteri, etiam copioſiores, cælo nimium ſicco, inareſcunt, molaſque male feriatas efficiunt; *Holeſchkam*, egregie, molendinis, quorum nouem inædificata habet, ſufficere. Quæ res, non poteſt non cum herorum vbere fructu, coniuncta eſſe. Milliaris vnius ſpatium, concitatiore curſu emenſus, in *Vágum* incurrit. *Trutis*, cum primis hoſpitalis eſt.

Mijawa: VIII. MIJAWA, iis ortus montibus, qui *Hungariam*, & *Morauiam*, iſto tractu, diſcriminant, primo quidem *Mijawam*, vicum copioſum, cui & nomen impertiuit, interluit, inde *Turolucam* ſecans, montis, cui arx *Berents* inſidet, radices lambit, poſteaque, reducto alueo, *Pritrz* interlabitur. Hinc digreſſus, vico *Hluboké* ſe intimat, atque *Labloniczam* præteruectus, per pinetum illud, cui *Buor* nomen, *Schaſchinum* deuehitur, in cuius foſſis reſtagnans, *Morauæ*, infra *Kuklyo*, *Poſonienſis* prouinciæ vicum, illabitur. *Muranarum* maximè diuitem, relatum accepimus. Quarum A. MDCCXXIV. tantam habebat copiam, quantam ab hominum memoria haud obſeruauerunt accolæ: quod eos tunc inter omina, neſcio quid portendentia, retuliſſe meminimus. Eſt & *fundulorum* ferax, *cancrorumque*, quos ſub arce *Berents*, præcipuæ magnitudinis, obſeruauerunt, qui eorum captura delectantur. *Trutarum*, quod iuſto eſt limoſior, impatientem ferunt.

Chwoynitza: IX. CHWOYNITZE, vltra pagum *Wrbowcze* natus, ſtreperus, & pernix, *Sobotiſchtinum* vſque voluitur, at, vbi montanam oram deſeruit, pla-

c) Tomo I. Parte Gen. Memb. I. Phyſico, §. V. Num. I. pag. 17.

placidus manare incipit. Leniore igitur aquarum mole, *Szenitzium* adlapſus, prope *Holitſch*, a *Morava* excipitur. In primis, eluuionibus, damnoſus eſt qua delabitur Anno certe MDCLXXII. pluuiis diuturnioribus, tantopere intumuerat, vt *Sobotiſchtenſium* ædes plurimas, vehementi ſubrutas incurſu, rapuerit ſecum. Qua quidem amnis exundatione, XC. ex incolis, abſorptos fuiſſe, annoſiores meminerunt. De aquarum, quibus turgeſcebat, altitudine, inde capi argumentum poteſt, quod ædem quoque ſacram, in edita ripa, ſolido opere ſubſtructam, inundauerit.

riui minores.

X. Riuos prouinciæ conſectari, eo fuerit impeditius, quo maior eorum eſt, vtraque *Vági* parte, numerus: quia enim, diſcreta paſſim eſt regio vallibus ſcaturiginoſis, nequit euenire aliter, quam vt riuos emittat, vndoſiores hic, ſiticuloſiores alibi; ora potiſſimum *Comitatus* occidentali. Enim vero, vix eſt viculus, qui non amniculi quidpiam habeat. Quod in occaſionem vertemus, cum vicorum enarrabimus poſitus, riuorum vna commemorandorum. Nunc, citeriores aliquot deſignaſſe ſuffecerit.

1.) Zlatnicska, quaſi *aureolum* diceres, riuus omnino copioſus, e radicibus montis *Inowecz* ortus. Adluit vicum cognominem, *Liviné* amni, prope ad eiusdem nominis vicum, adfuſus poſtea: eo memorandus, quod *Comitatum Trentſchinienſem*, a *Nitrienſi*, quadamtenus, diſterminet, *Borchau* vicum autem, ita interſecet, vt, pars eius, ad *Trentſinium* vergens, eidem *Comitatui*, pars altera, prouinciæ *Nitrienſi* obuerſa, iſti adſcribatur.

2.) Kocsina, eiusdem montis *Inowecz* ſcaturiginibus, varie per conualles ſalientibus, editur. Manat hic quoque, per *Trentſinenſium*, & *Nitrienſium* collimitia, dum *Nagy-Iácz*, & *Kis-Iácz*, *Tavarnok*, item, præteruectus, in *Tapolcſanenſi* agro, *Nitriæ* commiſceatur.

3.) Bajnensis amniculus, fontes in monte cognomine habet. Inde deiectus, *Bajnam* oppidum, vicumque *Kis-Doworan*, præterlapſus, e regione *Nitra-Szerdahely*, in profluentem *Nitram*, inuehitur.

4.) Szeptencz, tenuis quidem, ſed perennis eſt riuus, qui vbi, peculiari fonte, vici *Belez*, ſcatere cœpit, fertur verſus *Ujfalu*, cui ideo *Szeptencz-Ujfalu*, nomen inditum. Hinc digreſſus, riuulum *Lipownjk*, prope ad *Sarluſika*, intra alueum recipit; tum *Paczolaj* vico adlapſus, nouo iterum amniculo, a *Sárfő*, penes *Nagy-Répén*, augetur, dum *Bodokenſi* alio, factus copioſior, ad *Isbégh*, fluuiolo *Radoſnyenſi*, coadunetur.

5.) Radosnyensis amniculus, ex *Inowecz*, & *Radoſnyenſibus* montibus delapſus, atque oppido *Radoſnya* immerſus, nouis hic ſcatebris, ex ingenti ſalientibus petra, augeſcit. Tenet poſtea curſum, verſus *Aſſa*, & *Ablántz-Kürth*, vicos; dum ad memoratum *Isbégh*, cum *Bodokenſi* illo, corriuatus, *Nitra* alueum, aduerſus vicum *Darás*, ſubeat. Denique ſilendus haud eſt:

6.) Wychodná, vbere & vario fonte, ex petris *Koloſſenſibus*, emiſ-

emiſſus, cum geminum eiusdem nominis vicum, poſteaquam *Tükes-Ujfalu*, & *Ianofalva*, rigauiſſet, prope *Praznócz*, in *Nitram* elabitur. Hæc, non neglexiſſe, ſatis eſt.

§. VI.

Fontes *indoli* variæ:

AQuæ hæ fluuiatiles erant; fontium vero, & limpidiſſimarum ſcaturiginum, nemo, vel numerum inierit. Sunt in his, *glaciem* frigiditate æmulantes, quales paſſim, montana regione, ſaliunt. In primis celebratur gelidiſſimus fons, in iis montium iugis, *Walaská-Belenſibus*, per quæ, ad *Záwada*, vicum ditionis *Zay-Ugroczenſis*, iter ducit; eius ingenii, vt cibum, ſumma ingeſtum auiditate, opinione celerius conſumat, denuoque adpetentiam veſcendi, accendat: id quod, non itinerantes modo, cibi præterea auidiores; ſed hi quoque adfirmant, qui fontem hunc, experiundæ efficacitatis cauſſa, potauerunt. Neque fontes *ſulphuroſos* deſideres, quos heic potui, alibi balneis adhibent. Et prioris quidem generis, in agro *Mijavienſi*, ac paſſim, copioſe ſcatent. In his autem, fons potiſſimum *Ekbelenſis* eſt, natura, longe frigidiſſimus; ſed multo ſulphure, olidus. Huius aquas, in ahena diffuſas, concalefaciunt, qui lauare cupiunt, atque cadis balneariis acceptas, egregio ſucceſſu, lotionibus adhibent, in iis morbis quam maxime, qui lauando, ſi non domari, ſaltem miteſcere conſueuerunt. Accolæ viciniores, eundem fontem doliis hauſtum, ſi æger adeſſe nequeat, auehere ſolent, vſibus, modo, quem diximus, adhibendum. Sunt & *acidæ*, in agro vici *Onor*.

gelidi, & cibi excitantes adpetentiam:

ſulphuroſi:

acidi.

§. VII.

Thermæ *prouinciæ*: Bajmoczenſes, *& harum opportunitas:*

SEd, nec THERMIS regio *Nitrienſis* caret. In his ſunt *Bajmoczenſes*, arci & oppido cognomini, adſitæ. Aedes, intra quas ebulliunt, pro herorum magnificentia, ſplendidæ ſunt, & tripartito diſcretæ; nempe, vt lauantium, cum dignitati conſulatur, tum corporis habitui. Proinde, lauacrum inſignius, *magnatibus*, & qui ſunt loco nobiliore editi, deſtinatum eſt, laxum id, & ad omnem factum commoditatem, aquas habens eximie temperatas, vt neque nimium caleant, neque parum. Pone illud, ſolo pariete diſcretum balneum, *ruſticos* accipit; capacitatis propemodum maioris, neque non ita adparatum, vt ne ab his quidem iure poſſit faſtidiri, qui ſunt indolis cutisque delicatioris. Priori tamen illo, calet feruidius, quod, cum ruſtica natura, dura ea, neque facile ſubigenda, egregie quadrat. Vltimum *mendicos* habet, & ſi qui ſunt, quorum morbi, vel contagionis habent quidpiam, vel faſtidii. Vulgi narratiunculis perhibetur; olim, a lauantibus, numum balnearium, magna heri ſeueritate, at ſorditie longe maiore, exactum fuiſſe. Quod tributi genus, inuſitatum antea, cum vulgus recuſaret pendere, ideoque, ab vſu thermarum arceretur; male hero, thermiſque, imprecatum fuiſſe aiunt, eueniſſeque, vt non calidæ modo, a priſtina indole penitus degenerarint;

prodigium, quo notatas vulgo perhibent.

rarint; ſed pecuniæ quoque, quas auarus calidarum dominus, auide corraſerat, in lapidem abierint. Ita vulgus, nihil non fingere ſolitum. Id certum eſt, ingens, in proximo editoque colle, ſtagnum eſſe, naturæ, cum thermis, propemodum conſimilis, balneis tamen inutile; vt iam macerandæ cannabi, inſigni operarum compendio, adhibeatur. Nam, iniecti manipuli, biduo, triduoue poſt, tam celeriter matureſcunt, quemadmodum id in ſtagnis aliis, vix plurium hebdomadarum interuallo, fieri poſſe, vſus condocet. Fit autem ea re, vt, quidquid tota circum vicinia, cannabis, aut lini educat, omne id, ad ſtagnum iſtud, haud ſine fœnore, deuehatur emacerandum. Atque hunc quidem lacum, thermas illas fuiſſe aiunt, quas heri ſordities, inutiles fecerit. Vt vero fides prodigio ſit tutior, degeneres, & lapideſcentes numos, iſthic oſtentant. Lapilli ſunt, pecuniarum inſtar rotundi, molis variæ; nam alii quidem *crucigeros*, *groſſos* alii referunt. Sunt etiam, qui maioris moduli numos, quales ſunt *floreni*, & *imperiales* ſolidi, ex amuſſim æmulentur, ſigna quædam oſtentantes, imitatione litterarum, enata. Nolim, religioni huic vulgi, contraire: id nequeo ſilere, naturam laſciuientem, hos iſtiusmodi luſus, numos mentientes, edere potuiſſe. Sed de thermis ſuo loco, dedita opera.

Præter has, PŐSTINENSES, præcipuam, & laudem merentur, & admirationem; eo damnandæ, quod, quia *Vágo* adſederunt, *vagæ* ſint & ipſæ. De his ISTWÁNFFYVS: (*d.*) *Sunt thermæ vltra flumen Vagum, quæ* PESTHENIAE *vocantur, ſalubres pellendis languoribus, & aquarum natura admirabili. Nam, egeſta humo, tanto e ſcrobibus feruore proſiliunt, vt ſuſtineri nequeant, niſi ſatis longo temporis interuallo, intepeſcant, aut frigida infuſa, temperentur:* Vago *autem creſcente, recedunt, & cum decreſcit, ſequuntur, nec in frigidiore fluminis fundo, ſi ſuffodiatur, ebullire deſinunt. Creduntur autem aduerſus quoslibet, etiam diuturniores morbos, ſed potiſſimum cutaneos, ſaluberrimæ, & teſtante ſæpe experientia, efficaciſſimæ eſſe.* Hæc ille, quæ iam recitaſſe ſufficiat. Nam elaboratiora alii loco (*e.*) adſeruamus. *Pőſtinenſes.*

Neque ſilentio prætereundæ ſunt, calidæ BILICZENSES, non, quod ædificiis ſuperbiant; ſed quod adhibeantur, magna accolarum adprobatione, vario morborum generi edomando. Id doleas, diſcriminari frigidas ſcaturigines, a feruidis, haud poſſe; tametſi tentatum id fuerit ſæpius, a thermarum heris: qui ſunt *L. Barones Mednyanſzky de Medgyes.* Quod ſi effici poſſet; næ ego, *Biliczenſes* calidas, *Bajmoczenſibus*, ſi non anteferre, ſaltem æquiparare, ſuſtinerem. Accepere nomen, a vico *Bilicz*, quarta miliaris parte, ſupra *Nagy-Topolcsánum*, poſito. *Biliczenſes.*

§. VIII.

d.) Lib. XXXI. pag. 744.

e.) Vbi profeſſa opera, THERMAS HVNGARIAE, expromemus. Vide infra, Parte Spec. Memb. IV. Sect. I. Num. IV. Hiſt. Oppidi PÖSTENY, & fuſiorem illic, calidarum, mentionem.

Digitized by Google

§. VIII.

Soli, caliquę ingenium:

AD ſoli, cælique ingenium, quod adtinet, facile eſt ad coniiciendum, in tanto terrarum tractu, diuerſos vtriuſque habitus, pro ſitu regionis, eſſe oportere. Montana certe ora,

montanum aſperius:

qualis ea eſt, quæ arcuato procurſu, hinc in occidentem, illinc in ſeptentrionem deſinit, multum, ex indole *Carpathi*, & huius propaginibus, trahit auſteritatis. Quod iſtud fere eſt; vt, & ventis perflętur auſterioribus, & hiemes maturius admittat, diutius poſtea duraturas. Sed, iſtud vitium, ſi quod tamen eſt, montes editiores, proprium habent: nam, qua miteſcunt iuga, mitiores ſunt ſimul,

campeſtre felicius:

cæli viciſſitudines, ſolum autem fœcundius. At, qua in meridiem, per *Barſchienſium*, atque *Poſonienſium* fines diffunditur regio, eximiæ eſt fertilitatis, eo forte infelix, quod, quia depreſſo eſt ſitu, ſi *Vágus*, *Nitra*, & *Zitwa*, ripas ſupergreſſi fuerint, totam late regionem, inundent. Quod anno in primis MDCCXXV. ineunte vere, ac iterum adulta iam æſtate, nos ipſi, hac profecti, geminatis periculis, experti ſumus. Nempe, quam longe oculorum proſpectus, ex iis collibus, qui ſunt inter *Nitriam*, & *Vágum*, interſiti, in meridiem, & occidentem, patuit, omne id aquis erat obrutum; vt mirum fuerit, immani ea illuuione, vniuerſam regionem in pelagus,

regionis lani & ſegetes.

haud abiiſſe. Eſt tamen, *Nitrienſium* prouincia, iis accenſenda, quibus nihil natura negauit, quod ad vitam, cum opportunitate degendam, pertinet, modo humani cultus diligentia acceſſerit. *Triticum* præſtantiſſimum illud, & quod farinam optimæ notæ præbet, in agro *Galgotzienſi*, *Tapoltſanenſi*, *Szenitzenſi*, *Vágh-Ujhelienſi*, & *Verbouienſi*, collino ſitu, prouenit: reliqua regio, quæ campeſtris eſt, tritici quidem vbere fructu lætatur; ſed quod gluma craſſiori eſt, neque medulla proba adeo. *Siliginem*, nulli non ſitus ferunt. Loca alia, ſola *auena* delectantur; illa nimirum, quæ ſolum habent exſuccum, & minus fauſti poſitus. Quale fere eſt intra montes retruſum, in *Walaſzká-Bela*, vbi ne auenam quidem, intempeſtiuæ pruinæ, ſinunt matureſcere. Cecinit, regionis vbertatem, NICOLAVS OLÁHVS (*f.*) in epiſtola, quam ad *Kálnaium* ſuum dedit:

Eſt, inquit, *locus Hungaria, Cereri ſacratus alumnæ,*
Matthæo *veteres hoc tribuere ſolum.*
Nitria *cum* Vágo, *celeri quam proluit vnda,*
Intrantes Hiſtrum *quisque fluore ſuo.*

§. IX.

Vini prouentus:

VIni præterea eximius eſt prouentus, quod paſſim gignitur, ea profecto bonitate, quam in iſtis montibus, haud exſpectaueris. Celebrantur in primis, colles viniferi, vt eos ex al-

vineta celebriora:

pha-

f.) Apud TIMONEM, ad annum MDXXX.

phabethi ordine recenſeamus: *Atrakienſes*, *Berentſienſes*, *Boynenſes*, *Buſchanenſes*, *Cſejtenſes*, *Cſornokienſes*, *Emükienſes*, *Fornóſzegienſes*, *Galgotzienſes*, *Kakasfaluenſes*, *Kelemenfaluenſes*, *Kérienſes*, *Kunouienſes*, *Kürthenſes*, *Nitrienſes*, *Oreſſanenſes*, *ſiue Tót-Diósenſes*, *Pógranienſes*, *Radoſouienſes*, *Rowenſcenſes*, *Semptienſes*, *Soboſtiſchtenſens*, *Szent-Pétrenſes*, *Tót-Sokienſes*, *Udvarhelyienſes*, *Ujhelyienſes*, *Ürményenſes*, *Vásárdienſes*, *Verbouienſes*, *Wilkoczenſes*, atque *Zobrienſes*. reliqui. Neque tamen, quos recenſuimus, colles, vinum omnes fundunt, æque probum. Nam, aliud quidem, agreſti tantum palato ſe probat; aliud, notæ præſtantioris eſt; atque vrbanis etiam conuiuiis idoneum; denique aliud, ne menſas quidem refugit vnctiores. *Ujhelienſi* profecto, ea laus tribuitur, quæ *Budenſi*, *Agrienſi*, *Szekſzárdienſi*, aut rubello alii. Duplicis enim generis vinum prouenit, *rubrum*, & *album*. Illius, maior eſt adprobatio, æſtiuis potiſſimum menſibus, cum potus adpetentia fit ardentior; iſtud, vulgarius habetur. Idem, & de *Cſejthenſi*, quod de *Ujhelenſi*, dictum velim. Raro autem, vina, noſtrates iſti, ſeneſcere volunt; ſiue, quod ægrius toleratura eſſent ætatem; ſiue, quod vulgus recentibus magis delectetur. Atque, ſunt omnino, in vulgo, faſtidioſi adeo palati homines, vt cicutam ſe bibituros putent, ſi vetûſtum vinum potandum ſit. quod ego conſuetudini illi tribuo, dum muſtum, ante quam in vinum deferbuerit, auidiſſime ingerunt, *Liberi Patris* alumni: hinc nauſeant poſtea, quidquid vetuſtatis aliquid, ſeu odore præferat, ſeu ſapore; coloris, qui eſt in vino κρίσεως haud contemnendum, penitus incurioſi. Quia præterea, hordei ferax eſt regio, lupulique, nullum facile vicum reperias, cui non ſit *cereuiſia* coctura, vario, vti fit, ſucceſſu. Commendatur præcipue *Priuidienſium*, *Vág-Ujhelienſium*, & *Wittenczienſium*, in iſto potus genere adparando, cum diligentia, tum felicitas. Ab his, qui *Cereris*, quam *Bacchi* donis, delectantur magis, *Martialis* potiſſimum *Priuidienſis*, ingenti guſtus adprobatione, bibitur. Genus eſt cereuiſiæ, menſe fere *Martio* excoctum, & vulgari illo pinguius, quia vberiore polenta, lupuloque, decoctum; ſed ideo craſſum, & facile tentaturum caput, neque, niſi his ſalubre, qui ſtomacho ſunt vegetiore. Salſe, non nemo, *Priuidienſium* huic potui, *Henrici Abricenſis* Nortmanni, HENRICI III. Angliæ regis poetæ, verſus adfricuit: *cereuiſia coctura:*

Neſcio quod Stygiæ monſtrum conforme paludi,
Creuiſiam *plerique vocant*, *nil ſpiſſius illa.*
Dum bibitur, nil clarius eſt dum mingitur, vnde
Conſtat, quod multas feces in ventre relinquat.

Eſt & *Szenitzenſi*, atque *Szobotiſchtenſi*, laus quædam ſaporis eximii. Intra montes, ea circum regione, vbi *Bela* vicus conſedit, inſalubrem coquunt & fœculentam; tametſi, ob vini inopiam; probatiſſimam deberent. At, vbi vini copioſior eſt reditus, *cereuiſia* negligentius habetur, neque, niſi ab his bibitur, quibus paupertas leges tulit parſimoniæ. *Vino* denique *factitio*, montium incolæ, non ipſi modo de-

le-

lectantur, sed aliorsum etiam auehunt, quæstûs faciundi causſa; nescio, an semper bono cum fructu: quippe, tantum de panis copia, suis detrahentes, quantum frumenti, impendiosa illa arte, prodigitur.

§. X.

Hortorum cultus:

EX his, quæ dicta sunt, coniici posse existimamus, cum vinearum operis, hortorum cultum, coniungi a *Nitriensibus*. Varie autem hos instruunt. Nam, agrestes quidem, in ea re, non

rusticanus:

tam cultui student, quam vtilitati. Proinde, beatos se putant, si vulgaria illa, & vbique obuia, fructuum, herbarum, radicumque genera, in hortis queant habere. *Pomum* nempe serunt, *pyrum*, & *prunum*. quæ quidem arbores, passim ad eam vbertatem inualescunt, vt habeant incolæ, præsertim solertiores, quod, & suis vsibus sufficiat, & alienis. Reliquus hortorum prouentus, totus, ad domesticos vsus destinatur. Nisi, quod *brassicarum*, lætior alibi procreatio, agresti cuidam mercatui, locum faciat. Nempe, vbi pro soli ingenio, oleris genus, nostrorum mensis familiarissimum, felicius increuit, huc cum curriculis aduentat, quos eo anno prouentus iste fraudauit. Emunt autem, singula centena capita, nunc minori, nunc maiori etiam pretio, raro autem vltra numos quinquaginta. Isti rusticorum fuere horti; neque alia fere nobilium est ratio, quam quod ii, cultum soleant

exquisitior:

adhibere, paullo exquisitiorem. *Viridaria* vix alibi repereris, quam vbi heri prætoria habent, aut æstiuos secessus. Alioquin, vbi vitem alunt colles, hic, & fructuum hortensium (nisi eos cæli iniuria diminuerit) ingens copia esse consueuit. Hoc in primis laudi est *Nitrienſi*

croci prastantia.

regioni, quod *crocum* ferat nobilissimum, & cilicio cuiuis anteponendum. Egregia, in eo conserendo, solertia, *Veszteniczenses* (*g.*) cum primis, versantur, quod postea collectum & resiccatum, passim, & per vicinas regiones, diuendunt: eo vsi compendio, vt, quod præclaræ huius mercis, domi non sufficit, id *Viennæ* comparent, posteaque per fora, vicosque circumferant. Illud miramur, croci hunc prouentum, non propagari a *Nitrienſibus* vlterius, cum palam sit, raro operas, quæ impenduntur, frustrari, solum autem *Hungaricum*, quin pluribus locis, huic cultui idoneum sit futurum, nullum est dubium. Itaque, existimo, laborioſum, culturæ istud genus, videri nostris hominibus: quippe, quod curam requirat adtentiorem, cum in bulbis pangendis, tum, in fructu, vbi matureſcere cœpit, colligendo.

§. XI.

Res pecuaria Nitriensium.

EXimia hæc sunt omnia; neque deterior, quæ ad expromendum restat, *res pecuaria Nitrienſium*. Variat ea, pro situum regionis diuersitate. Montes enim, pecus enutriunt, exilius, versicolor,

g.) De huius *Croci* cultu, data opera, in, de *Re Rustica Hung.* P. II. Cap. I. §. 16. agemus. De *Cilicio Croco*, vide PLINIVM, Lib. XXI. Cap. VI. COLUMELLAM Lib. IX. Cap. IV. 4. edit. GESNERI, pag. 667.

ſicolor, & male detortis curtisque cornubus, inficetum; fructuoſum tamen, & cum labori agreſti tolerando, tum fundendo etiam lacti, & cogendo butyro, idoneum. Cauſſam rei, alibi dedimus. Quæ hæc fere eſt; quod montanum pecus herbis, fœnoque veſcatur teneriore, quam campeſtre illud, cureturque etiam impenſius. Eadem, & *equorum* ratio eſt. Maxime familiares montibus Nitrienſium, *oues* ſunt, minutiores illæ, Hungaris *Bohemicæ* dictæ. Quas, qua diligentia alant, non adtinet recenſere, cum id in reliquis huius tractus Comitatibus, cum cura iam fecerimus. Qua montes, in nemora ſubſident, pecus generoſius eſſe incipit, neque tamen *Hungarico* illi ſuppar. Infra *Nitriam*, campeſtribus, circa *Ujvarinum*, locis, felicior pecoris prouentus eſt. Nimirum, tota ea regio, *Jatton* præcipue, *Eſterházíorum Comitum* prædium, pingui gramine lætatur, eſtque armentorum non minus patiens, quam campeſtris *Hungariæ*. Quia enim, ſuperioribus bellis, ager *Ujvarino* circumfuſus, longe lateque euaſtatus fuit, quidquid illic vicorum erat, in ſolitudines abiit. Quas noſtri *prædia* vocant, eo quod, heris, ad quos pertinent, prædiorum vices præſtent, eo vſque, dum nouis coloniis inſtaurentur. Itaque, deſolata, ad eum modum, regio, paſcuis reddita eſt opportuna. Hic vero, non domeſticum modo pecus, ſed mercatorium etiam, & quod, partim in *Morauiam*, partim *Viennam* propellitur, ſaginari ſolet. Quidquid enim *Poſonienſes*, *Tyrnauienſes*, & vicinarum vrbium, lanii, in mercatibus *Vaczouienſibus*, *Peſtienſibus*, atque *Szegedienſibus*, pecoris coemere, iſthuc compellitur, abigendum, vbi id mercatuum rationes ſuaſerint; tametſi, iam paſcuus ager, arctior eſſe incipiat, quod vici paſſim conſtituuntur, quorum territoria multum demunt ex iſta opportunitate: hoc vero, an ſit cum publici quæſtus vtilitate coniunctum, alii diſpiciant.

§. XII.

RElIquæ, prouinciæ *Nitrienſis*, commoditates, modici, aut nullius fere ſunt prouentus. Huc equidem venas metallicas retulerim, paſſim notatas, ſed hucuſque, aut neglectas, aut cultas remiſſius. Ad vicum *Cſawoy*, operas huiusmodi, ante complures annos, inchoauere, qui eius agro potiuntur. Mons eſt editiſſimus, que actis cuniculis, atque depreſſis puteis, cauabant, ob mineras auri argentique. Has, vbi in officinis, quibus *Hámry* nomen, perpurgauere, qui ſunt operis deſtinati, ad vrbes montanas deuehebant, liquandas illic, & in monetam procudendas; at quo reditu, non habeo dicere. Si prouerbio *Cſawoyenſium* fides adhibenda ſit, oportet omnino montem laudatum, auri argentique diuitem eſſe. Aiunt enim, ſæpe lapidem, in bouem, loco pellendum, iactum, pretii maioris eſſe, quam iumentum, cui impactus eſt. Quidquid eius ſit, *Cſawoyenſium* certe operæ hæ, quod non reddebant impenſas, deſertæ ſunt conſulto. Iſtud negari haud poteſt, reperta aliquando eſſe auri [illegible] virgulta, etiam extra fines *Cſawoyenſium*, *Metallorum veſtigia*:

ſium, in agro *Koſtelnenſi*. Nempe, anſerinos pullos, extra vicum, ancillula, ex more paſcebat. Quas dum garritu laſciuientes, ſolito longius, per nemoris gramina ſectatur, in culmum incidit, micantem eum, atque e ſaxi rimula pullulantem. Ignara, quid eſſet rei, culmum euellit, & ad herum ſuum, vici *Parochum*, defert. Ille, vti erat chymiæ gnarus, locum veſtigat ſollicitiſſime, neque tamen, ob puellulæ incurioſitatem, amplius reperit: aurum interea, igni exploratum, puritatis, quaſi multa arte excoctum eſſet, prorſus eximiæ fuit, ac pene incomparabilis. Etſi autem, ex natiui huius auri fructibus, non ſemper argui poteſt, diuites illic venas, vbi ſuccreſcunt, latere; eſt enim id fallax oppido indicium; ſicut hoc, ad collem *Vetuſolienſem*, aureis ſatis famoſum, (*b.*) docuimus: tamen, non omne prorſus, locis huiuſmodi, metallorum ſeminium, ſaltem halitus, iis concipiendis idoneos, temere negaueris. *foſſilia reliqua.* Ad foſſilia cetera, *cretam*, & *rubricam* referimus. Quorum magna copia ad vicum *Banka*, thermis *Pöſtinenſibus*, aduerſa *Vagi* ripa oppoſitum, erui ſolet. Illic, & lapicidina eſt, egregii reditus: probantur enim, lapides hic cæſi, architectis. Sunt, & in agro *Szobotiſchtenſi* venæ cretaceæ, in profundis collium hiatibus, eo itinere, quod ex oppido, ad arcem *Berenes* deducit. Neque dememineſſe decet, inſignis antri, quod in monte, thermis *Pöſtinenſibus*, & vico *Radoſſin*, interpoſito, pone viam, aperitur. Inſignis eius eſt capacitas: quippe quæ, XXIV. paſſus in longitudinem, arctius paullo in latitudinem, protendatur. Concameratio ita facta eſt, vt cellarium referat, ſed adparente tamen naturæ opificio. Solet quandoque, aurigarum eſſe diuerſorium, ſi eos iſta regione, aut nox deprehenderit, aut imber. Certe, gregem CCCC. ouium, commodiſſime capit. Vulgus, *Cſertowá Pecz*, ſeu *furnum diaboli*, ob rei qualemcunque ſimilitudinem, adpellat. Atque hæc, de opportunitatibus *Comitatus Nitrienſis*, dicenda erant.

MEMBRVM POSTERIVS POLITICVM.

DE

INCOLIS, MAGISTRATIBVS, DOMINIIS ET FAMILIIS, *Comitatus Nitrienſis.*

SYNOPSIS.

Incolæ Comitatus Nitrienſis: *Hungari: Slaui: Germani.* §. I.
Nationum ſingularum mores: Hungarorum: Slauorum: Germanorum. §. II.
Incolarum occupationes: montani, ouilia curant: & rem frumentariam: campeſtres, quid occipiant, quoue fructu. §. III.

b.) Tomo Operis II. p. 379. ſeq.

Opi-

Digitized by Google

Opificum opera. §. IV.
Supremorum Comitum *axioma, penes* Episcopos Nitrienses: *Magistratus reliqui: insignia prouinciæ.* §. V.
Familiæ illustres: nobiles: & ditiones vtrorumque: Bajmoczensis: Csejtensis: Berentsienſis: Korlatkôienſis: Holicsenſis, & Sassinenſis: Jókôienſis: Nagy-Tapolcsanenſis: Galgotzienſis: Nitrienſis. §. VI.

§. I.

ANtiquos regionis huius incolas, in vicino *Posonienſium Comitatu*, (a.) vidimus; vt iam eo remittendus omnino sit lector. Nempe, fuit aliquando, eximia regni *Vanniani* portio. At *Vannio* profligato, in gentium, quasi diuersorium quoddam abiit. Mansit tamen, post euictos *Marcomannos*, *Quadosque*, eius possessio, penes *Slauos*, qui HAJECZIO teste, lætum vtrinque *Vagi* ripam, late insederunt, ad ea vsque tempora, quibus ab *Hunnis*, *Auaris*, denique & *Hungaris*, in societatem adsciti, his ipsis gentibus, misceri cœperunt. Neque enim, nisi qua montibus horret, regionem hanc, auersati sunt *Hungari*. Hinc, a primis statim gentis exordiis, *Hungaros*, campestrem huius quoque prouinciæ oram, habitauisse, certum est: relicto *Slauis*, montano asperoque, in occidentem & aquilonem, tractu. Itaque, sunt hodieque in *Comitatu* nostro, *Hungari*, *Slaui*, quin *Germani* etiam. De *Hungaris* frequentius dicendum hucusque fuit. *Slauis*, subinde *Bohemi*, & viciniores *Morani*, se miscuerunt: id quod, bello *Hussitico*, non minus, quam ELISABETHAE, atque FERDINANDI II. temporibus, euenisse, alibi docuimus. Et restat omnino, eius rei documentum penes nostros *Slauos*, dialectus nimirum *Bohemica*, quam hodieque, per *Moraniæ* confinia, non secus loquuntur, ac si in media *Marcomannia*, *Bohemiaue*, nati essent: quum alias, lingua *Slauorum*, multum absit a Bohemicæ, cum elegantia, tum etiam copia. In primis, culte, *Slaui Vágh-Ujhelenſes*, & *Szakolczenſes*, loquuntur: quod acceptis in ciuitatem *Bohemis*, tribuendum. Qui FRIDERICO PALATINO, a vsurpatione regni eius deturbato, exsules huc venerant. Reliqua regione, quam colunt *Slaui*, vulgaris eius linguæ dialectus, obtinet. Hæc de *Slauis* certa sunt. Sed quomodo *Germanos*, huc commigrauisse dicamus? non facile reperio. Causas eius rei, in *Comitatu Thúróczienſi*, exposuimus. Nempe, & mores ipsis, & ingenium, & lingua, propemodum peculiaris, neque *Saxonicæ* dialecto, quæ in vrbibus montanis viget, adfinis est. Nolim equidem, in re dubia, audaciter coniectare; sed tamen, ita existimo; nisi *Saxonum* propagines credamus; quod quam sit difficile, nunc diximus; forte, non iniuria, origines,

Incolæ Comitatus Nitrienſis.

Hungari.

Slaui.

Germani.

a.) Tomo I. Operis, Part. general. Membr. II. Politico p. 45. seq.

Digitized by Google

nes eorum, ad *Quados*, priſcos illos prouinciæ habitatores, retulerimus: erant enim *Quadi* priores, ciuitatis *Germanicæ* populus. Habitant autem *Germani*, de quibus ſermo eſt, in limitibus *Thúróczienſium*, & *Barſchienſium*; caput coloniæ *Teuto-Prona* habent. Qui, ſi cum adſitorum *Comitatuum*, quos iam nominauimus, confinibus vicis, in vnum corpus cogerentur, ſpeciem, qualiscunque coloniæ, ſaltem reliquias populi alicuius, poſſent referre. Nam, præter *Nitrienſis* huius oræ incolas, apud *Thúróczienſes*, ſeptem vicos habitant; neque forte pauciores, apud *Barſchienſes* fuerint.

§. II.

Nationum ſingularum mores:

Hungarorum:

Slauorum:

Germanorum.

CEterum, ingenium moreſque, trium, quas recenſuimus, nationum, & iſthic multum habent diuerſitatis. Nam, HVNGARI, quod diximus ſæpius, tenent adhuc, inſtituti veteris imaginem, ſuntque gentilitii decoris, tutatores eximii. Ex bellorum perpetuitate, quæ duobus retro ſeculis, media hac regione, datis ſæpe, acceptisque cladibus, cum *Turcis* gerebantur, hæſit militaris indolis quidpiam, *Hungaris* noſtris, vt hodieque, excelſioris ſint animi, quam reris: viri nobiles potiſſimum, qui referunt omnino, priſci moris inſigne decus. SLAVORUM indoles, ingenium refert, quale horum eſt, qui montes habitant. Diximus de eo, apud *Poſonienſes*, & alibi. Iſti ii ſunt, qui aliquando exercitibus integris reſiſtere, ſaltem remoram potuerunt iniicere; id quod hiſtoria partim, partim noſtra ætas, loquitur. Qui oppida colunt, caſtigati his ſunt mores, conſuetudines multum ferentes elegantiæ, conuictus, cum hilaritate, iucundi; nuptiæ, etiam tenuiorum, ad pompam factæ, pro gentis more, decoram non minus, quam iucundam. Verbo, *Slaui* vrbici, moratiores illi, exemplar quoddam ſunt, vitæ, quantum eius ſperare poſſis, inculpatæ. GERMANORVM, hac ora, gens, onerum tolerans eſt, & reipublicæ vtilis. Viuunt paruo, perpetuis laboribus durati, atque, ita rem curant familiarem, quam qui diligentiſſime. Lingua iis aſpera, & ad eum modum comparata, vt diſputari haud poſſit, ruditatisne plus habeat, an incuriæ; apud hos in primis, qui, ab elegantiorum hominum conſuetudine, ſunt ſecreti. Quod nobis, hominum dialectum veſtigantibus, occaſionem illam dedit, cogitare; annon *Quadorum*, qui hic colebant aliquando, reliquiæ ſint dicendi. Quod & ita remur omnino.

§. III.

Incolarum occupationes:

montani omilia curant;

IAm, ſi de incolarum *Comitatus* occupationibus, dicendum ſit aliquid: plerique omnes, diſtinentur agricolatione, quæ, ſicuti late patet, ita hos quidem, res pecuaria, alios frumentaria, vineaticus cultus alios, delectat. Montium incolæ, adtentiſſimi ſunt opiliones. Hinc

Va-

Digitized by Google

Valaská-Bela, nomen accepit, quod nullus illic propemodum inquilinus reperiatur, niſi ſit opilio, hoc eſt, gregis ouium, ſi non herus, ſaltem paſtor. Iſtis vero, ex caſeo & lana, victum amictumque parari, ex facili coniicias. Certe, qui caſas incolunt ſilueſtres, per editiſſimos colles, hinc atque illinc poſitas, agrum, non quidem remiſſe colunt, at impenſius tamen, greges ſuos curant. Cibus illis, cum lacte, panis hordeaceus eſt, duorum altitudine digitorum, ſpithamæ latitudine. Crederes, toſtum cineribus laganum eſſe, ita depreſſus,& limoſo cortici ſimilis eſt. Gens nuſquam cibi, tametſi craſſi, adpetentior. Haud pauci, offæ genus amant, quod ipſi *Csir* nominant, Aruenſes *Gulaſcham*. Eſt id, ex craſſiore farina, an polenta, ſimplice aqua ſubactum, & igne luculentiore, ad modum bituminis, excoctum. Huius grandem ollam, vbi iam detepuit, lacte frigido, vbertim perfundunt, atque veſcentes, cochleari tam grandi, quantum os capere poſſit, auidiſſime ingerunt. Infartum cibum, vel frigida perluunt, vel decocto ſero, quod ex ſitu acorem (*b.*) contraxit. Iſtis vero cupediis, tam robuſte inualeſcunt, vt ſi occaſio ferat, ne cum vrſis quidem congredi, detrectent. *Opiliones* hi fuere, & quos greges vtiliſſimæ pecudis, oblectant. Qui ſerendis, conſeruandisque frugibus, dediti ſunt, ita anni operas diſpertitas habent, vt nulla ipſis temere, ſine ſua quadam occupatione, difluat. Quod ager tulit, curatiſſime cogunt in horrea, atque, quam poſſunt, maturiſſime excuſſum, ad oppidorum mercatus deportant. Sunt, præterea, quibus auium & ferarum mercatura, in lucris eſt. Fit certe, vt feris, & auium ſilueſtrium genere vario, perſæpe, integros currus, conquiſitis paſſim mercibus, onerent, ac *Viennam* deuehant. Immo, non reformidarunt, montium iſti habitatores, *Imperatorem* ipſum, huiusmodi muneribus, honorare. Quod, ſicuti in ruſtico hominum genere, inſolitum fuit; ita, non potuit non prouocare *Cæſaris* benignitatem, iuxta & admirationem omnium. Quin & id cognitum habemus, ouis gallinaceis, currus clathratos impleri, & ad fora *Viennenſium* deuehi: vt *butyri*, *caſei*, *lanaque* præſtantioris prouentum, taceamus. Iſta, gentis laborioſiſſimæ, oppido honeſta, & vtilis in commune, occupatio eſt. Qui ab vrbibus remotius degunt, ſegnius hæc iſtiuſmodi compendia, ſeu poſſunt, ſeu volunt, conſectari. Omnis eis reditus, ex frumento eſt, atque pecude, ſi quam educare potuerunt. Pauci, in campeſtri prouinciæ ora, alendis armentis, poterunt inualeſcere: quod agri pars opimior, plerumque herorum eſt, ideoque, agreſtium vſui ſubducta. Ex vino autem, quam tenues, in paupere, & pecuniarum inope regione, ſint prouentus, nemo non exiſtimare poteſt. Sane, multi, quod improbo labore coegerunt vinum, aut ære exiguo ante, quam maturuerit in doliis, prodigunt, aut, ſi id nequeant, quod ſæpe fit, mutuis id conuictibus, ne pla-

et rem frumentariam:

campeſtres, quid occupiant, quoque fruantur?

b.) Suo idiomate, *Kyſzli-Zinczicza*, vocant, de qua apud *Zolienſes* diximus, Tom. II. p. 398.

ne fugiat, exſorbent. Scilicet, tanti eſt, non habere, quo, cum aliquo fructu redigas, naturæ matris & operoſæ ruſticationis, beneficia atque opes.

§. IV.

Opificum opera.

AGreſtes hi labores fuere. Non deſunt, qui opificiis, pro regionis ingenio, communibus iis, & vnice neceſſariis, diſtineantur. *Anabaptiſtæ*, aut potius horum reliquiæ, ſingulares ſunt *mechanici*, & illiberalium artium ſtudioſi. Superant eorum familiæ quædam, apud *Sobotiſchtenſes*. Quarum aliæ, *cultros* procudunt, non in eleganter factos, aliæ *ſutrinis*, aut *figulino* opere, occupantur. Modeſtum alioquin genus, & nemini facile noxium; ſiue id, ex ſuæ religionis præſcripto faciant, ſiue diſciplinæ, quam ſtrictiorem adfectant, iuſto metu. Apud *Szakolczenſes*, pannus fit, non contemnendæ compagis, ſi ex lana exquiſitiore texatur. Eſt hic, eius opificii numeroſum contubernium; quod valuit aliquando opibus. Nunc, quæ eſt temporum malignitas, pauciores ſuperant, quibus ſuus domi panis pernoctet, ne dicam, perennet. *Privigyenſibus*, præcipua *cothurnorum* laus tribuitur, quos illi ſcite conſuunt, & paſſim, venales per fora, circumferunt, *Teuto-Pronæ*, pellionum quaſi officina quædam eſt: nam & pelles egregie ſubigunt oppidani, & chlamydes ita fulciunt, vt vix alibi melius. Vt iam, *Mijavienſium* textrinas ſutrinaſque, nuper, ab optimo rege, iuribus donatas peculiaribus, taceamus.

§. V.

Supremorum Comitum axioma, penes Epiſcopos Nitrienſes:

PRouinciæ, quam hucusque deſcripſimus, iisdem legibus, quæ toto regno vigeſcunt, magiſtratus præſunt. Et *Supremorum*, quidem *Comitum* axioma, penes *Epiſcopos Nitrienſes* eſt, ante plura ſecula iis adtributum. Vetuſtiſſima tamen monumenta, paſſim *Comitum Nitrienſium* meminerunt, quos tiara eccleſiaſtica inſignitos haud fuiſſe, conſtat. Huc referas, *Laurentium*, Judicem Curiæ, & *Comitem Nitrienſem*, cuius nomen, in monumento (*c.*) quodam *Varadinenſi*, paſſim reperio. Qui, ſi idem eſt, quem *Catalogus Judicum Curiæ Regiæ*, ad ætatem LADISLAI II. hoc eſt, annum MCLXXII. reiicit, coniici inde poteſt, inſtituto *Epiſcopatu*, quod vulgo GEYSSAE II. tribuitur, peculiares prouinciæ fuiſſe *Comites*; cum *Laurentii* huius ætas, ab inſtaurato *Nitrienſium Epiſcopatu*, tribus tantum luſtris diſſideat. Indidem *Salomonis* quoque, *Comitis de Nitra*, mentio iniicitur, qui ANDREA II. regnante, rebus potiebatur. Adde, ex eodem *Catalogo Judicum Curiæ Regiæ* (*d.*) LAMBERTUM *Comitem Cſanadienſem*, & *Nitrienſem*, qui ab anno MCCCXVII. vsque ad annum MCCCXXIV.

ea

c.) Cui titulus: EXPLORANDAE VERITATIS, per geſtationem ferri candentis, in Adparatu noſtro, ad Hiſt. Hungariæ, Decadis I. Monumentum V. dum hæc excuduntur, *Poſonii* editum.

d.) Adnexus is eſt, Coronæ Hungariæ *Petri de Rſwa*, auctore *Caſpare Jongelino*, quem citamus ſæpius.

Digitized by Google

ea dignitate, ſub CAROLO ROBERTO. Potiebatur quem id honoris, ob victum *Matthiam Trentſinenſem*, a CAROLO accepiſſe, colligimus. *Matthias*, inquiunt eruditi Tyrnauienſes (*e.*) *a Lamberto duce, ſic caſus eſt, vt ne pellem quidem integram referret.* Plures, in diplomatibus reperio, quæ iam non vacat recognoſcere: vt fas ſit exiſtimare, poſt ea tempora, *Nitrienſibus Epiſcopis*, eximiorum ſubinde meritorum viris, regum indulgentia, collatam eſſe eam dignitatem, amplam omnino, & faſtigio [illegible], haud indignam. Reliqui magiſtratus, a *Vice-Comite*, huius item *vicario*, *Judicibus Nobilium*, & ab *Aſſeſſoribus Tabulæ Judiciariæ*, haud ſecus geruntur, quam id in aliis *Comitatibus* dictum eſt, diceturque, in operis progreſſu, ſæpius. Reſtaurantur magiſtratus, nunc rarius, iterumque frequentius: vix tamen vltra triennium iidem eſſe permittuntur, ita, nimirum ferente lege publica: niſi forte, in eos incidiſſent viros, quorum ſpectata, in adminiſtrandis rebus, fides atque ſolertia, inſtaurationem non neceſſariam fecerat. Comitiola prouinciæ, plerumque *Galgotzii*, rarius alibi, celebrantur. quæ tunc indicuntur, quum id adminiſtratio rei publicæ, requirit. *Inſignia* S. ŁADISLAVM referunt cataphractum, atque, dextra quidem ſecurim militarem, ſiniſtra ſcutum tenentem, *Hungariæ* lemmatibus diſtinctum, qui genu dextro, *Cumano* barbaro, humi proſtrato, innititur. Id quod, virtutis bellicæ documentum præbet. Qua in primis excelluiſſe *Nitrienſes*, ſupra monuimus.

Magiſtratus reliqui.

Inſignia prouinciæ.

§. VI.

ILluſtrium familiarum, nunquam non ferax fuit regio *Nitrienſis*. Et, vt earum quæ deſierunt, nomina taceamus, in primis florent hodie: Comites PÁLFFY *ab Erdőd*; Comites ERDŐDY *de Monyoróker̀k*; Comites FORGÁCH *de Ghymes*; Comites CZOBOR *de Czobor Szent-Miháły*; Comites NYÁRY *de Bedek*; Comites *de* RÉVA: Barones ZAY; RÉVAY; MAJTÉNII; ÚJFALUSII; APONII; MEDNYANSZKY; (*f.*) SÁNDOR. Nobilium ad hæc, flos inexhauſtus, quorum decora, quod ea nos latere voluerunt, aliis relinquimus expromenda. Ceterum, illuſtres, iuxta & nobiles familiæ, diſpertitam, in ditiones, regionem, varie poſſident. DOMINIA vulgo dicimus, quæ iam ſunt memoranda.

Familiæ illuſtres.

Nobiles, & ditiones vtrorumque.

I. *Baymoczenſe*, opimum eſt, & non vicorum modo numero, ſed incolarum etiam, in re facienda, adſiduitate; quin, & regionis, per quam ſpargitur, opportunitate eximia, reliquis anteponendum. Nomen, ab arce *Baymótz* inditum, quam ditio ipſa circumfundit. In hac numerantur oppida: *Baymócz*, *Prividia*, *Teuto-Próna*; vici item inſigniores: *Chrenowecz*, *Ráſtotſchné*, *Sebedráz*, *Koſs*, *Lazány*, *Poluſſe*, *Lehota*, *Handlowá*, *Czigel*, *Tuzina*, *Lipnjk*, *Nedozar*, *Brezany*, *Gei-*

Baymoczenſis:

e.) In CVRIA IVDICVM Regni Hung. p. 31.

f.) De his vide, Hiſtoriam Comit. Trentſchinenſis Parte Generali, Memb. II. §. VIII. fine. Familias reliquas, ſuis locis memorauimus. Quas ideo ſupervacuum ducimus recognoſcere.

Geidel, reliqui. Poſt *Thurzones*, in *Pálffyorum* venit poteſtatem, iure primum *hypothecario*, quod a fiſco regio obtinuerant; donec anno MDCCXXVI. iure *hereditario*, in gentem, multis, de rege & patria, meritis illuſtrem, *Cæſaris* CAROLI VI. indulgentia, ſolemni diplomate, transſcriberetur.

Cſejtenſis: II. *Cſejtenſe*, nec minus late porrecta ditio; ſed inter plures iam pridem diuiſa. Huius ſunt: *Cſejta*, *Ó Tura*, *Varbouia*, & *Brezowa*, culta, laxaque oppida; vici præterea complures, in quibus cenſentur: *Myawa*, *Krayné*, *Wagyocz*, *Koſtelné*, *Podolj*, *Koritná*, *Koſztolány*, *Cſaſzkócz*, alii.

Berentſienſis: III. *Berentſenſe:* olim gentis eiusdem, nunc mire diſcerptum, & arci cognomini ſubſitum. Huc referuntur: *Szenitzium*, & *Sobotiſchtinum*, copioſa oppida; vici item: *Turá-Lúka*, *Werbócz*, *Bukócz*, *Pritrz*, *Kunow*, *Rybky*, *Cſacſow*, *Rohow*, *Chropow*, *Cſaſtokow*, *Rowenſzko*, *Smrdák*.

Korlátkőienſis: IV. *Korlátkőienſe*, cuius caput eſt arx *Korlatkő*, montibus albis, ab occidente, adſita. Accenſentur ei: *Sándorff* oppidum, commoditatis eximiæ, cum vicis: *Leskow*, *Czerowá*, *Rozhehy*, *Jablontza*, *Hluboká*, & vici *Oſuska* pars altera. Eſt id familiæ *Lapſánſzky* de *Lapſs*, cui ab arce *Korlátkö*, celebratum ſcriptoribus nomen, *Korlatkőy* adhæſit.

Holitſchenſis, & Saſſinienſis: V, *Holicſenſe*, & *Schaſchinenſe*, adunatæ Comitum *Czobor de Czobor Szent Mihály*, ditiones, partem maximam, alieno ære obrutæ. Iam, diſſoluto eo, in poteſtate ſunt *Magni Ducis Hetruriæ*, *Ducis Lotharingiæ & Barri*, *Regni Hungariæ Locumtenentis*, STEPHANI FRANCISCI. Feliciter! Pertinent eo: *Holics*, *Schaſchin*, *Ekbel*, oppida. Quæ vici ſequentes circumſident: *Koptſan*, *Unin*, *Letniczy*, *Stráze*, *Radimow*, *Cſary*, *Brodské*, *Hutské*, *Katow*, *Wéska*, *Trnowecz*, *Wydowany*, *Oreſka*, ceteri.

Jókőienſis: VI. *Jókőienſe*, habet, præter *Hradiſto*, vici *Oſuské* partem alteram.

Nagy-Tapolſchanenſis: VII. *Nagy-Tapolſanenſe*, arci ejusdem nominis admenſum. Tenet oppidum *Nagy-Tapolcſán*; pagos vero, *Tovarnok*, nunc dominii caput, *Podbradie*, *Závoda*, *Praſicz*, *Teſzár*, *Witkócz*, *Nagy-Jácz*, *Kuznicz*, *Nemſchicz*, *Aranyos*, ſeu *Zlatniky*, *Weluſchócz*, *Pochaban*, *Nagy-* & *Kis-Vendég*, & *Felső Rédek*.

Galgoczienſis: VIII. *Galgoczenſe*, cum integrum eſſet, ſub *Thurzonibus* primum, poſtea vero ſub *Forgáchiis*, dies erat vicorum. Nunc, reliqua ſui parte diminutum, in poteſtatem *Comitum Erdődy*, conceſſit. Eius ſunt: *Galgócz*, inſigne olim oppidum, dimidia pars oppidi *Pőſtény*, *Neoſtadium* ad *Leopoldopolim*, oppidum item *Bayna*; & vici: *S. Peter*, *Udvarnok*, *Ujlak*, *Vereſvár*, *Berekſzék*, *Páſzthó*, *Drahócz*, *Madunicz*, alii.

Nitrienſis. IX. *Nitrienſe*, quod Epiſcopi eſt. Varie id ſpargitur, ſuis ideo locis, huc accenſendum. Quod regionis reliquum eſt, id nobiles poſſident, quorum mentionem, pro eo, ac ſuppetent notitiæ, ad vicorum deſcriptionem, ſumus habituri.

PARS

Digitized by Google

Digitized by Google

PARS SPECIALIS,

DE

Proceſſibus Comitatus Nitrienſis.

PROOEMIVM.

AMpla hæc, quam generatim deſcripſimus, *Nitrienſium Prouincia*, quinque PROCESSIBVS definitur, *Nitrienſi* nempe, *Ujhelienſi*, *Bajmotzenſi*, *Bodokienſi*, & *Szakolczenſi*, quem & *Szeniczenſem* vocant. Iam ſingulos peragrabimus, arcibus, vrbibus, pidis, viciſque, pro more noſtro, deſignatis.

MEMBRVM I.

DE

Proceſſu Nitrienſi.

REgionem is habet, partim, *Nitra*, & *Vago* amnibus intercluſam, partim, vltra eos, hinc in orientem, in occidentem illinc, porrectam, eſtque, cum arcibus & oppiis, tum vicis in primis, frequens.

SECTIO I.

DE

Arcibus Proceſſus Nitrienſis.

I. Arx, & Oppidum Nitria.

SYNOPSIS.

NITRIAE *antiquitas: eius Epiſcopatus, inter primos cenſendus.* §. I.

Huius, connexa, cum rebus Morauicis, *fata.* §. II.

Eadem porro enarrantur. §. III.

Quamdiu Epiſcopatus Nitrienſis, *deſertus iacuerit: an* S. STEPHANVS *eius inſtaurarit.*

rator dici poſſit? auctoris diſputatio. §. IV.
Epiſcoporum Nitrienſium *catalogus.* §. V.
Diœceſeos Nitrienſis *ratio: ædes cathedralis: Epiſcoporum palatium: reliquiæ in ſacra ade adſeruatæ.* §. VI.
Canonicorum *collegium: eius ſedes.* §. VII.
Arcis Epiſcopalis ſitus. §. VIII.
Prima arcis mentio, in rebus S. Stephani *occurrit, captiuitate* Vazulis *memorabilis: eius, ſequutis temporibus, incrementa, & prima, ab* Henrico, *& Salomone, obſidio intentata.* §. IX.
Quæ Matthiae *temporibus arcis fata exſtiterint: ſit* Caſimiri *Poloni perfugium, & laqueus: conciliata inde loco celebritas.* §. X.
Recentiores arcis, & oppidi conuerſiones: ſub Botskajo: *ſub* Bethlenio, *& Rákóczio: capitur a Turcis, vindicatur a* Suſa. §. XI.
Reliqua loci decora: oppidi habitus, priſcus, & recens: PP. Piarum Scholarum *Collegium, Gymnaſium, & Nobilium Conuictus.* §. XII.

§. I.

Nitriæ *antiquitas:*

NITRA, & terminatione latina, *Nitria*, arx, non vetuſtate minus, quam ſitus amœnitate, inſignis. Antiquitatem, inde metiri poſſis, quod iam tum ſeculo IX. annales, potiſſimum eccleſiaſtici, *Nitriæ* meminerunt. Enim vero, circa annum *octingenteſimum vigeſimum quartum*, non Christi tantum fidem admiſit, ſed *Epiſcopen* ſimul habuit. Et me-

eius Epiſcopatus, *inter primos cenſendus:*

minit ſane, Inchofervs ad annum DCCCXXV. Epiſcopi *Nitrauienſis*, ſeu *Nitranenſis*, id eſt *Nitrienſis*, cui *Alcuuino*, *Albino*, *Aldeuino*, ſeu *Aleuino* nomen: varie enim ſcribitur, vt adparet, ex epiſtola Evgenii II. Pontificis, quam laudatus Inchofervs, ex *Lazio* recitat. Audiendus in eam rem Bohvslavs Balbinvs (*a.*) *Paſſauienſis*, inquit, *antiſtes, Ludouico pio regnante, circa annum Chriſti DCCCXXVI. nomine Uraſus, vel Trolſus, poſtulaute* Maymaro, *vel* Mœmaro (non Morauiæ totius, ſed partis alicuius duce, qui Chriſtianam religionem profitebatur) *duos, e ſuis, ablegauit, prius epiſcopos conſecratos:* Adelvinvm, *ſeu* Alevinvm, *&* Methodium; *illum*, Nitrauienſem, *id eſt Nitrienſem, hunc Iulio-Montanum, vt vocat* Aventinvs. *At* Evgenivs *Pontifex, in litteris Apoſtolicis, Methodium epiſcopum Speculi-Julienſem, ſeu Sorigutturenſem, adpellat. Eas vrbes duas, iam pridem, dum Quadi & Daci, ea loca incolerent, epiſcoporum ſedes fuiſſe*, ait Aventinvs; Evgenivs *vero* II. *Pontifex adfirmat, iam Romanorum, Gepidarumque*

a.) Epitome Hiſtor. Rerum Bohemicar. Lib. I. c. III. in notis p. 12. qui locus, eum cura legendus eſt omnino.

que temporibus, Laureacenſem Metropolitanum, ſeptem epiſcoporum parochias, in iis locis habuiſſe. Ergo Eugenius, latus hiſce Euangelii Chriſtiani progreſſibus, Trolſo Paſſauienſi, Archiepiſcopalem dignitatem reſtituit, eique, pallio miſſo, legationem & vices ſuas, in Pannonia, Hvnnia, *&* Moravia *delegat.* Iſta, ex Balbino adduxiſſe placuit, diligentiſſimo ſcriptore, vt doceatur, Morauiæ, ea ætate, adſcriptam fuiſſe regionem hanc, vna cum *Nitria*; vtque ſimul pateſcat, iſta *Hungariæ* parte, *Epiſcopatum Nitrienſem*, omnium eſſe antiquiſſimum.

§. II.

Huius, connexa cum rebus Moranicis, fata.

Poſt ea tempora, coniuncta erant, toto propemodum ſeculo, epiſcopatus noſtri fata, cum iis, quæ Morauorum Eccleſiæ, cogebantur ſubire. Enim vero, *Methodio* priore, natione Illyrio, qui cum *Adeluino*, in epiſcopen miſſus erat, anno DCCCXL. mortuo, *Adeluinum* ſuperuixiſſe oportuit. Interea, dederat moleſtiæ aliquid, lis inter Epiſcopos, de limitibus diœceſeos, intempeſtiue coorta. *Leipramus* enim, *Juuauienſis*, ſeu *Salisburgenſis* epiſcopus, intellecto, *Paſſauienſium* præſulem, *Morauis* antiſtites miſiſſe, palam, inuaſos diœceſeos ſuæ terminos, profiteri, atque accuſare *Paſſauienſem* occœpit, tanquam, qui in alienam meſſem, falcem immitteret. Et effecit ſane, ſuis iſtis querelis, vt ea templa omnia, quæ *Brynno*, Morauorum regulus, bene multa exædificauerat, ritu ſolemni, conſecraret dedicaretque; quin, miſſa legatione, a Gregorio IV. ſummo pontifice, ſub Lvdovico pio, anno DCCCXXXVI. pallium Archiepiſcopale obtinuerit, habueritque, ab eo tempore epiſcopos *Morauiæ*, puta: *Sorigutturenſem*, & *Nitrienſem*, ſuffraganeos. Tunc vero, diuini fratres, Methodivs II. & Cyrillvs, ex *Græcia*, annunciandi Euangelii Jesv Christi, ardore exciti, in *Morauiam* venerunt, tanto ſancti laboris ſucceſſu, vt merita, ſeu *Paſſauienſium*, ſeu *Salisburgenſium* antiſtitum, propemodum oblitterarint; gente *Morauorum* vniuerſa, Christo vendicata, conſtitutis paſſim epiſcopalibus, quibus *Welehradenſis* Archiepiſcopus, (*b.*) Pontificis Romani auctoritate, præeſſet. Atque iſtis quidem temporibus, floruiſſe oportuit *Epiſcopen Nitrienſem:* quippe, gemino iure, ciuili atque eccleſiaſtico, *Morauiæ* accenſam. Interea, dum iſtis ſucceſſibus eccleſiæ *Morauorum* increſcunt, non potuerunt, hanc tantam, nouorum antiſtitum felicitatem, & gloriam, præſules, cum *Bauari*, tum *Germani* ceteri, æquo animo ferre. In primis, queſtus eſt apud Pontificem, *Hatto Moguntinus*, vti id ex litteris, quas Gevoldvs, & Goldastvs exhibent, liquido conſtat. Neque potuit *Theotmarus Salisburgenſis*, quin litem, olim, ab anteceſſoribus motam, redintegraret; miſſis, ad Johannem IX. litteris, quas *Goldaſtus*, cum fide recitat. Verum, adeo conquiſitis querelis

b.) Lege, Baronivm in Annal. Eccleſ. poſt annum DCCCLVI. Cromervm Lib. III. rerum Polon. Gevoldvm, in Diplom. Pontif. Lazivm Lib. XII. de Repub. Rom. Denique, Hvndivm in Metrop. Paſſauienſ. atque ex recentiſſimis, Marcvm Hansitzivm S. I. in Germania Sacra.

Digitized by Google

iſtis, nequiuerunt, aduerſus pientiſſimos præſules, proficere, vt iura eorum, his controuerſiis, etiam conſtabiliuerint. Certe, anno DCCCLXXX. *Wichinus*, NITRIENSIVM Epiſcopus, qui potuerat omnino *Aldeuino*, cuius meminimus, ſucceſſiſſe, non eccleſiæ modo, quam, pro eorum temporum ingenio, docuit, ſine querela, præfuit; ſed iuſſus eſt etiam, *Methodio*, Morauorum Archiepiſcopo, a IOHANNE VIII. Pontifice Romano, ſubeſſe; quemadmodum INCHOFFERVS, ad annos DCCCLXXX. & DCCCLXXXIX. meminit. Res eſt iſtiusmodi: *Moraui*, vna cum regibus ſuis, inde a ſeculi huius exordio, religionem Chriſtianam profeſſi fuerant, confirmati poſtea, a *Methodio*, & *Cyrillo*, fratribus. Aegrius id epiſcoporum, quos nominauimus, aliqui, tulerunt, accuſato ſimul *Methodio*, quaſi ex ſuo arbitrio, rem ſacram, apud *Morauos*, factitaret. Proinde, Romam, a *Johanne* Papa, euocatus *Methodius*, poſteaquam doctrinæ ſuæ rationem dediſſet, non modo, ab omni, cum vitæ, tum doctrinæ labe, inſons habitus; ſed eximiis ſimul laudibus, a *Morauorum* principe, *Suatoplugo*, ſummo Pontifici, commendatus fuit. Atque, eadem iſta occaſione, *Wichinus* hic, quem IOHANNES, in Epiſcopum ipſe inauguraverat, *Eccleſiæ Nitrienſi*, præſul datus fuit.

§. III.

Eadem, porro enarrantur.

HVcusque intemeratus manſit *Nitrienſis Epiſcopatus*. Quæ, inde ab anno DCCCLXXXIX. ſequuta ſunt tempora, cum rebus publicis luctuoſa, tum in primis *Eccleſiæ* triſtia exſtiterunt. ARNVLPHVS enim, rebus, in imperio occidentali, potitus, cum *Morauiæ* Principem *Suatoplugum*: quippe, cuius ſuſpectam habebat potentiam; ſub iugum mittere vellet; *Hungaros*, gentem feram, & a CHRISTO alienam, exciuit. Aderant *Hungari*, ſed magno poſtea, occidentalis imperii, atque eccleſiarum, malo. Nam, cum *Arnulphus* ſtipendia, quæ pactus fuerat *Hungaris*, bello iam confecto, ſoluere, aut non poſſet, aut nollet, triſtem, toti Germaniæ, cladem accelerauit. Atque tunc *Morauorum* ſimul eccleſiæ conuulſæ ſunt. Dederat *Arnulphus*, *Suatoplugo*, filium eius, ſuum ex ſorore nepotem, *Swatocopium* ſucceſſorem, qui demum, ſiue ſua ipſius impietate, ſiue ſuorum inductus ferocia, *Methodium*, ſancti moris virum, crudeliter inſectatus, ex ſuis ditionibus pellit, quosque habebat *epiſcopatus*, nefarie lacerat. In his, pars *Hungariæ* cis Danubiana, vsque ad *Granum* amnem, cenſa fuit, ipſeque adeo *Nitrienſis Epiſcopatus*. Itaque, decedendum erat e ſtatione ſua *Wichindo*, (*c.*) dum ab ARNVLPHO, digna, imperatore Chriſtiano, pietate acceptus, primus vrbe *Paſſauienſi* donaretur. qui poſtea, loci eiusdem creatus epiſcopus, rerum

c.) Legi merentur omnino, quæ de WICHINDO iſto habet, CASPARVS BRVSCHIVS, in tractatu, de *Laureaco Veteri*, & *Petauio* Germanico, ac vtriuſque loci Archiepiſcopis, ac Epiſcopis omnibus, Lib. I. pag. 86. ſequ. vbi tamen *Nitrienſis Epiſcopatus*, nullam legas mentionem; tametſi ex *Nitrienſi*, factus ſit *Paſſauienſis* Epiſc.

rerum quidem ſuarum felici vſus eſt conuerſione; ſed coniuncta ea tamen, cum occaſu, *Epiſcopatus Nitrienſis.*

§. IV.

Quamdiu Epiſcopatus Nitrienſis *deſertus iacuerit?*

an S. Stephanus *eius inſtaurator dici meretur? auctoris diſputatio.*

ISta, ſub exitum ſeculi IX. accidere. Deſertus inde iacuit *Epiſcopatus Nitrienſis*, vſque ad tempora, *Chriſtianorum Hungariæ* principum: *Morauis* hinc, illinc *Hungaris*, furentibus: dum gente vniuerſa, fidem Christi ſequuta, inſtauraretur denuo. Dubitant aliqui, an id a S. Stephano factum ſit; ego, cur id faciam, non reperio; tametſi haud negauerim, ſerius forte, quod fit, & lentis profectibus, ad eam, qua nunc eſt, celebritatem pertigiſſe epiſcopatum. Atque, ita accipiendum puto, quod in vita Geysæ II. lego: (*d.*) *Nitrienſem eccleſiam, e collegiata, cathedralem, dote auctiori facta, conſtituit, delecto, ad Epiſcopi munus,* Edvardo, *primo Eccleſiæ antiſtite.* Nimirum, deſtinatam *Nitriæ Epiſcopen*, a S. Stephano, & reditibus quantiscunque donatam fuiſſe, exiſtimo; ſed, quod omnibus ex æquo eccleſiis, haud ſuffecerit, optimus princeps: ſequuti vero eum reges, nunc ciuilibus, nunc externis bellis, diſtinebantur; deſtinationem illam, Geysa demum II. A. MCLVII. perfecit. Ita, vt ſentiam, plures me rationes inducunt. Ac primo quidem, certum eſt, S. Stephanvm, in monte *Zobor*, qui Nitriæ, ab oriente brumali, obiicitur, cœnobium excitauiſſe, (*e.*) antiquiſſimo *S. Benedicti* ordini, cui *Abbatis* dignitate primus Philippvs præfuit. Colligas vero hinc, non potuiſſe non meminiſſe, priſci huius epiſcopatus, pientiſſimum Stephanvm, cum vicinos montes, nouo cœnobio, exornaret. Nam, quod ignorarit, ſedem heic, prioribus ſeculis, fuiſſe *epiſcopatui*, id vero, vt credam, induci nequeo: tum, quod viros apud ſe habebat Stephanvs, doctos ſagacesque, qui id ei non potuerunt non detexiſſe; tum, quod ex ſe, ita ſolers fuit rerum Chriſtianarum indagator, vt debuerit omnino, vel ipſa fama, priſtinum epiſcopatus florem, cognitum habuiſſe. Atque, hoc ſi eſt, qua veri ſimilitudine, ſancto regi, eam negligentiæ notam impinges, vt noluerit, de *epiſcopatu* hoc redintegrando, cogitare? profecto, non video. Poſtea, ne hoc quidem nullius momenti argumentum eſt, quod Gysela, S. Stephani vxor, ædem ſacram in arce Nitrienſi, *S. Emmerano* dedicatam, & hodieque exſtantem, fundauiſſe, donauiſſeque iis reditibus, qui inſtituto illi videbantur neceſſarii, perhibeatur. Quis vero credet, a femina, vinci ſe paſſum fuiſſe D. Stephanvm, religionis, cui deditiſſimus fuit officiis? Accedit, memorare Bonfinivm, & ex eo Inchofervm, *Beſztertum*, vel *Beſztertium* potius, *Nitrienſium Epiſcopum*, qui cum *S. Gerhardo, Csanadienſium* primo antiſtite, eo tumultu, quem Andreas primus, propter auitam ſuperſtitionem, concitauerat, cæſum eſſe, & μάρτυρα factum. Tam vero notum eſt, quam quod maxime, *Gerhar-*

d.) In Decretis Regum Hungariæ p. 39.
e.) Vide omnino, Eruditos Tyrnauienſes, Celebr. Hung. Vrbium, P. II. p. 23.

dum eremo ſubductum, *Epiſcopatui Csanadienſi*, præfeciſſe S. STEPHANVM: eccur proinde non credamus, idem & cum *Beſztertio* factum? Iſta, opinor, egregie militant, pro noſtra ſententia, ſtatuentium, prima Ecclesiæ Nitrienſis fundamenta, a S. STEPHANO iacta eſſe, quæ lapſo inde ſeſqui ſeculo, GEYSA II. conſummauerit. Sed hæc diſputent alii; nobis ſatis eſt, indicaſſe, quid de re, obnoxia opinionum diuortiis, ſentiamus.

§. V.

Epiſcoporum Nitrienſium *catalogus.*

VEnimus, in *Epiſcopatus Nitrienſis* opportunam mentionem: vt æquum iam ſit, hiſtoriam eius proſequi ante, quam arcis fata, commemoremus. Inſtaurato, a GEYSA II. Epiſcopatu, primus ei præſul, EDVARDVS præficitur, anno MCLVIII. Adtigit ætatem BELAE III. quemadmodum eſt, in eius diplomate, anno MCXCIII. edito: ſi tamen *Ebrandus*, ſicuti illic legitur, idem ſit, cum *Eduardo*. Tabulæ, ad *Szúlyó*, vicum Trentſinienſem, recognoſcentur. Hunc, quantum eruderare potuimus, exceperunt:

JOHANNES I. qui floruit anno MCCV.

VINCENTIVS I. cuius mentionem reperio, in Decreto ANDREAE II. ad annum MCCXXII.

JACOBVS, ſub eodem ANDREA II. anno MCCXXVI. Fundauit *Abbatiam* de *Rupibus*, hodie *Szkalka* dictam, ANDREA Hieroſolymitano conſentiente.

ADAMVS I. a Tartaris, ſub BELA IV. Hungariam depopulantibus, cæſus, circa annum MCCXLII. De eo accipiendus eſt, ROGERIVS, dum cæſos antiſtites memorat, (*f.*) *Eccleſiæ*, inquit, *Nitrienſis Epiſcopus, qui fuerat laudabilis vitæ, & morum honeſtate præclarus.* Nomen *Adami*, haud quidem expreſſit; ſed ipſus eſt omnino.

NICOLAVS I. præfuit, BELA IV. adhuc rebus potiente, ad annum MCCLIV. Legas eius mentionem, in diplomate eiusdem regis, quod ille *Andreæ Forgách*, anno MCCLVI. impertiuit; quodque infra exhibebimus integrum, cum in arcis *Ghymes* origines indagabimus.

VINCENTIVS II. ſedit, vltimis BELAE IV. temporibus, circa annum MCCLXXI.

PETRVS I. incidit in LADISLAI Cumani tempora, anno MCCLXXX. adhuc ſuperſtes.

PASCASIVS, gubernauit epiſcopen, regnante ANDREA III. anno MCCXCVI.

JOHANNES II. ſub OTTONE, vel ante eum, ſub WENCESLAO, tiara potitus, in primis fidem ſuam probauit CAROLO I. quam ob rem, peſſime a *Matthæo Trentſinenſi* mulctatum lego. (*g.*) *Nitrienſem*, inquit, *Eccleſiam, ſepulchrum Diui Zoerardi, ex puro argento optime factum,*

f.) De Deſtruct. Hung. per Tartaros, Cap. XXX. p. 188. edit. *Bongarſiana.*

g.) In vita CAROLI I. Decreto eius præmiſſa, in Corpore Iuris Hungarici, p. 45.

Eum ſpoliauit, & depeculatus eſt; ciuitatem ipſam Epiſcopi, primo aſſultu, vaſtauit. Hinc digrediens, Tyrnauia & Schintauia capta, reuerſus Nitriam, turres & mœnia, tegi a conflagratione auſa, ad ſolum vſque decuſſit, diruit. Johanni *Epiſcopo indignatus, propter ſeruatam* Carolo, *fidem, & execrationem, cenſuramque Eccleſiaſticam, qua digne in eum, ob patratum in Eccleſiam & ciuitatem ſuam, adeoque vniuerſam eius ditionem, ſacrilegium, animaduerterat.* Atque hæc quidem, poſt initia regiminis Caroli I. eueniſſe, ex hiſtoria tumultuum *Matthæi*, conſtat: de quo, apud *Trentſchinienſes*, plura.

Benedictvs, ſucceſſit *Joanni*, cum adhuc ſumma cum laude, res Hungariæ Carolvs moderaretur, ad annum MCCCXXX. De hoc amicorum nonnemo, adnotauit ex diplomatibus; veniſſe eum ex *Italia*, ſiue ſua ſponte, ſiue excitum a Carolo, vt partibus chirurgi, apud regem fungeretur. Quod ille munus, ita adminiſtrauit, vt ſatis proderet, obeundo ſacerdotio, ob eximiam doctrinam, idoneum futurum; cui a Lvdovico I. admotus, breui *Præpoſitus*, tandem *Epiſcopus Nitrienſis* crearetur; ſubinde, *Benedictus* de *Italia* vocitatus. Fratris hac fortuna, illecti vterini ſui, *Bartholomæus*, & *Nicolaus*, familiam *Deménd*y, haud ita pridem emortuam, condiderunt. Qua de re, in *Comitatus Trentſchinienſis* hiſtoria, ad vicum *Prawoticz*, mentionem habebimus.

Johannes III. Seruarunt nomen eius diplomata, anni potiſſimum MCCCXXVI.

Mesko, a *Szentiványio* refertur ad annum MCCCXXX. Anno MCCCXXXVIII. in *Cremnitzienſium* priuilegio, quod a Carolo habent, adhuc nominatur Poſtea, ad tiaram *Veſprimienſem* tranſiit.

Vitvs I. Cancellarius Lvdovici I. peregrinationis, quam *Eliſabetha*, Lvdovici I. mater Romam inſtituit, ſocius. *(b.)* & ad Pontificem Romanum, qui tunc *Auenione* ſedit, ob impetrandam regis Andreae Neapolitani coronationem, (*i.*) legatus. Alioquin, quod *Frater* paſſim adpellatur, monachum fuiſſe oportuit.

Stephanvs I. (*k.*) habemus eius mentionem, in Decreto Lvdovici I. ad annum MCCCLI. ac poſtea, in diplomate, quod idem rex indulſit *Regiomonto*, vrbi metallicæ, ad annum MCCCLV. Meminit eiusdem Spondanvs quoque, ad annum MCCCLXVI.

Ladislavs I. adtigit, felicia, Lvdovici I. tempora. Anno MCCCLXVIII. infula *Veſprimienſi* poſtea donatus.

Dominicvs I. Frater. Reperias eius indicium Decreto Mariae, ad annum MCCCLXXXIV. Sunt, (*l.*) qui ordinis *Dominicani* fuiſſe credant, argumento, ex eius nomine, ducto.

Vitus II. vulgo, ad annum MCCCXC. hoc eſt, initia imperii Sigismvndi refertur.

Mi-

b.) Vid. Thúróczii Chron. P. III. c. IV. p. 94, 30.
i.) Bonfinivs Dec. II. Lib. X. p. 327, 47.
k.) Annal. Eccleſ. ad eundem annum.
l.) Vide Ferrarivm, P. III. Hiſt. de Reb. Hung. & præcipue Lib. I. c. V. p. 412.

Michael I. Vito ſucceſſit, anno fere MCCCXCV. præfuitque eccleſiæ, difficillimis Sigismvndi rebus.

Petrvs II. Legitur eius nomen, in tertio, Sigismvndi regis, decreto, quod is, anno MCCCCV. condidit.

Hinco, præficitur *Nitrienſi Epiſcopatui*, ſub ipſa belli *Huſſitici* initia, hoc eſt anno MCCCCXIX.

Georgivs I. *de Berzentze*, (*m.*) nominari eum video, in Decreto Sigismvndi ſexto, nempe ad annum MCCCCXXXV.

Dionysivs *de Széch*, ad tiaram *Nitrienſem* admiſſus, breui poſt, infulam *Agrienſem*, inde, *Archiepiſcopatum Strigonienſem* adiit.

Nicolavs II. potiebatur rerum, anno MCCCCLVI. cum Ladislavs IV. regno præeſſet.

Thomas I. *de Debrethe*, de eius pontificatu, diſerte legas, in decreto Matthiae Corvini, quod is anno MCCCCLXIV. *Budæ* edidit.

Gregorivs II. frater, monachus religione, quem Matthiae Corvini decretum ſextum, iſthoc gauiſum fuiſſe axiomate, memorat, anno MCCCCLXXXVI.

Gregorivs III. adiit axioma epiſcopatus, extremis Matthiae Coruini annis, ſcilicet anno MCCCCLXXXIX.

Antonivs, vir, rebus geſtis, & legationibus, quas obiit, clarus, ex *Præpoſito Poſonienſi*, Nitrienſium *Epiſcopus*. Legitur eius nomen, in Wladislai decretis, puta, A. MCCCCXCII. A. MCCCCXCV. A. MCCCCXCVIII. A. MD. Mittitur a Wladislao rege, ad (*n.*) Alexandrvm VI. Papam, nuper ad id culmen euectum, vt ei, non *Hungariam* modo commendaret; ſed auerſum ſimul regis animum, a nuptiis *Beatricis*, *Matthiæ Coruini* viduæ, teſtaretur. Inde, *Neapolim* quoque diuertit, &, quam ob rem *Beatricem* in matrimonium ducere nequeat Wladislavs, *Ferdinando* Neapolitano, expoſuit. Quin & in *Poloniam* ablegatum fuiſſe, apud Bonfinivm relatum eſt. (*o.*)

Nicolavs III. *de Bachka*, ex Tranſiluanienſi (*p.*) huc excitus. Inſedit *Nitrienſem* Epiſcopatum, ſub eodem Wladislao, anno MDI. vix triennii ſpatio, ea dignitate potitus.

Stephanvs II. *de Szathmár*, Perſonalis præſentiæ regiæ. quem Szentiványi ad annum MDV. refert, cum ad MDIII. debuiſſet.

Sigismvndvs Thvrzo incidit in annum (*q.*) MDIV. teſtante id, Decreto Wladislai quarto, quod eodem anno promulgauit. Hinc, ad *Epiſcopen Varadienſem* acceſſit, in cuius catalogo, ad annum MDVI. relatum reperimus.

Stephanvs III. Podmaniczky. Decretum Wladislai A. MDXIV. editum, de *Podmanin* vocat, quomodo & in *Operis Tripartiti* conclu-

m.) Sphalma eſt apud Szentivanivm, dum, de *Berencze* adpellatur.

n.) Istvanffyvs, Lib. II. p. 23, 17, & 25.

o.) Bonfinivs Decade V. Lib. V. p. 731, 16.

p.) Vide Clauſulam Decreti Vladislai, anni MD.

q.) Emendandus ergo iterum eſt Szentivanyi, cum ad annum MDXIV. referens. Confer, de Sigismvndo iſthoc, Speneri Operis Heraldici P. II. p. 372. & qui hunc citat, Joannem Sinapivm, Curioſitatum Sileſiacar. P. I. p 977. Vidimus, dedicatas ei, ab Aldo Manvtio, Epiſtolas Ciceronis famil. minutiore forma.

cluſione, vocatur. Szentiványi, *Perſonalis Præſentiæ regiæ, in Judiciis Locumtenentem* fuiſſe, dicit: anno MDXXX. fato functum, aliqui perhibent.

Vacauit inde *Epiſcopatus Nitrienſis*, vltra duo luſtra, potiebaturque ſacra iſta ditione, *Valentinus Török*, vir, manu quidem fortis, ſed profanus tamen, qui, ad eum vſurpandum, a Johanne *de Zápolya*, immiſſus fuiſſe legitur. Ferdinandvs I. poſtea, vbi dominationem ſuam, & bello, & pace, in Hungaria conſtabiliuiſſet, arcem, cum ditione vniuerſa, excuſſo prius ex eius poſſeſſione *Valentino, Alexio Thurzoni*, pignori oppoſuit: ſicuti in tabulis teſtamenti, quod condidit *Alexius*, reperio. Tandem, lucroſi compendii, quemadmodum fas eſt credere, cauſſa:

Franciscvs I. *Thurzo*, in epiſcopatum ſucceſſit, anno, aliis quidem, MDXLII. *Szentiványio* autem, MDXLIV. qui eum *Locumtenentem* Maximiliani vocat. Cameræ Poſonienſis *Præfectum* fuiſſe, dubitatione caret. (*r.*) Anno MDLXXIX. migrato pridem Epiſcopatu, viuere deſiit. De hoc, in hiſtoria arcis *Aruenſis*, cumulatiora. Iſtud ſilendum haud eſt, habuiſſe in pignore, arcem, & Epiſcopatus Nitrienſis ditionem omnem, quam ei, Alexivs I. Thvrzo, teſtamento legauerat: quippe, a Ferdinando I. eodem iure acceptum. Id vero, cuius nunc meminimus, quam fuerit Epiſcopatui damnoſum, ex facili poſſis opinari.

Pavllvs Bornemisza a tiara Tranſiluanienſi depulſus, Nitrienſem A. MDLVII. adiit. Erat, toto quadriennio *Locumtenens* Rvdolphi. qua ille dignitate, ſenio confectus, annum enim LXXXVII. adtigerat, vltro ſe abdicauit, anno (*s.*) MDLXXI. octennio poſt hoc eſt A. MDLXXIX. fato ſuo functus.

Zacharias Mosóczy, epiſcopus primo *Tinniniensis*, ad annum MDLXXIII. poſtea *Váczienſis*; (*t.*) A. MDLXXX. Denique *Nitrienſis*, A. MDLXXXII.

Stephanvs IV. *Fejerkövi*, huc a Szentiványio inferri iubetur, quem id dignitatis, poſt *Veſprimienſem Epiſcopatum*, cui adhuc anno MDLXXXII. moderabatur, adiiſſe, credamus oportet. Præfuit (*u.*) *Cameræ Poſonienſi*, anno MDLXXXVII. Plura de eo, in *Archiepiſcopis Strigonienſibus*, dicant alii, qui eum laborem occuparunt.

Stephanvs V. *Jerzeviczi*, ex Epiſcope *Veſprimienſi*, in *Nitrienſem* deductus, A. MDLXXXVIII.

Franciscvs II. *Forgách*, magnarum virtutum præſul, qui cum tiara *Nitrienſi*, Regni *Cancellariatum*, felici nexu coniunxerat, anno MDCVI. breui poſt, *Archiepiſcopatu Strigonienſi*, & ſacra purpura, potitus. Dedimus eius hiſtoriam alibi. (*v.*) Iſthic, diplomatis verba,

r.) Vide Tomo I. Hiſt. vrbis Piſonienſis, Cap. V. Art. V. p. 451. num. III.

s.) Istvanffyvs Lib. XXIV. pag. 523, 8. vbi *Paulus Abſtemius* dicitur, quod Hungarice eſt *Bornemiſza*.

t.) Adi Tomum III. in Hiſt. Epiſcopor. Váczienſium, ibique Zachariam, inter numeros XLVII. & XLVIII. interſere, p. 129. quippe intempeſtiue illic omiſſum.

u.) Tomo I. in Hiſt. vrb. Piſonienſis, Cap. V. Artic. V. §. XI. p. 451. num. VII.

v.) Operis huius Tomo I. in Hiſt. vrbis Piſonienſis, Cap. V. Artic. VI. §. XVI. ſequ. p. 495.

quo FERDINANDVS III. gentem FORGÁCH, anno MDCXL. honeſtauit, adſcribenda putamus. Ita vero habent, quæ ad laudes FRANCISCI adtinent: *Hic vir, cum primis, in omnibus ſcientiarum facultatibus diſertiſſimus, & exercitatiſſimus, varia in regno beneficia, & quidem anno MDXCVI. Epiſcopatum* Veſprimienſem, *anno vero quingenteſimo nonageſimo nono, ſupra milleſimum* Nitrienſem; *ex poſt etiam anno MDC. decimo*, Archiepiſcopatum eccleſiæ metropolitanæ Strigonienſis *adeptus, ac cum laude ſuſtinens, tandem, ob excellentes animi ſui dotes, in ſacrum quoque* Cardinalium Collegium *recipi meruit, ſicque virtutum gloria ſtipatus, & optimis erga patriam & reges ſuos meritis clarus, ad illuſtrandam ſuam familiam, multum nominis & ſplendoris adiecit.* Hactenus diploma. Quod integrum dedimus apud *(x.)* Neogradienſes.

DEMETRIVS *Náprágy*, poſteaquam aliquantiſper iſthic rebus præfuiſſet, *Archiepiſcopatum Colocenſem* obtinuit, *epiſcope* Jaurienſi ſimul adminiſtrata, ſicuti eſt in Decreto MATTHIAE II. ad annum MDCVIII.

VALENTINVS *Lépes*, ex *Epiſcopo Tinninienſi*, (*y.*) Anno MDCVIII. *Nitrienſium* (*z.*) præſul, Cancellarius regni, poſteaque *Archiepiſcopus Colocenſis.* (*a.*)

JOHANNES IV. *Telegdy*, adminiſtrator Epiſcopatus *Nitrienſis.* Fit *Colocenſis Archiepiſcopus*, vti eſt in Decreto anni MDCXXV, (*b.*)

JOHANNES V. *Püsky*, acceſſit ad *Nitrienſem* infulam An. MDC XLVII. poſtea *Epiſcopus Váczienſis*, *Jaurienſis* item, & *Archiepiſcopus Colocenſis*, indicibus Decretis, ſecutorum annorum.

GEORGIVS IV. *Szeleptsény* ab anno MDCXLIX. quam poſtea dignitatem munere *Cancellarii* ſimul perfunctus, cum *Archiepiſcopatu Colocenſi*, ac denique iſtum, cum Strigonienſi, LEOPOLDI Magni indulgentia, permutauit.

LEOPOLDVS *a Kollonits*, anno MDCLXVIII. Geſſit & *Cameræ Poſonienſis* præfecturam. Poſtea *Jaurienſis* epiſcopus, denique *Strigonienſis* pontifex, & *Cardinalis.* Memoriam eius, ac decet, recoluimus alibi. (*c.*)

THOMAS II. *Pálffy* Anno MDCLXXI. *Regni Cancellarius* & Capituli Poſonienſis *Præpoſitus.*

JOHANNES VI. *Gubasóczy*, poſt Quinque Eccleſienſem & Veſprimienſem, *Nitrienſi epiſcopatu*, A. MDCLXXX. ſimulque *Cancellarii* dignitate auctus.

PETRVS III. *Korompay*, poſteaquam *Váczienſi* & *Agrienſi* Epiſcopatibus, præfuiſſet, fit præſul *Nitrienſis*, & regni *Cancellarius*, quemadmodum adparet ex Decreto anni MDCLXXXVII.

JACOBVS II. *Hasko*, cum aliquantiſper pontificatum *Nitrienſem* geſſiſſet, inuſitato exemplo, præſulatu ſeſe abdicauit.

BLA-

x.) Eodem hoc Tomo IV. p. 36.
y.) Vide pacificationem Viennenſem.
z.) Concluſione Decreti MATTHIAE II. anno MDCVIII.
a.) Tomo III. in Hiſtoria Archiepiſcoporum Colocenſium, inter num. XXXIX. & XL. collocandus, p. 576.
b.) Vide Tom. Operis huius III. p. 576.
c.) Tomo I. Operis p. 528. ſequ.

Blasivs *Jaklin*, dignitate eadem, toto luſtro potitus, ſit ſimul Regni Cancellarius, A. MDCXC.

Ladislavs II. *Matyaſoffsky*, iniit Epiſcopatum, anno MDCXCVI. quem, cum *Cancellarii* munere, diutius geſſit.

Ladislavs Adamvs II. *e Comitibus Erdódy*, acceſſit ad pontificatum *Nitrienſem*, anno MDCCVI. cum quo, axioma primum *Vice-Cancellarii* regni, tunc & *Cancellarii*, coniunctum, egregia animi moderatione, ſuſtinuit, legatione *Polonica*, iuſſu Caroli VI. A. MDCC XXII. perfunctus. Moritur, anno MDCCXXXVI. menſe Aprili. Succedit ei,

Johannes VII. Ernestvs e Comitibus S. R. I. *ab Harrach in Rohrau*; indulgente Carolo VI. Potitur tiara A. MDCCXXXVII.

§. VI.

Diœceſeos Nitrienſis *ratio*:

Ista, de *Epiſcopatu* dicere habuimus, ſtrictim quidem, & in compendio, ne, ſeu oneremus lectorem, ſeu ignarum dimittamus, earum rerum, quæ ſunt tamen, & memoratu dignæ, & ſcitu iucundæ. Cæteroquin, *Diœceſis* ipſa, neque nimium laxa eſt, neque arcta admodum. Nimirum, præter *Comitatus Nitrienſis* partem eximiam, vniuerſum *Comitatum Trentſchinenſem*, ambitu ſuo complexa eſt. *ædes cathedralis*:

Ipſa cathedralis eccleſia, arcem inſedit, a *Gyſela*, S. Stephani coniuge, fundata, & *S. Emmeramo dedicata*. Opus, pro eorum temporum ingenio, oppido magnificum, ſed poſtea, iniuriis *Matthæi Trentſchinenſis*, male fœdatum. Adhuc, vetuſta auri & argenti ſupellectile diuitem aiunt, qui (*d.*) eius meminerunt. Quod in tantis conuerſionibus, habet omnino permultum admirationis. Ad ſacræ ædis occidentale latus, *Epiſcopale* adſedit palatium, haud quidem anguſtum illud, ſed laceratum tamen bellis, cum Turcicis, tum etiam ciuilibus. Quocirca, a nupero præſule, Ladislao Adamo, *e Comitibus Erdódy*, nouis, iisque pro habitu præſentium temporum, magnificis ſubſtructionibus, redditum eſt multo auguſtius. Proſpectum in meridiem habet, qua ſe in campos regio diffundit; in aquilonem, qua ſenſim montes adtolluntur. *Epiſcoporum palatium*:

Ad decus, cum ædis ſacræ, quam nitidiſſime inſtaurauit idem *Ladislaus Adamus*, tum arcis vniuerſæ referunt, quod *Sanctorum*, *Andreæ*, & *Benedicti*, oſſa habeat, ſplendidis olim ſepulchris depoſita; ſed, quæ *Matthæus* ille *Trentſchinenſis*, ſub *Joanne II.* epiſcopo, vti ſupra monuimus, exſpoliauit. Fuit, nimirum, *Andreas Zöerardus*, natione *Polonus*, vir inuſitatæ abſtinentiæ, morumque intemeratorum. Qui e patria iſthuc profectus, primus, poſt conuerſos *Hungaros*, eremum inſtituit. De eius morte, in annalibus *Eremi-Cœnobiticorum* (*e.*) hæc lego: *Mortuus in territorio* Nitriensi, *ad ædem S. Emmerami* *reliquiæ in ſacra ædi adſeruatæ.*

d.) R. P. Szentivany, Diſſert. Paralip. Rer. Hung. memorab. Catal. IV. p. 28. & Tyrnauienſes Erudit, Celebriorum Hung. vrbium, P. II. p. 22.

e.) Lib. II. c. I. p. 56. vbi & miracula eius memoriæ prodita reperias, atque p. 57. aduerſus Svrivm diſputationem, non *Benedictinis*, ſed *Eremitis*, ſanctum eum, accenſendum eſſe.

ſepultus, diu miraculis clarere non deſiit, in cuius corpore, catena ferrea inuenta, quæ cute foris obducta, & putrefacta intus carne, ipſa viſcera adtingeret, quod martyrii genus, niſi ad vmbilicum, ligati metalli nodus aperuiſſet, omnibus manſiſſet incognitum. Soluta vero catena, dum corpore extraheretur, eliſarum cum violentia, coſtarum, ſonus audiebatur. Seruatur hucuſque in Baſilica cathedrali, memoria eiusdem ſancti, vna cum catena, & bacillo, globatim inciſo, quo idem, Rosarii *loco vtebatur.* Iſta inibi. Alter Benedictvs, Dalmaticæ fuit originis, idemque *Andreæ* diſcipulus, & ſectator eremi ſeueriſſimus. Jugulatum a latronibus, & in *Vágum* amnem proiectum, totoque anno fruſtra quæſitum fuiſſe, perhibent; donec, indicio, ripæ inſidentis aquilæ, exuuiæ eius, integræ adhuc, proderentur. Quas poſtea, eodem ſepulturæ loco, eius ſocii honorauerunt, nomine inter martyres relato: quod iam non moramur.

§. VII.

Canonicorum *collegium:*

CEterum, *Nitrienſis* pontifex, *Canonicis* præeſt duodecim, quibus ſingulis, quemadmodum opimi, ex ſacris fundis, reditus, ita domicilia ad habitandum, ſic ſunt ſatis commoda, ea montis parte, qua arx, meridiano ſoli, oppoſita eſt. Nimirum, mollius, ſubſidenti cliuo, ædes, eleganti ſerie ſuperſtructæ ſunt, æquo fere interuallo, hinc ab arce, illinc a ciuitate, diſcretæ. Vrbiculam referunt, e longinquo adſpicientibus, eo latere, quo vrbem deſpicit oppidum, aggere vallisque præmunitam; ab oriente vero, perpetuo muro, ſituque prærupto, arci connexam. De hac Tyrnauienſes: *aſſidet*, inquiunt, *arci, depreſſiore loco, ſpecioſa vrbicula, Canonicorum, vt plurimum ædibus ornata.* Recte. Nam eodem poſitu, aliquot nobilium ædes exiſtere nouimus, eorum in primis, qui in procurandis epiſcopatus prouentibus, atque prædiis, ſeu *Antiſtiti*, ſeu *Canonicis*, operam ſuam addixerunt.

eius ſedes.

§. VIII.

Arcis Epiſcopalis *ſitus.*

HVcusque, de *Epiſcopatu* egimus, arcis nunc fata ac robur, expendiſſe iuuabit. Atque arx quidem, ipſis regibus *Hungariæ*, antiquior eſt, munitionibus nunc diminutis, nunc increſcentibus iterum. Quia enim opportune conſedit, quicunque regionis fuere domini, multum eius ſitu, rebus ſuis acceſſiſſe, putabant. Nempe, amne cognomine, orientali latere ſubluitur. Hic enim, ſubſidentibus circum, in planitiem, montibus, collis ſurrigitur, altitudinis eximiæ, præruptus vndiquaque, neque, niſi a meridie, acceſſu procliuis. Propugnaculum ei impoſitum, molis haud omnino vaſtæ, ſed egregio tamen opere ſubſtructum eſt. Ad eundem fere modum Wagnervs: (*f.*) *Eſt*, inquit, *Nitria, vrbs peramœna, ad montis cliuum leniter accliuis. Arx verticem, cum Baſilica, & Canonicorum Collegio, obtinet. Rupem Nitria amnis, vnde loco nomen, fere totam, in-*

f.) Hiſtor. Leopoldi M. Lib. p. 148.

inſulæ ſpecie, circumambit. Cum arcem *Morauí*, & ante hos, *Quadi* inſidebant, leuius præmunitam fuiſſe oportuit: quod ſatis erat, vel muro prætenſo, aduerſus telorum iactus, poſſe defenſari. Sed bellandi ardore, ſimul & artibus, in barbarico iſto ſolo, augeſcentibus, priſcæ moli, opera ſunt adiecta. Id, ex muris, qui arcem ambiunt, & diuerſo iſtorum habitu, colligi poteſt: quippe quos, lente, & per temporum interualla, nunc latius porrectos, nunc ſubſtructos fuiſſe altius, ſatis adparet. Poſtea, cum fatis vrgentibus, *Turcæ*, res *Hungaricas* perturbarent, & periculum eſſet, ne hoſtis, in extima regionis penetret, curatius arx cœpit obſeruari. Scilicet, neceſſitas id *Hungaros* docuit, vt rebus ſuis adtenti, quidquid munimentorum habebant, in commune id patriæ præſidium, ſollicite conuerterent. Nos iam, quid ſub *Hungaris*, cum arce *Nitrienſi* geſtum ſit, videamus.

§. IX.

Prima arcis mentio, in rebus Sancti Stephani *occurrit, captiuitate* Vazulis, *memorabilis.*

PRima eius mentio, in rebus S. Stephani occurrit, qui *Vazulem*, patruelis ſui filium, in carceres iſthuc coniecerat, vt iuuenilem, laſciuientis ætatis luxuriam, compeſceret, rebusque gerendis faceret idoneum. Optimo quidem regis pientiſſimi conſilio; ſed quod aliter, quam is quidem rebatur, cecidit. Nam, dum Emericvs filius, regno deſtinatus, maturiore fato fungeretur, neque e conſanguineis Stephani eſſet, cui ſceptra, nuper nata, auſpicato deferri poſſent, *Vazulem*, Nitriæ adhuc cuſtoditum, ei oneri parem futurum, exiſtimauit; at enim, euentu, quam ſperauerat, multo iniquiore. Thúróczivs (*g.*) rem in hunc modum prodidit. *Stephanus*, inquit, *miſit feſtinanter nuncium, ſcilicet* Budam *filium. Egruth, qui* Vazul, *patruelis ſui filium, quem recluſerat rex, propter iuuenilem laſciuiam & ſtultitiam, vt corrigeretur, de carcere* Nitriæ *educeret, & ad ſe deduceret, vt eum, antequam moreretur, regem conſtitueret. Audiens autem hoc* Keiſcla *regina, iniit conſilium cum* Buda, *viro nefando, & feſtinantiſſime miſit nuncium nomine* Sebum, *filium ipſius* Buda, *ad carcerem, in quo* Vazul *detinebatur.* Sebus *itaque, præueniens nuncium regis, effodit oculos* Vazul, *& concauitates aurium eius plumbo obturauit, & receſſit in* Bohemiam. *Poſt hunc autem veniens nuncius regis, vidit* Vazul *oculis orbatum, in eisdem oculis vulneratis duxit ad regem.* Ex notabili hac arcis mentione, iſtud arguimus, iam ætate S. Stephani, ita adparatam fuiſſe, vt idonea haberetur captiuis, etiam, qui regio ſanguine ſati eſſent, cuſtodiendis. Interim *Gyſela*, ſua illa iniquitate, facinus, oppido laudabile, quod ſupra memorauimus; *baſilicam* enim *Nitriæ* fundauerat, *S. Emmeramo* dedicatam; turpiter fœdauit. Poſt ea tempora, validiorem ſubinde reddi oportuit *Nitriam.* Tulit enim *Geyſæ Magni* temporibus, Cæſaris *Henrici*, & *Salomonis*, obſidionem re-

eius ſecutis temporibus incremen-

g.) Chron. P. II. c. XXXIII. p. 41, 23. collato Bonfinio Dec. II. Lib. I. p. 181. nomen *Wazul*, a germanico *Waiſel*, quod diminuta ſignificatione, *tenellum orphanum* ſignificat, natum puto.

tu, & prima, ab Henrico, *& Salomone, obſidio intentata.*

iecitque hoſtem, oppugnandarum arcium non imperitum. *Vbi ad Vágum amnem peruentum eſt*, inquit BONFINIVS (*b.*) HENRICVS IV. *caſtra ponit, cum præfectis equitum conſulturus, in quam potiſſimum vrbem eſſet erumpendum.* NITRIAM, *quæ proxima caſtris erat, primum inuadere viſum eſt. Quare*, Salomoni *legiones duæ, cum decenti equitatu datæ, vt* Nitriam *oppugnaret. quibus copiis, quum de vico* Semthe *ſe mouiſſet, inſtructa acie, ciuitatem adoritur. Contra, oppidani, pari audacia freti, aduerſus hoſtes prodeunt.* Verum, fruſtraneus erat adſultus, tametſi idonea virium contentione ſuſceptus. Cum enim *Opus Báthor*, eques *Salomonis*, edito præclaræ virtutis ſpecimine, *Henrico* Cæſari, magnam de *Hungarorum* fortitudine, opinionem iniecisſet, ab oppugnatione diſceſſum eſt. Palam enim Cæſar Salomoni: *ſi tales*, inquit, *hoſtes nactus es, nunquam, mihi crede*, Salomon! *regnum recuperabis.*

§. X.

Quæ, Matthiæ Coruini *temporibus, arcis fata acciderint?*

NIhil inde memoriæ proditum de arce *Nitrienſi* reperio, vsque ad *Coruiniana* tempora. Nempe, vniuerſa propemodum *Hungaria*, in MATTHIAM conſpirauerat, facem ei factioni, ſummis præſulibus, vt eſt apud BONFINIVM, præferentibus. Cauſſas, tantæ rei indagare, noſtrum iam non eſt. Proinde, communibus horum, qui a rege defecerant, ſuffragiis, *Caſimirus*, Poloniæ regis, cui æque *Caſimiro* nomen fuit, filius, in regem deligitur, deduciturque anno MCCCCLXXI. Calendis Nouembribus, in *Hungariam*, valido ſuorum non minus, quam factioſorum exercitu, ſtipatus. Huic, MATTHIAS, reconciliato primum Strigonienſi præſule, ad *Nitriam*, nihil cunctatus, occurrit. *Caſimirus*, inquit, BONFINIVS (*i.*) *Nitriam venerat. Ciuitas, quia ſe verum Hungariæ regem eſſe profitebatur, vltro ipſum excepit; pro mœnibus vero caſtra metatus eſt.* Itaque, concluſum iſthic *Caſimirum*, deficientibus ſubinde *Hungaris*, diminutoque eius exercitu, MATTHIAS obſidere cœpit, eo quidem ſucceſſu, quem animo præceperat. *Cum Nitriæ adpropinquare eum rumor eſſet*, Vngarorum *multitudo, quæ* Caſimiri *fortunam hactenus ſequuta fuerat, repente defecit. Quare*, Caſimirus, *animo admodum conſternatus, intra* Nitriam, *cum exercitu ſe recipere cœpit: contra* Matthiæ *adauctus eſt animus, cum ad fidem redire* Vngaros *conſpiceret.* Nitriam *ergo properatur, quo cum veniſſet, in vrbe Caſimirum obſidet, inhibet commeatus, & diram interea famem interminatur.* CASIMIRVS, ad eum modum, quaſi indagine concluſus, cum, ne ſpem quidem regni, ne dicam regnum ipſum, retineri poſſe cerneret, per internuncios, cum MATTHIA, tutam ſibi abitionem, ea lege pactus, ne vnquam regnum Hungariæ, infeſtis armis inuaderet, nocte concubia, cum idoneo comitatu, arce exceſſit, & incolumis in *Poloniam* rediit. Sed hos, qui *Nitriæ* ſuperabant, durior fortuna manſit. Namque, inedia aliquantiſper diuexati, cum & ipſi, a MATTHIA, ſaluam ad ſuos demigra-

ſit Caſimiri *Poloni perfugium & laqueus;*

b.) Decade II. Lib. IV. p. 221, 37. | *i.*) Dec. IV. Lib. III. p. 507, 32.

Digitized by Google

grationem, multis precibus, ea tandem conditione, impetrauiſſent, ne *Hungaria* decedentes, noxæ quidquam colono inferrent, pacti eius immemores, rapinis, qua iter faciebant, turbauerant regionem, eoque facinore, victorem permouerant, vt facultatem vlciſcendarum iniuriarum, faceret agreſtibus. Hac regis indulgentia vſi ruſtici, palantibus *Polonis*, quidquid prædæ ſecum habebant, eripiunt, ac denique, paſſim in *Hungaria* finibus, male mulctatos diminutosque, eo, qua venerunt, inauſpicato dimittunt. Iſta tunc geſta fuere, aliter a CROMERO (*k.*) memorata, quæ iam excutere non vacat. Quidquid eius rei ſit, certe, ex iſta rerum conuerſione, arci noſtræ, permultum famæ acceſſiſſe, creditum eſt; quod *Caſimiri* fortunam tutata, ex eius ſanctitate, ad celebritatem (*l.*) profecerit. Scilicet, in *Lithuania*, tertio poſt luſtro, peſtilentia necatus Caſimirus, *ſanctitatis opinione* (*m.*) *clarus* exſtitit. De eo BONFINIVS: (*n.*) CASIMIRI, inquit, *aliquot miraculis ſpectata ſanctitas effecit, vt hodie apud Polonos, tamquam* DEVS, *a piis hominibus, in vota vocetur, & religioſiſſime vulgo colatur.*

conciliata inde loco celebritas.

§. XI.

HÆc, ab ætate noſtra fuerunt remotiora. Poſt LVDOVICI II. cladem, cum duo reges, FERDINANDVS, & JOHANNES, de principatu inuicem dimicarent; quo erat ditionibus Auſtriacis propinquior *Nitria*; eo fidem FERDINANDI ſequebatur exquiſitius. Inſeſſam tamen a *Zápolitanis* fuiſſe, inde colligo, quod Epiſcopen, *Valentino Turco*, profano militarique homini, vſurpandam, JOHANNES (*o.*) permiſerit. Poſtea, bello, pace terminato, rediit ad FERDINANDVM, ALEXIO THVRZONI, cum vniuerſa epiſcopatus ditione, pignori data. Certe, A. MDXLII. Artic. XIX. in iis locis deputatur, quæ ſedem regni *capitaneo* præbere debeant. Quod iſtas rerum conuerſiones excepit, ſeculum, cum externis cladibus, tum bellis ciuilibus, atrox & luctuoſum exſtitit. Primus, qui rem in Hungaria miſcuit, *Botskay* fuit. Submiſit ſe ei *Nitria*, a *Franciſco Rédej* (*p.*) obſidione tentata. Nimirum, raptis, ſub iugum montanis vrbibus, quum caſtra *Rédeii*, nouis, in dies ſingulos, *Hajdonum* ſuppetiis, increſcerent, *Nitriam* obſidione cinxit, ac lentis rarisque, duorum, mediocris magnitudinis, tormentorum ictibus, verberare cœpit, primoque ſtatim impetu, ciuitatem, arci a meridie ſubſitam, occupauit, atque direptam, vt obſeſſis terrorem incuteret, iniectis flammis, exuſſit. Erat in arce *Franciſcus Forgách*, loci Epiſcopus, vir eximiæ in Cæſarem fidei, & cum eo, præter milites ſuos, viri aliquot nobiles, qui ſui tutandi cauſſa, e vicinia iſthuc confugerant. Hi itaque, fortiter arcem defenſantes, *Kollonitſium*, haud procul cum exercitu excubantem, per litteras, & nuncios, vrgent; ſuccurreret ſibi, rebus adhuc

Recentiores arcis & oppidi conuerſiones:

ſub Botskajo:

k.) De Reb. Polon. Lib. XXVII. p. m. 401, 402.
l.) Vid. Eruditi Tyrnauienſes loc. cit.
m.) CROMERVS ibidem, Lib. XXIX. p. 323.
n.) Dec. V. Lib. V. p. 728. lin. 49.
o.) ISTVANFFYVS Lib. XII. p. 198, 16.
p.) ISTVANFFYVS Lib. XXXIV. p. 825, 23.

huc integris; ſpem eſſe arcis conſeruandæ, haud dubiam. *Rédejanos*, non armis, non militiæ, ſed latrociniis adſuetos, & ex rure fæceque bubulcorum collectos, paruo negotio, ſuperari poſſe. Verum ille, ſiue exercitui, quem ductabat, *Hungarico*, diffiſus, ſiue, alii cuicunque rei intentus, auxilio venire tam diu diſtulit, dum eorum, qui in arce erant, nonnulli, tolerandæ porro obſidionis pertæſi, arcem, haud ſine perfidiæ crimine, *Rédeio* tradendam ſtatuerent. Obnitebatur, iniquiſſimis conſiliis, *Epiſcopus*, horumque auctores, nunc precibus, nunc minis, a propoſito dimouere connitebatur. Atenim, adeo nihil profecit, vt parum abfuerit, quin vna cum arce, in hoſtium poteſtatem traderetur. Igitur, quamquam nihil virtute ſua, & gente nobili, ex qua originem ducebat, indignum committere, arcemque mordicus tueri ſtatuit *Forgáchius*; tamen, ne ſe in fortunam, multo, quam præſens eſſet, atrociorem, obſtinatis conſilii ſui rationibus, indueret, ſibi, & *Canonicorum* collegio, incolumitatem pactus, arce exceſſit, & *Jaurinum*, atque illinc, *Viennam* abiit. Quantum, ex dedita arce *Botskaianis* acceſſerit, inde colligi poteſt, quod *Galgóczinum*, *Sintauiam*, atque *Tyrnauiam*, metu perculſas, nullo negotio interceperint. *Rédeius* certe, obſidendo *Ujvarino*, exercitum prius admouere auſus non eſt, quam *Nitria* occupata. Sed, rediit tamen, altero poſt anno, ad iuſti principis dominationem. Eadem arcis fata, *Bethleniano* quoque bello fuerunt, quod ſicuti varie fuit geſtum, & nunc pace interruptum, nunc nouis prouocatum iniuriis; ita, dubiam *Nitriæ* fortunam effecit. Diſerte Franciscvs Kazy, S. I. (*q.*) deditam *Bethlenianis*, Nitriam, meminit. *Illam*, inquit, Johannes Telegdivs, *loci antiſtes, cum mediocri Hungarorum, & Germanorum manu, pro Cæſare tutabatur, diuque lentam obſidionem tolerauit; ad vim, cum indignatione admotam, impar, ceſſit demum furori; traditaque* Bethlenio *arce, Viennam, ad commune ſociorum aſylum, ſe recepit.* Bethlenivs, *reparatis arcis ruinis, annonaque celeriter corraſa*, Tyrnauiam *profectus eſt.* Hæc ille. Atque iterum, de recuperata *Nitria*: *Buquoius*, Nitriam, *quam* Stephanus Litaſſius, *vim hoſtium, vix dum expertus, promta deditione tradidit*, adſeruit. Nempe, ludebatur, ea tempeſtate, cum arcium deditionibus, vt bellum, non tam facerent vtrinque, quam traherent. Accepit & *Georgium Rákóczium*, nouas res per Hungariam molientem. In primis autem, ad cladem trahi videbatur *Nitria*, poſt captum, a *Turcis*, A. MDCLXIII. *Ujvarinum.* qua de re ita Wagnervs: (*r.*) *Turcæ*, inquit, *refectis Ujvarini ruinis, ad expugnandas, minoris nominis arces, exercitum partiuntur. Sex equitum millia,* Nitriam *oppidum, facile cepere. Arx quoque, diuturniori obſidioni par, perfidia, ſeu ignauia præfecti, ex templo deditionem fecit.* Germanus *ſubcenturio, cum ducentis peditibus, Poſonium deductus, capite ignauiæ pœnas dedit.* Nimirum, a duobus præfectis, *Hungaro* altero, altero *Ger-*

ſub Bethlenio & Rákóczio:

capitur a Turcis:

q.) Hiſtor. Regni Hungar. Lib. III. p. 181. ad A. MDCXX.

r.) Hiſtor. Leopoldi M. Lib. II. p. 131.

Digitized by Google

Germano, arx tenebatur. Et *Hungaro* quidem *Nitray*, gentile nomen fuit, qui arce dedita, ita *Turcis* adhæſit, vt iis poſtea plagiariorum ritu, quos *Pribeckos* vocant, in prodenda euaſtandaque regione, iniquiſſimam operam, nihil dubitarit nauare. Sed, anni ſequentis ineunte vere, *Suſa*, Cæſariani exercitus dux, arcem Turcis extorſit denuo. Iterum Wagnervs: (*s.*) *Nitrienſes*, inquit, *ciues, re intellecta, non defuturos ſe partibus ſuis, per occultos nuncios, armaque correpturos, quam primum* Chriſtiana *vexilla e muris conſpexerint, pollicentur. Tertia Aprilis, admota, ad oppidi ſepes potius, quam muros, ſcala. Peruigiles fuere Turcæ, Chriſtiani incolæ nihil mouere, ſeu fides, ſeu occaſio deficeret. Eadem tamen die, incenſo oppido, in arcem ſe recepere hoſtes, nec ante menſem deditionem fecere. Quingenti deditii, Ujvarinum deducti, annonæ perparum, tormenta triginta variæ magnitudinis, reperta.* Ita arx, poſtliminio, in noſtrorum venit poteſtatem. *Tököliana* ſeditione, ſemel iterumque contemeratam, eius tempeſtatis ſchedæ, loquuntur. *Soyerus*, tunc arci præerat, ſuo ipſius periculo, an clade magis, quam defenſandarum arcium, peritia, memorandus. Quin & nupero tumultu, quem *Rákoczius* dederat, ſiue fame preſſi, ſiue nouarum rerum ſtudio correpti præſidiarii, arcem, anno MDCCIV. die XXIV. Auguſti, *Bertsénio* tradiderunt, poſt *Trentſchinenſem*, demum pugnam, qua A. MDCCVIII. die III. Aug. *Rákoczianorum* vires acciſæ fuerunt penitus, a *Caſparo de Réva*, tunc *Nitriæ* præfecto, Cæſarianis redditam. *vindicatur a Suſa.*

§. XII.

Iste arcis erat habitus, fataque. Reliquum loci decus, Tyrnauienſium eruditorum (*t.*) verbis iuuat commemorauiſſe. *E regione*, inquiunt, *arcis, eleuatur in auſtrum mons* Zobor, *antiquiſſimo, ordinis* S. Benedicti, *monaſterio celebris, cui* Philippus *Abbas, tempore* D. Stephani *præfuit, & in quo* S. Zœrardus *ſeu* Andreas Eremicola, *habitum ſuſcepit. Fundatum erat, a* S. Stephano, *in honorem* S. Hyppoliti *Martyris. Interiecto dein tempore, deſideratis monachis*, Epiſcopatui Nitrienſi, *bona ceſſerunt. Tandem, anno MDCXCII. reſtauratum, religionis* S. Romualdi, *ſiue* Chamaldulenſibus, *datum a* Blaſio Jaklino, *Epiſcopo Nitrienſi.* Arci, ciuitas late ſubſternitur, incolis frequens ædibusque, ſed humilioribus iis, culta. Bipartito eandem diuidi accepimus. Nam, qua verſus arcis mœnia, ſitus eſt collini, prorſus Epiſcopo paret, ab eoque iura accipit; ſed, qua profundius, præterlabenti amni adſedit, tametſi eiusdem heri ſit, tamen, ius ciuitatis ſibi habet proprium. Ab occidente, viculus vrbi cohæret, quem *Pár-Utza* vocant, tenuis quidem, ſed a ditione epiſcopi, ſeiunctus, & peculiari donatus priuilegio. Cum, incurſionibus *Turcarum*, infeſta eſſet regio, nemo in ciuium numero cenſus eſt, niſi *Reliqua loci decora:* *Oppidi habitus priſcus & recens:*

Tom. IV. Tt mi-

s.) Ibidem p. 148. Fuſe obſidionis hiſtoriam legas apud Ortelivm P. II. p. 309.

t.) Celebrior Hung. Vrbium, P. II. p. 23. Collatis Inchofferi Annal. Eccleſ. ad annum MIX.

militiæ ſimul nomen dediſſet. Itaque, pedibus alii, alii equo merebantur. Qua re fiebat, vt oppidani quidem *Turcas*, hi vero illos, perpetuis incurſionibus fatigarent. Vidiſſes haud raro, vallos oppidi, quibus communiebatur oppidum, præfixis *Turcarum* capitibus, ſuperbiuiſſe. Nam, id quidem, ea tempeſtate, bellicæ præſidiariorum virtutis indicium fuit, ſi quam plurima hoſtium crania, roſtratæ circum munitiones, oſtentarent. Alioquin, oppidi muniendi curam, non minus, quam arcis, in primis commendatam ſibi habuere, (*u.*) Status, & Ordines. Iam, profligato vltra *Hungariæ* fines hoſte, *Nitrienſium* hæc militia, prorſus ceſſauit; quin, & aggeres oppidi, detriti adeo ſunt, vt, præter diffuſa, hinc atque illinc, veſtigia, & portam, e cocto latere, ſumptu *Thomæ Pálffii* Epiſcopi, cuius inſigne præfert hodieque, concameratam, vix quidquam habeant reſidui. Lingua moresque, incolis, *Hungarici* ſunt, victus ratio, agreſti prouentu conſtans. Adde, frequentes mercatus, quibus, non plane nihil, ciues proficiunt, hi potiſſimum, quibus ex opificiis quæſtus eſt. Inter loci iniurias cenſent, quod aqua, potatu ſalubri, careat. *Vinum* interim guſtus probi eſt: *panis* vero, *Galgoczienſi* fere ſuppar, hoc eſt, fermento ſubactus ſapido, beneque excoctus. In primis, ad decus oppidi PP. *Piarum Scholarum* collegium ſpectat, cum frequentiſſimo gymnaſio; & *Conuictu Nobilium.* Poſitum id eſt, eleuatiore oppidi loco, habetque liberum vndiquaque proſpectum, auramque ideo ſalubrem. Reliqua omnia, commoditatis ſunt, haud contemnendæ. Hic, & pons ſublicius, *Nitriæ* amni impoſitus, memorandus eſt, ſingulis annis, ſemel iterumque, ob eluuionum damna, quæ ob humilem poſitum accipit, non ſine moleſtia, ſarciendus. Anno MDCCXXXIX. peſtilentia, extra modum vrbem euaſtauit. Recedit vrbs *Piſonio*, decem, in orientem æſtiuum, milliaribus; totidem fere *Strigonio*, in ſeptentrionem.

PP. Piarum Scholarum *Collegium, & Gymnaſium, ac Conuictus nobilium.*

II. UJVARINVM.

SYNOPSIS.

UJVARINI *nomen: primus conditor.* §. I.

Eius muniendi cura, primo Strigonienſi *præſuli, &* Andreæ Báthoreo, *mandatur: dein* Comitatibus *circumſitis:* Morauorum, *in eandem rem ſuppetiæ: ſanctiones comitiorum, eius muniendi cauſſa, repetitæ:* Draskovitzii, *Archiepiſcopi Strigonienſis, liberalitas.* §. II.

Ujvarini *incrementa, regioni vtilia: ſit ſedes ſupremi, Hungariæ Cis-Danubianæ,* Capitanei §. III.

Quæ fata ſubierit Ujvarinum: *obſidetur a* Botskajanis, *duce* Franciſco Redeyo: *oppugnationis ardor irritus: obſidio, a* Valentino Homonnay, *inſtaurata.* §. IV.

Diarium Homonnajanum. §. V.

Mœnia Ujvarini, *a* Botskajanis *in-*

u.) Vide Decret. Anni MDCLXXXI. Art. VI.

Digitized by Google

inſtaurata : eius cuſtodia , quibus , ab Homannayo *fuerit commiſſa : redditur* Cæſari. §. VI.

Ujvarini , *ad defendendam regionem , opportunitas : capitur a* Bethlenianis, *præſidiariorum maleficio : igni fortuito exuritur.* §. VII.

Ujvarinum , *a* Bucquoio *obſeſſum : rei geſtæ hiſtoria :* Bucquoii *occaſus : obſidionem ſoluit.* §. VIII.

Quando Turcicæ *tyrannidi ſuccubuerit : belli rationes, quomodo ab hoſte initæ : res noſtrorum trepidæ , &* Montecuculii, *eximia prudentia : caſtrorum , quæis delegit, opportunitas.* §. IX.

Turcæ , *obſidionem decernunt : Danubium traiicere occipiunt :* Forgáchii *præceps facinus :* Piouii *obſtinatio , multo deterior.* §. X.

Prælii , & conſequutæ cladis , hiſtoria : deſideratorum, e noſtris , numerus. §. XI.

Turcæ , Ujvarinum *obſident : quod , loci , ea tempeſtate, robur fuerit : præſidiariorum numerus.* §. XII.

Vezirii , *de tradenda arce ad* Forgáchium *litteræ : eius reſponſum : oppugnationis exordia :* Forgáchii, *& reliquorum ducum , conſtantia : eorum , ad* Montecuculium , *nuncius : operarum , in oppugnando , pertinacia,* §. XIII.

Præſidiariorum noua conſociatio : annonæ , apud Turcas, *caritas : centum quadraginta pedites , in arcem ſe iniiciunt :* Forgáchii *ſuperſtitioſum facinus : eius pœna.* §. XIV.

Turcarum *labor , hucusque irritus : obſeſſorum induſtria :* Forgáchii *morbus , & ad* Palatinum *litteræ.* §. XV.

Turcarum , *in obſidione vrgenda , pertinacia : obſeſſorum conſtantia : hoſtium irritus adſultus : cuniculariorum fruſtraneus conatus : alter impetus : tertius : quartus : ac denique quintus , maſcule a noſtris retunditur.* §. XVI.

Vezirii *ſollicitudo : præſidiariorum conſternatio : quibus arx malis , foris & intus , fuerit preſſa : aperta militum tumultuatio.* §. XVII.

Ducum , in ea ſedanda , labor fruſtraneus : arcis dedendæ conſilia ſuſcipere coguntur : candidum vexillum , deditionis ſignum porrigitur : eius leges , a noſtris deſcriptæ : & ad Cæſarem *miſſæ :* Turcæ *arcem ſubeunt.* §. XVIII.

Noſtrorum demigratio : qualis belli adparatus illic fuerit relictus : Turcarum , *in demigrantes , fides & humanitas.* §. XIX.

Damnum , rei Chriſtianæ , deditione Ujvarini , *illatum : præſidiariorum , qui arce deceſſerant , fata :* Cæſaris , *in eos benignitas.* §. XX.

Quæ inde Ujvarini *fortuna fuerit : concluditur anno ſequente a* Suſa : Vezirii *conatus , poſt pugnam* Sz.Gotthardenſem , *irriti : pax , cum* Turcis *improuiſa , & huius leges.* §. XXI.

Turcarum , *in communiendo* Ujvarino , *ſolertia : præfecti ,*

in Christianos aquitas, ei fit exitio : successoris iniquitas. §. XXII.
Indicto, a Turcis *bello, dubiæ, apud nostros, expeditionis rationes:* Ujvarinum, *senatus bellici sententia, oppugnandum statuitur: euentu irrito, ob* Turcarum *aduentum.* §. XXIII.
Denuo infestari cœptum, anno MDCLXXXV. obsidetur a Lotharingo, *fruſtra erumpentibus præsidiariis: ordo, in oppugnando, & operarum initium: fama aduentus* Seraskierii, *nostros facit adtentiores.* §. XXIV.
Arx, tormentis verberari incipit: fossæ margine potiuntur nostri: naui gemina in fossam immissa, cuniculatores muris admouere, fruſtra laborant. §. XXV.
Explendarum fossarum consilium: operis difficultas: clades, ab hoste accepta, & exustæ vineæ: noua contexendæ molis ratio, nouaque inde stragis. §. XXVI.
Miles, ducum ardore, ad vicem hosti referendam, accensus: operarum insignis profectus: præfecti ad deditionem irrita sollicitatio: de Seraskierio, *noui verique rumores: vnanimis ducum, de partiendo exercitu, sententia.* §. XXVII.
Turcæ, ad Strigonium *victi: quæ interea oppugnationis rationes fuerint: insignis eius successus:* Caprara, *expugnationem arcis* Lotharingo *defert: eam ille* Capraræ *permittit: dies adsultui præstitutus, ob largum imbrem differtur: extremæ oppugnationis ordo.* §. XXVIII.
Nostrorum ardor, ducum vocibus accenditur: caduntur eodem furore captiui Christiani: feritas in occisorum cadauera: datum loco præsidium: capti oppidi, ex Tollii *relatione, facies.* §. XXIX.
Obsidetur a Rákoczianis: *proditione capitur: summa cura munitur.* §. XXX.
Obsidione tentatur ab Heisstero: Pálffyo, *&* Leſtelholtzio *contraeuntibus: irritus* Heisteri *conatus: noua, anno MDCCIX. obsidio: eius successus: deditionis leges: quantus isthic belli adparatus inuentus: iussu* Cæsaris, *anno MDCCXXIV. solo æquatur: hodierna loci facies.* §. XXXI.
Ujvarini *epitaphium: Oppidi herus: ditionis vici: hodiernus habitus.* §. XXXII.

§. I.

UJVARINI *nomen:*

ARcis nomen, nuperos natales loquitur. *Ujvár* enim, *arcem* (*a.*) *nouam*, Hungaris significat. Quod, idem & Germanicum *Neühaüsel*, atque Slauicum, *Nowé-Zámky*, notat. Perperam *Neoselium* (*b.*) a nonnullis vocatur:

a.) Ita adpellatur, Decreto anni MDCLVII. Art. XXXIX.

b.) Nempe, ex Germanorum *Neühaüsel*, facere *Neühaüselium*, latina terminatione. quod imperitiores, in *Neoselium*, detorserunt.

Digitized by Google

tur: deditque, corrupta hæc adpellatio, errandi occaſionem, vt, quod *Neoſolii* (*c.*) geſtum eſt, *Ujvarino* id adtribuant; & verſa vice: cum tamen, *Neoſolium*, *Ujvarino*, milliaribus plus minus XIV. in aquilonem, diſſideat. *Hungaris* præterea, *Erſek-Ujvár*, dici conſueuit, vt diſcriminaretur a locis aliis, *nouæ arcis*, aut *vrbis* nomen ferentibus. quæ quidem denominatio, a poſſeſſore petita eſt. *Erſek*, nimirum, *Archiepiſcopum* Hungaris ſonat. Et omnino, tota hæc ditio locusque, *Archiepiſcopatui Strigonienſi*, priſcorum regum munificentia, adtributus eſt. PAVLLVS GREGORIANCZIVS (*d.*) *Oláh-Ujvár* vocatam, ſua ætate fuiſſe, adfirmat, a primo vt opinabatur, conditore, *Nicolao Oláho*, Strigonienſi pontifice: qui reuera tamen, *Paullus de Varda* fuit. Ergo, nomen illud propagatum ad poſteros haud eſt; ne vnius viri memoriam, moles illa referret, in qua communienda, a pluribus *Archiepiſcopis*, quin & *Hungaria* vniuerſa, atque regionibus aliis, diu ſatis, grandique impenſa, elaboratum eſt. ISTVÁNFFYVS, (*e.*) alio loco, & ab amne *Nitria* ſeiuncto, ſtetiſſe olim arcem, translatamque iſthuc, vbi ſedit, poſtea, a FRIDERICO SIROTINIO, memorat. *Nouæ arci*, inquit, *quæ Archiepiſcopalis dici ſolet, quam* Fridericus Sirotinus, *cum prouinciæ Morauiæ ordinibus, non procul a priſtino loco translatam, ad* Nitriam *flumen, denuo ædificauerat*, Turcæ, *inſidias ſtruxerunt. Quas, quum noſtri vitaſſent, prohibere tamen non potuerunt, quin magnum pecoris maioris numerum, ex agro abigerent.* Mirere, nihil huius rei, in regni decretis, memorari; cum res ea, ne ſuſcipi quidem potuerit, niſi rege, regnoque, conſciis.

primus conditor.

§. II.

PRimam eius mentionem, FERDINANDI I. Decreta habent: quippe, cuius temporibus, muniri cœpta eſt; iis operis, quas ditiones *Archiepiſcopatus Strigonienſis*, præſtabant. Ita anni MDLVI. (*f.*) decreto ſancitum legas: *In Comitatibus autem Nitrienſi, & Trentſchinienſi, inter dominos & nobiles eorum Comitatuum, ita conuentum eſt: vt opera & currus huiusmodi, de bonis* Reuerendiſſimi Domini Strigonienſis, *tam in iisdem Comitatibus, quam etiam Barſienſi, & aliis Comitatibus circa Danubium, nec non* Capituli Eccleſiæ *ſuæ*, ac Præpoſituræ de Thúrócz, *ſimul etiam D. Andreæ de Báthor, ad munitionem arcis eiusdem Domini Strigonienſis*, Ujvár, *tradantur.* Proinde, domeſtico præſulis ſumptu, ſi *Báthoreæ* (*g.*) ſymbola excipias, cœpit excitari. Quin & præſidiarios, qui arcem defenſarent, ſuo tunc ſtipendio alere cogebatur Strigonienſis. *Specialiter*, inquit, eiusdem anni

Rei muniendæ cura, primo Strigonienſi, *præſuli, & Andreæ Bathoreo, mandatur.*

c.) Notauimus, inſignem huiusmodi errorem, in *Tabella Regni Hung.* PARSCHITZII.

d.) In EPITOME Originum gentis Hungaricæ, Parte II. Geographica. Eſt apud nos in manuſcripto, edendum, ſi vixerimus, in APPARATV ad Hiſtoriam Hungariæ.

e.) Libro XXV. p. 554, 7.

f.) Artic. XII.

g.) Contuliſſe gentem *Báthoream* operas, ob vicinam *Báthor-Reſzienſem* ditionem, qua tunc potiebatur, facile eſt opinari.

decretum *(h.) Reuerendiſſimus Dominus Strigonienſis, ratione bonorum ſuorum, ac capituli Eccleſiæ ſuæ, & Præpoſitura de Thúrócz, gentes ſuas huiusmodi in confiniis apud arcem ſuam, videlicet* Ujvár; *quæ in faucibus hoſtium poſita eſt, tenere, & nihilominus cum gentibus Comitatus, vbi in expeditionem aliquem Capitaneum regium aut regni, gentes ipſius Comitatus, aliquo ire opus eſt, ipſe quoque Strigonienſis dimittere debeat.* Tanti, ea tempeſtate, publica ſecuritas conſtabat, vt ne eccleſiarum quidem hæredibus, parci potuerit. Poſtea, præter *Archiepiſcopatus* ditiones, *Comitatibus* vicinis, *Trentſchinenſi*, *Nitrienſi*, reliquis, muniendi *Ujvarini* cura fuit iniuncta: ſicuti id anni MDLXIX. decretum loquitur. (*i.*) Neque autem moles ea, ſimul inchoata, perfectaque eſt; ſed, quemadmodum id, aut vſus ferebat, aut operarum permittebat ratio, ſolidius ſubinde laxiusque, ſubſtruebatur. Ita anni MDLXXVIII. decretum (*k.*) habet: *ſi maior aliqua fortificatio in* Ujvár *inchoabitur, tunc* Comitatus Poſonienſis, *quantum eius cis-Danubium ſitum eſt, ad* Ujvár *laboret.* Atque hiſce ſumtibus ferendis, quia impares fuere vicini Comitatus, *Morauos* quoque tuliſſe ſuppetias, reperio. Diſerte anni MDCIX. decretum (*l.*) *Ad Ujvár* inquit, *deputatur Comitatus Nitrienſis, cum vniuerſis bonis Archiepiſcopatus Strigonienſis, vt cum auxilio* Morauorum, *florenorum ſex millium, iam promiſſorum, defectus illius loci reſtauretur.* Et, intererat omnino *Morauiæ*, quam firmiſſime communiri *Ujvarinum*, cuius obiectu, a *Turcarum* impreſſionibus, tuti præſtarentur. Hinc, repetitæ toties totiesque, de eo inſtaurando, ſanctiones, in illorum annorum decretis leguntur. *Longe*, inquit, anni MDCXXXV. ſanctio, *(m.) magis neceſſaria eſt præſidii* Erſek-Ujvarienſis, *quam ſua Maieſtas benigne proponit, fortificatio. Quia tamen, ob temporis moderni anguſtias, munimento murali perfici ea tam ſubito nequit, viſum eſt ſtatibus & ordinibus, vt aggeres illius præſidii paſſim ſubſidentes & collapſi, quam primum, quo magis fieri poterit, comportatis ceſpitibus, ad inſtam altitudinem eleuentur. Quod, vt citius commodiusque perfici poſſit, parati ſunt notabilibus & extraordinariis vicinorum Comitatuum gratuitis laboribus, ita concurrere, vt durante æſtate imminenti, illud præſidium non incommodam adepturum ſit reformationem.* Colligas hinc, ad hæc vsque tempora, aggeres *Ujvarienſes*, nondum muris fuiſſe præfultos, tametſi obſeſſos ſemel atque iterum bellis ciuilibus. Præter conſuetas operas haſce, *Draskovitziano* ære, multum, ſubſtructiones *Ujvarienſes*, increuerunt. Enim vero, quinquaginta millia ei rei deſtinauiſſe præſulem, ex decreto Anni MDCLIX. *(n.)* conſtat. Verba ita ſonant: *ex quo*

dein Comitatibus *circumſitis:*

Morauorum, *in eandem rem ſuppetiæ:*

ſanctiones comitiorum, eius muniendi cauſſa, repetitæ:

Draskovitzii, *Archi-Epiſcopi Strigonienſis, liberalitas.*

h.) Artic. XIX. collatis, Anni MDLIX. Artic. XXVI. & XXVII. Anni MDLXVII. Articulo XVII.

i.) Artic. XIX. collatis Anni MDLXXIV. Art. V. Anni MDCII. Art. XIV. Ann. MDCIV. Art. VIII. Ann. MDCVIII. Art. XV. A. MDCXIII. Art. VIII. A. MDCXVIII. Art. XLIX. Ann. MDCXXII. Art. XXXVI. A. MDCXLVII. Art. CLIII.

k.) Articulo XXVII.

l.) Art. LXI.

m.) Artic. VII. collato Art. XCII. & A. MDLV. Art. CXVI.

n.) Articulo V. collato Art. CXXX.

Digitized by Google

quo fortalitii Erſek-Ujvarenſis, *Illuſtriſſimi Domini Archiepiſcopi* (*o.*) *Strigonienſis, ſingulari in patriam zelo, & amore, paullo poſt muro circumducendi, foſſatum terra oppletum, non exiguum eidem fortalitio minatur periculum: ob hoc, cum conſenſu Sua Maieſtatis ordinatum eſt, vt ſumma pecuniaria* Draskovitziana, *quinquaginta millium florenorum Hungaricalium, penes Cameram Sua Maieſtatis aulicam hærens, alias pro ædificio* Erſek-Ujvarienſi *ordinata, ad expurgandum idem foſſatum, per dictam Cameram, ſine longiori mora exoluta, ad diſpoſitionem dicti Domini Archiepiſcopi, bene poſſeſſionato nobili Hungaro, cum futura dandæ rationis aſſecuratione, aſſignetur, per eundem in præmiſſum vſum fideliter eroganda.* Iſta tunc decreta fuere, at lentius poſtea, ſicuti conſueuit, procurata, vt neceſſum fuerit omnino, eandem ſanctionem, repetere denuo. (*p.*)

§. III.

AD hunc ergo modum, ex tenuibus initiis, in eam molem ac firmitatem, qua poſtea, toto orbe inclaruit, ſenſim excreuit *Ujvarinum:* magno profecto, circumſitæ regionis, commodo: quippe quam, vltra ſeculum, ſi non vndiquaque tutam præſtitit, tamen egregie defenſauit, aduerſus *Turcarum* incurſus. Quocirca, Rvdolphvs, ſupremi, cis-Danubianæ Hungariæ, *Capitanei*, ſedem eſſe voluit: quemadmodum id, decreto, (*q.*) anni MDXCV. perſcriptum eſt; non alio, ſicuti facile coniici poteſt, conſilio, quam, vt præſto eſſet, ſummus belli dux, quoties trepidæ, & procliues in periculum res, ingruerent. *Nicolaum Pálffium*, publicæ ſanctiones nominant, virum, oppido fortem, & defenſandæ, aduerſus *Turcas*, patriæ, natum. Hunc, anno MDCX. Calendas Aprilis, *Biberſpurgi*, fato functum, *Sigefridus Kollonitſchius*, & ſic porro, alios alii, exceperunt. Ex legum (*r.*) præſcripto, mille equites *Hungari*, pedites quingenti, arcem inſidere conſueuerant: quibus, pro eo, ac ferebat vſus, *Germani* milites, addebantur. Sed, capto a Turcis *Ujvarino*, totum illud præſidium, *Nitriam* translatum (*s.*) eſt, vt regionem, ab hoſtium impreſſionibus, immunem ſeruaret. Nam, erat omnino id muneris *Ujvarienſium Capitaneorum*, vt, non mœnia tantum ſua cuſtodirent; ſed vicinæ regionis ſimul, curam haberent, ne quid ab hoſtibus detrimenti caperet. Exſtat eius argumenti ſanctio, in decreto annni MDCLV. (*t.*) vbi totius oræ, quæ per montana late excurrit, procuratio, *Capitaneo Ujvarienſi*, commendatur.

Ujvarini *incrementa, regioni vtilia:*

ſit ſedes Supremi *Hungariæ, Cis-Danubiana* Capitanei.

§. IV.

o.) Erat B. *Georgius Lippay de Czombor.*
p.) Legeſis anni MDCLXII. Art. XXI.
q.) Artic. XXI.
r.) Vide Decretum ann. MDCLV. Art. III.
s.) Anni MDCLXXXI. Art. V. Alioquin, præter incolas & præſidiarios, multi nobilium, habitatum iſthuc olim confluxerant; ſiue ſecuritatis cauſſa, ſiue, vt volonum ritu, militarent. Hos vero, *Comitatuum Iurisdictioni* ſe ſubducentes, caſtigat Decret. anni MDCXLIX. Art. XLVIII.
t.) Articulo V.

§. IV.

Qua fata subierit Ujvarinum:

HVcusque, arcis exordia excussimus, quibusque incrementis, sesqui seculo, inualuerit, ex regni decretis, expromsimus: data id quidem opera, vt intelligant lectores, quantum reipublicæ Christianæ interfuerit, non excitauisse modo, validum adeo munimentum; sed conseruauisse etiam, inter tot, rerum Hungariæ, conuersiones. Nunc, fata videbimus arcis iam adultæ, quæ & ipsa, commemoratione digna sunt, quia coniuncta, cum salutis publicæ, vel iactura, vel incremento. Nondum, quod diximus, muris præcincti erant *Ujvarienſium* aggeres, cum anno MDCV. *Botskajano* bello coorto, diutinam obsidionem arx tolerare cogeretur. *Franciſcus*, nempe, *Rédey*, dux *Hajdonum Botskajanorum*, oppido ferox & sanguinolentus, posteaquam montanas vrbes, & quidquid a tergo erat arcium, seu vi intercepisset, seu fraude quacunque alia, in factionis societatem illicuisset, *Nitriam* primum, & *Galgótzium*, mox & *Semptam*, atque *Tyrnaviam*, occupauit. Quibus succesſibus, elatior factus, animum, ad oppugnandum *Ujvarinum*, adiecit. Tumultuaria primum obsidio fuit, quod, & militem laboris haberet ignarum atque impatientem, & machinæ deessent bellicæ, tantis conatibus suffecturæ. Proinde, agrum circumsitum, factis subinde procursionibus, euastare maluit *Rédey*, quam virium periculum facere. Quod ille quidem belli genus, si bellum tamen dicendum est, toto fere *Maio*, & *Junio*, datis acceptisque cladibus, strenue adminiſtrabat. Dum ad d. XXVI. *Junii*, admotis propius castris, arcem operibus clauderet, atque suggestibus positis, tormentorum ictibus inciperet verberare. Quia vero, semel atque iterum monitus arcis præfectus, vt castrum, sine cunctatione dederet, id non modo se commissurum constantissime negauit; sed factis etiam eruptionibus, insigni clade hostes adfecit; e re futurum putabat *Rédeyus*, si, quam celerrime posset, labore militari congeminato, obsidionem conficeret. Quo circa, non operis, sed nec militibus pepercit; quippe quorum, repetitis sæpius adsultibus, ingentem numerum, breui perdiderat. Et sane, parum abfuit, quin d. 11. Julii arcem, ter iteratis incursibus, ceperit. Iam enim, superatis fossis, & vallis, quibus munimentum, *Forgách* dictum, præcingebatur, succisis, in summum aggerem emerserant, immo defixis pluribus signis, victoriam conclamauerant *Botskaiani*; cum præsidiariorum virtute, ab occupata statione, ingenti edita clade, reiicerentur. Ad hunc modum, cædibus mutuis, sesqui mensis extractus fuit, nullo facto operæ pretio, quam quod arx, flammis, e missili igne conceptis, pridie *Calendas Auguſti*, partem maximam conflagrauerit, extus autem milites *Rédeyani*, tot irritis incursibus fatigati, e castris diffugere cœperint. Itaque, missis frequentibus nunciis, ad *Valentinum Homonnay*, summum castrorum ducem, qui tunc, in *Piſonienſi Comitatu*, ad *Végum*, statiua habuit, suppetias sibi mitti rogat,

obſidetur a Botskaianis, *Duce* Franciſco Rédejo:

oppugnationis ardor irritus:

Ré-

Rédeyus, metu haud diſſimulato; id, niſi feſtinaret facere, futurum, vt inchoatam, tanto ſtrepitu, obſidionem, ſummo cum dedecore, abrumpere cogatur. His precibus motus *Homonnay*, collatis, cum *Stephano Illésházy*, qui *Tyrnauiæ*, rerum exitus ſpeculabatur, & *Stanislao Thúrzone*, nuper factionem *Botskayanam* ſequi coacto, ſententiis, tandem, ad inſtaurandam *Ujvarini* obſidionem, animum adplicuit. Dabimus, rei, ductu *Homonnaii*, ad *Ujvarinum* geſtæ, ſeriem, ex ſuo ipſius *diario*, *Hungarice* conſcripto, optima fide, latine redditam. quod eo faciemus lubentius, quo plura erunt, quæ arcanam, illorum temporum, hiſtoriam, poſſint illuſtrare; etiam atque etiam teſtantes, eam diligentiam, ad neminis iniuriam ſpectare; a qua totum iſtud ſcriptionis genus, quam longiſſime abeſſe volumus. Ita vero ille:

obſidio a Valentino Homonnayo *inſtaurata.*

§. V.

Diarium Homonnayanum.

Die XXV. *Auguſti.* Inuocato, ter nomine IESV, (*u.*) caſtra, quæ aliquot millibus præſtantiſſimorum, cum equitum, tum peditum, conſtabant, moui, ſuſcepta *Ujvarinum* verſus, profectione. Primis caſtris, in campos, qui ſunt vico *Tordos-Kedd* oppoſiti, peruentum eſt. Iſthic, examen apum, adſpicientibus nobis, facto in aere rhombo, caſtra ſuperuolabat, quod præſtantiſſimi e comitatu meo, milites, *Paullus Teleky*, & *Joannes Pankotay*, vaſe acceptum, amœno in campis loco, depoſuerunt.

Die XXX. *Aug.* ventum eſt cum exercitu, in *Ujvarini* conſpectum; caſtris ad *Nyárad* poſitis.

Die XXXI. *Aug. Szinan Baſſa Agrienſis*, cum exercitu, & duobus maioribus tormentis, ad caſtra noſtra acceſſit. Eodem die, primas (*v.*) in arcem litteras immiſi, quibus, ſi eam præſidiarii dedere maturarent, facturum me recepi, vt incolumibus, cum impedimentis, decedere liceat. Adhibui præterea in conſilium, *Franciſcum Rédey*, *Dengelegi*, *Desöffy*, & *Bosnyák*, belli duces.

Die I. Septemb. Acceſſi *Szinan Baſſam*, cumque eo collocutus, redii in tentorium, eumque in diem craſtinum in conuiuium inuitaui. Poſtea, ad *Stanislaum Turzonem*, Semptinum, accelerato itinere, profectus ſum.

Die II. Sept. in conuiuium adhibui *Baſſam*, numeroſis *Begis*, & optimatibus *Turcicis*, comitatum. Inficetum oppido conuiuium. Præterquam enim, quod ex patinis biberint, inuiſi hoſpites, fercula profecto, ferarum ritu, deglubebant. Ad hæc, vno, duobus tri-

u.) Neſcio, an non pietatem hanc, DAVIDIS illa verba redarguant. Pſalmo L. Verſu 16. ſeqq.

v.) ORTELIVS P. II. p. 369, 6. litteras haſce, *Calendis Septembris*, e haſtili ſuſpenſas, & non ſine tumultu, ad portam *Viennenſem*, fuiſſe defixas, memorat: quippe quas, *Janitſcharorum Aga*, exarauerit. quod ſecus eſt. *Turca* enim, quidquid litterarum in arcem, beneficio ſagittarum immiſere, clam id *Hungaros* faciebant, vt ineſcatis præſidiariis, arcem ſub ſuam mitterent poteſtatem. Eiusmodi litterarum, faſciculum integrum, *Hungarice* exaratum, poſſideo.

busue saturatis, & ab accubitu discedentibus, succedebant alii, fœdo habitu, *Tartari*, & mensæ partem, qua erat vacua, occupabant. Epulum enim, sex mensis instrui curaueram, quibus *Turcæ* & *Tartari*, commode acciperentur. Vidisses, saturatum *Tartarum*, manus, quin & os manans pinguedine, veste vicini pellicea, absterssisse. Hem barbaros! Exercitus *Francisci Rédey*, hodie aggeres, quos ad *Ujvarinum* duxerat, subiit. Relatum a *Bassa* accepi, ante hos quinque dies, obsidione cinctum a *Vezirio*, Strigonium. *Testem voco Deum viuum*, me inscio rem geri cœptam. Reddet profecto, Deo vindici rationem, quisquis sit, qui hanc *Strigonio* cladem accelerauit.

Die III. *Sept.* *Johannem Omán*, vnum ex aulæ meæ primoribus, ad *Vezirium*, Strigonium obsidentem, vt litteras ei meas, cum gemino horologio redderet, dimisi.

Die IV. *Sept.* Ad conquirenda instrumenta, agendis fossis & aggeribus, necessaria, e meis nonnullos, in vicina oppida, & vicos, ablegaui. quibus simul iniunxi, vt præter ligones, & egerendæ humo, destinatos cosinos, agrestium multitudinem, quam possent maximam,& ducendis fossis atque aggeribus necessariam, in castra cogerent.

Die V. *Sept.* *Sigismundus Forgách*, relicta parte aduersa, nostras sequutus, *Semptinum* venerat, meque, vt se adirem, inuitauerat: quod tamen, dissuadente *Szinano Bassa*, nequiui facere, ne apud hominem vaferrimum, suspicioni locum facerem, quasi paciscendi caussa, eo profectus sim.

Die VI. *Sept.* Scripsi ad *principem*, cum de militis nostri, ob non soluta stipendia, tumultuatione, tum de *Turcarum*, infidissimæ gentis, quibus me onerent, suspicionibus. Præterea, consultatum in commune est, præsentibus *Szinano Bassa*, *Bosnyákio*, *Joanne Desöffy*, *Andrea Csomaközi*, *Balthasare* & *Joanne Kovács*, *Jacobo Radisoczky*. Rediit hodie *Johannes Omán*, ex *Vezirii* castris ad *Strigonium* positis. qui se, quam diligentissime curauit excusandum; *Strigonii* obsidionem, non sua lubidine, sed Cæsaris sui iussu, esse susceptam. Scio tamen, quo auctore res illa geri cœpta sit. *Hungarum* se simulat, cuius præcordia nouit Deus!

Die VII. *Sept.* Accepi litteras *Vezirii*, & summi *Tartarorum* ducis, eius argumenti, vt Hungaros captiuos, Tartaris redderem, quibus respondi: *Captiuos illos Hungaros esse, tradi eos Tartaris nullo modo posse. Si captiuos cuperent, in hostium irent*, Hungaris *parcerent*. Atque ingenua hæc responsio mea, ingentes, aduersus me, apud iniquissimum genus, iras concitauerat, multis postea curis declinandas.

Die VIII. *Sept.* Scripsi ad *Vezirium* litteras, in hanc sententiam, oppido duram: *Quid esset rei, quod principe* Botskajo, *Statibus item atque Ordinibus regni inuitis*, Strigonium *obsidere sustinuerint: cum vi pactorum, versus* Canisam, *& inde* Greczium, *atque in Austriam susscipienda fuisset expeditio?* Eodem die, *Johannem Verebély*, & *Matthæum Baxam*, ad obsidendum *Neográdum*, cum sexcentis militibus *Hun-*

Digitized by Google

Hungaris, & vno colubrino tormento, dimiſi, quod certo certius cognoueram, id animo verſare *Vezirium*, vt *Neográdum* quoque, obſidione cingat, & in ſuam mittat poteſtatem; quemadmodum id *Viſſegrádo* accidit, quod nec opinantibus nobis, ſibi fecit obnoxium. Nollem proinde, vt adſpectantibus nobis, & *Neográdum* Hungaris eriperetur.

Die IX. *Sept.* Aduenit, miſſus a *Vezirio*, vnus e primoribus *Cſauſiis*, qui mihi pretioſiſſima tentoria, equos generoſiſſimos, magnam præterea auri & argenti vim, polliceretur, ſi, datis ad *Vezirium*, qualibuscunque litteris, teſtari voluerim, meo arbitrio & voluntate, ſe ad obſidendum *Strigonium* acceſſiſſe. At enim vero, tum, quod genuinum me eſſe *Hungarum* memini; tum, quod dulciſſimæ patriæ, longe ſim amantiſſimus; præterea *principi* meo, ſumma fide obſtrictus; precibus eius locum dedi nullum, neque in poſterum committam, vt pollicitationibus iſtiusmodi, irretiri me patiar. Nouit Deus, commodorum *Hungariæ*, me vnum omnium, longe ſtudioſiſſimum eſſe.

Die X. *Sept.* Digreſſus ſum, ad explorandos *Komaromienſium* traiectus. Sub idem tempus, *Agrienſis Szinan Baſſa*, quem, *Hungariæ* deuincturus, in patrem adoptaueram, *Jahiali Tihaiam*, ad me miſit, qui in apricis campis, *Baſſæ* nomine, interrogabat: *Brevi ne ſim Ujvarinum occupaturus; indigeremne, ad arcem oppugnandam, tormentis Turcicis; manendumne ſit, vel abeundum, ab obſidione Szinano?* Quæ quidem quæſtiunculæ, *Turcas* nobis diffidere, ſatis prodiderunt. Cui ego, cum me inutili ſermone diu fatigaſſet: *profecto*, inquam, *vos omnes, quin ipſe Vezirius veſter, cum vniuerſa Turcarum multitudine, non ad liberandam, ſed perdendam penitus Hungariam, adueniſtis. quod ſi porro perrexeritis tentare, equidem, malim Germanorum partibus accedere, & infeſta aduerſus vos arma ferre, quam cum hac veſtra ſocietate perſeuerare.*

Die XI. *Sept.* Redditæ ſunt mihi litteræ *Comitis Stephani Illésházy*, quibus nunciabat; quod, cum in dies magis magisque ſe *Turcarum* perfidia, aduerſus nos prodat: quippe quibus, vrbes, oppida & vicos, igni ferroque vaſtare, agreſtium liberos, atque vxores nobilium, abigere, luſus ſit; de induciis cum *Germanis*, quam primum paciſcendis, cogitationem ſe ſuſcepiſſe. Proinde, litterarum argumento, cum his, quorum intererat, communicato, reſpondi *Illésházio: Nitriam*, vti aduenirem, vbi ipſe etiam ſim adfuturus, deque re ardua, mutuo habito colloquio, conſultaturus. Eadem hac die, *Abrahamus Rácz*, derelictis *Germanorum* partibus, ad noſtras acceſſit, egregia peditum manu ſtipatus, quem *florenis* admodum *centum*, ob inſignem, qua tunc eramus, ſumtuum penuriam, remuneratus ſum.

Die XII. *Sept.* certior factus ſum, *Vezirium*, de ineunda, cum *Romanorum Imperatore* pace, agere cœpiſſe, vt ægre faceret *Hungaris*. Dedi *Abrahamo Rácz*, ex priuatis ſumptibus, *Imperiales trigin-*

ta duos, militibus autem ſuis, florenos *centum*. Pari ratione aggerum foſſores, *florenis quinquaginta*, pedites autem quindecim, *florenis viginti quinque*, demereri ſtudui, vt ſepimentum arcis, ſubiecto igne, exurant. Adlata ſunt præterea a centurione, cui *Fekete* cognomen, duo *Germanorum* vexilla, in prælio eis erepta. Tunc, & ab *Illésházio* litteræ mihi redduntur, quibus me *Nitriam* inuitat, inducarum paciſcendarum cauſſa.

Die XIII. *Sept.* Accepi litteras, *Memii Baſſæ*, claſſis Danubialis præfecti, ex caſtris *Strigonienſibus* datas, quibus nunciabat, ſe cum vniuerſa claſſe, *Comaromium* ſtatuiſſe inuadere; agerem itaque, & quam poſſem celerrime, per continentem, mille, bis milleue pedites, inſultum facturos, ei auxilio mitterem. Quo cognito, procul omni mora, *Nicolaum Röny*, cum ſelecta manu, iter ingredi iuſſi. Sed bonus ille *Baſſa*, nihil earum rerum, quas promiſerat, ſuſcepit.

Die XIV. *Sept.* Profectus ſum *Nitriam*, ad *Comitem Illésháziu*m, vbi cum *Georgio Janki*, *Thoma Vizkeleti*, *Paullo Apony*, *Joanne Boſsáni*, *Thoma Bosnyák*, & aliis primoribus, multa, de induciis mutuo diſſeruimus.

Die XV. *Sept.* redux *Nitria*, *Kollonitſchii* litteras, de *Abrahamo Rácz* exaratas, accepi.

Die XVI. *Sept.* Cum mille delectis peditibus, de nouo inſultu ſuſcipiendo, pactus ſum, qui vnum, ex arcis propugnaculis, ſe ſumma virium contentione occupaturos, promiſerunt. His ego, gererent modo rem fortiter, ſingulorum me nomina in faſtos relaturum, & poſteritati commendaturum, ſpopondi. Ablegaui ad *Vezirium Andream Cſomaközj*, & *Joannem Uzj*.

Die XVII. *Sept. Georgius Baſta*, & *Sigefridus Kollonitſch*, miſſo ad me ciue *Comaromienſi*, ingentibus pollicitationibus, perſuadere mihi nitebantur, vt partes *Cæſaris* amplecterer. Conſultatum præterea eſt apud *Szinan Baſſam*, tunc pleuritide laborantem, de adſultu, futura hebdomade, certo certius ſuſcipiendo. Statuimus interim, arcem, a meridiano ſole, quinque tormentis, ſine ceſſatione, verberandam, & corbes, qui in aggeribus collocati fuerunt, deturbandos eſſe: eadem ratione, & a ſeptentrione, ex iis ſuggeſtibus, quos *Homonnaianos* vocant, pulſari arcem oportere. *Paullus Szúts*, *Tartarorum* capitaneus, miſſis litteris me docuit, duo *Valonum* millia, ad *Jaurinum* Danubium traiicere, vt *Comaromii*, cum *Baſta* exercitu, *Ujvarino*, ſuppetias laturo commeatumque, coadunarentur.

Die XVIII. *Sept.* Miſi ad *Vezirium*, cum epiſtola, *Thomam Bosnyákium*, qua, de conſilio paciſcendarum induciarum, edoceretur. Colubrina aliquot tormenta, vt heri conſtitueramus, per ſuggeſtus, dislocata ſunt. A *Szinano Baſſa*, *Begis*, *Agis*, & id genus optimatibus *Turcis*, litteras ſalui conductus petii, quibus, ſi per vim capi accideret *Ujvarinum*, mulieribus *Hungarorum*, puellis, & teneræ ætati, parſuros ſe reciperent: quippe, quum intellexerim, mille plus minus

Digitized by Google

nus capitibus, imbellem eam multitudinem, *Ujvarini* cenſeri. Coactis caſtrorum ducibus, diu multumque de adſultu proximo inſtituendo, conſultauimus denuo. Hic rhodus hic ſalta! Contra, *Cſillag-Bég*, cum *Szinano Baſſa*, diſſidere inuicem, quin aperte rixari cœperant, eo, quod ille adfirmauerit, tametſi *Hungari* occupauerint arcem, ſe tamen eam, cum præſidio inſeſſurum. Quo audito, procul omni cunctatione, *Stephanum Kereſztúri*, familiarem meum, ad *Vezirium* dimiſi, vt eum, meis verbis moneret, quo *Baſſis*, & *Begis*, qui obſidioni huic intereſſent, ſerio mandaret, dicto mihi eſſent audientes, neque obtinendi ſpe *Ujvarini*, ſeſe fruſtra lactarent; me enim, etiam atque etiam teſtatum velle, ſimulque intercedere (*proteſtari* vulgo dicunt) ſi res illa offenſarum cauſſa, ſicuti neceſſe eſt, facta fuerit. Proinde, litteras a *Vezirio* impetraret, quibus iniungatur *Baſſis*, vt de retinendo, ſi occupatum fuerit, *Ujvarino*, ſpem cogitationemque abiiciant. *Szinan Baſſa*, exquiſitiſſimo dolore colico vexatus, peſſime habuit.

Die XIX. *Sept.* Traiecto Danubio, *Kollonitſch*, cum ſuis, in conſpectum noſtrum venit, neque, niſi vno ab arce milliari, aberat. Quo cognito, nihil cunctatus, tredecim equitum turmas, delegi, cum quibus me hoſti obiicerem: cum interea *Kollonitſchius*, accenſis aliquot, vici, neſcio cuius, ædiculis, retro ceſſit. Agmen nihilominus noſtrorum velitum, *Kollonitſchianos* conſequutum, leui prælio laceſſiuit. Hodie, duo grandia tormenta, iuſſu *Szinanis Baſſæ*, vna cum ſedecim currubus pulueris pyrii, per *Turcas*, inuecta ſunt caſtris. Sed profecto, me inuito: quippe qui, noluerim vnquam, *Turcicis* tormentis *Ujvarinum* oppugnari; animo videlicet præcipiens, iniquas eorum deſtinationes. Redditæ mihi ſunt *Vezirii* litteræ, indignationis plenæ, quod *Neográdum* obſidione curauerim cingendum. Cui ego reſpondi: *Cauere me hac ratione voluiſſe, ne quod* Viſſegrádo, *noſtris præcepto, accidit*, Neográdo *quoque eueniat*. Redux a *Vezirio*, *Joannes Uzi* retulit: hodie, munitiones Strigonienſes montis *S. Thomæ*, per adſultum, magna licet *Janitſcharorum* clade, cum *Germanis* præſidiariis, interceptas eſſe.

Die XX. *Sept.* Rediit *Thomas Bosnyák*, a *Vezirio* e caſtris ad *Strigonium* poſitis, reddiditque mihi litteras vaferrimi hominis, acerbiſſimarum querelarum, aduerſus *Comitem Stephanum Illésházy*, plenas; quod ſe perpetuis ſcriptitationibus, iniquius laceſſeret, quodque falcem in ſuam meſſem mitteret. Inducias, cum *Germanis* prorſus diſſuadebat paciſcendas, immo iisdem, omni animi contentione, contraibat. Reuera enim id vnice apud animum verſabat, vt *Strigonium*, *Neográdum*, *Filekinum*, & *Szétsénium*, ſub ſuam mitteret poteſtatem. Hodie præterea, prælio haud incruento commiſſo, *Abrahamus* & *Georgius Rácz*, *Lucas* item *Szabó*, traiectum Danubii *Nagy-Megyeſenſem*, occuparunt. Eius prælii occaſione, *Palotás* quidam,

relictis Cæſarianorum partibus, ad noſtros ſe recepit, captis ſimul, duabus hoſtium celocibus, & naue traiectoria maiore.

Die XXI. *Sept.* Conſtitueramus, habito, cum perfidis *Turcis*, conſilio, vti, facto ſex diuerſis locis, adſultu, arcem, ſumma virium contentione, adoreremur. Et aſſenſerant omnino *Turcæ*, immo ſcriptis tabulis, fidem obſtrinxerant ſuam, velle ſe, vbicunque iuſſi fuerint, coadunatis nobiscum viribus, rem fortiſſime gerere. At enim vero, vbi procurrendum fuerat, iamque noſtri, ſumma vi, hoſtium munitiones adorerentur; *Turcæ*, ne caput quidem (*x.*) ex aggeribus & foſſis, in quibus delituerunt, exporrexere. Adeo gens iniqua, ſolitam perfidiam, nouo iſthoc documento, teſtatam voluit. Et, adparuit profecto; nihil magis *Turcas* in votis habere, quam, vt ſe *Hungari*, ac *Germani*, mutuo conficiant, atque ſua internecione, *Turcarum* potentiæ velificent. Eo adſultu, in primis ſtrenue ſe, cum peditibus ſuis, geſſit, *Martinus Nagy*, ex cuius agmine, plus minus ducenti, ſupputatis vna ſauciis, deſiderantur. Complures præterea milites fortiſſimi, atque inter hos, ex mea legione, præter legatum Capitanei, *Andreas Nagy*, maſcule occubuit. *Molliter oſſa cubent!* Ad latus vero meum, maxime, virtus *Joſæ*, *Thomæ Bosnák*, *Stephani Kereſztúri*, & *Georgii Somogyi*, emicuit.

Die XXII. *Sept.* Rumor, per caſtra increbuit, *Baſtam*, cum vniuerſo, quem ſecum habebat, exercitu, ad *Comaromium*, ponte nauali *Danubium* traieciſſe, vt laborantibus *Ujvarienſibus* ferat ſuppetias. Eo audito, delectam velitum manum, ad *Danubium* vsque iuſſi procurrere, vt hoſtem obſeruaret. Quæ, cum ad amnem acceſſiſſet, nihil eius rei deprehendit. Interim, *Szinan Baſſa*, miſſo ad me *Tabiali Tihaia*, multis modis, heſterni inſultus errorem, excuſatum voluit.

Die XXIII. *Sept.* Adferuntur hoſtium *Csallóközienſium* vexilla duo, cum totidem nobilibus, quorum alteri *Matthias Aranyaſi* nomen fuit. Mitto *Franciſcum Matskásy*, e famulis meis vnum, vt nunciaret principi, neque *Hungaros*, neque *Turcas*, militari labore fungi amplius velle, ob ſtipendia nondum diſſoluta.

Die XXIV. *Sept.* Præſidiarii *Germani*, facta eruptione, noſtros, intra aggeres adoriuntur, quinque reſiſtere auſos, obtruncant, reliquos disiiciunt; vno ex ſuis, quem glans plumbea deiecerat, poſt ſe relicto.

Die XXV. *Sept.* Pertæſus, *Baſtæ* & *Kollonitſchii* litterarum, quas ad me frequentiſſime miſſitabant, & varia, quæ partim ad principis, partim ad regionis perpetuitatem, adtinere videbantur, ſpecioſe ſcriptillabant, ſtatui apud animum, miſſis *Comaromium* familiaribus, eorum mentem penitius explorare.

Die XXVI. *Sept.* Duos, e primoribus familiarium, *Stephanum Ke-*

x.) Ortelivs, qui obſeſſorum diarium l. c. exhibuit, inſultum hunc *Turcis* tribuit, quod hinc emendandum eſt.

Digitized by Google

Kereſztúri, & *Benedictum Koták*, ad *Baſtam* & *Kollonitſchium*, eo ſine mitto, vt quid me velint, prorſus cognoſcam. Reuera autem, non aliam ob cauſſam, *Baſta* & *Kollonitſch*, in has me curas implicuerunt, quam vt ipſorum pollicitationibus ſuſpenſus, *Tyrnauiæ* obliuiſcerer, eisque, per incuriam, intercipiendam permitterem. Hac ipſa luce, tria millia armatorum *Germanorum*, ſummo mane, cum eſt pecoris ad paſcua propellendi tempus, vi, qua potuerunt, maxima, portas *Tyrnauienſium* adorti, tribus eas horis, ſine ceſſatione oppugnant, quin & valuas exteriores, occupant. Ea tamen equitum *Hungarorum*, qui in præſidio erant, virtus fuit, vt cæſis *Germanorum* plurimis, eos, ad vltimum, fortiter reiicerent, igne ſimul, quem exteriori portæ ſubiecerant, tempeſtiue exſtincto. Proditione ciuium aliquorum, facinus fuiſſe conflatum, inde patuit, quod, cum ad defenſandas portas vndique concurreretur, proditores iſti, ædibus oppeſſulatis, domi ſe taciti continerent. Eadem die, tumultuari denuo *Hajdones* cœperunt, tanta feritate, vt *capitaneos* ſuos inſectati, ad ſupplicia depoſcerent; quin facta coniuratione, arma in principem, ſub ſuis ipſius ſignis, ſe conuerſuros, interminarentur. Hos ergo, vt delinirem iterum, res fuit ingentis, & ſollicitudinis, & laboris. Tandem, multis precibus, monitionibus, increpationibus, & pollicitationibus, expugnatos, eo adduxi, vt manſuros ſe quidem octidui ſpatio pollicerentur, ſed nihil quidquam laboris caſtrenſis ſubituros.

Die XXVII. *Sept.* Redierunt familiares mei, *Stephanus Kereſztúri*, & *Benedictus Koták*, a *Georgio Baſta*, referentes: Bastam, *mihi, tamquam filio adoptiuo, ſalutem & officia nunciare, ſimulque certiorem me facere, ſe propediem mecum conflicturum. Quod ſi eum vicerim*, Chriſtianum *me ſuperaturum, eumque talem, cuius occaſus* Hungariæ *damnoſus*, Turcis *contra lucroſus ſit futurus. Sin autem a ſe victus fuerit profligatusque filius, tunc vero, ſeram fore apud* Cæſarem *gratiæ aucupationem. Ea propter, rogare ſe filium ſuum, deſereret iniquas* Botskaii *partes: quippe qui, herulus tantum ſit, haud vero princeps. Pateretur ſibi perſuaderi, vnctum Domini, nunquam derelictum iri.* Hodie præterea, *Szinan Baſſa*, cum reliquis *Agis*, & *Begis*, ad tentorium meum acceſſit, inſtitutaque conſultatione, ſtatuimus vnanimiter, circa artem, colles excitari oportere, ex quibus oppugnatio inſtitui queat expeditius. In eandem ſententiam, & *Cſillag Bégus*, a prandio ad me veniens, conceſſit. Nuncium denuo ad principem miſi, ſimulque, in litteris perſcripſi; *neceſſum eſſe, vt quam fieri poteſt, ocyſſime aduenìat; alioquin, ſi quid, cum ob tumultuantes* Hajdones, *tum hoſtium impreſſionem, præter opinionem ceciderit, me, extra culpam haberet.*

Die XXVIII. *Sept.* Conceſſi *Nitriam*, vt illic cum *Comite Stephano Illésházy*, de præſenti rerum habitu, conſultarem: quippe, ſollicitus, ne ob *Turcarum* perfidiam, res noſtra detrimentum caperet. *Vezirius* interea, die XXIX. Sept. *Kapuchi Baſſam* ad me miſit, per litteras nuncians; miſſurum ſe mihi *Ali-Baſſam*, cum *Begler Bégo*, auxilio.

xilio. Eadem die, *Baſta* velites *Raſciani*, excubias noſtras adorti, commiſſoque leui prælio, reiecti fuere. Ex inſula autem Cſallóköz, *Georgius Rácz*, xv. *Germanos* captiuos, ea regione deprehenſos, ad me miſit.

Die XXX. *Sept.* Inſtitui conſultationem, de obſidionis labore, cui interfuere: *Franciſcus Rédey*, *Cſillag-Bég*, *Tiha Ramodani*, *Johannes Deſsöffy*, *Johannes Kovács*, *Andreas Cſomaközj*, *Nicolaus Kérj*, *Johannes Szilaſi*, & *Thomas* Örnyey.

Die I. *Octobris.* Interfuimus conſilio bellico, quod apud *Szinan Baſſam* habebatur.

Die II. *Octobris.* Reſpondi ad litteras *Vezirii*, quas ab eo XXIX. *Sept.* per *Kapuchi Baſſam* acceperam, dimiſique eas, per familiarem meum, *Balthaſarum Thúry*.

Die III. *Octobris.* Hodie *Strigonium*, per deditionem in *Vezirii* poteſtatem venit. Nuncios accepimus, ex partibus trans Danubium ſitis, *Gregorium Némethi*, mille Vallones, prope *Sabariam*, ad internecionem deleuiſſe, *triginta florenorum millibus*, & *octingentis ſilopis* Bononienſibus, in prædam raptis.

Die IV. *Octobris.* Datis ad præſidiarios litteris, monuimus eos, arcem dederent, neque inſultibus ſe amplius temere fatigari cuperent. Sed, irrita fuit monitio. Ea propter, ex ſenatus bellici conſulto, colles excitare cœpimus. *Baſta* vero, ciuis *Comaromienſis* miniſterio, me iterum rogauit, vt paci conciliandæ, viam reperirem idoneam.

Die V. *Octobris.* Adlatæ ſunt *Vezirii* litteræ, iræ ac indignationis plenæ, quod *Ujvarinum* nondum expugnauerimus.

Die VI. *Octobris.* Aduenere *Neográdo*, duo e primipilis *Germanis*, arcem dedere parati, ſi ſaluus conductus, ſibi, ad tuto demigrandum, concederetur.

Die VII. *Octobris.* Dimiſi Neográdum *Stephanum Kereſztúri*, ſpectatæ fidei familiarem, vt *Germanos* præſidiarios, arce ea decedentes, ad ſuos, omni fide, comitaretur, atque eius arcis curam gereret.

Die VIII. *Octobris.* Redditæ mihi ſunt *Vezirii* litteræ, quibus nunciat, ſe quoque *Baſſam Budenſem*, ad obſidendum *Neográdum* miſiſſe, cum neceſſe ſit, locum eum *Turcico* præſidio præmuniri, eo quod ante hac ad ditionem *Turcarum Strigonienſem* pertinuerit, habueritque ſacra *Mahumedana*. Cui, ex templo reſpondi, *Neográdum* me nemini permiſſurum, ſiquidem, & *Strigonium* me inuito, & obſederit, & ceperit *Vezirius*.

Die IX. *Octobris.* *Georgium Somogy*, & *Nicolaum Kipſchia*, cum delecta octingentorum equitum manu, ad iuuandum *Kereſztúrium* miſi, ſcripſique ei, ne *Turcis Neográdum* permittat, tametſi ea res, mutua *Turcarum*, & *Hungarorum* clade, auerruncari debeat. Nunc eſſe, cum *Hungaria*, ciuium ſuorum indigeat fortitudine.

Die X. *Octobris.* Adferuntur litteræ *Kollonitſchii*, quibus a me decem obſides, & ſaluum conductum petit, contenditque, vt, tametſi

etſi de induciis haud conuentum fuerit, ei tamen, iter *Ujvarinum* tutum præſtem, vt arcem eam tradere mihi poſſit. Hucusque *Ujvarienſes* præſidiarii, ducentos equos, eosque inſulſos, deuorauere. quorum capita, pedes, & inteſtina, *Hungarorum* feminis, & tenellæ ætati, relicta ſunt: ſapidiſſima, nempe, aduerſus famem, obſonia.

Die XI. *Octobris*. Accepi *Comitis Illésházii* litteras, quibus ſcribit: cum intellexerit, *Vezirium*, *Turcarum* imperatori adferere velle *Ujvarinum*; malle ſe in *Turcas* arma ferre, quam id vt fiat, oſcitanti ſimilem, permittere. Sub idem tempus, & *Kollonitſchii* litteræ adferuntur, quibus me rogat, vrgetque, ne deſinerem, *Ujvarini* cauſſam porro agere. Hodie, *Vezirius*, per *Ibrahim Baſſam*, equum giluum, eximiæ quidem magnitudinis, cetera indecorum, neque me ſeſſore dignum, dono mihi miſit. *Thomam Bosnyákium*, ad *Comitem Illésházium*, Bazingam ablegaui.

Die XII. *Octobris*. *Baſſa Boſnenſis*, cum tribus maioris moduli tormentis, & duobus millibus *Janitſcharorum*, caſtra, ad *Ujvarinum* poſita, ſubiit. Eadem die, venatorum imperatoris *Turcici* magiſter, haud paucis *Turcarum* comitantibus, nobis auxilio venit.

Die XIII. *Octobris*. Acceſſi ad tentorium *Boſnenſis Baſſæ*, hominis ſenio confecti, totaque facie glabri, vbi me complures *Turcarum* optimates, *Begi* & *Agæ* ſtantes, ſumma honoris ſignificatione opperiebantur. Habito colloquio, vt beneuolentiæ erga me ſuæ documentum præberet, in filium me adoptauit, poſteaque, equo glauco donatum, blandus dimiſit. Ego vero, caballum eum, priſcæ fidei familiari *Stephano Soos* obtuli. Hodie, ſaluum conductum, a *Boſnenſi Baſſa*, pro *Hungaris*, qui ſunt in arce, petii, vt ſi adſultu occuparetur, incolumibus, cum omni ſupellectili ſua, eſſe liceret. Adii, & *Szinan Baſſam*, patrem itidem adoptatiuum. Tres enim inter Turcas patres habeo: *Mehmetem Vezirium*, *Haſzan Baſſam*, & *Szinan Baſſam*; vtinam, magno patriæ commodo!

Die XIV. *Oct*. Grandiora illa tormenta tria, & his priora ſeptem, in ſuggeſtus euexere *Turcæ*, vix vllo operarum pretio. Profecto enim, nihil firmius excogitari poteſt iis arcibus, quæ ſunt munimentis, e ceſpite congeſtis, incinctæ. Nihil eis, ſiue ſubiecto igne nocueris, ſiue tormentorum iactibus. Atque, in hunc modum *Ujvarinum* præmunitum eſt.

Die XV. *Oct*. Sub primam noctis vigiliam, rem tentaui oppido magnam, & diſcriminis plenam. Nimirum, permutato veſtitu, arcem *Ujvarienſem*, clam intraui, cum famulitio *Comitis Stephani Illésházy*, qui publica fide eandem ſubiuerat, dedendæ eius conditiones, cum præfecto, compoſiturus. Cum vero *Illésházius*, quod erat neceſſum, exſequitur, ego vigilias arcis omnes, tacitus, neque a quoquam agnitus, obii; rediique incolumis, eadem, qua intraueram, via. Ideo vero, hoc, quidquid erat periculi, ſubire mihi viſum eſt, vt, ſi de tradenda arce, inter nos haud conueniſſet, perſpectas habe-

rem vigiliarum rationes. At, profecto, maſculę, ſummaque cura, & vigilantia, ſtationes arcis omnes fuiſſe cuſtoditas, deprehendi.

Die XVI. *Oct.* Præſidiarii non minus, quam qui arcem obſedimus, diem transmiſimus, ab omni bellico ſtrepitu vacuum. Quin, & *Turcis*, nunciandum putaui, vti ſe a iaculationibus, arci infeſtis, abſtinerent: quod quidem, nihil cunctati, præſtitere.

Die XVII. *Oct.* Horis antelucanis, poſteaquam diu multumque, mutuo diſceptaſſemus, traditum nobis a *Germanis* eſt *Ujvarinum*. Proinde, procul omni mora, immiſi in arcem *Thomam Bosnyák*, cum delectis, *Michaelis Farkas*, & *Martini Nagy*, cohortibus, numerum ducentorum capitum, æquantibus. Quas, nihil cunctatus, ſequutus ipſe ſum, recepique a *Germanorum* præfecto, arcis claues. Tunc omnes propugnaculorum angulos, ſumma cura peruęſtigaui, & procuratis rebus neceſſariis, atque arcis cuſtodia, *Bosnyákio* tradita, intra arcis mœnia, pernoctaui. Sane, plurium decurſu annorum, ſomnum tam placidum, haud cepi, quam, cum ſubiectis ceruicali, arcis clauibus, poſt tot labores exantlatos, incubauiſſem. Poſtea, clauibus *Bosnyákio* traditis, commonitoque eo, vt virum ſe præſtaret, in caſtra redii, atque illic cum vniuerſo exercitu, ob arcem occupatam, Deo ſolemnes gratias perſolui.

Die XVIII. Eodem tempore, & *Baſta*, & *Kevélly-Baſſa*, litteræ adferuntur. Quorum hic, ſerio me monet, vt totidem *Turcas*, quot *Hungaros*, in præſidio arcis *Ujvár*, collocarem; ſed vero, nihil eius futurum. *Baſta* vero, multis, iisque conceptis verbis, me rogat, vt *Gregorium Némethi*, a vaſtatione *Auſtriæ*, reuocarem, neque *Chriſtianos*, temere adfligi permitterem; in primis, cum de conſtituendis induciis, iam agatur. Minimum, quietus eo vſque eſſem, dum ipſe, princeps *Botskayus*, aderit. Mitto, *Caſparum Cſuti*, ad *Baſſam Boſnenſem*, qui præſente *Haſzan Baſſa*, durioribus eum verbis accepit, poſteaque indignabundus: *ſi lubet*, inquit, *noſtram Turcarum ſequi amicitiam, maiori eam fide ſequamini; ſin minus, frameæ rem decernamus*. Educuntur *Ujvarino* LIX. captiui *Turcæ*, quos ſine lytro, *Turcis* reddidi, alioquin 16260. florenis redimendos.

Die XIX. *Oct.* me inſalutato, atque inuito, fremebundus *Turcarum* exercitus, caſtra *Ujvarienſia* deſeruit, eo, quam maxime offenſus, quod *Turcas*, in præſidium non receperim.

Die XX. *Oct.* Rumor inualuit, *Baſtam*, cum ſuo, & *Morauorum* exercitu, *Gregorium Némethium*, Auſtriam vaſtantem, adgredi velle. Ea propter, nuncium miſi ad *Vezirium* Strigonium, rogans, iuberet aliquot turmas equitum, per partes transdanubianas, profectionem ſuſcipere verſus *Auſtriam*, ad me vero *Boſnenſem Baſſam* mittere; quod ſi fecerit, me quoque, cum vniuerſis caſtris verſus *Morauiam* hinc moturum; vt gemino hoc exercitu a *Némethio* inuadendo, Germanus depellatur.

Die XXI. *Oct.* Præſidiarii *Ujvarienſes Germani*, arce decedunt, quos

quos ipſe ego, aliquot *millibus Hungarorum* ſtipatus, *Comaromium*, integerrima fide comitatus ſum. Cum ad *Danubii* ripam ventum eſſet, redduntur *Strainero*, Ujvarienſi hactenus præfecto, litteræ *Baſtæ*, quibus eum, a dedenda arce dehortatur. At enim, tarde fabulamini, o boni!

Die XXII. *Oct.* Subii, cum vniuerſis exercitus ducibus, arcem *Ujvarienſem*, atque occupato amicorum Romanenſium templo, *Te DEum laudamus*, ſolemni ritu, occinendum curaui, quod me diuina bonitas, arce potiri ſiuerit. Habitus inde ſermo ſacer, a *Piskoltzio*, caſtrenſi meo concionatore, quo ceſſante, feſtiuas inſtitui diſploſiones.

Die XXIII. *Oct. Baſtæ*, & *Kollonitſchii* litteræ, adferuntur, qui vterque me rogitat, vt induciarum curam habere apud principem, ne deſinerem. Rebus *Ujvarini* confectis, ſtatui, die craſtino, caſtra *Poſonium* verſus mouere.

Die XXIV. *Oct.* Habitis Deo gratiis, quod me, in *Ujvarino* intercipiendo, & *Turcis*, a ſpe eius potiundi deiiciendis, felicem eſſe voluerit, numine propitio, caſtra, in campos *Moeſinokenſes*, promoui.

§. VI.

HActenus ephemerides *Homonnayanæ*, non ingratæ, credo, lectori futuræ: quippe, ex quibus condiſcet, quam male ſe *Hungari*, *Turcarum* fœderibus, innexuerint ſæpius. *Homonnaii* certe, & *Illésházii*, ſi belli cauſſam demas, laudanda eſt contentio, quod arcem auxiliatoribus *Turcis*, haud permiſerint. quod vnum, in tota hac obſidione, præclare adminiſtratum eſt. Occupato *Ujvarino*, eluſaque *Turcarum* auiditate, dedere operam *Botskaiani*, vt, quam poſſent celerrime, arcis munitiones redintegrarent. *Homannay* ſcilicet, *Thomam Bosnyák* cum imperio iſthic reliquerat, eique, in mandatis dederat, vt, præter arcis cuſtodiam, in primis curam laceratorum aggerum, commendatam ſibi haberet: dum ipſe, *Piſonienſium* vrbem, arcemque, metu incuſſo, ſit perdomiturus. Minas (*y.*) huc comparatas, & extra modum feroces, ex iisdem ſuis ephemeridibus, in eius ciuitatis hiſtoria, adſcripſimus. Sed reuera, ex pelui fuiſſe fulmina, breui poſt adparuit. Præterquam enim, quod cum *Piſonienſibus*, ad d. III. *Novembr.* vindemiales inducias pactus eſt; a *Botskayo* ſubito reuocatus, eidem, in campo *Rákos* (*z.*) ſalutandi *Vezirii* cauſſa, occurrit, vrbemque adeo Piſonienſem reliquit incolumem. Antequam vero *Ujvarino* diſcederet *Homonnayus*, diſtributo, per hiberna, exercitu, *Johannem Desöffy*, poſt ſe reliquit, qui militem quidem hibernantem, tamquam ſuus, iſta regione, legatus, (*a.*) arcem autem *Ujvarienſem*, mutuis, cum *Bosnyákio*, conſiliis, mode-

Mœnia Ujvarini, *a* Botskajanis *inſtaurata*;

vius cuſtodia, quibus ab Homonnayo, *fuerit commiſſa*:

y.) Tomo I. Operis p. 219.

z.) Legeſis ſolemnitatis eius Hiſt. Tomo III. p. 72. ſeqq.

a.) Exſtat in eodem *Homonnaii* diario, *Inſtructio*, quemadmodum ſe ducum vterque, *Desöffy* et *Bosnyák*, in exercitu, arceque adminiſtranda, gerere debeant.

raretur. Itaque, paruit *Botskayo* Ujvarinum, vſque ad *Viennenſem* pacificationem illam. Qua, inter vrbes arcesque reliquas, *Ujvarinum* quoque, ſuo regi, (*b.*) vindicatum eſt; ſed mortuo demum *Botskayo*, hoc eſt, anno MDCVII. die XI. Febr. (*c.*) *Sigefrido Kollonitſchio*, redditum.

redditur Cæſari.

§. VII.

Ujvarini ad defenſandam regionem opportunitas:

QVicuit hinc *Ujvarinum*, & nouis ſubinde inſtructum operibus, tutelæ fuit regioni, paſſim incurſionibus Turcarum *Strigonienſium*, male habitæ. Atque id quidem, tumultus *Botskaiani* fuiſſe beneficium, ætatis eius ſcriptores haud (*d.*) diſſimulant. Niſi enim *Illésházy* prouidentia, *Homonnaii* vero, qualiscunque in patriam pietas, *Turcas*, ab arcis inſeſſu, tempeſtiue depuliſſent; tota facile *Hungaria*, occupato ſemel *Strigonio*, vti res erant trepidæ, in barbarorum poteſtatem conceſſiſſet. Adeo, ipſa etiam bellorum damna, non raro, ſua habent compendia. Recepto tandem, ex *Pacificationis Viennenſis* legibus, *Ujvarino*, conſolidandæ, quæ ad *Situa-Torokum*, quomodocunque coaluerat, paci, nouam iſthic tractationem inſtitutam fuiſſe, eius ætatis ephemerides adnotarunt. Ita ZÁVODSZKY: *Ann. MDCVIII. die XXIV. Martii, Turcæ, pro noua pacis tractatione, cum CLXV. equitibus*, Ujvarinum *ingreſſi ſunt. Cum quibus, pro legatis a Baſſa Budenſi miſſi fuere*, Amhat Tihaja, Muſtapha Effendi, & Huſſam, Begus *Simontornyenſis. Sequentibus diebus, vſque ad XXVII. cum iisdem Turcis tractatum, ac diſceptatum fuit; tandem, Deo auxiliante, tam de ſemel concluſæ pacis confirmatione, quam oratorum Conſtantinopolim dimiſſione*, *ſimul &* Haydonum *condeſcenſione*, *concluſum ac determinatum.* Vix vero tria luſtra interceſſerant, cum *Gabrielis Bethlenii* tumultus, *Ujvarinum*, e Cæſaris poteſtate, eliſit denuo. Præerat arci *Petrus Kohári*, vir, & manu fortis, & promtus conſilio. Is, vbi, circumſitæ regionis propugnacula omnia, *Fülekinum*, *Szétsénium*, *Vaczóuiam*, *Neográdum*, *Gyarmathinum*, *Nitriam* atque *Tyrnauiam*, occupata ab hoſtibus, intellexiſſet, ad defenſandum *Ujvarinum*, pro eo, ac fortem & impauidum virum decet, ſe comparat. At enim, vix in arcis conſpectum *Bethleniani*, duce *Georgio Szétſi*, venerant, cum præſidiarii, dedi oportere arcem, vno omnes ore, nefarie conclamant. Reſtitit, pro virili, iniquiſſimæ poſtulationi *Kohárius*, & qua precibus, qua minis, milites in fide & officio continere, adniſus eſt. Sed, fruſtra præfecti hæc fuit conſtantia. Præſidiarii enim, (*e.*) correpto eo, & compedibus vincto, portas *Bethlenianis* vltro adaperuere, deditaque arce, ſimul, & *Kohárynm*, facinus illud conſtanter exſecrantem, *Szétſio* tradidere. Iſta, anno MDCXIX. III. Calendas Octobres euenerunt, & *Kohárynus* quidem, *Caſ-*

capitur a Bethleniani, præſidiariorum maleficio:

b.) Vide, *Pacificationis Viennenſis* eam partem, quæ perſonam DN. BOTSKAY, eiusque contentationem, concernit. §. XIV.

c.) ORTELIVS, P. I. p. 430. b.

d.) Idem P. II. p. 2. b.

e.) Adi FRANCISCVM KAZY, Hiſtor. Hung. Lib. III. pag. 171. Recole, ſupparem nepotis ſui *Stephani Kóbarii*, fortunam, eodem hoc Tom. IV. p. 82. ſequ.

Digitized by Google

Caſſouiam abductus, diu carceris ſqualores tolerauit; *Ujvarinum* autem, idoneo præſidio communitum, toto poſtea biennio, perfugio fuit *Bethlenianis*, late, per *Auſtriæ*, *Morauiæque* fines, graſſantibus. Qui hinc ſequutus eſt annus MDCXX. magnam oppido cladem adtulit: quippe, quod, coorto incendio, partem maximam, deletum eſt, parumque aberat, quin annonaria domus, atque armamentarium, conflagraret. Non caruit res ea ſuſpicione, *Turcarum* maleficio, qui *Buda*, *Strigonio*, aliisque locis, incendiarios emiſerant, vt qua poſſent, *Chriſtianorum* oppidis vicisque, nocerent, incendium illud procuratum fuiſſe. Proinde, dati in cuſtodiam fuere, qui tanti facinoris ſuſpicionem, vulgo ſibi collegerant. Aedibus arcis, pro tempeſtatis eius habitu, quomodocunque inſtauratis, totus poſtea annus ille, *Ujvarienſibus*, ſine moleſtia abiit.

igni fortuito exuritur.

§. VIII.

ANno MDCXXI. vere adulto, obſidione a *Cæſarianis* incingebatur *Ujvarinum*; ſed infelici ea, & cum iactura ſummi ducis, *Bucquoii*, coniuncta. Res ita ſe habuit. Poſteaquam *Thomas Bosnyák*, atque *Georgius Szétsj*, ſequacium *Bethlenii*, facile principes, Cæſaris partes, deſerto *Tranſiluano*, ſequuti fuiſſent, atque *Szétſius* potiſſimum, capto *Franciſco Rédeyo*, Botskayanorum olim primipilo, *Veſprimio*, atque *Filekino*, recuperatis, fidei in Cæſarem documenta, edediſſet, bellum, aduerſus *Bethlenium* redintegratum eſt. Huic gerendo, *Bucquoius*, magni vir animi, & ſcientia rei militaris, nemini ſecundus, a *Cæſare* præficitur. Is ergo, exercitu, viginti quatuor millium, coadunato, *Piſonium*, ex itinere, capit. Inde, promotis caſtris, *Rétsam*, *Szent Györgynum*, *Bazingam*, *Modram*que, exurit. Hac, vicinorum calamitate, perterriti *Tyrnauienſes*, non exſpectato exercitus aduentu, *Cæſari*, iurata fide, poſtliminio accedunt. Quorum exemplum, *Csallóközienſes* inſulani, & cum his, *Altenburgenſes*, ſequuti, ſpem *Bucquoio* iniecerant, expeditionis, quam poſtea euenit, multo felicioris. Iſtis enim ſucceſſibus, fidentior factus, *Sintenſem* arcem, tridui fere ſpatio oppugnatam, ea lege occupat, vt præſidio nuda, ſolius heri cuſtodiæ, permitteretur. Itum poſtea eſt ad *Ujvarinum*, *Bethlenianis* extorquendum. Iam inierat *Junius*, cum in arcis conſpectum *Cæſariani* veniunt. Geminam, occupandæ eius viam, *Bucquoius*, ineundam ſtatuerat: alteram, largitione præſtruendam, vi pertentandam alteram, ſi prior ſpem fefelliſſet. Cognouerat ille, per exploratores, diſſidiis, inter præſidiarios gliſcentibus, primorum ſimul animos, in diuerſa trahi; qua quidem opportunitate, magno *Cæſaris* commodo, vſurus fuiſſe putabatur *Bucquoius*; niſi *Thurzo*, qui ſe paullo ante, cum quatuor millibus, arci iniecerat, *Bucquoianis* artibus, obicem poſuiſſet. In annalibus reperio, *ſexies centena millia nummum*, quos *florenos* vocant, in caſtris habuiſſe *Bucquoium*, vt, & ſtipendia militi ſoluere poſſet, & hoſtium primores corrumpere. Quin

Ujvarinū a Bucquoio obſeſſum.

rei geſtæ hiſtoria.

& rerum pretioſarum, tantam ſecum vim adtulerat, quæ, ad *ducentena florenorum millia*, a rerum peritis, æſtimaretur. Proinde, militi ante omnia, trimeſtre ſtipendium perſolutum, vt, & ſacramenti eſſet tenacior, & animoſior in hoſtem. Interea XII. tormenta minora, maximi autem moduli VII. cum ingenti *colubrino*, caſtris inuecta fuerant. Sed, antequam obſidionales operæ inchoarentur, commeatus inopia, vrgeri cœpit exercitus, inde ſubito coorta, quod *Bucquoius* quidem, igni & ferro, regionem circumfuſam euaſtarat, *Bethleniani* autem, perpetuis incurſibus, (*f.*) cum *Cæſareorum* impedimenta, tum pabulatores maxime, pergerent infeſtare. Itaque, maturandam obſidionem ratus *Bucquoius*, arcem, operibus cingit, viasque obſidionales, ſumma induſtria ac feſtinatione, duci iubet. At, præſidiarii, ſerio rem agi videntes, cum & reſiſtendo pares eſſent, & ſtrenue, a contribulibus, rem extus geri viderent, facta ſemel iterumque eruptione, breui, noningentos *Cæſarianorum*, conficiunt, opera conuellunt, lateque in impedimenta graſſantur. In primis noxia *Cæſarianis* eruptio fuit, quam ad diem XXVI. *Junii* ſuſceperant obſeſſi. Multi tunc vtrinque cecidere; ſed plures tamen ex obſeſſoribus. Stragem eam vlturus *Bucquoius*, tormenta, in ſuggeſtus euehit, omni virium contentione, arcem verberaturus. At enim, quia porta ſupererat, per quam libere, huc atque illuc, commeare potuerant obſeſſi, de ea præcludenda ſollicitus, die X. *Julii*, ad ſpeculandam loci opportunitatem, proficiſcitur. Erant in eius comitatu, ducum fortiſſimi, ſelecta præterea velitum manus, in ſuppetiis collocata. Cum ergo, arcem, cum ſuis, obequitat, ab incurſantibus *Bethlenianis*, in patentes campos incautus prolicitur. Eo viſo, qui in arce fuerant, erumpunt & ipſi, atque facto cuneo, in *Bucquoium* feruntur. Ancipiti periculo circumuentus, cum, & a fronte & a tergo, premi ſe videret, hi vero, qui laboranti opem ferre debuerant, pauidi diffugerent, manus cum hoſte, animo, quam ſucceſſu, meliore, conſerit. Fit atrox pugna, quæ demum *Bucquoii* nece terminata eſt. Equo enim ſuffoſſo, cum diu pedes ſeſe defenſaſſet, tandem, ſedecim vulneribus confectus, haſta transfigitur. Periere eo conflictu, ducum haud pauci, *Torquatus* autem de *Comitibus*, princeps, cum ſociis, in captiuitatem abductus. Occiſorum cadauera, quia, quorum eſſent, ignorabant *Hungari*, eo, quo dimicatum eſt, loco, relicta fuere; *Bucquoii* tamen a *Cæſarianis*, clam poſtea ſublatum, atque, dein XX. Julii *Viennæ*, ritu caſtrenſi, tumulatum eſt. Ducis occaſus, ſimul per caſtra vulgatus eſt, tanta omnes trepidatio inuaſit, vt vix contineri potuerit miles, quin, relictis ſignis, diffugeret. Qua re

Bucquoii occaſus:

fa-

f.) De his Franciscvs Kazy, Hiſt. Hung. Lib. III. p. 194. Stephanvs Horvathvs, *inquit*, cum MD. equitibus, modo *Motsonoko*, modo *Komiathio*, procurrens, infeſtabat caſtra; depulſus, extemplo, ex iisdem locis, hoſtis inquies, reuolabat, et ab oppugnatione *Bucquoium* auertebat. Quo pluribus partibus obſidentes frangerentur, ferociſſimi ex arce crebro erumpebant, et modo fœdam operum, modo luctuoſam, fortium virorum, ſtragem edebant.

Digitized by Google

factum eſt, vt non iam de *Ujvarino* oppugnando; ſed exercitu, ſine cæde, reducendo, conſultarent duces. Accedebat his malis, *Vallonum* tumultuatio, *Tieffenbachio*, qui cæſo *Bucquoio*, exercitui præerat, parere recuſantium. Proinde, ad diem XVII. *Julii* profectione edicta, nocte concubia, ſummo quidem ſilentio, cælo tamen, nimium tempeſtuoſo, caſtris egreſſi *Cæſariani*, ad *Guttam*, tenue, intra *Vagum*, & *Danubium*, munimentum, altero die conſedere. Eo aduerſo præſidiarii, confertim ex arce proruunt, & cæſis, qui ad remorandos inſectatores, ſortito (*g.*) excubabant, vltimum *Cæſarianorum*, agmen male mulctant. In caſtris, præter machinas bellicas XV. eximium rei tormentariæ adparatum, quod auehendo ei non fauerat tempeſtas, repererunt *Hungari*, quem demum, ouabundi, in arcem inuexere. *Tieffenbachius* interim, quod exercitui, recenti hac clade exacerbato, fræna nequiret iniicere; *Bethleniani* contra, rerum denuo potiti, totam circum regionem, non impune modo, ſed ſtrage etiam in *Cæſarianis* paſſim edita, peruagarentur; lugens, fremensque, & ad *octo millium* paucitatem redactus, militem, *Piſonium* partim, partim *Jaurinum*, atque *Comaromium*, dimiſit. Tanti tunc, *Ujvarini* obſidio conſtitit.

obſidionem ſoluit.

§. IX.

PAce, inter CÆSAREM, & BETHLENIVM, quæſitis conditionibus, ſemel atque iterum reparata, *Ujvarinum*, hoſtibus eiuratis, in obſequio regum optimorum, permanſit: donec, tyrannis *Turcarum*, quam *Botskaiani*, multa & laudabili prouidentia, declinauerant, in arcem penitus incumberet. Funeſta vel ad recordandum, res eſt; commemoranda tamen, vt ſapiat auorum malis, poſteritas. Annus ſurrexerat, MDCLXIII. *Hungariæ*, omnium, quos toto hoc ſeculo vidit, calamitoſiſſimus. Nimirum, CÆSARIS, ad propulſandum bellum debilitate aduerſa, exercitum, ſolito numeroſiorem, validioremque, *Turcæ* cogunt. *Centum & quadraginta millium* fuiſſe, palam conſtabat. Has tantas copias, Calendis Auguſti, *Strigonium* adducit *Vezirius*, nuper, ea dignitate potitus. Iſthic vero demum, de ſumma belli, ſpe pacis, quam noſtris fecerant, maleuolentiſſime eluſa, arcane adeo conſultat, vt in quam partem procellam eſſet effuſurus, ne diuinando quidem, ſagaciſſimi noſtrorum duces, penetrare valuerint. Simul certe *Comaromio*, *Ujvarino*, *Jaurino*, *Viennæ*que metuendum, ſingulis ideo præſidia imponenda, importandus commeatus erat, vt, ſi qua vis ingrueret, ferendæ ei non ſolum, ſed propulſandæ etiam, pares exiſterent. Præcipua tunc *Montecuculi*, ſummi *Cæſareorum* ducis, prudentia emicuit, paucitatem ſuorum, ita occultantis, vt multum omnino, vnica ea re, ad totius belli molem ſu-

Quando Turcicæ *tyrannidi ſuccubuerit:*

belli rationes, ab hoſte, quomodo initæ:

res noſtrorum trepidæ, & Montecuculi, eximia prudentia:

g.) ORTELIVS P. II. p. 82. auctor eſt, tantam in caſtris fuiſſe conſternationem, vt nemo inter præfectos reperiretur, qui agmen voluiſſet claudere. Quocirca, iacta, ritu caſtrenſi, alea, *Maximinum*, quendam *Celonellum*, id muneris, ſuo militumque exitio, ſuſtinere debuiſſe.

ſuſtentandam, profeciſſe creditus fuerit. Eum enim caſtris locum delegerat, vnde virium (*h.*) exilitas celari opportuniſſime, vbi item oſtentare ſe, incautos carpere, annonam intercipere, tum, ſeu *Jaurino*, ſeu *Ujvarino*, ſuccurrere commodiſſime liceret: *Ovarinum* ſcilicet, quod Germanis *Altenburgum* dicitur. Oppidum eſt, ad *Laitæ*, & *Danubii* confluentem, quatuor, infra *Piſonium* milliaribus, opportune poſitum. Hinc itaque, & *Cis-Danubiana* Auſtriæ, præſidio eſſe poterat *Montecuculius*, & ripam ſimul *Danubii* vtramque, pontibus rite commiſſam, obtinere, præſto futurus, quodcunque demum limitaneorum propugnaculorum, ab hoſte impeteretur; ſic, tum arcum hoſtis, chordam obibat *Montecuculis*. Nec alibi annona, milesque, minore periculo, ſubuehi potuerat. Denique, id adſequebatur, quod in primis ſibi propoſitum fuiſſe, ſcriptum in ſuis commentariis reliquit, vt, de virium imbecillitate, diutiſſime hoſtem celaret. quæ res, vti ſaluti fuit, quamdiu arcana habita eſt; ita, perfugarum indicio prodita, pene vltimam, rebus noſtris, perniciem adtulit. Verba ſunt WAGNERI, (*i.*) quem narrando ſequimur.

caſtrorum, quæ is delegit, opportunitas.

§. X.

Turcæ *obſidionem decernunt:*

SIc ſe res noſtræ habebant, cum *Turcæ*, obſidionem *Ujvarini*, dubiis hucusque agitatam conſiliis, vnanimiter decernunt: quippe quod, & periculi minimum haberet, neque *Vezirius*, in ipſo tanti muneris limine, *Comaromii*, aut *Jaurini* oppugnatione, fortunam ſuam periclitari vellet. Tunc, diebus aliquot, recreando militi conceſſis, *ſexta Auguſti*, belli fit initium. Nondum, pontem *Danubio* iniectum, penitus contabulauerant, cum tria *Janitſcharorum* millia, *Párkánum*, obuerſum *Strigonio*, munitumque oppidum, eo conſilio hoſtes traiiciunt, vt operas tegerent, & ſequuturo mox exercitui, ripam eam tutam præſtarent. Eo, per exploratores cognito, *Adamus Forgách*, præfectus *Ujvarini*, ante delendos cenſuit, quam, aut pontem ſolidarent, aut ſuppetiis acceptis, prorſus conualeſcerent. Egregium ſane facinus futurum, ſi conſiliis fortuna reſpondiſſet. Verum, ſicuti virum, fortem magis, quam felicem, vnius transfugæ, an proditoris, (ruſticus fuit ditionis *Turcicæ*) in has conſiliorum ſyrtes, illicuit; ita, non potuit non imprudens cœptum, bonus euentus deſtituere. Audiamus WAGNERVM: *Re*, inquit, (*k*) *intellecta*, Forgáchius, *Ujvarini gubernator, opprimendos ante ratus, quam aut pluribus copiis firmarentur, aut pontis fabrica abſolueretur, adſumta magna præſidiariorum parte, equitibus e Waltheriana legione ſexcentis, e Landronia ac Bioia, ſclopetariis ſexcentis, Vngarum militem, tum prouincialem, tum legionarium, ad ſex fere millia propere contrahit; quatuor leues machinas, & mortarium vnum ſecum vehens, infeſtando, poſt victoriam, quam certam præſumſerat, Parcano. Monebant Forgáchium præfecti, ne ante*

Danubium traiicere occipiunt:

Forgáchii *præceps factum:*

h.) Vide WAGNERVM, fuſe, ſciteque, belli hiſtoriam expromentem, L. II. p. 127.

i.) Eodem iſto loco.

k.) Ibidem, p. 125.

Digitized by Google

te in hoſtem duceret, quam exploratores alii, conſentanea prioribus referrent. His admodum variantibus, ea demum pars, quam ipſe malebat, credibilior viſa. Igitur, tota nocte, quæ ſeptimum Auguſti præcedit, ſilenti agmine, per apertos campos, ita, vt in acie conſtituti erant, profecti, ſub auroram, dubia adhuc luce, in primas hoſtium ſtationes incurrunt. Ita ergo, totius culpa expeditionis, in *Forgáchio* reſederit. Et non eſt omnino inficiandum, præpoſtere ab eo, in expeditionem itum eſſe, quæ, ſi male cecidiſſet, rei Chriſtianæ, periculi plurimum, ſin ex animi ſententia, hoſti parum detrimenti, adlatura videbatur. Tamen, ſi fatendum ſit, quod ſentio; maior culpa contracta ab iis fuit, qui *Forgáchium*, periculo intellecto, iter flectere cupientem, non retentabant modo, ſed, vt porro pergeret, propemodum conuitio militari, ſtimulabant. In his *Pioius* fuerat, vir, animi, quam conſilii, maioris: quippe, interminatus ſubinde, ſi cœptis deſiſteret *Forgáchius*, totam rei feliciter gerendæ gloriam ſuam, *Germanique* militis, cum quo adgredi hoſtem conſtituiſſet, futuram. Quid ergo ageret *Forgáchius?* Certe, imbellis metus notam, (atrox in duce malum!) euitaturus, inuitus licet, reuera tamen, ire debuit in paratam cædem. Ergo, cladis occaſionem *Forgáchius*, cauſſas *Pioius*, ſuas fecere.

Pioii obſtinatio, multo deterior.

§. XI.

HAec adnotanda erant, (*l.*) ne, quod plurium errore commiſſum eſt, vni *Forgáchio*, crimini in poſterum detur. Jam, quæ prælii & cladis conſequutæ ratio fuerit, videamus. Simul in conſpectum hoſtium venere noſtri, tympanorum pulſus, ſtridorque tibiarum, quam pro creditæ paucitatis numero, maior exauditus eſt. Percontatus, ex *Forgáchio* collega *Pálffyus*, quid tantus ſibi clangor in hoſtium caſtris portenderet; ille, diſſimulato eo, quod erat, *ad preces Turcas vocari* reſpondit: cum reuera claſſicum canerent, in noſtros agmine facto, iam iam irrupturi. Ad *vndeviginti millia*, eorum exercitus accreuerat, quem collibus, qui crebri regionem illam diſtinguunt, occultatum, totam noctem, in acie perſtare, duces iuſſerant. Iam & noſtri propius ſucceſſerant, ex feſtinato itinere, præ laſſitudine, vix corpora trahentes, cum octo & decem *Turcarum* agmina, in dextrum cornu, cui *Forgáchius* præerat, totis viribus inuehuntur. Quæ ille, tanta virtute excepit, vt cæſis primorum haud paucis, reliquam multitudinem retrocedere coegerit. Ea clade exciti *Turcæ*, nutantem ſuorum aciem, per ſubſidiarios manipulos, non conſolidant modo, ſed vrgent etiam pedem proferre. Itaque, ne ab increſcente multitudine, ante iuſtam pugnam obrueretur, & *Forgáchius* ſuos ſubſidiarios confeſtim euocat. Septem *Hungarorum* ſigna fuere, quæ, vbi prompte ducis nutui obſequuntur,

Prælii, & conſequuta cladis, hiſtoria:

l.) Ita, præter Ortelivm P. II. p. 264. a. Johannes Ferdinandvs Aver, qui rei geſtæ interfuit, in *Hiſtoria Captiuitatis Conſtantinopolitanæ*, manu ſua conſcripta: dedimus, tragœdiam hanc, occaſione, recenſitæ *Piſonienſium* cædis, Tomo I. p. 263. ſequ.

iamque pugna incaleſcit, cum tria prouincialium vexilla, citatiſſima fuga, e ſtationibus, quas vltimi obtinebant, diffugiunt. Rem, a tergo & fronte, in periculum deductam, *Waltheriani* equites, reparaturi credebantur. Et ſuſtinuere omnino, multitudinis impetum aliquantiſper, donec ſiniſtro cornu, quod *Pálffyus*, & *Illésházius* ductabant, penitus conuulſo, nullus virtuti locus relinqueretur. Itaque, retulere noſtri pedem, tanto infelicius, quod peditatum, media acie adhuc acerrime depugnantem, penitus deſererent: qui, partim internecione demum deletus, partim in captiuitatem abactus eſt, cæde, etiam atrociſſima, duriorem. Iſthic *Pioius* pugnabat. qui, cum a *Germanorum* equitum præſidio, deſtitutum ſe vidit, collectis, leuis armaturæ aliquot *Hungaris*, in fugam, & ipſe hic gloriator, effuſus eſt. Ac *Forgáchius* quidem, hora poſtmeridiana ſecunda, *Ujvarinum*, præcipiti curſu elapſus, opportune tenuit. quem, qui a ſtrage reſidui fuere, variis ablati erroribus, eodem illo funeſto die conſequuti ſunt.

Deſideratorum e noſtris, numerus.

Cladis, in ea paucitate, magnitudinem ex WAGNERO *(m.)* diſcas: *Recenſito*, inquit *milite, mille ducentos ſeptuaginta duos periiſſe, compertum eſt; e Germanis duntaxat equites ducentos, pedites ad vnum fere omnes, centuriones quatuor, quinque ſubcenturiones, quibus, ſi captos ſeptingentos accenſeas, tria omnino millia, eo prælio, deſiderata, compertum: atque eos inter* Poſonienſium *nobilium, ciuiumque, ſeptuaginta.* Atque, inter Piſonienſes quidem captiuos, *Johannes Ferdinandus Au..*, in primis memorandus eſt, quod captiuitatem eam, non integris modo annis vndecim, *Conſtantinopolin* vsque delatus, forti animo tolerauit; ſed hiſtoriam quoque eius, in *ſeptem turrium* carcere, conſcriptam, nobis *(n.)* reliquerit, dignam oppido, quæ ob tyrannidis atrocitatem, iam dudum lucem adſpexiſſet publicam. Dici enim nequit, quanta immanitate ſæuitum in captiuos ſit. Teſtis eſt, præter noſtrum illum, WAGNERVS *(o.)* *Captiuorum ſors longe miſerrima fuit. In conſpectum* Vezirii, *altiori loco conſidentis, adducti, cum negaret ſibi pro canibus panem eſſe, ſigno dato, immani rabie, plerique contrucidantur. Aliorum iuguli, minutis cultellis hauſti; alii, haſtis in orbem ductis, multiplici vulnere confixi; alii, velut in circo agitati, ferarum inſtar, tandem confoſſi; alii, pilis ac miſſilibus in metam deſtinati; aliorum corpora, ad experiendam acinacis aciem, aut lacertorum robur, obiecta, artuatim, grandibus vulneribus diſſecta; denique, quidquid ſanguinaria immanitas, & plus quam barbara petulantia ſuggereret, in miſeros effuſum: oblectante ſe mirifice talibus ludis*, Vezirio. *Trecenti quadraginta duo duntaxat ad ſeruitutem reſeruati; ſeu humanitatis aliquis ſenſus ſanguinarias belluas ſubiit, ſeu auaritia ſua conſulerent. Quos inter Rüblandus, ſtrenuus & vetus centurio, Welſius Baro, iique Budæ, prater* Gœſii *hoſpitium, miſerabili agmine deducti, Conſtantinopoli demum, teſtes vi-*

m.) Ibidem, p. 126.

n.) Poſſidemus eam, ſermone germanico, in charta *Turcica*, fuſe conſcriptam.

o.) Vide ORTELIVM quoque, loco, quem nunc citauimus.

Digitized by Google

victoria fuere. Pace facta, in libertatem nonnulli adſerti rediere. Satis profecto ad immanitatem! Iſtud eſt, quod SENECA (*p.*) queritur:

Arma non ſeruant modum,
Nec temperari facile, nec reprimi poteſt
Stricti enſis ira: bella delectat cruor.

§. XII.

TRiſte hoc proſcenium fuit; at multo triſtius, belli, quod inde *Turcarum* rabies adaperuit, theatrum fuiſſe, ex iis, quæ iam dicturi ſumus, patebit. Nimirum, octidui, a pugna, ſpatio, ad obſidendum *Ujvarinum*, Turcæ venere, multum, ea cunctatione, rei *Chriſtianæ* parcentes. Nam, ſi metu, ex recenti clade, apud *Ujvarienſes* adhuc graſſante, adſiliiſſent hoſtes, pronum fuiſſet, & arcem capi, & Hungariam, ad vltimos vsque fines, perdomari. *Montecuculo* certe, datum eſt ſpatium, vt ex legionibus, quas ex ſuperiori *Hungaria* acceperat, noua præſidio ſupplementa, potuerit ſubmittere. Quo tunc habitu, arx fuerit, quidque in eius munimentis deſideratum ſit, WAGNERVS (*q.*) memorat: *ſex*, inquit, *propugnaculis, ad artis regulam eductis, id oppidum, poſt captum a Turcis Strigonium*, RVDOLPHVS II. *communierat, tamquam Moraviæ ac Auſtriæ, aduerſus Turcicas populationes, propugnaculum. Sed tum, fluxi vetuſtate muri, foſſa humilis, ac alibi pene nulla. Extra, nihil earum munitionum, quas remorando hoſti, inuenere nouæ artes. Ea*, Lippaii Archiepiſcopi *culpa fuiſſe, dicebatur, cui ea procuratio, cum certa pecuniæ ſumma, demandata fuerat. Et augebat inuidiam, quod eodem tempore, hortum, ſumma magnificentia, & impenſis maximis*, Poſonii *moliretur. Tria duntaxat propugnacula, vtcunque refecta fuerant, ceteris hiantibus adhucdum, & male a vetuſtate habitis. Annonæ, rerumque, quibus defendi vrbes ſolent, nihil deerat. Præter quingentos equites, pellitum præſidiariorum, tria millia cenſebantur, ſub claris ducibus*, Adamo Forgáchio, *loci gubernatore, forti magis, quam felici milite, cui* Pio, *&* Grana, *marchiones, &* Locatellius Baro, *ſodinarum, ac auriferæ vallis præfectus, adiuncti.* Iſta tunc, loci facies, habitusque fuit, omnino, retentandis potius, quam propulſandis hoſtibus, idoneus: conſueto tunc *Hungariæ* malo, vt illic potiſſimum inermis eſſet, vbi munitiſſimam exſtitiſſe oportuit.

Turcæ Ujvarinum *obſident:*

quod loci ea tempeſtate robur fuerit:

præſidiariorum numerus.

§. XIII.

SImul *Turcæ* oppidum, poſitis late caſtris, incinxere, id quod, XVII. *Auguſti* euenit, *Vezirius*, litteris ad *Forgáchium* miſſis, arcem ſibi dedi, arrogantiſſime poſtulauit. Dabimus exemplar latine factum, quod ita habet. *Ego, DEI magnique prophetæ noſtri gratia (qui ſol decusque mundi eſt, ſalutis ad hæc honorumque diues) potentiſſimi Cæſaris Turcarum, omnium, quos terrarum or-*

Vezirii, *de tradenda arce ad* Forgáchium *litteræ.*

p.) HERCVLE furente, Actu II. verſu 402. (q.) Lib. II. p. 131.

orbis habet, regum, regis ſummus Conſiliarius, & belli, cum plena poteſtate, dux, tibi Adamo Forgách, *celebri nobilique Hungaro, præſidii Ujvarienſis præfecto, notum facio, quod mandato clementiſſimi Domini mei, quæ DEI eſt gratia, cum immenſo exercitu huc acceſſimus, Ujvarinum occupaturi. Quod ſi igitur arcem nobis dedideritis, Potentiſſimi Cæſaris, noſtrique propheta iuſſu, ſummi imique, liberam, cum omnibus impedimentis, emigrandi, quocunque libuerit, poteſtatem habebitis; manere autem iſthic volentibus, bonis ſuis, quæ intus foriſue poſſident, vti frui integrum fuerit. Sin vero, arcem noſtræ permittere poteſtati recuſaueritis, eam, DEO auxiliante, perdomabimus, neque vlli veſtrum, ſummus ſit vel imus, vitæ dabimus veniam, ſed DEI maximi glorioſiſſimique, cuius nuſquam par eſt, gratia & iuſſu, trucidabimus delebimusque vos omnes, quemadmodum id lex noſtra, iuſtitiaque depoſcunt. Quod ſi intelligerent* Hungari, *potentiſſimum Cæſarem noſtrum, vnice gentis eorum commoda, hac arcis occupatione quærere, ſe profecto, ſuosque hæredes ac poſteros DEO, totos deuouerent. Interim, dicto audientibus, præſente epiſtola, pax & ſalus vltro offeruntur. Datum in caſtris ad Ujvarinum poſitis.* Lectis litteris, cum pro eo, ac virum fortem decebat, reſpondiſſet *Forgáchius*, arcem ſe, cum ſuis, ſanguinis vitæque impendio, defenſandam conſtituiſſe; Turcæ, dato ſigno, tormentis rem agere incipiunt. Mox & vias obſidionales, verſus portam, cui *Viennenſi* cognomen fuit, ingenti ſublato clamore, deprimere incipiunt, ſuburbii, quod illic noſtri excuſſerant, commoditate, haud parum adiuti. Reſtitere obſeſſi, qua diſploſione machinarum, qua ſuſceptis eruptionibus; ſed cauere tamen haud potuerunt, quin ſuggeſtum ponerent hoſtes, *Forgáchianæ* munitioni, obiectum. Collocata hic tormenta, a die XIX. *Auguſti*, vsque ad XXIII. perpetuo euibrabantur, nullaque dies abiit, quin CCCL. diſploſiones fierent, globorum maximis, LXV. pondo æquantibus. Id dum fiebat, erumpentes obſeſſi, cladem in hoſtibus, quos in opere deprehenderant, edunt notabilem, erepto ſigno vno alteroue, teſtatam; Turcis interim, vndiquaque ingruentibus. Cum ergo res magis magisque trepida fieret, *Forgáchius*, duces, qui ſecum erant, ſacramento militari, ad ferendam communem fortunam, denuo obſtringit. Dies fuit *D. Bartholomæo* ſacer, quum erecta medio foro, ara, collocatisque illic myſteriis, mutuam ſibi inuicem fidem, ritu ſolemni iurauere, edictumque publice eſt, vt ſi quis de arce tradenda, vel vocem edidiſſet, hoſtis iudicaretur, morti, quisquis eſſet, ſine cunctatione, deuouendus. Hæc intus fiebant, hoſte extus nihil inexpertum relinquente. In primis, *Viennenſis* porta, lunari eius præmunitione, iam antea intercepta, dies noctesque, ne momento quidem ceſſantibus tormentis, impetebatur. Igitur, tametſi nihil eſſet, quod magnopere metuendum, integro adhuc præſidio, obſeſſi exiſtimarent; tamen, commonendum rebantur *Montecuculium*

eius reſponſum:

oppugnationis exordia:

Forgáchii, *& reliquorum ducum, conſtantia:*

(r.)

(r.) ne ſui dememineſſet; maxime, cum iisdem diebus, *Valachiæ, Moldaniæque* principes, *Tartarorum* item *Chamus*, cum viginti quinque ſuorum millibus, ad *Turcarum* caſtra acceſſiſſent. Horum aduentu, ferociores facti hoſtes, non machinarum modo exſploſiones, ſummo ſtudio, cõduplicant; ſed acceſſus etiam obſidionales, tanta cura producunt, vt iam arcis foſſas adtingerent, atque illic, cum milite *Chriſtiano*, ſemel iterumque, manus pertinaciſſime conſererent. Octo ſuggeſtus, ſolidiſſimo opere eduxerant, plus centum machinis inſtructos, quibus, nunc miſſiles ignes, nunc globi, aduerſus arcem, continue emittebantur: ſed nec obſeſſi ceſſauerunt, ſiue diſploſionibus hoſtium machinas deturbare, ſiue ex viis obſidionalibus, operas, ſubinde nimium ferocientes, propulſare.

eorum, ad Montecuculium, *nanciscit*

operarum in oppugnando pertinacia.

§. XIV.

AVguſtus, inter hos, toleratæ obſidionis, labores, iam exierat, cum arctiora in arce fieri omnia, inciperent. Ergo, ipſis *Calendis Septembribus*, miles præſidiarius militari ſacramento, mutuo ſe iterum obſtrinxit. Iurisiurandi religio hæc fuit; *non commiſſuros, vt a fide, quam Cæſari, quamque patriæ, ducibusque dederunt, ſeu metu, periculisue, ſeu morte ipſa, aut largitionibus alienari ſe patiantur.* Opportune vero accidit, vt *Turcis*, tenuior multo foris commeatus eſſet, quam obſeſſis. Quia enim inſigni ſuo maleficio, molas frumentarias, tota circum regione, exuſſerant, ad eam annonæ inopiam deuentum in caſtris eſt, vt parum res a tumultu abfuerit: interminantibus Ianitſcharis, niſi annonæ, quantum ſatis eſt, procul mora ſuppeditaretur, operam, vrbi porro oppugnandæ, ſe negaturos. Hinc factum, vt negligentius aliquamdiu in opus incumberetur: cum interea, CXL. pedites *Hungari*, *Comaromio* miſſi, & longis viarum vſi ambagibus, *Ujvarino* ſe iniiciunt; duce tamen, cum iam portæ imminerent, noſtrorum, an hoſtium glande, forte fortuna, deiecto. Læti, virium hoc qualicunque acceſſu, præſidiarii, nouos iterum propulſandi hoſtis animos, concipiunt. *Forgáchius* autem, fœdum dictu, quaſi DEO, virtutique ſuorum diffiſus, vetula ſuperſtionem præmonſtrante, neſcio quid rerum, in propugnaculo defodit, *amuletum*, vt rebatur, aduerſus vim hoſtium futurum. Eo aduerſo, *Pioius*, non ante quieuit, quam id, quidquid eſſet nugarum, adcurate refoſſum, ad malam crucem proiiceret: *Forgáchio* ſimul increpato, quod, quam in DEO decuiſſet, ipſe in anilibus incantamentis, ſpem collocarit. id quod poſtea inter accuſationis capita, *Forgáchio*, haud ſine opprobrio, obiectabatur. Et, adparuit omnino, quam abominabilis ſuperſtitio hæc, vero numini fuerit. Nam, cum hucuſque pauciores e præſidiariis, ſeu cæſi, ſeu ſauciati, in dies ſingulos numerarentur; d. IX. Septembris, quæ facinus illud excepit,

Præſidiariorum nouæ conſociatio!

annona, apud Turcas, *cariſſima!*

centum quadraginta pedites, in arcem ſe iniiciunt!

Forgáchii *ſuperſtitioſum factum!*

tiſi pœna.

Yy 3

r.) Is iam, relictis caſtris *Alsemburgenſibus*, ad *Cſeklésum*, vt *Piſonio* arceret hoſtem, ſtatiua habebat, *Turcis* interim, vniuerſam circum regionem, inundantibus. quæ vna calamitas, ſufficiebat ad perdendum, quid erat Hungariæ reliquum.

pit, XXXI. e militibus, partim tormentis diſcerpti, partim alio telorum genere, perempti ſunt. Adeo, ſpes in DEO repoſita, caſte vult haberi, intemerateque.

§. XV.

Turcarum *labor hucuſque irritus:*

TVrcæ interim, quantumuis, nec dies, nec noctes, ab oppugnationis ardore, ceſſabant; tamen, viam adſultui procliuem, necdum inſtruxerant ſatis. Nam, vt vt loricam extimam, quin & lunarem portæ *Viennenſis* præmunitionem, vi expugnarint; tamen, quia munitiones hæ, foſſa, aqua ſuffuſa altiore, a reliqua mœnium parte, diſiungebantur, ad irritum labor omnis, quin & tormentorum ictus, hinc inſtituti, cadebant. Quid, quod ea in obſeſſis induſtria fuerit, vt interiora propugnacula, deductis varie foſſis, aggeribusque, prouide interciderint, vt hoſtis; ſi in ipſa eniti faſtigia contigiſſet, nouo aggerum obiectu, deiici inde deturbarique poſſet. Qua in re, cum primis *Locatellii*, laudatiſſima opera exſtitit. Cum hæc geruntur, *Forgáchius*, graui morbo correptus, pluribus diebus, publico ſe abſtinuit. Ne vero, ſiue ſibi deeſſet, ſiue rei Chriſtianæ, datis, die XVI. *Septembris*, ad *Veſelénium*, Regni Hungariæ *Palatinum*, litteris, eum, quo loco res *Ufvarienſium* eſſent, quamque præſentiſſima ope indigerent, in hanc fere ſententiam docet: *Durare adhuc, in ducibus militeque præſidiario, fidem ac fortem animum; Turcas, qui de octo ſuggeſtibus, centum quinquaginta, maioris minorisque moduli, tormentis, ſine ceſſatione, in arcem detonarent, viis obſidionalibus alte egeſtis, iam ad arcis vſque foſſas pertigiſſe; magnam hinc quotidie præſidiariorum cladem fieri, eſſeque in procliui, vt, aut hoſti opus pertinaciſſime vrgenti, ſuccumbere, aut fortium virorum ritu, mortem oppetere cogantur. Meminerit ergo, quantum, non modo Hungariæ, ſed vniuerſæ rei Chriſtianæ interſit, incolume ſeruari Ufvarinum. Omnem iam, in ferendo auxilio moram, perniciosam eſſe, ſi non prorſus exitiabilem. Se ſuosque, tum demum fortiter rem gerere deſituros, cum vita ſanguisque ſe deſtituerit.* Hæc, *Palatino* perſcripta tunc fuerunt, conuentus, in vlteriore *Hungaria*, agenti.

obſeſſorum induſtria:

Forgáchii, *morbus, & ad Palatinum litteræ.*

§. XVI.

Turcarũ, *in obſidione vrgenda, pertinacia:*

TRiplicem, *Turcæ*, oppugnationem inſtituerant. quarum vnam, ſibi ſumſerat *Vezirius*, reliquis, partim *Budenſi* purpurato, partim *Halyo*, Bosniæ præfecto, adtributis. Certatim hi, pro ſe quisque, opus vrſere: quippe, gloriæ, ex æquo, cupidi. Non ergo operis, non militi, in ea, ducum, contentione, parcebatur. Ingenti, præterea, foſſorum multitudine, e plebe *Chriſtianorum*, coacta, ad eam, vias obſidionales, altitudinem depreſſerant, vt equitem, ſi ſubiiſſet, potuiſſent occultare. His ergo, ad foſſarum vsque vallos, pluribus locis, protruſis, muros propugnaculorum, magnis auſibus, ſemel, iterum ac tertio, adoriebantur. Quin & machinæ,

Digitized by Google

chinæ, eam in mœnibus ſtragem paſſim ediderant, vt inſultui idonea futura crederetur: cui ſuſcipiendo, totos ſe iam *Turcæ* comparabant. Ante vero, quam periculum facerent, vnum, e *Baſſis*, duo albicantia ſigna, manibus ferentem, ad arcis vsque portam, ſubmittunt, vt præſidiariorum animos, ad deditionem, incolumitate demigraturis promiſſa, ſollicitaret denuo, eam vero negantibus, internecionem comminaretur. Sed ille quidem, ſurdis tunc ingratam fabulam cecinit. Reſponſum enim ei eſt: *ageret Vezirius, quod ſuum eſſet; ſibi ſtare ſententiam, vltima quaque, immo necem ipſam, oppetere malle, quam pollicitationibus, ſua indignis virtute, locum dare.* Mirum dictu, quantopere, redux caduceator, *Vezirium*, iſto nuncio, accenderit. Nam, edicto in craſtinum adſultu, ferociſſimos quosque, toto exercitu, perquiri iubet, vno iſthoc tentamine, & arcem intercepturus, & præſidiarios deleturus penitus. Tanto facinori, opportunum in primis viſum eſt, *Fridericianum* propugnaculum: quippe, cuius muri, longe lateque procubuerant. Ergo, facto, ſub ipſam meridiem, adſultu, agmen cuneatum, quod ingenti ſublato clamore, citatoque gradu, ſubierat, bifariam diuidunt; quorum alterum, *Fridericianam*, *Forgáchianam* munitionem alterum, inuſitato pugnandi ardore, inuadit, perque ſuorum cadauera, in faſtigium *Forgáchiani* propugnaculi, multo labore ſanguineque, enititur. Iam ſeptem & decem ſigna, tamquam captæ arcis indicium, *Turcæ* defixerant, cum noſtri, reiecto prius, magna clade, a *Fridericiana*, hoſte, iſthuc concurrunt. Fit atrox prælium, cumque non iam glandibus, ſed haſtis, gladiisque, res agi cœpiſſet, tandem ſignis reuulſis, Turcæ in foſſam detruduntur. Is hoſtes furor inuaſerat, vt cum bihorii ſpatio, ſumma virium contentione; depugnaſſent, multisque deſideratis, in foſſam præcipites agerentur, pedem tamen inde efferre, tametſi confertiſſimi caderent, noluerint: noctu tandem, iniectis ignibus piceis, a ſtatione, quam illic ceperant, depulſi. Infremuit, ad hanc ſuorum ſtragem, *Vezirius*. Quo circa, expeditiores, vt nouo adſultui ruinæ in muris fierent; magnam operarum manum, ſequente die, in eandem foſſam immittit, quæ muros funditus ſubrueret, futuræque incurſioni, viam conſterneret. Atque hi quidem, egregie munere ſuo defuncturi credebantur, niſi operarum magiſtro mature glande traiecto, immiſſisque piceis ignibus, cœptis depulſi fuiſſent. Biduo hinc quieſcebatur, non, vt obſeſſis parceretur; ſed vt ad nouam impreſſionem, eo ſtudioſius ſe compararent hoſtes. Hanc demum, *vigeſima Septembris*, ferociore multo, quam ante, impetu, in *Fridericianum* ſuſcipiunt. Pugnatum horæ ſpatio eſt, iamque hoſtis, ad propugnaculi vsque loricam, ſignis iſthic conſtitutis, eluctatus fuerat, cum machinatores, tormentis vtrinque, in confertam multitudinem contortis, pugnam, edita in hoſtibus ſtrage, ſubito dirimunt. Eodem tempore, *Forgáchianum* quoque impetebatur; ſed, quod ducum militumque virtute, facilius multo defenſum, ſeruatumque eſt. Verum, ne hac quidem clade, ad rem mitius gerendam,

obſeſſorum conſtantia:

hoſtium irritus adſultus:

cuniculariorum fruſtraneus conatus:

alter impetus:

dam, permoueri potuit *Vezirius*. Enim vero, ſequente die, qui
tertius: *vigeſimus primus Septembris* fuit, iterum iterumque *Forgáchianum* propugnaculum, adſultu longe omnium vehementiſſimo, tentandum curat, noctis, ad tantum facinus, beneficio vſurus. Sed, tunc quoque, ad irritum cœpta hoſtium recidere, quod facto agmine, hoſtem opperiebantur noſtri. qui poſtea incurrere auſum, vario telorum genere, pene obruerunt, atque pertinaciter inſiſtentem, egregie mulctauere. Inter occiſorum cadauera, quibus frons propugnaculi conſtrata fuit, *Turca*, repertus eſt, veſte ſericea, & armis, auro diſtinctis, conſpicuus. In cuius loculo, a prædantibus excuſſo diligentius, litteræ repertæ ſunt, latino idiomate a *Veſſelénio Palatino*, ad *Forgáchium* conſcriptæ, hac fere ſumma, WAGNERO (*s.*) referente: *Habitum ad Sopronium conuentum; Comitatus Trans Danubianos in armis fore; prouolaturos ad inſulam tuendam, cum primum pons perfectus fuerit; pontem alium ad Comaromium exſtruendum.* Atque hæc quidem epiſtola, ſeditionis militaris occaſio poſtea fuit, traditæque arcis
quartus: peſtilens auctoramentum. Vix cæſorum numerum inierant *Turcæ*, cum nouo iterum adſultu, fatigandos præſidiarios ſtatuunt. Sole nimirum meridiano, cum alioquin prandii ſilentia, in *Turcarum* caſtris eſſe ſolebant, fit tormentorum fragor, inuſitatus adhuc. Nam, cum alias ſigillatim diſploderentur, ſingulorum ſuggeſtuum machinæ, nunc, ſimul omnes, tanta feſtinatione euibrabantur, vt vix farciendi interualla notari potuerint. Durauit hic tormentorum fragor, in tertiam vsque horam, eo fine inſtitutus, vt mœnium muri, quos operæ, diebus ſuperioribus ſuffoderant, penitus concuti, atque adſulturis patens aditus poſſet aperiri. Conticeſcente, machinarum tonitru, confertiſſimi *Turcæ*, in *Fridericianum* incurrunt. Et procliue omnino fuit ſubire, depreſſo, infinitis ictibus ad eum modum, propugnaculo, vt ab equitibus, ſi incurriſſent, pronum fuiſſet ſuperari. Verum, ea tunc quoque præſidiariorum fuit virtus, vt *Turcas*, fere ad propugnaculi frontem eniſos, multis conciſis, in foſſam præcipitarent. Cum a noſtris intentiſſima opera depugnatur, fit gregarii cuiuspiam militis incuria, vt ex ignito funiculo, negligentius tractato, ſcintilla in adparatum rei tormentariæ, excuteretur. Globi fuerunt, quos manu euibrare ſolent pyrobolarii. Hos, ingens piceorum ſertorum, pulueris adhæc pyrii adparatus, contingebat. Quæ omnia, igne ſubito concepto, ſtragem edidere, nulli, tota obſidione, ſecundam. Præter enim, *Sporkiane* legionis protribunum, atque manipulorum, qui hic ſteterant, præfectos fere omnes, quadraginta gregarios, miſere confectos, incendium illud conſumſerat: incolumi turba, quaſi eliſo cuniculo, proſtrata fuiſſent mœnia, in apertam fugam, conuerſa. Vſi hac opportunitate *Turcæ*, quos paullo ante, magna clade repulerant noſtri, inſtant denuo, & nemine in ea conſterna-

s.) Lib. II. p. 132. ORTELIVS P. II. p. 276. a Montecuculio die XVI. Septembr. exaratas fuiſſe memorat: quod nolim credere.

natione, renitente, euadunt in caput propugnaculi, ſeque defixis quatuor vexillis, inter ruinas, feſtinatis operis, circumuallant. At enim, ne tunc quidem permiſſa hoſti ſtatio fuit. Namque, incendio ſuapte conſopito, redeuntibusque ad animum præſidiariis, tanta virtute, in hoſtem incurſum eſt, vt vix reuellendis ſignis, tempus ei ſufficeret, Cruenta nihilominus ea pugna noſtris exſtitit, *Pio* & *Grana* Marchionibus, præter ingentem ſauciorum numerum, haud leuiter conuulneratis

ac denique quintus maſcule a noſtris retundantur.

§. XVII.

HVc usque, inconcuſſa præſidiariorum virtus fuit, reddiditque ſollicitum *Vezirium*, ne ad vnius arcis oppugnationem, fortuna ſua hæreſcat. Itaque adſultum parat, totius vniuerſim, exercitus incurſu, accipiendum. Verum ita fuerunt *Ujvarienſium* fata, vt ea virium contentione haud opus fuerit hoſti. Litteræ *Palatini*, apud cæſum primorem *Turcam*, vti diximus, deprehenſæ, ſuſpicionibus primum, mox ſeditioni etiam militari, locum fecerant. Scite rem WAGNERVS (*s.*) commemorat: *Quoniam*, inquit, *nihil de ſuppetiis memorabatur, verba, ſcilicet, ſibi dari a præfectis, concludebant, qui neſcio, quibus exercitibus ſoluendam propediem obſidionem iactitarant hactenus. Si quid rei ſubeſſet, profecto, nequaquam diſſimulaturum fuiſſe* Veſelenium. *Hæc clam primo agitata, dein per contubernia dilata, eo maiorem impreſſionem fecere, quo præſentius ab hoſte in dies periculum immineret.* Adeo, quos tot viuorum *Turcarum* millia, expugnare nequiuerant, necatus ille tabellio, iniecta, ex litteris ſeditionis occaſione, debellauit. Diffitendum tamen haud eſt, tametſi ea ſuſpicio coorta haud fuiſſet, debuiſſe tandem ſuccumbere *Ujvarinum*: quippe, ancipitibus vndiquaque malis, intus, forisque circumuentum. Nam, & machinatorum plerique exſtincti iam fuere, corruptæ ad hæc tormentorum lecticæ, ſuſtentandis machinis, non amplius ſufficiebant, neque ſcloporum ictus, foſſæ æquabant ambitum; &, cum cuniculorum, tum hoſtilium pilarum vi, *Fridericium* propugnaculum adeo iacebat diſcerptum; vt vel equiti, commodam, ad graſſandum, viam, præbiturum putaretur. Multum præterea terroris incuſſerant, geminæ, ex aggeſtitia terra, moles, ſeu colles potius dixeris, a *Vezirio*, inſano labore ſublatæ. Patebat inde liber proſpectus in intima præſidii, nemo, vel in platea tutus, nullus fere ictus in vanum recidebat. Ita loci pericula deſcripſit WAGNERVS. Ortam hinc conſternationem ad hunc modum in litteras retulit: *Fit primo feminarum comploratio, paſſis crinibus prouolantium in forum, lacrymis rogantium gubernatorem, liberorum, maritorum vitam deditione ſeruaret. Muliebris tumultus, verberibus facile compoſitus eſt. Militum immedicabilis fuit ſeditio. Coniurant, non exſpectato adſultu vltimo, deditionem ſe facturos, ſatis officii factum, ſat diu, contra infinitum exercitum, a pau-*

Vezirii *ſollicitudo*:

præſidiariorum conſternatio:

quibus artis malis, foris, & intus, fuerit preſſa.

aperta militum tumultuatio.

s.) Loco, quem nunc citauimus.

paucis, ſemirutos muros defenſos. Quod de ſuppetiis dicatur, commentum eſſe; perditum alioquin ſerius ocyus præſidium, & quo Reipublicæ bono, præter fortiſſimos milites, haud paucos, ſeptem item, quæ adhuc ſuperſint animarum millia, certiſſima neci obiicerentur.

§. XVIII.

Ducum, in ea ſedanda, labor fruſtraneus:

HAe tumultuantium voces, hi ſtrepitus fuere, fruſtra *Forgáchio*, & *Marchione* vtroque ingerentibus: *nondum eo loco rem eſſe, vt nomini Chriſtiano, vt ſibi, in quos orbis Chriſtianus coniectos oculos teneat, hanc ignauiæ notam inurant.* Res iam eo deducta fuerat, vt non precibus, non minis, ſed nec oſtentatione gloriæ, moueretur miles. Arma ſe abiecturum minabatur, niſi præfectus maturarit deditionem. Eo viſo, duces, quid facto, non iam decorum, ſed neceſſe eſſet, ſerio conſultant: itumque eſt in eam ſententiam, vt arcem, quam ſua virtute nequirent conſeruare, pactis quam optimis conditionibus, ante dederent, quam ſe proditos ſentirent. Tanti eſt, in bello, multitudinis conſternatio. Tunc *Forgáchius*, Deum hominumque fidem inclamans, non imbelli pauore, non perfidia, ſed ſola ſeditioſi militis tumultuatione, ad arcis dedendæ conſilia adductum eſſe, ſolemniter, in ducum militumque concilio conteſtatus, candidum vexillum, deditionis inſigne, ſuſtulit. Id, vt aduertere *Turcæ*, rem extemplo *Vezirio*, multum de obſidionis euentu ſollicito, nunciant. Incredibile dictu eſt, quanto gaudio, vir alioquin ferociſſimus, ad eum nuncium, exſultarit, quod animo præciperet, multum ſibi apud *Sultanum*, felici hac expeditione, gratiæ conciliatum iri. Proinde, nihil cunctatus, *Forgáchio*, ceterisque ducibus, nunciat, deditionis formulam, pro eo, ac ipſi vellent, quam primum conciperent. Atque illi quidem, habito concilio, ne ſibi deeſſe viderentur, ampliſſimas conditiones deſcripſere: quarum ſumma capita, huc redibant: *Vezirius, quadrigas adeſſe iuberet, quibus ægri ſauciique auehantur: integrum ſit præſidiariis, caſtrenſi ritu, tibiis, tympanisque clangentibus, armatisque, arce emigrare: tormenta curſulia ſecum auehere: ſupellectilem omnem cum vniuerſa multitudine, Comaromium transmittere: Hungaris, iuxta & Germanis, duces ſint an milites, incolumibus decedere: ſacris ordinibus, qui in oppido erant, abeundi, vel manendi poteſtatem habere.* Atque has quidem conditiones, ratas omnes habuit *Vezirius*, niſi quod tormentorum numerum, quem ſibi amplum paciſcebantur obſeſſi, quaternario definiuerit. Deditionis has leges, a *Vezirio* ſignatas, ad CAESAREM, ſine mora, *Forgáchius* miſit, non tam, vt ratas eas habere vellet, id enim ſperari haud poterat; quam, vt CAESARIS gratiam, multum, deditione hac, imminutum iri metuens, ſibi confirmaret. At *Turcæ*, arcis occupandæ auidi, non exſpectato CAESARIS reſponſo, altera, poſt pactam deditionem, luce, dies XXV. Septembris fuit, propugnaculum, portæ *Strigonienſi* contiguum, armati occupant, præſidiariis, ſequentis diei crepu-

arcis dedendæ conſilia ſuſcipere coguntur:

candidum vexillum, deditionis ſignum, porrigitur:

eius leges a noſtris deſcriptæ:

& ad Cæſarem miſſæ:

Turcæ arcem ſubeunt:

pulculo matutino, ad emigrandum, præſtituto. Id quod tamen, quia obuallatæ portæ recludi tam celeriter nequiuerint, in diem XXVII. reiici debuit. *Turcæ* profecto, adeo moræ illius fuere impatientes, vt per ſemiruta mœnia, conferti in arcem immigrarent. Iamque impedimentis noſtrorum, manus iniicere, prædasque agere inceperant, cum *Baſſæ*, qui arci, cum imperio iam inerat, interuentu, minis hi, verberibus alii, a vi, porro inferenda, arcerentur.

§. XIX.

REbus, ad emigrandum comparatis, profectio tandem, per *Strigonienſem* portam, ſuſcipitur. Egreſſa fuere, duo *Germanorum* millia, præter quadringentos ſeptuaginta duos, validi omnes, & ſi viri fuiſſent, tolerandæ, propulſandæque obſidioni, pares: idque, obſeruante WAGNERO, eadem ipſa die, qua ante annos (*t.*) viginti quatuor, FERDINANDO II. a *Gabriele Bethlenio*, ereptum fuerat *Ujvarinum*. Atque, in arce quidem, tanta, non annonæ modo, ſed reliqui etiam adparatus bellici copia, relicta eſt, quantam, trimeſtri obſidioni, facile ſuffecturam crederes. Supererant, nimirum, ſeptingenta farris dolia; tercentæ vini vrnæ; panni centeni faſces; pulueris, ſeptuaginta millia pondo; octoginta, ſolidi operis machinæ; globorum numerus, propemodum infinitus, in quibus, triginta millia, manuariis tormentis, ſub ipſa obſidione, plumbo, paſſim corraſo, fuſa numerabantur. Ita inſtructam arcem relinquentes noſtri, tanta fide educti ſunt, vt imbecilliores, vulneratos, ac tenellos infantes, in ſuos *Turcæ* equos reponerent, verberibusque, ad necem vsque cæderent, vltimum abeuntium agmen, carpere auſos. Et iſta quidem humanitas, *Aſiaticorum* equitum fuit, qui, ad bis mille paſſus perductos noſtros, *Janitſcharis* tradiderunt, poſt nocturna ſtatiua, altero demum die, ad *Comaromienſem* traiectum comitandos. Quod & ita omnino, atque ſine vlla demigrantium iniuria, euenit.

Noſtrorum demigratio.

qualis belli adparatus illic fuerit relictus:

Turcarum in demigrantes fides & humanitas.

§. XX.

HIc ergo, *Ujvarini*, exitus fuit, non *Hungariæ* modo, ſed vniuerſæ etiam *Germaniæ*, funeſtus. Præterquam enim, quod obſidione durante, omnis late regio, ac *Morauia* potiſſimum, euaſtata, atque infinitus captiuorum numerus, pecudum ritu, abactus eſt; ſpoliarium certe poſtea *Chriſtianorum* factum eſt, & cruentarum prædarum, ſæuum receptaculum. Quæ poſtea, cum decedentibus præſidiariis geſta ſint, WAGNERVS adnotauit: *Forgáchii nomini*, inquit, *nihil intra muros, quam nuper in campo felicioris, nonnulla, ex ea deditione, labes adhæſit. Mandatum ab aula* Montecuculo, *vt* Comaromii *omnes, in libera cuſtodia tenerentur, dum militari iudicio,*

Damnum rei Chriſtianæ, deditione Ujvarini illatum:

præſidiariorum, qui arce deceſſerunt, facta:

t.) Errorem illic, in annorum ſupputatione, nihil monitus lector aduertit, BETHLENIVS enim, iam tum A. MDCXXIX. die XV, Nouembr. hydrope enectus fuerat. Id quod triginta quatuor annis, ante hanc obſidionem euenit. Poſtea vero, pluribus annis, in ditione FERDINANDI fuit *Ujvarinum*.

cauſſa excuteretur. Sed iam Forgáchius, *in ſui dominii arcem;* Grana, *Viennam recta abierat;* Pio *marchio, Neoſtadium traductus. Singuli, diffuſos libellos* Viennam *miſere, quibus innocentiam ſuam, ab omni flagitii ſuſpicione purgabant.* Forgáchius, *cuius cauſſam* Veſelenius *ſuſceperat, in militarem ſeditionem, puluerarium incendium, binos, ab hoſtibus ſublatos colles, cauſſam amiſſi præſidii referebat: pœnas etiam, a rebelli milite, ſumi poſtulans. Contra* Locatellius, *Forgáchii errores, acri libello perſtrinxit, nominatim; quod non ſatis militariter, amuletum, neſcio quod, venefica anus ſuaſu, in propugnaculo defodiſſet, id quod, re comperta, a* Marchione *refoſſum.* Scilicet, paratiores, in mutuis accuſationibus, boni illi, quam in ſedanda militum æſtuatione, rationes habuere. Iſtud certum eſt, non culpa, aut maleficio ducum, ſed tumultuantis præſidii impatientia, in qua compeſcenda elaborandum fuiſſet, præfectis, arcem periiſſe. Quid ergo in tanta rerum conuerſione faceret CAESAR? Certe, lata ſententia, innoxios omnes, extraque culpam poſitos, non declarauit modo; ſed etiam ſua quemque ſtatione relictum, benigniſſime poſtea habuit.

Cæſaris in eos benignitas.

§. XXI.

Qua inde Ujvarini *fortuna fuerit:*

Dlutius nos detinuit, belli hæc tempeſtas; quia noluimus, niſi plenam, rei funeſtæ, hiſtoriam, exhibere. Occupatum *Ujvarinum*, quanta potuere operarum aſſiduitate, *Turcæ* inſtaurarunt, præſidio quinque millium impoſito. Sequente anno, cum bellum *Turcicum*, in vlteriorem Hungariam transtuliſſet *Vezirius*, *Suſa*, ſummus caſtrorum præfectus, *Nitria*, *Lévaque*, poſt deuictos, inſigni prælio, hoſtes, quam arctiſſime concludendum *Ujvarinum* ſtatuit, effecitque ſubinde, vt parcius annona importaretur a ruſticis; quippe, ſemel iterumque, peſſime mulctatis. Cum iſthic *Suſa*, rei gerendæ occaſionem, adtentus ſpeculatur; *Vezirius*, ductu *Montecuculi*, ad Arabonem, prope fanum *S. Gotthardi* internecione deletur. Ille vero, recollecto, ex fuga, exercitu, ſupplemento præterea quindecim millium, ex *Aſia*, & *Aegypto*, auctus, primum *Strigonium* receſſit, deinde, quod *Ujvarino*, a *Suſa*, munitiſſimis caſtris, haud procul *Comaromio*, ſe tenente, metueret, *Danubio* traiecto, prope arcem metatur. Iſta *Vezirii* prouidentia, noſtrorum ſimul vigilantiam exacuit. Quod enim, *Lévam*, *Nitriamve* recepturum, aut certe, *Morauiam Sileſiamque*, incurſurum opinabantur; accelerato itinere, exercitum, *Danubio*, ad *Piſonium* transmiſſo, ad *Vagi* ripas, non minus opportune, quam ad *Arabonem* nuper, tranſitum molientibus *Turcis*, obiiciunt: frendente *Vezirio*, quod deſtinationes ſuas, *Montecuculii* celeritas, anteuertiſſet. Cum hæc fiunt, *Ujvarinum* intemeratum ſeruauere *Turcæ*. Nam, quo minus a noſtris obſideri propius potuerit, intolerabilis annonæ penuria effecit. Nouam certe pugnam, animoſus, e recente victoria, exercitus, haud detrectaturus videbatur, niſi oborta ſubito fames, vires accidiſſet. Interceſſit deinde

concluditur anno ſequente a Suſa:

Vezirii *conatus poſt pugnam S. Gotthardenſem iniiti:*

inde pax improuiſa, quæ, & *Turcas*, a vi abſtinuit, & noſtris, rei porro feliciter gerendæ, occaſionem, e manu eliſit, *Ujvarinique* poſſeſſionem *Turcis* penitus addixit. Pacis conditiones, hæ fuere: *A decima Auguſti menſis die, in viginti annos, induciæ ſint: Tranſiluania, vterque miles deduceretur; antiquum, eligendi principis, ius, integrum, penes ordines eſſet; Zékelyhida, funditus dirueretur; Keméníi, ac Rákóczii, hæredibus, nullo vnquam tempore, proprio ſeu extero milite armatis, Tranſiluaniam ingredi fas eſſet; Szathmarienſis, & Zabolcſenſis Comitatus, ſint penes Cæſarem; Kálloum, Ónodinum, arces ceteras militem immittere; ad Vagi item, hanc illamue ripam, præſidium aliud conſtruere, liceret; nullus, ad fines, exercitus conſiſteret; ſolemni legatione miſſa, robur pactis & celebritas daretur; dona vtrinque, tantis principibus digna, adferrentur.* Ita tunc, inopina pace, fœderatis indignantibus, grande atque felix bellum, conſoporatum eſt; datique *Leopoldopoli*, pro *Ujvarino*, natales.

pax cum Turcis improuiſa, & huius leges.

§. XXII.

Dimiſſo vtrinque exercitu, paceque, miſſis legatis, ſolemniter confirmata, *Ujvarinum*, multis operibus, a loci præfecto, auctum, atque eductis ſuburbiis, circumfuſum eſt. Foſſam certe, quod anguſtior eſſet, humiliorque, inſigniter dilatauit depreſſitque. Accidit autem magno *Chriſtianorum* commodo, an malo, vt *Baſſa*, arci gubernandæ datus, homo mitis, ac iuſtus, agreſti multitudini, quæ cum arce, in *Turcarum* ditionem venerat, ex æquo, parceret. Id quod inuidiam ei primum, poſtea exitium accelerauit. Miſſus enim, A. MDCLXIX. qui ei ſuccederet, alter, mandata ſimul adtulit, quibus tolli e medio, ſegnis ille, vti interpretabantur, homuncio, iubebatur. Vix ergo ſubiit arcem, cum captum anteceſſorem, in funeſtum pegma produci, capiteque palam truncari mandat: quod demum excoriatum, atque goſſypio aromatibusque fartum, vt indicio foret, ſatis factum eſſe *Sultani* iuſſis, *Conſtantinopolim* dimiſit. Is vero demum, & agreſtes ſeuerius habuit, tributaque crudeliſſime exegit, & vicinos, præter fas & æquum, continenter læceſſiuit: regionem certe omnem, quæ *Vagum*, & *Granum* interiacet, ſibi fecit obnoxiam; iniurias, mox Cæſarianorum captiuitate cumulaturus. *Soyberum*, protribunum, fortuita an deſtinata velitatione, anno MDCLXXIV. interceptum, non ante dimiſit, quam, imperialium nummuum millia quatuor, numeraret. Reddidere vicem noſtri, capto, triennio poſt, eiusdem *Baſſæ* vicario, quem tum demum liberum abire permiſerunt, quum totidem, nummuum aureorum millia, adſertis ſimul in libertatem, octo captiuis, perſoluiſſet. Ita graſſationibus mutuis, cum indulgeretur vtrinque, *Turcæ* bellum *Cæſari*, indicunt, cum nondum induciarum anni exiiſſent.

Turcarū, *in commutando* Ujvarino, *ſolertia*:

præfecti, in Chriſtianos *æquitas, ei fit exitio*:

ſucceſſoris iniquitas:

§. XXIII.

Indicto a Turcis bello, dubia apud nostros expeditionis rationes:

Diu, a belli arbitris disputatum fuit, qua se *Lotharingiæ* Dux, cui belli summa commissa fuit, Turcis obiiceret. *Strigonium*, & *Ujvarinum* fuere, quorum expugnatione, anteuertendum hostis aduentum, plerique censerent. Quare, ne alienis consiliis, exercitus, totiusque rei *Christianæ*, salutem, crederet dux, promoto, ad *Danubii Vagi*que confluentem, exercitu, *Strigonium* ipse speculatus, pronum quidem expugnatu locum conspicatus est; situm tamen eum esse aduertit, qui, nisi catenato *Danubio*, subigi haud posse putaretur: cum alias, hosti, multitudine pollenti, annona, & reditu, intercluſis, procliue fuisset in vltimas angustias, obsessores coniicere. Ergo, *Ujvarinum* restabat, in quo fortunam periclitaretur *Christianorum* exercitus. Sed, id quoque, non operibus modo, verum, præsidio etiam validissimo, communitum, diuturniorem, laboriosamque oppugnationem, deposcere videbatur. Itaque, vtriusque arcis oppugnatione, lubens se abstinuisset *Lotharingus*, nisi bellicus senatus, *Ujvarini* cum primis obsidionem pertinacius adursisset. Fit ergo, die tertio *Junii*, expeditionis initium, ventumque est in arcis conspectum, eo successu, vt simul suburbia, horti, vallorumque, pro porta *Viennensi*, præcinctus, vno impetu caperentur. Inde, festinatis operibus, & castra fossis incincta, & posito grandi suggestu, ad centesimum, a fossa, passum, bidui spatio, peruentum est. Iam, id agebat, *Lotharingus*, vt arcem verberare, tentatisque, in exteriores munitiones, adsultibus, vrgere præsidiarios inciperet; cum noui, ex bellico senatu, nuncii mandataque adferuntur: *adpropinquare* Turcam, *citatisque itineribus, validam impressionem, in prouincias moliri: ergo, nunc esse, vt cœpto desisteret, hostemque obseruaret.* Ita, ab opere, quod nondum serio adgressus fuerat exercitus, eo, vnde venerat, reductus est, speculaturus in posterum, quauorsum se hostis esset effusurus. Scilicet, necdum maturuisse *Ujvariensium* fata, inde patuit, quod fusis fugatisque, ab *Viennæ* obsidione Turcis, posteaque clade ingenti, ad *Bárcánum* adfectis, & capto simul *Strigonio*, in barbarorum tamen potestate, biennio fere integro, perdurarit. Ergo, satis habuere duces, si ita circumcluderent *Pergama* hæc, vt ne regionem, impune, copiosus, qui inerat, miles, peruagaretur euastaretque.

Ujvarinũ, senatus bellici sententia, oppugnandum statuitur:

eorum irrito, ob Turcarum aduentum.

§. XXIV.

Demum infestari captum anno MDCLXXXV.

Anno demum MDCLXXXV. vna omnium sententia, *Ujvarinum* expugnandum statuitur. *Heistero* & *Pálffio*, in mandatis datum, sollicite prouiderent, ne per hiemem, siue annonæ quidpiam inferretur, siue miles submitteretur *Ujvariensibus.* Quæ res multis velitationibus, non solum, sed minutis etiam præliis, occasionem dedit. Simul ver ingruit, coadunato exercitu, auxiliisque, ibatur

Digitized by Google

tur denuo in expeditionem, fuitque diſceptatum aliquantiſper, vnde, belli fortunam exordiri oporteret. *Neográdum* perdomandum ſuadebant ducum plerique, ne factis eruptionibus, laborem obſidionis, interpolaret hoſtis. Aliter *Lotharingo* viſum; quippe qui, indignum putabat, æſtatis partem eximiam, ad vnius arculæ oppugnationem conterere. Itaque, poſt ampliora *Comaromio*, *Strigonio*, *Leuaque*, iniecta præſidia, die *ſeptima Julii*, exercitus *Ujvarino* admotus eſt. Ad primum noſtrorum conſpectum, nimium quantum ferociere hoſtes. Præterquam enim, quod ex more, caſtra metaturos, diſploſis tormentis conſalutant, tentata eruptione, noſtris, paludem quandam conantibus transmittere, furore, quam ſucceſſu maiore ſe obiiciunt, eosque carpunt. Verum, ea fuit, cum ducum prouidentia, tum virtus militum, vt non modo nihil proficeret hoſtis; ſed clade etiam accepta, intra arcem reiiceretur. Tunc caſtra, ad lunæ corniculantis modum, ab vna *Nitria* amnis ripa, in alteram, arci circumducuntur; pontibus loco opportuno, iniectis; quos, dum moliuntur noſtri, facta iterum eruptione, tanto, in operas, impetu, inuehuntur præſidiarii, vt obiectum iis agmen, propemodum nutaturum erat; niſi volonum interuentu, ſolidatis ſumma feſtinatione ordinibus, occurſum iis denuo fuiſſet. Caſtris conſtitutis, prouidendum rebatur *Lotharingus*, ne, ex nationum, quæ in exercitu diuerſæ erant, ſubnata, quod fit, æmulatione, obſidionis labor impediretur. Ergo, habito ducum concilio, edicit; quotidie, duo mille ducenti *Caſarei;* totidem *Lüneburgici; Bauari* ſexcenti, in acceſſibus opus facerent; Cæſariani vndique primas tenerent. His, ita procuratis, operarum initium, a molæ frumentariæ munitionibus, gemina adgreſſione factum; quarum dextram, *Croyo* duci; *Hannouerano* principi leua, Comiti item *Serenio*, Bauari legato, & *Scherfembergio*, adſignata eſt. Statio, in profundiore valle, duum millium facile capace, & ab ictibus tormentorum ſecura, prouide capta eſt. Hinc, inchoati acceſſus, diuaricatis, in vtrumque latus, ductibus, ita producebantur, vt aduerſa propugnaculorum fronte, in vnum coirent. Ingens, ſimul eductus ſuggeſtus, effectumque eſt, ſeptidui labore, vt operæ, centeſimo paſſu a foſſa, obuallatæ, conſiſterent. Quæ, dum ſumma diligentia fiunt, nunciatum *Lotharingo* eſt, aduentare cum valido exercitu, *Seraskierium*, illic *Albam Regalem* Turcas adpuliſſe; *Váczíam*, Hatvano mouiſſe Tartaros; Budenſes præſidiarios, *Vicegrádi* oppidum expilaſſe. Eo cognito, aggeribus paſſim præmunitur *Nitria;* mittitur, ad pontes *Comaromienſes*, idoneis firmandos munimentis, *Scherfembergius; Heiſterus*, cuſtodiendo *Grano*, Hungaros illic adiuturus, ablegatur. Sub idem fere tempus, *Marchio Durlacenſis*, cum quaternis *Sueuorum* millibus, caſtra ſubiit: præſidiumque *Comaromio* validius iniectum eſt.

obſidetur a Lotharingo *fruſtra erumpentibus præſidiariis:*

ordo in oppugnando, & operarum initium:

fama aduentus Seraskierii, *noſtros facit cautiores.*

§. XXV.

§. XXV.

Arx tormentis verberari cœpit:

His rite constitutis, arx, muralibus machinis, verberari cœpit. Viginti harum, mortaria item duodecim, vni suggestui, imposita fuere: quibus sine cessatione, partim muri quatiebantur, partim farti puluere pyrio, globi in arcem ingerebantur, eo successu, vt nulla fere dies, sine incendiis abierit. In his restinguendis, ea fuerunt immanitate *Turcæ*, vt captiuos *Christianos*, catenis compedibusque impeditos, multis & cruentis verberibus, ad opus faciendum impellerent. Atque factum sane est barbarorum hac feritate, vt captiuorum nonnulli, præcipites de muris se dare maluerint, quam cruciatus, iniquissimorum hominum, porro tolerare. Quæ demum iniuriæ, permouerunt ducem, vti per tubicinem, interminaretur hosti, nisi desierint, captiuos barbare adeo habere, eadem se in *Turcas* duritie vsurum. Vt fossæ margine potiti nostri fuerant, eam opportunitatem, ad maius conuertendam facinus, duces constituunt. Nempe, fossarum, cum vastitas, tum in primis, altiores, ex amne immissæ aquæ, difficilem reddebant oppugnationem. Has ergo, vti aliorsum deriuarent, versus *Strigonienſem* portam, quod illic depressior esset humus, mille adhibitis operis, scrobes effodi cœptæ sunt. Sed lentior, quam spes erat, molitio ea fuit. Tametsi enim, prætensos portæ vallos, vnde hostis subinde erumpebat, immissis græcis ignibus, commode exusserunt nostri; tamen, ea fuit præsidiariorum in iaculando adsiduitas, vt ingentem, in operis stragem, continuo ederent: quin, pertusa etiam fossarum labra, ne aqua dimanaret, opinione celerius, redintegrarent, obturarentque, excauatos a nostris specus subterraneos. Igitur, ad agendos in propugnaculorum latera cuniculos, animum adiiciunt duces: egregio vsi commento, si euentus respondisset. Nauem geminam, crassis tabulatis præmunitam, & aduersus missiles ignes, quomodocunque securam, in fossam immittunt: vtramque, partim milite, partim cunicularijs, onerant: fossæ autem marginem, tecto lorica milite, opplent, qui hostem perpetuo, plumbearum glandinum, imbre, a nauium obseruatione, auerteret. Diu, inter globorum, igniumque grandinem, fluctuabant nostri, neque tamen adplicari naues, exponique cuniculatores potuere: dum, multa accepta clade, naues eo, vnde venerant, repellunt, exscensionemque, male mulctati, faciunt. Intererat, periculosissimis cœptis, cum audacissimo quoque, princeps *Hannoueranus*; sed nullo alio operæ pretio, quam quod multos viros fortes, temere amissos, sero postea doluerit. Cecidere enim, præter eximium gregariorum numerum, *Vrsella Comes Rosa*, legionis tribunus, *Rodericus Herrerius Ilander*, & e *Francica* nobilitatis volonibus, non pauci.

fossæ margine potiuntur nostri:

naui gemina in fossam immissa, cuniculatores muris admouere, frustra laborant.

§. XXVI.

Digitized by Google

§. XXVI.

IRrito eo conatu, iſtud conſilii duces ſunt amplexi, vt foſſas, materia, quam primum explerent. Arduum ſane opus, tum, quod e longinquo peti materiam oportuit, tum, quod latæ nimium quantum foſſæ, inſanum requirebant laborem, ſi exæquari deberent. Diebus quinque, in opus, magna militum iactura, inſumtis, vix vltra profecere operæ, quam quod experimento didicerint, ad quantam altitudinem foſſæ ſint excauatæ. Accedebant, perpetuæ obſeſſorum eruptiones, raro, ſine cæde noſtrorum, repreſſæ. Hæ in primis, per *Viennenſem* portam fiebant. Quas, vt intercluderent machinatores, molem obiecerunt, cui a forma, *forcipi*, nomen; *Sueuis* huc iniectis, qui nondum perfectam munitionem tutarentur. Plerique eorum, tirones fuere, obſidionalium laborum inſueti. Quare, ſeu labore, ſeu meridiano calenteque ſole, feſſi, intra aggerem, paſſim procumbunt, neque, in tanta hoſtis propinquitate, ſomno ſe abſtinent. Tunc vero *Turcæ*, ſiue ſuapte adducti, ſiue excubitorum inuitati ſilentio, porta proruunt, lateque in *Sueuos* graſſantur. Iam, cum protribuno, centum fere occubuerant, cum ad arma concurritur. Dum hæc fiunt, duæ vineæ, quas intra foſſas propemodum perfecerant, ad opus deſtinati, piceis ignibus, & id genus telis aliis, ſuccenſæ, ſubito conflagrauerunt. Incendium, ea celeritate, verſus obſeſſores, propagatum eſt, vt parum abfuerit, quin apotheca pyrii pulueris, quæ ad marginem foſſæ, in promptu erat, flammis corriperetur. Igitur, conuolatum vndique a militibus eſt, quos dux ipſe, reſtinguendo incendio, qua voce, qua nutu, impellebat. Damno facto, noua, in foſſas, moles agi cœpta eſt, non facile incendium conceptura. Arborum nempe trunci, in profundum immiſſi, & ceſpite, viminibusque quaſi contabulati, ad eam ſoliditatem compingebantur, vt ferendo militi, idoneum futurum opus crederetur. Sed, ne hæc quidem cœpta, ſine inſigni clade fuere. Cum enim miles, operi intentus, quid vlteriore foſſæ margine, denſa arundine obſito, ageretur, prorſus incurioſus eſſet, *Janitſcharii*, in inſidiis illic ſubſident, & cum maxime opportunum erat, in operas irruunt, imparatos cædunt, necatorumque cadaueribus (quadringentos fuiſſe perhibent) foſſam late conſternunt. Ea cædes, quantum, totis caſtris, pauoris fremituſque dederit, difficile dictu eſt.

Explendarum foſſarum conſilium:

operis difficultas:

clades ab hoſte acceptæ, & exuſtæ vineæ:

noua conſtruenda moles ratio, neque inde ſtrages:

§. XXVII.

SEd enim is ducum, in lucrandis militum animis, ardor prudentiaque fuit, vt oſtentata commilitonum ſtrage, eo feruidiores in opus redderent, quo pulchrius, pro ſe quisque ducebat, edito virtutis ſpecimine, vicem hoſti, quam cumulatiſſimam referre. Itaque, inſtaurantur, quas hoſtis lacerauerat, vineæ, meatus, educendæ ex foſſis aquæ, laxiores cauantur, & quod mirere, media

Miles, ducum ardore ad vicem hoſti referendam, accenſus:

Digitized by Google

propemodum fossa, receptus ingens communitur, vnde, & hostis obseruari, &, si turbare vellet operas, facta eruptione, retundi posset. Creuit postea moles; sed eo tamen & detrimento, & labore militum, qui potuit esse maximus. Præterquam enim, quod suspensa vligine humus, multum absorbebat materiæ, difficile fuit, sub ipso hostium, conspectu, opus, sine clade facere. Isthic *Susa* quoque, qui forte operas tunc moderabatur, glande periculose ictus, difficilem postea curationem habuit. Inter has difficultates, quod, ne momentum quidem diu noctuque cessauere operæ, agger ille, sub muros tandem protrusus, locum dedit cuniculatoribus: quin & fossa, deriuatis aquis, peruia propemodum reddita est. His rebus, in spem occupandæ, per adsultum arcis, adducti duces, suggestum decumanum illum, extimo fossæ margine constituunt, vnde mœnia, propugnaculaque, prosternerentur, atque aditus compararentur adsulturis. Cum ita essent res, mittitur in arcem nobilis captiuus; *Agam* fuisse memorant; qui præfectum, ad dedendæ arcis consilia, permoneret. Verum, nihil apud hominem, ferocem superbumque, profici potuit. Nam, & popularem suum, salutaria, si sapuisset, suadentem, pali supplicium interminatus, arce, sine mora, excedere iussit; & virtuti nostrorum insultans, vix se apertis conuiciis abstinuit. Proinde, conduplicare tormentorum iactus, iussi machinatores, eas breui in mœnibus, ruinas fecere, quæ insultui suffecturæ crederentur. Iam vero is comparari cœperat, cum subitus rumor castra peruadit; SERASKIERIVM, *valido cum exercitu*, Strigonium *oppugnare, captoque monte* S. Thomæ, *arce ipsa iam iam potiturum esse, statuisseque postea, nostrorum castra, aperto marte inuadere.* Non potuit non ea fama, duces reddere sollicitos. Quare, ne, vel obsidionem interpolarent, vel incautos adorerentur, barbari, castra, qua hosti obuersa erant, tumultuario opere, circumuallari iubent. Sub idem tempus, *Bauariæ Elector*, relicto *Hymene*, (*u.*) ad *Martem* salutandum, in castra venerat. Tunc vero militari habito consilio, vnanimi consensione decernitur; exercitus parte altera, vrgendam eo pertinacius obsidionem esse, quo propius hostis immineret; parte altera, ne quid ignobilis metus prodatur, obuiam *Seraskierio* procedendum. Ista in castris agebantur; eodem tempore nouem *Colonienses* turmæ, cohortes sex, duce *Schwartzio*, ad exercitus suppetias venere. Sequutus eum e vestigio est, *Thüngenius*, qui bis mille pedites, equites mille ductabat. Vix insignia hæc auxilia, castris accepta sunt, cum noui adferuntur nuncii; *traiecisse* Turcas *Danubium, iamque explicatis signis, tibiis tympanisque clangentibus, quasi animo triumphum præciperent*, Ujvarino *adpropinquare.* Incredibile dictu fuit, iter tot impeditum paludibus, *Turcas* suscepturos, adorturosque esse exercitum, validis circumquaque operibus tam communitum: tamen, quia nulla in bello nimia est prouidentia, *Danubium*, pontibus consterni, *Lotharingus* iubet, decre-

operarum insignis profectus:

præfecti, ad deditionem irrita sollicitatio:

de Seraskierio, nouis vtique rumores:

vnanimis ducum de partiendo exercitu, sententia.

u.) Nuptias videlicet, quas concelebrauerat.

Digitized by Google

cretamque exercitus partitionem, profectionemque, ritu caſtrenſi, edicit.

§. XXVIII.

Turca ad Strigonium victi:

NOn eſt inſtituti noſtri, pro eo, quemadmodum accidit, rem (*v.*) omnem commemorare. Vicerunt Chriſtiani Turcas, & non *Strigonium* modo obſidione, ſed oppugnatores ſimul *Ujvarini*, metu omni, liberauerunt. Relicta iſthic fuere viginti millia, vegeti, & prompti in opus militis. In his, ter mille quingenti, e Cæſarianis, octo mille, e ſociis, pedeſtrium copiarum; equitum promiſcuorum, ſeptem mille fuerunt: præter bis mille quingentos *Hungaros*, qui *Nitriæ* amnis traiectus, & horum munitiones, cuſtodirent. Curam oppugnationis *Waldeckio* principi, *Lotharingus*, communi ducum ſententia, mandauerat. Sed, quod is, campeſtri prælio, fortunam experiri mallet, ideoque, eam præfecturam impenſius deprecaretur; *Capraræ*, eam adtribui oportuit, datis, tanti laboris conſortibus, *Scherfembergio*, *Gondola*, *Dumontio*, *Rumelio*que. Septimo Auguſti, obuiam *Turcis* auſpicato progreſſus exercitus, *Capraræ* locum fecit, vt eo maiore animo, viribusque, oppugnationem proſequeretur, quo magis, dum *Lotharingus* confligeret, rei, feliciter gerendæ, cupiditate ſtimulabatur. In primis ergo, e ſuggeſtu illo, quem ſolido opere, foſſæ margini impoſitum diximus, tanta, in muris, ſtrages edita eſt, vt integros adſilientium ordines, ruinæ, transmiſſuræ putarentur: quas, ne poſſent ſarcire hoſtes, omni cura prouidebatur. Quin & vinea, per mediam foſſam aduerſus mœnia deducta, & contra miſſiles ignes, inſigniter præmunita, ad eum modum conualuerat, vt tutam fere, ab ictibus, militi viam præberet. Rebus huc perductis, nunciat LOTHARINGO CAPRARA: *parata ad adſultum eſſe omnia, neque niſi ducis præſentia opus eſſe; ſpem occupandæ arcis certiſſimam adfulgere; adeſſet ergo, & tanti laboris fructum, ipſe decerperet.* In quo quidem nuncio, id ad lætitiam momenti habuit plurimum, quod eodem die, ad *Lotharingum* perlatus eſt, quem paullo ante *Strigonienſis* victoria, inſignem fecerat. Sed, qua erat modeſtia dux, *Capraræ* perſcribit; *imponeret ſummam operi manum, & gloriam, quæ inde ſolidiſſima exſpectaretur, ſuam faceret.* Simul captiuorum aliquot ſubmiſſi fuere, qui & de victoria certiores facerent oppugnatores, & obſeſſis oſtentati, animos eorum frangerent. Voluntate ducis intellecta, dies, quo adſultus fieret, *undeviceſimus Auguſti* præſtituitur; ſed quem imber nocturnus, qui & lubricum ſolum fecerat, & acceſſus aquis oppleuerat, arduæ huic deſtinationi inutilem reddidit. Neque tamen, ſiue operis, ſiue hoſti, vlla data ceſſatio eſt. Nam, & agger, per quem in ruinas enitendum militi fuerat, paſſim latior, ſolidiorque factus, & hoſtium valli, atque id genus munitiones ſubitaneæ, quas illi, intra deiectos muros excita-

qua interea oppugnationis rationes fuerint:

inſignis eius ſucceſſus:

Caprara expugnationem arcis Lotharingo defert:

eam ille Caprara permittit:

dies adſultui præſtitutus: ob largum imbrem differtur:

v.) Dabimus rei geſtæ ordinem, in Hiſtoria *Comitatus Strigonienſis.*

uerant, deſtinatis tormentorum ictibus, disiectæ ſunt: totusque is dies, in eo potiſſimum collocatus, vt ſtrepentibus vniuerſis caſtris, exiſtimarent *Turcæ* ſupremæ oppugnationis diſcrimen ſibi parari. Verum, vt dies, nec tentata re abiit, exſultare primum hoſtes, mox penitus credere, viribus fortunæque diffiſos *Germanos*, cœptis deſtitiſſe. Hinc ſecurius illi agere; & noſtros propemodum contemnere. Et profuit ſane permultum, quod in eam opinionem inducti fuerunt præſidiarii. Enim vero, hoſtem ſupremo circumuentum periculo, confidentem effeciſſe, viciſſe eſt. Itaque, noctu ſummo ſilentio, vtemur hic verbis WAGNERI (*x.*) *tria millia in acceſſus ſe abdidere, quorum pars, ſub* Scherffembergio *dextra, pars* Rumelio, *Bauarorum ductore, ſiniſtra, inuaderent. Duo millia, retenta in ſubſidiis* Dumontio *duce. Primo mane, dato, e machinis, circum omnibus, adgrediendi ſigno, conuulſisque momento, queis ſe in foſſa texerant, vimineis corbibus, ſummo impetu adſilitur. Ignari* Turcæ, *quid is ſibi machinarum fragor vellet, heſternaque ſe ſimulatione peti rati, tum maxime conſilium agitabant. At, plenas hoſtibus foſſas conſpicati, omnem murorum ambitum, conglobati occupant, apertis pectoribus, pro ruinis obiiciunt, omni vltimæ defenſionis genere, in ſubeuntes ſe tuentur, nihil, pilarum grandine, ex aduerſæ foſſæ labro, ab lectis fiſtulatoribus, e grandioribus tubis effuſa, territi. Iamque noſtris, intra ruinas ſe obuallantibus, pugna longe acerrima, cooritur. Vltimi, horrore diſcriminis excitati, quidquid ſupereſt bellatorum, Hebræi ipſi, ac femina, falcibus, lanceis, enſibus, bipennibus, omni ad nocendum peſte armati, adcurrunt, vario in primis deuolutorum ignium genere, fortiſſime reſiſtunt. Et vires rabiemque deſperatio augebat. Vt adeo, omni contentione agendum eſſet ducibus, ne fractus atrocitate certaminis miles, ab cœpto pedem referret.*

extrema oppugnationis ordo.

§. XXIX.

Noſtrorum ardor ducum vocibus accenditur:

ATque, ſubeuntes quidem, ad hunc modum accepti fuere, iamque res ad noſtrorum perniciem vergere viſa eſt, cum inter pugnantium clamores, atque morientium conuulneratorumque eiulatus, voces cohortantium audiuntur: *Noſtra eſt ciuitas! Vaudemontii*, & *Commercyi*, diuerſis locis pugnantium, celeusmata fuiſſe, poſt victoriam demum intellectum eſt. Iis profecto vocibus, quaſi ab echo, per vniuerſos incurſantium ordines, diffuſis, tantus omnibus, vincendi ardor, iniectus eſt, vt qui antea ſtimulatoribus indigerent, nunc, ſiue gloriæ, ſiue prædæ, ſiue vindictæ, cupiditate accenſi, ſuapte, per infeſtas ruinas, perque hoſtium, præ rabie inſanientium, cuneos, perrumperent. Eo periculo, immo exitium fuit, circumuenti hoſtes, candidum ſignum adtollunt, dedititios, ſe alta voce, conclamant. Verum ea victoris militis, ferocia fuit, vt, nec auditis, fidem clementiamque *Chriſtianorum* inuocantium, vlulati-

x.) Lib. 9. pag. 663.

Digitized by Google

tibus, obuios quosque cæderent, protraherent latebras circumſpicientes, omniaque, cruore & cadaueribus, late conſternerent. *Janitſcharorum manus*, Wagnero teſte, *in propugnaculi cuiusdam aream recepit ſe, atque, vti difficillimum eſt, cum morituris certamen, reliqua copiæ, oppidi ingreſſu prohibitæ, dum debellatum foret. Illi vero, cincti vndique, & dum puluis nitratus ſuppeteret, in orbem fortiſſime pugnantes, pars glandibus confixi, fruſtratim conciſi alii, haud pauci in foſſam præcipites, atque ab equitatu, interfecti ſunt. In oppido, tanta ſtrages eſt edita, vt e ſex hominum millibus, quadringenti duntaxat infantes ac mulieres, in Moſchæam conditi, euaderent.* Hactenus ille. Certum eſt, præter belli morem fæuitum in omnem ætatem ſexumque fuiſſe. Sed nec captiuis, in tanta animorum acerbitate, parſum eſt. Quia enim, periculoſiſſimis quibusque locis, catenatos *Chriſtianorum* ordines, tota obſidione ingerebant hoſtes, atque idem in vltimo iſthoc diſcrimine, feciſſent; accidit, vt ex ingenti eorum numero, vix quadraginta ſeruarentur. Arcis præfectus, natione *Bohemus*, gente *Zárubiorum* editus fuiſſe perhibebatur, inceſtu, an alio flagitio, ad apoſtaſiam prolapſus, ideoque *Chriſtianis* maximopere infenſus. Grauiter vulneratus, vix ſopita dimicatione, infelicem ſpiritum efflauit. Eius caput, ab *Hungaris* trunco decuſſum, & perticæ longiori præfixum, diu, ſuper *Viennenſi* porta ſpectaculo fuit. Ferunt, tanta in *Turcarum* cadauera immanitate, militum nonnullos fuiſſe, vt aliis quidem, barbas a mento, cum cute reuellerent, excoriarent alios, eas demum exuuias, venum per caſtra circumferentes. In arce, adparatus bellici, vis ingens reperta eſt. Tormenta, octo & nonaginta fuere, pleraque *Cæſarum* nomina, quorum temporibus fuſa fuerunt, oſtentantia. Tanti conſtitit, poſt XXII. annorum ſeruitutem, in *Chriſtianorum* ditionem vendicauiſſe *Ujvarinum!* Duæ Cæſarianorum legiones, & quinque ſociorum cohortes, arci in præſidium datæ, præfectura *Aſpermontio* credita eſt. Reliquus exercitus, ruinis, feſtinato refectis, ſuggeſtibusque, & quod reliquum fuit operum obſidionalium, ſolo coæquatis, *Comaromium*, in *Lotharingi* caſtra, ouabundus abiit. Atque hæc tunc ad *Ujvarinum* geſta ſunt. Tollivs (*y.*) eius temporis peregrinator, oppidi expugnati faciem, ad hunc modum deſcribit: *Comaromio*, Ujvarinum, *ſiue* Neüheüſelam, *aduerſo Waga flumine profectus, miſerandum in modum deformatum incendiis & ruinis oppidum, paullo poſt meridiem, ingreſſus ſum. Hic mihi eadem, quæ* Busbequio, *fortuna obtigit. Narrabat diuerſitor meus, qui expugnationi interfuerat, plures, quam quadringentos ſe, vna cum manipularibus, Turcicos libros, quos in bibliotheca Morabodi, ſeu ſacerdotis, cuiusdam, hominis, præter quam Turcarum fert conſuetudo, litteratiſſimi repererat, in ignem coniecisse. Pro hoc ego ingratiſſimo mihi facto dictoque, vicem red-*

caduntur eodem furore captiui Chriſtiani:

feritas in occiſorum cadauera:

datum loco præſidium:

capti oppidi ex Tollii *relatione facies.*

y.) Epiſtola Itineraria V. p. 150. Fortunam Busbequii, ad quam prouocat Tollius, in notis, Henninius, p. 205. n. 14. ex eiusdem *Epiſtolis Turcicis*, memorat. Epiſt. I. p. ſibi 86. edit. min. An. 1660.

reddidi, repoſuique, me ſingulos ſingulis minimum thaleris fuiſſe redemturum, ſi ſeruaſſet. Sic ego, hominis illius proteruam militaremque malitiam, ſera nimis pœnitentia caſtigaui: nil enim magis doluit, quam, quod tantum pecuniæ, tam leui opera potuiſſet lucrifacere. Cum igitur librorum Turcicorum coemundorum hic nulla eſſet copia, templorum duorum ruinas perueſtigaui, ibidemque, Inſcriptiones, *aureis litteris, parietibus inſcriptas deſcripſi: quarum altera erat extus ſupra ianuam, vnius templi; altera intus in parte quadam adhuc integra, chori alterius templi, cetera diruti. Aſcendi & integriorem turrim, oculosque in quaquaverſum late patentes campos, multa cum iucunditate dimiſi. Templum alterum, vt dixi, totum erat deiectum; alterum quadratum non ita corruptum eſt, quin paucis impenſis reſtitui poſſit. In lateribus feneſtræ erant amplæ & rotundæ, intus fornices a columnis fuſtentati, porticus ſuffulciebant peranguſtos, a duobus lateribus. Cetera, non ita cognoſcere licuit, quod obturata fores, introitum negabant, niſi quod tectum fornicatum fuiſſe animaduertebam: Quadro templi, verſus orientem ſolem, chorus adiunctus erat, forma rotunda: turris, ad introitum, meridionalem angulum occupabat, nonnihil a tormentis læſa. Oppidum ipſum paruum, in quo nulla domus integra: portæ tantum duæ: Ceterum, non ita illud munitum offendi, vt illam famam, quam obtinet, mereri videretur. Sex enim propugnaculis tantum includitur, & præter illa, nihil amplius habet, quo ſe tueatur. Fluuius enim Nitria, riuus potius, quam flumen, nullo tutamini eſt, & aliquantulum a foſſis remotus. Aditus ad oppidum vndique opportunus eſt. Mirabar, necdum redimpletos aquatoſue oppugnantium cuniculos, aggeresque tormentarios; multoque etiam magis, perruptum vallum, vix dum leniſſimo opere clauſum potius, quam redintegratum; ita, vt ne triduum quidem reuertentibus ad oppugnandum Turcis, quod DEus auertat! reſiſteret.* Iſta, anno MDCLXXXVII. Vienna, ante diem nonas Julias, a Tollio, ad *Batauos*, perſcripta ſunt.

§. XXX.

Obſidetur a Rákoczianis:

EXtortum barbaris *Ujvarinum*, nondum exacto vicennio, in *Rákoczianorum* poteſtatem venit. Inſigniter id communiuerant *Cæſariani*, manſitque dum bellum *Turcicum* durauit, intemeratum. At, ſimul tumultus ille iniit, id dedere operam, nouarum rerum ſtudioſi, vt arcem ſuam facerent. Et, primo quidem, anno MDCCIII. ſub initia brumæ, infeſtare arcem incipiunt. Poſteaquam enim *Schlikium*, intra montium anguſtias, imprudentius progreſſum, *Vetuſolio*, deieciſſent, partitis agminibus, quaquaverſum diffuſi, ſimul *Ujvarinum*, collocatis, per circumpoſitos vicos excubatoribus, arcte concludunt. Ludicra præſidiariis res viſa eſt, quod arx, tot bellorum procellis impedita, tot obſeſſa exercitibus, nunc, ab inermi hominum colluuione, impeteretur. Itaque, quotidianis fere excurſionibus, nouum hoſtem reiicere. Quæ ſane velita-

tationes, eo præſidiariis fuere nocentiores, quo maior, in paucitate iactura eſt. Hieme exeunte, tanta *male contentorum* examina arci ſe circumfuderant, vt ægre iam pabularentur præſidiarii; commeatus certe vix vllus, ſine diſcrimine inferri potuerit. Ergo, inualeſcente, tota regione, tumultu, *Ujvarinum* quoque periculum adiit. Deerat *Rákoczianis*, præter rem tormentariam, miles, oppugnationi idoneus: quod his, quidem, qui erant in præſidio, animos addebat; *Rákoczianis* autem, lentæ obſidionis conſilia ſuggeſſit. Extractus, ad eum modum, annus integer, cum nemo eſſet, qui ſeu commeatu, ſeu milite ſubſidiario, ſeu bellico adparatu alio, obſeſſos iuuaret, ſumma annonæ penuria, in arce laborari cœptum eſt. Haud id obſeſſores latuit, hinc, apertam illi vim oſtentare, ponere ſuggeſtus, moliri acceſſus, reliquasque oppugnandarum vrbium artes, præ ſe ferre. Hucusque, ex pelui fulmina! At, vbi fames in arce inualuit, nihil terriculamentis, quæ extus ab hoſte parabantur, opus fuit. Enim vero, miles, qui arci inerat, quod & paucior eſſet, quam, vt defenſandis ſtationibus ſufficeret, & præter externum hoſtem, intus, cum fame colluctaretur, inſcio præfecto, tradendam proditione arcem ſtatuit. Proinde, qua excubiæ *Hungarorum* erant, *Rákozciani*, clam immiſſi, ante in platearum compitis adparuere (z.) quam præfectus, adſulturos hoſtes, crederet. Eo viſo, *Germani* quoque, arma ponunt, & cum *Hungaris*, Rakoczio dant nomina; præfectus, cum centurione vno, alteroue captiuus abducitur. Difficile dictu eſt, quantum rebus *Rákoczii*, hac *Ujvarini* acceſſione, præſidii comparatum ſit. Victam *Hungariam*, debellatumque prorſus Caesarem credidiſſes, ita hoc rerum ſucceſſu, paſſim in *Rákoczianorum* caſtris tripudiabatur. Et profecto, quoties aperto Marte in Auſtriæ Morauiæque finibus infeliciter rem geſſerunt, Hungari, *Ujvarinum*, tanquam vltimum fortunæ ſuæ perfugium, habuere. Itaque, vt inexpugnabile faceret *Rákoczius*, ſumma ope conniſus eſt. Hucusque enim propugnaculis admodum ſex, & corriuata, in foſſas *Nitria*, communitum fuerat, habuitque liberum acceſſum, ad ipſa foſſarum labra, nullis, quippe, externis munitionibus præcincta; in quibus tamen, & temporis, & laboris ponendum fuiſſet tantundem, quanto arx ipſa, primis eius molitoribus, conſtiterat. Ei vitio, medendum ille ratus, nihil (a.) ſumptui, nihil operis pepercit, *Reuirio*, homini Gallo, arcium muniendarum longe ſcientiſſimo, operarum cura adtributa. Ergo, triennii ſpatio, tantopere inualuit, vt *Pergamum*, ab *Hungaris* crederetur, nulli vnquam vi ceſſurum. Scilicet (b.)

Troia nos tumidos facit,
Nimium ac feroces.

Sed aliter res cecidit, quam illi præfidebant. Anno enim MDCCVIII. die

proditione capitur:

ſumma cura munitur:

z.) Euenit hoc, anno MDCCIV. medio menſe Nouembri: cum iam ante, pacificatio *Schemnicienſis*, reſciſſa fuiſſet.

a.) Tres nummuum myriades in opus inſumtum fuiſſe accepimus.

b.) Seneca, Troade, verſu 262.

die III. Auguſti ad *Trentſchinium*, non tam victi, quam fugati, obſidendum *Heiſtero*, ſummo exercitus Cæſarei duci, reliquerunt.

§. XXXI.

Obſidione tentatur ab Heiſtero:

REs ita habuit: ſimul hoſtis, ex acie diffugit, atque dies alteruter, recreando militi datus eſt, diſceptari inter duces cœptum: hoſtisne, metu quaquauorſum dilapſus, conſectandus, an obſidione tentandum *Ujvarinum*? Plerisque viſum eſt, veſtigia fugientium legenda eſſe, depellendumque, ex montanis vrbibus, *Hungarum*, vnde, præter rem monetariam, inſtrumenta belli, tamquam ex armamentario, ſumeret. Atque, hæc *Pálffy*, & *Löffelholtzii* cum primis, ſententia fuit, ſubinde ingerentium, leui opera, nulloque, ſeu temporis, ſeu ſanguinis impendio, metallicas vrbes, ſi propera inſtituatur expeditio, poſſe recipi; cognitos ſibi vallium, eo ducentium, acceſſus; multos præterea illic viuere, qui fide in Cæſarem ſint intemerata. Contra, *Ujvarini* munitiones validiores multo feciſſe *Hungaros*, quam, quæ tantillo exercitu, anno iam in auctumnum procliui, cum fructu tentari queant; gauiſuros hoſtes, ſi meliorem fortunam, ad hunc ſcopulum impegerimus, Cæſariani: reliqua. Verum, ea fuit *Heiſteri*, in ſententia tuenda, ſiue conſtantia, ſiue arrogantia, vt periculum adire, cum exercitu, maluerit, quam meliora ſuadentium, conſiliis obſequi. Ergo, medio *Septembri*, ſubit arcis conſpectum, eamque ita munitam reperit, vt tunc demum aduerteret, in quas ſe difficultates coniecerit. Ne tamen cœptis deeſſe videretur, metari caſtra iubet, & deducta circum foſſa, communiri. Egeruntur mox, & obſidionales viæ, collocantur ſuggeſtus, & nihil non, quod ad operoſam oppugnationem ſpectare viſum eſt, omittitur. Laboris exordia, iam quoque a frumentaria mola, ducta ſunt, quam ita communiuerant *Hungari*, vt ſuis ſe tueri munitionibus, præſidioque, potuerit; quin, & ex arce, per interiecta opera, quoties neceſſe erat, ſuppetias habere. Plures dies in opus inſumti, vix tantum fructus peperere, vt ad extimæ loricæ margines, acceſſus potuerint deduci. Parte altera, ipſa verberabantur mœnia, vbi ſucceſſurus labor videbatur, niſi perpetui imbres, & ſcrobes aquis oppleuiſſent, & tormentorum ſuggeſtus, ſolo propemodum æquauiſſent. Accedebat, præſidiariorum ferocia, vix vllam diem, ſine eruptione, transmittentium. *Hungari* præterea, infelici hac Cæſarianorum mora, a fuga recollecti, nunc caſtra incurſabant, nunc pabulatores carpebant. Iam alter menſis exibat, dum grauiora, in dies ſingulos, exercitui mala, ingruerent. Itaque, quod nihil profici poſſe videret *Heiſterus*, miles autem caſtrenſes morbos contraheret, conuocato ducum concilio, ſoluendam obſidionem palam edicit, *Löffelholtzium*, quæ nuper conſuluiſſet, exſequi iubet; ipſe cum auxiliaribus Danorum copiis, *Poſonium*, inde *Viennam*, regreditur. Et *Löffelholtziue* quidem, montanis vrbibus, ſine cæde potitur.

Pálffyo, & Löffelholtzo contrauntibus:

irritus Heiſteri conatus:

Pálf-

Digitized by Google

Pálffyus autem, *Heiſteri* collega, quam latiſſime poteſt, hiberna profert. Diſcedentes, ab obſidione, Cæſarianos, ingenti, omnium tormentorum, boatu, proſequuti ſunt *Ujvarienſes*, inſequi autem, quia demigrationem eam ſuſpectam habebant, auſi non ſunt. Sequuto vere, quod haud ita adtriti erant *Hungari*, quin ſparſos manipulos, in iuſti exercitus molem, poſſent recolligere, arctius, a ſtationario milite, circumſideri *Ujvarinum* iuſſit *Heiſterus*; dum & ipſe, cum exercitu adeſſet. Ergo, admouentur denuo tormenta, totaque circum arx, obſidionali opere, incingitur. Securus, de eius ſalute *Rákoczius*, per *Hungariam* ſuperiorem, exercitum circumductabat; *Bertſenius* autem, non tam viribus, quam animo deſtitutus, rei euentum, poſitis ad *Hatvanum* caſtris, ſpeculabatur. Præſtitutus, ab *Heiſtero* obſeſſis dies quo, aut arce incolumes decederent, aut id ſi recuſarint, vltima quæque præſtolarentur, cum aduenisſet, multo illi quam antea, ferocius rem gerere, occipiunt. Nimirum, *Paullus Tot*, acerrimus rebellium anteſignanus, cum trecentis *Hungaris*, arci ſe iniecerat, quodque ſegnius rem a præfecto geſtam accepiſſet, eum iuſſu *Rákoczii*, in vincula compingit. Aberat tunc forte, ab obſidione, *Heiſterus*; quippe *Rákoczio*, obſeſſis ſuppetias ferre volenti, obuiam progreſſus. At, cum nemo ſe obieciſſet, redux in caſtra, rem ſerio gerendam conſtituit. Ergo, aduecta *Comaromio*, maioris moduli tormenta, in ſuggeſtibus collocantur, geminoque latere, mœnia, perpetuo globorum concuſſu, deiiciuntur. Nec minoribus animis rem gerunt præſidiarii, ad molam in primis, in qua tuenda, plurimum, & ſanguinis prodegere & bellici inſtrumenti. Sed, cum a tribulibus, importune deſertos ſe vident; neque *Cæſariani* quidquam intentatum relinquunt, fracti animis, deditionem muſſare primum, mox pro concione, palam agitare, occipiunt. Proinde, miſſus die XXI. *Septembris*, ad *Heiſterum*, caduceator, inducias vnius admodum diei, obſeſſis dari poſtulat, dum, de tradendæ arcis conditionibus, mutuo paciſcerentur. Reiectæ primum preces, quaſi dilatæ diutius, & iam ab vltima neceſſitate expreſſæ; tandem tamen admiſſæ fuere. Amplas ſibi *Hungari* conditiones deſcripſerant, ſed quas *Heiſterus*, vti erat ſeueriſſimus perduellionis vindex, nimium quantum diminuit, atque die XXIII. *Septembris*, in hanc ſententiam concipi iuſſit: *Vniuerſa multitudo, quæ arci ineſt, vitæ bonorumque gratiam accipito; cauſſa fiſci regii, in bonis immobilibus, integra maneto; belli ducibus, & qui ſunt e nobilitate, ritu militari, armatis excedere permittitor; gregarius miles, ſine telo, & reculis, arce decedito; transfugis, manendi abeundiue ius eſto; ciues, priſtinis iuribus, porro fruuntor; captiuorum permutatio, æquis legibus, inſtituitor; arx, cum omni inſtrumento bellico*, Cæſari, *in integrum adſeritor; nitratus puluis, & cuniculi omnes, fide optima, deteguntor; cladem mœnium, præſidiarii, octo millibus nummuum, ante ſuſceptam demigrationem, penſanto; impedimentis deuehendis, triginta currus, ſuppeditantor.* Accepere leges *Rákocziani*, traditaque *Cæſarianis* arce, die XXIV. *Septembris*,

nona anno MDCCIX. obſidio:

eius ſucceſſus:

deditionis leges.

bris, alii, triſtes abiere ad ſuos, alii, cauſſam meliorem amplexi, fidem CAESARI iurauerunt. Ita nimirum, *Hungarorum* iſtud:

Pergamum incubuit ſibi,

regique optimo, victas manus dedit. Neque poterat *Rákoczianis*, perniciabilior inferri clades, quam quæ *Ujvarino* excuſſo e manibus, illata eſt. Amputato enim iſto capite, exſangue iacuit corpus vniuerſum. Ceterum, ex adparatu bellico, quem huc congeſſerant *Hungari*, coniici poteſt, quantum in *Ujvarino* confidentiæ habuerint. *quantus iſthic belli adparatus repertus:* Repertæ nimirum ſunt, machinæ murales *octoginta ſeptem*; colubrinæ *viginti quinque*; mortaria *quindecim*; breuiora laxioraque tormenta, *ſeptem*; mortaria item pyrobola, *viginti nouem*; denique, tormenta e ferro fuſa, *duo*; vniuerſim centum ſexaginta ſex machinæ. quarum aliæ, vernaculæ arci fuerant, aliæ a *Rákoczio*, nuper e meliore metallo, conflatæ. Globorum tormentariorum numerus, *tredecim millium* fuit; glandium vero *ſclopetariarum* pondus, *octoginta centenariorum*; præter rudis plumbi *centenarios centum*. Reſpondebat machinarum huic adparatui, *nitrati* puluueris copia. noningentos eius *centenarios*, funium autem incendiariorum, *ſeptuaginta*, machinatores, in rationes retulerunt. Globi, eodem farti puluere, *centum octoginta*, inanes *ſexcenti*; eiusdem generis globorum manuariorum, *quinquaginta* mille *ſeptingenti*; ſcloporum, *ducenti triginta*; ferri fragmenta, onerandis tormentis, minutim conciſa, globique incendiarii, *ter mille*, fuere. Sed nec annona deerat. Farinæ, *centum & duo*, panis bis cocti, *ſeptuaginta duo* centenarii; ſalis, *tercenti viginti nouem* lapides; frumenti, vt lardum, & carnes fumo duratas, taceamus, *quingenti ſexaginta ſeptem modii Hungarici*, numerabantur. Annuam obſidionem, tanto inſtrumento, facile tolerari potuiſſe, arcium defenſandarum periti, adfirmabant; niſi peſſimæ cauſſæ, vindex conſcientia, animis primum, armis poſtea, præſidiarios exuiſſet. Immiſſæ mox in arcem, quinque *Germanorum* centuriæ, id ante omnia elaborauerunt, vt lacerata mœnia, redintegrarent. Poſt inſignem hanc conuerſionem, fruſtra nouam obſidionem minitantibus *Hungaris*, conquieuit *Ujvarinum*, hoſtem nunquam poſtea viſurum. Nam- *iuſſu* Cæſaris, *anno M DCCXXIV. ſolo aequatur:* que, anno MDCCXXIV. iuſſu indulgentiſſimi Cæſaris CAROLI VI. diiici cœptum, anno ſequente deletum eſt penitus, & quod ante fuit, inerme relictum oppidum. Ergo:

Iam minæ ſeui, cecidere ferri;
Iam ſilet murmur graue claſſicorum;
Iam tacet ſtridor litui ſtrepentis.
Alta pax vrbi, reuocata latæ eſt.

Breuem hanc arcis ætatem; anno enim MDLXXIII. primum muniri cœptam, WAGNERVS auctor eſt; decem obſidiones, & ſi nonnullorum ſupputationi credas, centum millium virorum clades, nobilitauerunt. *hodierna loci facies.* Fora ei annua ſunt, die *S. Matthiæ*; Dominica *Palmarum*;

SS.

Digitized by Google

SS. Trinitatis; die *S. Clementis*, & *S. Luciæ.* Quidquid, reliquæ opportunitatis habet, re id agraria, & pecuaria, abſoluitur.

§. XXXII.

REſtat, vt *Ujvarini*, & quæ pertulit, fatorum memoriam, in compendio exhibeamus, eodem illo monimento expreſſam, quod ei, cum ſolo æquaretur, dolentes poſuimus:

SVBSISTE VIATOR!
& rerum viciſſitudines,
his ruderibus expreſſas,
mirere, ac time!
UJVARINVM,
oppidum inerme fui,
dum cincta viris
HVNGARIA,
mœnibus, vt cingerer,
non indigebat:
At, ſimul viris, & viribus deſtituta,
in vallis robur,
præſidium in muris,
cogebatur quærere;
MARTI
me,
FERDINANDVS I. CAESAR,
dedicauit;
conſecrauit
ſummus Iſtrograni Præſul;
PAVLLVS *de* VARDA,
denique operibus incinxit,
HVNGARVS, BOHEMVS, MORAVVS.
Ergo,
omine a MARTE accepto,
mutaui ſimul nomen,
vt
UJVARINVM
id eſt:
ARX NOVA
dicerer,
datura mox nouam bellorum tragœdiam.
PRIMVS,
qui me infeſtis armis contemerare auſus eſt,
ciuis fuit;
ſi ciuis dicendus eſt, qui patriam euaſtauit.
Ecquis ille?

STEPHANVS BOTSKAY,
Tranſiluaniæ Princeps:
eo vnico, non culpandus,
quod furorem, in fauorem vertit,
quando cauit;
ne ab auxiliatoribus ſuis Turcis,
ſub iugum raperer:
quin prouidit caute,
vt parerem ſibi,
dum me CAESAR recuperaret.
Quidquid hoc beneficii ſit;
tamen,
Illa meæ ſpolium virginitatis habet.
Nondum iniuriam dedolueram,
cum iteratus, e Tranſiluania, turbo,
Hungariam perturbat denuo,
me deturpat penitus.
Calamitatis auctor,
GABRIEL BETHLEN
exſtitit.
Crederes,
gauiſam, priori clade mea, Tranſiluaniam,
iterauiſſe maleficium.
Poſtea,
bello depulſo, ſimul pax reddita eſt,
poſtliminio ad Dominum meum
FERDINANDVM II.
redii:
felici, vti orbis melior augurabatur, ſidere;
niſi tricennio poſt,
excitus ab orco barbarus;
ante vires meas accidiſſet,
quam tentaret obſidionem.
ADAMO FORGÁCHIO, ARCIS PRAEFECTO
dicam, ideo, annales ſcribunt;
Ego
MARCHIONI PIO,
qui volentem receptui canere *Forgáchium*,
leſſum vt caneret, coegit;
dum inuitum,
in immanem hoſtium manum
impegit.
Tunc demum,
grauior mihi procella incubuit!
Dixiſſes,

ira-

Digitized by Google

iratum Iouem detonuiſſe,
Tartara, furias omnes, in me armauiſſe;
ita,
ferro, igne, & qua non peſte alia,
ſæuitum in me eſt.
Quis molitor tanti fuerit facinoris,
ne quære!
MEHMETEM TYRANNVM
nominauiſſe ſatis eſt.
Igitur,
vt me pro virili defenſarent duces,
omni illi quidem ope elaborauerunt;
ſed ne poſſent incolumem ſeruare,
militum conſternatio, an perfidia, effecit.
Inter diuerſa, ducum militumque hæc ſtudia,
Tyranno dedor,
numquam antea mitiori,
quam cum deditia ſigna conſpexiſſet.
Nunc eſt, cur lugeas
HVNGARIA!
quæ tibi in Ujvarino,
tot excitato laboribus,
cruentam latrociniorum officinam,
poſuiſti:
Habes tamen ſimul,
cur Deo O. M. gratias referas,
qui calamitati tuæ,
pace inopina,
modum poſuit;
atque,
Tuum Tibi reſtituit
Ujvarinvm.
Incomparabilis hæc felicitas,
LEOPOLDI MAGNI
fuit,
prudentia *Lotharingi*,
ardore *Capraræ*,
virtute *Chriſtiani exercitus*,
procurata.
Iam ad quietem vocari videbar,
felix, poſt tot ærumnas,
Ujvarinvm,
cum inopinus Rákoczianorum torrens,
vniuerſam inundat Hungariam,
me abſorbet.

Nolo iniurias queri,
id, in nouo maleficio, collatum mihi beneficii,
recordor,
(si inest quædam beneficii ratio,
vbi comparantur perduellioni præsidia)
quod, debilem, multis me operibus obfirmauit,
FRANCISCVS RÁKÓCZY:
Tandem,
vindex nemesis,
JOSEPHO CAESARI,
Heistero, Pálffyo, Löffelholtzio,
domantibus,
me in integrum adseruit.
Quid inde?
tot funerum, quæ siue dedi, siue accepi,
pertæsum,
a
CAROLO VI. IMPERATORE
Rege Hungariæ,
Pio, Felici, Victore, Triumphatore,
Patre Patriæ,
alta iam pace,
funus vt fierem,
impetraui,
Anno MDCCXXIV.
posteaquam, vltra sesqui seculum,
inter tot belli mala superfui.
Abi viator!
& cum rudera mea cernis,
tumulum esse memento,
CENTVM MILLIVM VIRORVM.

Oppidi hodiernus habitus:

Ista, de *Ujvarino*, neque potuimus silere, sed nec debuimus. Alioquin, iure veterrimo, ad *Archiepiscopatum Strigoniensem*, & tunc adtinuit oppidum, cum ab regum præsidiis insidebatur, fuitque totius ditionis, quæ adscripta ei est, caput. Ad hanc referri accepimus, apud Nitrienses, *Tardoskeddum*; apud Comaromienses, *Udvard, Kürth, Martos, Imö, Naszvád, Szimö*, cum *prædiis* aliquot. Dum floreret, portas duas, *Viennensem* & *Strigoniensem*; propugnacula sex habuit: *Seredianum, Fridericianum, Cæsarianum, Forgáchianum, Bohemicum,* & *Viennense*. quæ omnia, vna cum portarum nominibus, ad eum modum, oblitterata sunt, post derasa, & ab imis fundamentis, reuulsa mœnia, vt, vix notari possint vestigia, qua olim porrectæ fuere munitiones. Oppidum ipsum, haud incultum est, nobilitaturque, herili potissimum palatio. quod *Rákóczius*, vti commodius isthic diuer-

ditionis vici:

Digitized by Google

Digitized by Google

VETVSTISSIM

Ex Genere Comitum Hunt Paznán, perpetuo traduce propagatæ. ta vero habet:

Nicolavs, Præpositus Strigonienſis, & eiusdem loci Capitulum, præſentes lecturi ndreas, *Dei Gratia Rex Hungariæ, Fidelibus ſuis vniuerſo Capitulo Strigonienſi Salutem & Gratiam.* Finka, *noſtræ petitionis intuitu, litteras Capituli Veſtri teſtimoniales dignemini concedere.* Nos itaque manda *ſuis hæredibus, pro ſuo fideli ſeruitio, terram* Gumes *nomine, cum ſuis pertinentiis conceſſiſſe perpetuo po* oboratas. Anno ab Incarnatione Domini MCCXXVI. Datum per manus Benedicti Lectoris. Maiores eorum ſunt:

Hunt Paznán. De his vide, M. Joh. *Tburóczi* Parte II. Chron. H quas anno demum 1742. d. 27. Iul. a Pavllo quinto, e *Co*

Ivanch *comes*, p

Comes Ivanka, Agazo

Andreas I. Comes *de Bánya*, primus nominatus Forgách, perp Hung. cum Tartaris dimicans, amiſſo fratre Thoma I. ſeruav vit, caſtrumque primus fundauit, & erexit. Fuit Tauernic

Andreas II. Com. Forgách, ob fidelitatem Carolo I. R. H. præſtitam, a perfido *Matthæo de Trenchin*, vna cum Fratre *Ivanka* II. occiſus. 1312.

Joannes I. C. Forgách

Andrea II. ab hoſte Ladislai IV. R. Ter fidelitatem, vna cum Diac. Nitrienſ. do *Matth.* de Trenchin.

Andreas IV. Com. Forgách de Koſzmál, dictus Hegyöſs. 1343.

Stephanvs I. C. Forgách, perpetuus *de Ghymes.*

Joannes II. Com. Forgách de caſtro Koſzmál, alias Hegyös. Conſors *Margarethæ.*

Nicolavs IV. C. Forgách, occiſus per inſidias in oppido Csörtörökhely. Cons. *Clara.*

Joannes III. C. Forgách, in conſpectu Reg. Sigiſmundi a Bulgaris occiſus 1397. Coni. *Anaſtaſia.* Ex hoc deſcenderunt.

Catharina, nup. Villingoni de Buda.

Eva. C. Forpetuus

Stephanvs II. C. Forgách, perpetuus *de Ghymes.*

Nicolavs V. C. Forgách de Ghymes, caſtellum exſtruxit in Comyathi. † contra Turcos. Cons. *Margaretha Roſzgony.*

Blasivs II. C. Forgách, perpetuus in *Ghymes.* 1395.

Ladislgách aulicus Hung:

Georgivs I. C. Forgách, miſſus contra *Hajac* 1425. † 1438. Con *Anna Apony.*

Georgivs II. C. Forgách, perpetuus *de Ghymes.* Cons. *Dorothea Rábony*, vixit 1453.

Joannes VI. C. Forgách, vir fama clarus, cum Vladislao I. R. H. ad *Varnam* cæſo, contra Turcas pugnauit, 1444. † 1449.

Petrvs II. C. Forgách, Cons. *Theodora.*

Stephanvs IV. vixit 1437.

Emer ties hoſ ora

GREGORIVS I. vide A.

Ladislai III. C. Forgách.

Albert. I. C. Forg. † 1496. Cons. *Brigitta Szétsy.*

Ladislavs IV.

Georgivs III.

Emericvs II.

Felix, ſeu Felicivs I. nat. 1448. † 1503.

Gregorivs II. nat. 1442.

Svsanna.

Stephanvs V. C. Forgách, perpetuus *de Ghymes.*

Eva. † 1601.

Catharina, nupta Bartholomæo Horváth.

Joannes vixit 157 *bara Ujla* ſſy. 3.

Joannes VIII. † 1546.

Christina, nup. *Stanislao Oſztrobáza.*

Blasivs III. nat. 1567.

Georgivs V. in prælio a Saracenis captus, & in ciuitate *Pejt* incarceratus, ibique †.

Ladislavs VII. Com. Forgách.

Sebastianvs I doleſcens co Saracenos o buit 1596. in de *Agrienſi* ad *klay.*

Andreas VI.

Julia na.

Joannes X. Conſors *Helena Petróczy.*

Stephanvs VII. † 14. Mart. 1651. Conſors, *Catharina Domicella de Kapy-Vár.*

Maria, nup. C. *Georgio Illésházy* perpetuo de Trenchin.

Esther, nubere noluit, & in ſuo dominio, Bruno in Moraui † 1697.

Thomas III.

Emericvs IV. Conſors. *Helena Madocsány.*

Catharina, nupt. *Steph. Sándor.*

Maria † 1703. nupta *Michaëli Naſzváddy.*

Nicolavs IX. Cons. *Barb. Barkótzy.*

Petrvs VII.

Joannes IX.

Sigismvndvs IV.

Andreas VII. nat Jan. 1683. ab Im Maii 1675. priuil tis accepit. Cons *ſtina Lucia-Comes monna, nat.* 1663 1691.

Eva, nup. Com. Juniori *Sigismundo Petö de Gerſe.*

La- tab. *I-* ori.

Ladislavs X. † in prima ætate.

Pavllvs IV. nat. 12. Jan. 1677. Eques auratus 15. Dec. 1687. In iuuentute diligentiſſimam operam Conſortem habuit, ab An. 1695. 16. Aug. *Emerentiam Mariam, Domicellam de Réva*, natam 9. Mart. An mortua A. 1703. 1. Jan. A. 1712. a Sereniſſ. Cardinale, Christiano Avgvsto, Duce de Saxonia, ſuſ Ordines. Inde *Epiſcopus Roſonienſis*, Præpoſit. S. Irenei, S. C. M. Conſil. & Ven. Cap. Strig. Cantor &

Pavllvs V. nat. 5. Jan. 1696. Phil. *Viennæ*, Theol. vero Doct. *Romæ* creatus. Eſt hodieque, Præpoſit. Poſonienſ. Deſignatus Epiſc. Sabarienſ. Capitul. Várad. Lector, Canon. & Præpoſ. S. Ladislai de Várad. *Feliciter!*

Maria, nat. 4. Octob. 1697. *Angela* in Ordine S. Claræ, Tyrnav. 15. Maii, 1714.

Barbara nat. 10. De 1698. Ord. S. Clar 24. Febr. An. 1706. 9. Jul. 1707.

Ladislavs XIV. nat. 16. Apr. 1724. † 6. Mart. 1725.

Joannes XIV. nat. 29. Oct. 1725.

Emmanvel, nat. 25. Oct. 1726. † 30. Aug. 1727.

Anna Franciſca, nat. 29. Julii, 1728.

Barbara.

Digitized by Google

uerſaretur, nouis ad habitandum opportunitatibus, inſtruxit. Præbet hodie, herilibus iudiciis, quæ noſtri, *Sedes Dominales* vocant, ſolentque in annos ſingulos heic concelebrari, locum, oppido commodum. Obſedit ei, parte aduerſa, prætorium oppidanum, in quo ciuici magiſtratus, more ſuo, ſed moderante plerumque, archiepiſcopali homine, & coeunt, & in commune conſulunt. Aedes ſacra gemina eſt; parochialis altera; altera PP. Franciſcanorum, vtraque, turri venuſta, annis ſuperioribus, exornata. Caruit agro *Ujvarinum*, qui ſibi fuiſſet proprius; dum, a *Szétsénio*, *Archiepiſcopo Strigonienſi*, anno MDCXCI. deſertorum, *Lék*, *Alsó-Gug*, & *Nyárhid*, vſura donaretur. quam heri prouidentiam, diplomate ſuo, Leopoldvs, anno ſequente MDCXCII. penitus adfirmauit. Ad commoditates oppidi pertinet, inſignis illa, & ſolido opere, in amne *Nitria*, educta mola, cui adſerendæ, cum alias, tum *Rákócziano* tumultu in primis, ſingulares munitiones erant circumpoſitæ, defenſatæque, magna obſidentium ſtrage. Pons, *Nitriæ*, impenſa heri impoſitus, taberna item diuerſoria, viatorum commoditati, inſtructa ſunt. Villatica heri, quæ heic floret, œconomia, quemadmodum cum cura adminiſtratur; ita pro annorum ingenio, multæ vtilitatis eſt. *Feliciter!*

III.

Arx Ghymes.

SYNOPSIS.

Arcis Ghymes *origines, diplomate confirmata* §. I.

Vſus adſcripti diplomatis: refellitur Bonfinivs: *exordia, & incrementa arcis, honeſta fuerunt* §. II.

Arcis conditæ annus: eius ſitus: moles tripartita: aquarum inopia: qui in ornanda inſtaurandaque arce operam poſuerint? Laus Pavlli IV. Forgáchii: *Eſt hodie in poteſtate* Pavli V. §. III.

§. I.

VEtuſtum *Forgáchiorum* opus, eſt Ghymes, idemque inclutæ genti coæuum. Primus arcis conditor, *Andreas*, filius *Ivanka* fuit, quod ex diplomate *(a.)* Belae IV. eruimus, digno profecto, vt iſthic legatur: ita vero habet: *Arcis* Ghymes *origines, diplomate confirmata:*

a.) Depromſimus id, ex Genealogicis familiæ Forgach, tabulis, manu exaratis, quas nobiſcum Comes Johannes Forgach, Comitatus Neogradienſis nuper ſupremus Comes, atque poſt hunc Comes Ladislavs Forgach Senior communicauit. Adde huic, recens ac prolixum Ferdinandi III. diploma, exhibitum a nobis Tomo hoc IV. in Hiſtoria Comitatus Neográd. Parte I. Gen. Memb. II. §. XII. p. 36. ſ. vbi, noua donatione, arcem hanc, in *Forgáchios* tranſcribi videas.

bet: Bela, *DEI Gratia, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Seruiæ, Galliciæ, Lodomeriæ, Cumanorum Rex &c. Omnibus, ad quos præsens scriptum peruenerit, salutem in eo, qui Regibus dat salutem. Regalis prouidentia se liberalem exhibet vniuersis, excellentiæ suæ dona distribuit in subditos, tanto munificentiora in deuotos, quanto per experimenta virtutum, ad fidelitatis opera, suos agnouerit promptiores. Ad vniuersorum igitur notitiam, harum serie volumus peruenire; quod accedens ad nostram præsentiam, Magister* Andreas, *filius* Ivanka, *fidelis noster, nobis humiliter supplicauit, vt terram quandam* Ghymes *nomine, prope terram ipsius emptitiam, quæ* Gym *dicitur, vbi castrum fieri procurauit, existentem, sibi conferre., ex plenitudine gratiæ nostræ, solita clementia, dignaremur. Nos itaque, qui gestis digna rependimus, qui fidelium morum merita, iustis præmiis compensamus; eiusdem Magistri* Andreæ *seruitia, vt aliis exemplum fierent, in animum duximus reuocanda. Inter quæ, quod erat inter omnia eius seruitia præcellentius & quod præferentius, referemus. Cum enim in foro, nobis & nostris, vt credimus, ex diuina vltione, grauis instaret persecutio Tartarorum, (b.) & equus noster, cui insidebamus, ilia traheret, quasi fessus; idem* Andreas, *ex speciali fidelitatis ardore, quantum in ipso erat, nostram, suæ præponens salutem, equum, quem habebat agilem & velocem, nobis tradidit libera voluntate, ipso & fratre suo, peditibus derelictis: in quo casu, frater eius, per Tartaros exstitit interemptus. Ad hæc, idem Magister* Andreas, *iugi laborum instantia & sollicitudine diuturna, castrum (c.)* Thurócz, *munitissimum fecit construi, in nostro dominio semper permansurum, vbi se quamplurimi nostrorum ad tutiorem - - poterant collocare: quod sibi similiter ad maxima fidelitatis indicia reputamus. Hæc igitur, & alia fidelitatis ipsius merita, quæ disserere per singula, longum esset, tota benignitate pensitantes, vt ipsius exempli similitudine, ceteros ad fidelitatis opera, promptius accendamus, petitioni ipsius, hac in parte, fauore debito, duximus concedendam terram* Ghymes, *adiacentem terræ suæ* Gym, *vbi, vt præmisimus, castrum habet, sibi, & per eum, suis hæredibus, hæredumque successoribus conferimus. Cuius siquidem metæ, sicut Venerabilis in Christo Pater Episcopus (d.) Nitriensis, nobis scripsit, taliter distinguuntur. Prima meta incipit a terra Villæ* Colon, *Ecclesiæ* Zoborienſis, *in loco, vbi sunt tres metæ de terra erectæ; hinc autem progrediendo, tendit sursum, per geminas metas ad montem,* Pliska *vocatum, & ibi per cacumen montis eiusdem legitime interpositis, procedens descendit ad quandam metam terream, inferius, vbi contignatur terra ipsius Magistri, a qua similiter nuncupatur* Ghymes, *quam ex*

b.) Ad pugnam apud amnem Sajó, infeliciter cum Tartaris, commissam, Rex omnino respicit. Prælii historiam, videsis apud Thúróczivm Chron. Hung. Parte II. cap. LXXIV. p. 78. & apud Bonfinivm Dec. II. Lib. VIII. atque suo loco, a nobis recognitam.

c.) Monemus lectorem, vt ad origines has arcis, animum aduertat, quas dedimus, Operis Tomo II. p. 349. seqq. in Hist. Comitatus Thùròczienſis. Acceptam ab Andrea arcem in cœnobium postea vertit Bela. Hodie Znio dicitur.

d.) Fuit is Nicolavs I. cuius mentionem, in *Episcopis Nitrienſibus*, habuimus.

Digitized by Google

ex donatione regia poſſedit. Ibi deſcendit in quandam viam in formam crucis factam, quæ vulgo Kereſzt-Ut *dicitur, & per vnam partem eiusdem viæ reflectitur, verſus caſtrum eiusdem* Andreæ, *ad quendam riuulum,* Uttyos *nuncupatum; & ſic continuata, vtraque terra* Ghymes, *ſcilicet, tam iſta, quam illa, tendit ſuperius per metas legitimas, vsque ad ſummitatem montium, qui* Berch *vocantur; & per idem* Berch, *conterminat terra nobilium, de villa* Elephant: *& ſic cum iisdem tenens terminos, procedit per* Berch, *vsque ad terram* Kosztolan, *emptitiam videlicet Magiſtri ſupra dicti, vbi ſunt duæ metæ angulares, de terra formatæ. Vbi autem eadem terra* Koſztolan *reclinat verſus montem* Ghym, *in quo eſt caſtrum ſupra dictum, & ſic procedens per duplices metas, adſcendit per eundem montem, tranſiens prope caſtrum, quantum iactus lapidis parui poteſt fieri per manum, & ibi paullatim procedendo ſunt duæ metæ terreæ conſtitutæ. Hinc etiam tenens terminos, cum eadem terra* Koſztolan, *procedit in continens per* Berch, *& deſcendit in vallem, vsque ad terram* Ledecz, *villæ videlicet Archiepiſcopi Strigonienſis, vbi ſunt duæ metæ de terra fundatæ. Ibi autem adiacens eidem terræ* Ledecz, *extenditur vlterius, ſicut viſu percipi potuit, per ſpatium, quantum extractus arcus ſagittatorum poteſt capere duplicatus: & ibi ſunt duæ metæ angulares terreæ. Hinc vero excedens per quandam ſemitam, inter ſiluas incipit tenere terminos, cum villa* Nemcſicz, *& ibi - - - - ex parte ſiniſtra verſus meridiem habita quandam meta terreæ, quæ tenet terminos inter villam* Nemcſich *& villam* Jank. *Poſtmodum autem tendit ad quandam metam terream, diſtinguentem videlicet terram* Ghymes, *a terra* Janch; *debinc etiam progreditur vsque ad alteram metam, iuxta riuum* Uttyos *vocatum: abhinc ipſum riuum tranſiens, procedit vsque ad magnam viam, quæ ducit ad* Nitriam, *vbi eſt meta de terra facta. Hinc procedens, regreditur ad priorem metam, vnde prius inceperat, vbi, vt ſupra dictum eſt, ſunt tres metæ, de terra erectæ: hoc itaque circuitu totaliter terminatur. Vt igitur præſens donatio, robur obtineat perpetuæ firmitatis, ne in poſterum valeat modo quolibet impugnari, præſentes litteras conceſſimus, duplicis ſigilli munimine roboratas. Datum per manus* Magiſtri Smaragdi, *Præpoſiti Albenſis, Aulæ noſtræ Vice-Cancellarii, dilecti & fidelis noſtri. Anno Domini,* Milleſimo, Ducenteſimo Quinquageſimo Sexto, *Regni autem noſtri, vigeſimo primo.* Hactenus priſcæ illæ tabulæ.

§. II.

Vſus adſcripti diplomatis:

VIſum eſt, integrum diploma adſcribere, idque haud ſine ratione; præter arcis enim exordia, primum, vniuerſæ gentis Forgáchianae parentem, atque conditorem ampliſſimarum fortunarum, in luce collocat; vt refelli iam poſſit Bonfinii (*e.*) error, qui arcem *Ghymes*, ob cæſum Carolvm II. Blasio Forgách ab Elisabetha & Maria reginis donatam, memoriæ prodidit. *Ex* Blaſii, inquit,

refellitur Bonfinius:

e.) Decade III. Lib. I. p. 364, 42.

quit, *genere, qui ad* Ghymes *oppidum dominantur, propogati esse traduntur, atque id* Blasio, *pro facinoris huiusce mercede, datum esse perhibent.* Hinc, & notum illud in vulgus celeusma, quo Elisabetha ad rem impauide gerendam, excitarit Blasivm: *Vágd! vágd! Forgách! tiéd léfzen Ghymes és Gáts,* retundi potest. Nam *Gáts* arcis (*f.*) ne mentionem quidem illis temporibus reperias, venitque ea seculo demum XVII. in *Forgáchiorum* potestatem; *Ghymesum* vero, inde ab ipsis gentis incunabulis: quippe, ab *Andrea* excitatum, perpetua successione possederunt. Nisi narratiunculæ illi, præsidii quidpiam inde parari possit: potuisse, Blasii tempore, in ære alieno hæsisse *Ghymesum*, redditum ei, ab *Elisabetha*, & *Maria*, reginis. Huc, credo, spectabit illud, quod in *Tabulis Forgáchiorum* Genealogicis, in vita Blasii huius primi, ad calcem legitur: *Reaquisiuit*, inquit, *Ghymes:* quod, & ipsum tamen, e vulgi sermonibus, in Forgáchiorvm documenta irrepsisse di potest. Quidquid eius sit, iustiora omnino, non arcis modo exordia, sed incrementa quoque fuere. Petrvs enim I. *Forgách, Janitorum Regalium Magister*, idemque *Comitatus Nitriensis* Supremus Comes, (*g.*) cum Nicolao V. Forgách, Filio *Johannis III.* a Sigismvndo rege, nouam donationem, (*h.*) vt vocant, seu diploma (*i.*) impetrauit, quo sibi, non arcis modo, sed vicorum simul XLIII. perpetua intemerataque possessio, iterum iterumque, confirmabatur. Inde, mansit penes *Forgáchios* Ghymesum, fuitque, nunc vni, nunc iterum pluribus, ex ea gente, obstrictum: eatenus autem omnibus commune, quod se *perpetuos de Ghymes*, dicerent. quo quidem titulo, hodieque vtuntur omnes, qui, siue in *Comitibus*, siue in *Baronibus Forgáchiis*, censentur.

§. III.

f.) Confer historiam Comitatus Neogradiensis Parte II. Memb. I. Sect. I. in descriptione arcis Gats §. I. vbi fabellam hanc retudimus, eodem hoc Tom. IV. p. 53.

g.) Obseruet Lector, adhuc Sigismvndi temporibus, *Laicum*, vt vocant, nondum vero *Episcopos*, axiomate *Comitum Nitriensium*, perfruitos fuisse.

h.) Dedit ea, litis quidpiam, cum anno MCCCXCVII. ritu solemni, publicaretur. Nimirum, Petrvs, & Nicolavs, Forgachii, tributis, seu vectigalibus, onerarant, iam antea, *Archiepiscopi Strigoniensis*, subditos, quem morem, priuilegiis suis aduersantem, abrogatum cupiebat, eius ætatis Archiepiscopus, Iohannes de Kanisa: atque effecit sane, vti, regis Sigismundi auctoritate, a violentiæ illo genere, arcerentur; vti est in diplomate.

i.) Exstat ea, in Tabulario, seu Archiuo gentis, Csejtae, sub vocali, A. n. 1. & 2. Fragmentum autem eius, in *Annalibus Eremiterium*, Lib. II. c. XVII. p. 186. legas. quod, quia momenti quidpiam, ad illorum temporum historiam continet, nihil piget ithic adscripsisse: *Idem*, inquit Petrvs, *culmini nostro, in quamplurimis nostris, & regni nostri negotiis, sub diuersitate locorum & temporum, & specialiter in custodia, tuitione regni nostri, a parte Morauia, &* Johannem *ducem de Bathor, eiusdem regni nostri, & fuorum confinionum temerarios inuasores, præsertim, qua in præsenti nostra expeditione, contra prafatos* Procopivm, & Johannem *Ducem, per majestatem nostram instaurata, terraque annotati* Johannis *Ducis inuasione, desolatione, denastatione & depopulatione, non sine maximo persona sua discrimine, & sanguinis copiosa effusione, nobis cernentibus, studuit complacere, & se ipsum coram oculis nostra Maiestatis serium reddere & acceptum.* Ista anno MCCC. die *Nicolao Episcopo* sacro, a Sigismvndo, *Szakolcza* perscripta sunt.

Digitized by Google

§. III.

NVnc, arcem ipſam, propius contemplemur. Ab *Andrea* conditam fuiſſe, diploma nos docuit. Id vero, poſt annum MCCXLII. eueniſſe, domeſtica gentis monumenta, loquuntur: hoc eſt: eodem illo tempore, dum decedentibus *Tartaris*, reſpirare cœpit *Hungaria*. Proinde, exiſtimarim, hoſtium metu, impune, tota regione, graſſantium, arcem excitari cœptam, vt haberet perfugium, *Andreas*, quo ſe, ſuosque reciperet, re trepida dubiaque. Ergo, poſt funeſtam, Belae IV. cladem, forte, anno MCCXLIII. molis fundamenta iaci oportuit, quæ octennio poſt, ſubſtructa prorſus fuerit, conſummataque. Impoſita ea eſt, celſo petroſoque monti, cuius circum latera, ſiluæ conueſtiunt. Aditus certe impediti eſt, quem aquilonari plaga, vnicum habet. Tametſi vero vna mole, arx tota continetur; tamen, diuiſa trifariam eſt. Prima, & quæ obiicitur intrantibus, hoſpitia fere habet præſidiariorum, ſtabula item, & opportunitates accipiendæ familiæ, etiam numeroſiori, idoneas. Vltra, prætorium exſurgit in hypocauſta, triclinia & fornices, diſtributum. Poſt hoc, munitiones ineunt, vaſti firmique operis, quæ propagatis circumquaque mœnibus, hic atque illic, turritis propugnaculis, committuntur. Id damnaueris, quod puteo perenni careat. Inopiam certe aquarum, ciſternis, quas in duriſſima petra cauarunt, leuare cogitur. Nam, fons longius ſub arce ſcatet, quam vt ſine moleſtia hauriri ſemper queat a præſidiariis, vel qui arcem incolunt. Plures in arce ornanda, inſtaurandaque e *Forgáchiis*, ſumtus & operam poſuere. Anno MDCXIII. Sigismvndvs II. collapſam vetuſtate, pro eius ſeculi ingenio, non renouauit modo, ſed faſtoſis etiam tricliniis inſtruxit. Toto poſtea ſeculo, iisdem ornamentis ſuperbiit; dum iniuria temporum, & decus illud detritum, & arx, cum vicis compluribus, pignori oppoſita eſt. Tandem, vt gentis *Forgáchiana* dignitati conſuleret, *Paullus IV.* ære alieno liberatam, prorſus ſuam fecit, atque anno MDCCXIII. iterum iterumque, egregio ſucceſſu, inſtaurauit. Hic ille Pavllvs eſt, qui raro, ad noſtram memoriam, exemplo, ſeptem liberorum parens, quos ex *Emerentiana Maria de Révva* ſuſtulerat, vxore, anno MDCCIII. ipſis Calendis Januarii, orbatus, anno dein MDCCXII. *Chriſtiano Auguſto*, Cardinale de Saxonia, adminiſtro, ſolemni conſuetoque ritu, *Dominica Oculi*, ſacerdotio initiatus, poſteaque indulgentia Caroli VI. regis optimi, *Epiſcopus Roſonienſis* ſalutatus eſt: cum maritus quidem, annos, cum dimidio, ſeptem, viduus octo, atque trimeſtre, exegiſſet. Nunc Pavllvs V. (*k.*) huius, quem laudauimus, Pavli IV. primogenitus, arcem, cum vicis aliquot, a patre & cohæredibus, iuſto partam

Arcis conditoribus:

eius ſitus:

moles tripartita:

aquarum inopia:

qui in ornanda inſtaurandaque arce operam poſuerint:

laus Paulli IV. *Forgáchii:*

Eſt hodie in poteſtate Paulli V.

k.) Dum hæc poſtremis curis recognoſcimus, Præpoſitus Poſonienſis; Capit. Váradienſis Lector atque Canonicus, & *Sabarienſis Epiſcopatus*, quem condere parat Carolvs Imperator & rex Hungariæ, denominatus *Adminiſtrator*.

ære, obtinet, facitque in dies insigniorem. Præterquam enim, quod, quæ a genitore instaurari cœpta sunt, eximia, hic atque illic, operum accessione, consummauit; sacellum, turrito fastigio, atque intus, aris picturisque conspicuum, veteri prætorio, coædificauit. *Feliciter!*

IV.

Arx Schempte, siue Schintauia.

SYNOPSIS.

Schemptæ *situs: eius fata: sub* Botskaio: §. I.

Sub Bethlenio: *obsidetur a* Bucquoio, *& capitur: redditur* Thurzoni §. II.

Eadem arcis fortuna, tumultuante Rákóczio: *defensatur aduersus Turcas: præfecti insolens facinus: abeunt irrito conatu hostes.* §. III.

Munitur nouis operibus & præsidio: reiicit sæpius Turcas: feminæ huiatis virtus. §. IV.

Turbæ Tökölianæ *&* Rákóczianæ, *arci damnosæ: venit in Hungarorum potestatem.* §. V.

Prisci Schemptæ *possessores: hodie cui pareat, quoque sit habitu?* §. VI.

§. I.

Schemptæ *situs:*

CIteriorem *Vagi* ripam, SCHEMPTE, duobus, infra *Galgóczium*, milliaribus, insedit, eo positu, vt hinc quidem oppido *Szered*, quod apud *Pisonienses (a.)* vidimus, illinc amni hæresat. id vulgo, errori locum fecit, vt non raro, arx *Szeredienſis* vocitetur. Atque, mirum sane videri possit, quid in mentem venerit, primis illis metatoribus, qui, connexam oppido arcem, a *Pisonienſium* finibus, nihil dubitarunt dirimere, eamque adscribere *Nitrienſibus*. Nimirum, credere fas est, aliter olim *Vagum* tenuisse cursum, quam id hodie videas; saltem, ad modum insulæ, arcem forte ambiuisse. Diserte BONFINIVS *(b.) Vagus, Tyrnauiam & Schempten interluit.* quod tamen de oppido accipi oportere, credunt alii. Quidquid eius sit, ab immemorabili ætate, *Nitrienſibus* arcem fuisse adtributam, certum est, fuitque, ob *Vagi* traiectum, opere non minus, quam adlapsu amnis, munita, vt potuerit non vnam obsidionem tolerare. BELAE IV. ætate, exstabat iam castrum: quod nos, *Aurea Bulla* docuit, qua is *Thúróczienſem Præpoſituram* fundauit dotauitque. Diserte illic *Caſtrum Semptey*, legas. Alioquin, recentius esse, opus hodiernum quam est oppidum, in eius descriptione, monebimus. Anno dein MDXLVII. publica comitiorum sanctione *(c.)* in sedem *Supremi Capitanei*, destinabatur. Cum *Bots-*

eius fata:

a.) Tomo II. Parte Speciali, Membro II. Sect. II. §. II. p. 208.

b.) Decadis IV. Lib. IX. p. 669, 33.

c.) Articulo XIX. quem vide.

Digitized by Google

Botskay nouas res molitus, Hungariam vniuerſam peruaſiſſet, iamque, hinc quidem *Tyrnauia*, *Nitria* illinc intercepta, *Piſonienſibus* imminneret; *Stanislaus Thurzo*, poſtea Regni Hungariæ Palatinus, diutius iſthic latuit. *Stanislaus Thurzo, eo tempore* Sintoviae, nam & ſic dici, *commoratus, Tyrnaviaque & Nitria, duobus locis, veluti indagine intercluſus, vt ſubditis ſuis, ne ferro & igne vaſtarentur, conſuleret, deditione facta, ad eam factionem tranſiit.* Verba ſunt Istvánffii. *(d.)* *ſub* Botskaio.

§. II.

Neque meliore fato fruebatur, quando *Bethlenius*, nouo turbine, Hungariam conuerruit. Acceperant duces ſui in fidem *Schintauiam*, quodque opportunum, ad *Piſonienſes*, traiectum tutaretur, acri e *Hajdonibus* præſidio, communiuerunt: vt neceſſum omnino habuerit *Bucquoius*, ad obſidendum *Ujvarinum* hac, anno MDCXXI. cum exercitu profectus, caſtrum obſidione cingere, & tormentis non modo, ſed facto etiam, ſemel atque iterum, adſultu, infeſtare, dum victas manus darent præſidiarii. Ita Ivlivs Bellvs *(e.)* qui eius tempeſtatis res geſtas in litteras retulit: Schintavio *deditionem facere recuſante*, Bucquoius *illud obſedit, & tormentis pulſauit; cui demum aliquot tormenta ſubmiſſa fuerunt. Ille autem, impetu in obſeſſos facto, cum bis repulſus fuiſſet, continuata tormentorum diſploſione, obſeſſos vehementer infeſtauit. qui tandem deditione facta, fidem Cæſari dederunt; ſed nullum externum præſidium recipere voluerunt.* Sed *Bucquoio* ad *Ujvarinum* cæſo, recidit iterum in *Bethlenianorum* poteſtatem; donec, inita pace, demigrantibus præſidiariis, *Staniſlao Thurzoni*, redderetur poſtliminio. *Sub* Bethlenio: *obſidetur a* Bucquoio, *& capitur*: *redditur Thurzoni.*

§. III.

Eadem arcis fortuna, & tunc fuit, cum *Rákóczius* tumultus concitabat. Rapiebatur, cum arcibus reliquis, in prædam, *Schintauia*, toties reddenda, quoties pax inibatur. Numquam vero, ſeu fortius, ſeu tempeſtiuius, ſe arx defenſabat, quam poſt captum a Turcis, anno MDCLXIII. *Ujvarinum*. Diu *Montecuculus*, ſupremus Cæſariani dux exercitus, *Vagi* ripam, ne transmitteretur a barbaris, defenſabat. Tandem, *Galgóczio*, metu potius, quam neceſſitate, aut vi alia, ſub poteſtatem redacto, *Schemptæ* imminebant hoſtes. Id opportune euenerat, quod immiſſo, e *Bauarica* legione quadam, protribuno, cui *Nicolao* nomen, cum quingentorum militum ſelecta cohorte, ante communiuerat arcem, *Montecuculus*, quam *Turcæ* amnem ſuperarent. Dilapſi, ad prædandum, barbari, ſepoſuere tan- *Eadem arcis fortuna, tumultuante Rákóczio.* *defenſatur aduerſus Turcas*:

d.) Lib. XXXIV. p. 626, 48.

e. Lib. V. p. 447. a. Fuit is iure conſultus, & hiſtoriarum ſecretarius. Inſcripſit librum: Lavrea Avstriaca: *hoc eſt*: Commentariorum de Statu Reipublicæ ſuitemporis, &c. Lib. XII. Quibus, ius hæreditarium inclytæ familiæ Auſtriacæ, ad ſucceſſionem regnorum *Hungariæ*, & *Bohemiæ*, demonſtratur, &c. *Francofurti* A. MDCXXVII. folio. Adde Ortelivm Parte II. p. 81. a.

tiſper *Schemptæ* oppugnandæ curam, dum regionem, vsque vltra *Morauum*, & hominibus exinanirent, & armentis. Id, vbi *Vezirio*, qui tunc ad *Ujvarinum* vaſa colligere incipiebat, nunciaretur, litteras, ad *Nicolaum*, arcis præfectum, mittit, maturandam, quatridui ſpatio, deditionem, mandat; quod ni properarit facere, ignem, ferrum,& diriſſima quæque minatur. Erat epiſtola Turcico ſermone,charactere autem Arabico, perſcripta. Miratus, inſolentes, ac prodigioſos litterarum ductus, noſter; ſe quidem argumentum epiſtolæ non intelligere, nuncio reſpondit, animo tamen præcipere, deditionem arcis ſibi imperari. Quod quia monſtroſa adeo epiſtola faceret *Vezirius*, neceſſitatem ſibi impoſuiſſe, vt par redderet pari. Tum vero (*f.*) correpta charta puriore, ſit honos auribus, nates eadem perpurgat, & fœdis notis, varie perlitam, ad epiſtolæ modum componit, atque per eundem tabellarium, ad *Vezirium* dimittit; ſimul præfatus, eum regionis ſuæ, qua ſit editus, morem eſſe, vt inſolens ſcripturæ genus, inſolentiore alio, accipiatur: veniret, ſi volupe eſſet, viros reperturum, quibus honeſta mors potior erit, ingloria caſtri deditione. Excanduit, ad hunc tam procacem fœdumque nuncium, *Vezirius*, & miſſo, aliquot millium exercitu, *Schemptam* obſideri iubet. Fecere illi mandata. Contra, *Nicolaus*, cum ſuorum cohorte, acrius, quam ſperarant hoſtes, arcem defenſare, & qua eruptionibus, qua telorum vario genere, obſeſſores vltra modum adflictare: vt profundiore tandem auctumno, conuulſis ſignis, frementes diſcedere cogerentur. Ita tunc, vnius viri obſtinatio, atque ingenium *Bauaricum*, ſaluti fuit, arci non minus, quam regioni circumſitæ.

præfecti inſolens facinus:

abeunt, irrito conatu hoſtes.

§. IV.

Munitur nouis operibus & præſidio:

PAce, anno MDCLXIV. conſequuta, retinuere *Ujvarinum* Turcæ, tametſi atrociter victi. Quare factum eſt, vt nouis operibus, cum vicinæ arces aliæ, tum *Schinta* (*g.*) communiretur, firmareturque idoneo, ad reſiſtendum, præſidio, ſi incurſionibus, inueterato ſuo more, ſuſtinerent *Turcæ* regionem fatigare. quod, vti euenit ſæpius, ita, non vnam cladem accelerauit hoſtibus. Deſertum credebant *Ujvarienſes* caſtrum; ergo, ſubiugandum ſubito, & *Turcico* muniendum præſidio, ſtatuunt. Miſſi, ad exſequendum deſtinata, trecenti *Janitſchari*, arci, nec opinantibus noſtris, furiarum ritu, adſiliunt. Concurritur intus ad arma, ruiturque in ſubeuntes, eo ſucceſſu, vt qua ſcloporum, qua tormentorum iactibus, multis cæſis, longe reiicerentur. At illi, iterare impreſſionem, & intra vallos ſe iniicere pergunt. Quo viſo, erumpunt præſidiarii, & vallis hærescentes adorti, paucis ſuorum deſideratis, in fugam coniiciunt. Inſtabant noſtri, neque ante ceſſarunt fugientes cæſim inſequi, quam in *Ujvarini* conſpectum propulſatos, centum quinquaginta capitibus diminuerent. Acceptam cladem anno dein MDCLXV. Pridie Nonas

reiicit ſapius Turcas:

f. Ortelivs, loco citato p. 289. b. ſeq. | *g.*) Idem inibi p. 362. b.

Digitized by Google

nas *Januarii*, vlturi DC. Turcæ, in ditionem *Schemptenſem* incurrunt, vicos complures expilant, poſteaque, acceptis obſidibus, maleficentiſſime exurunt; negata tributa, facinori prætexentes. In primis, anni MDCLXXXVII. memoranda hoſtium impreſſio eſt. Adcurrerant illi, profundo iam *Octobri*, vti armenta *Schintenſium* abigerent. Eo aduerſo, viri, iuxta & feminæ, ex arce proruunt, latrones depulſuri. Fit, inter leuiores armaturæ milites, cruenta velitatio; dum interim, feminæ puerique, armento circumfuſi, idem in tutum propellunt. Quod dum faciunt, equitis *Hungari* vxor, a *Turcis* intercipitur. Doluit, virilis animi feminæ, incidiſſe in ſeruitutem *Turcicam*, cumque metueret, ne gens belluina, corpore ſuo ad libidinem abuteretur; hoſtium ductori ſe commendat, ſpondet laſciua obſequia. Redibant, per dumos irati *Turcæ*, cum femina, cultro, qui ei ſuperabat, in præcordia, heri illius ſui, clam impacto, barbarum ſubito interimit, ſeque in fugam coniicit. Inſequuntur, qui pone equitabant, fugientem, tres alii *Turcæ*. Reſiſtit illa imminentibus, atque eodem teli genere vſa, tam diu reluctatur, dum lethali vulnere, ſauciatis hoſtibus, intra opacum dumetum, ſe conderet; victor ad ſuos, veſpere eiusdem diei redux. Tantus, ea tempeſtate, vel feminarum venis, calor inerat!

femina huiatis virtus.

§. V.

QVas inde *Tököly*, & poſt hunc, noſtra ætate, *Rákóczy*, turbas dedit, non potuerunt non, cum arcis periculo coniunctæ eſſe. Vterque certe, traiectum hunc inſedit, vt eſſet huc & illuc, commigrandi cum exercitu, expedita facultas. *Rákóczio* interim, haud incruenta fuit *Schemptæ* occupatio. Quia enim, a trecentis *Cæſarianis*, quibus protribunus *Caliſius* præerat, & *Hungarorum*, inſigni præſidio tenebatur, omnibus autem paratior ad moriendum pro *Cæſare* deſtinatio fuit, quam vt perduellioni nomina darent; diu, cum inermi alioquin arce, hoſtibus colluctandum erat. Ceſſit, ad vltimum pertinaciæ, fuitque poſtea cis-Vaganæ regionis, aduerſus *Auſtriam*, & *Morauiam*, calamitatum quaſi quædam officina; maxime poſt *Schlikium*, e montanis vrbibus, haud ſine clade, reiectum. Bertsenivs, *ſpoliis tam opulentis, depulſique Germani gloria ſuperbus*, inquit Wagnervs (*h.*) *non iam intra valles tenet ſe; ſed Vago traiecto, pone Tyrnauiam, cum millibus duodecim, caſtra metatur, ſimul Auſtriæ, Morauiæque limitem, incredibili trepidatione concutit. Deinceps, eam ſibi conſilii amuſſim, eam belli rationem tenendam propoſuit, vt contractis ad Auſtriæ fines, potentiæ neruis, in Poſonienſi, ac Nitrienſi Comitatu, belli ſedem conſtabiliret.* Hæc, anno MDCCIII. procliui in hiemem auctumno, euenere, fuitque demum, vsque ad *Trentſchinenſem* victoriam, qua annus MDCCVIII. nobilitabatur, idem, & arcis noſtræ, & Comitatus vtriusque, habitus. Nimirum, *Schempta* quidem, præſidio te-

Turbæ Tökölianæ & Rákóczianæ arci damnoſæ:

venit in Hungarorum poteſtatem.

h.) Libro XVIII. p. 749.

tenebatur, deditque *Rákóczianis* ducibus, in primis *Bertſenio*, hoſpitium; regio autem, *campus* quaſi *Martius* habebatur. In quo, datis acceptisque cladibus, magno incolarum damno, toto luſtro, *Hungari*, tumultuarentur.

§. VI.

Priſci Schemptæ poſſeſſores:

PRiſca illa ætate, cum nondum peſſumierat Hungaria, ad *Roſzgoniorum* gentem, arx, iuxta & ditio vniuerſa, adtinuit. Hæc, vbi eſſe deſiit, ab *Alexio Thurzone*, magnarum opum & clientelarum viro, indulgente FERDINANDO I. poſſidebatur. cuius eam hæredes, toto fere ſeculo, obtinuere; dum & hi, emorerentur penitus. Atque tunc quidem, opimæ *Thurzonum* ditiones, ad annum fere MDCXLVII. varie diſpertitæ ſunt. Et *Schemptenſem* quidem, *Ladislaus Eſzterházy;* Galgóczienſem, *Adamus Forgách;* Scepuſienſem, *Stephanus Csáky;* reliquas, ſexus feminei ſucceſſores, accepere. Ita, nimirum, ſunt opes humanæ, vt quas longior ætas coaceruauit, vnius eas diei caſus disiiciat. Hodie, *Comiti Joſepho Eſzterházy*, & arx paret, & adſcripta ei ditio. Ad munitiones, quod adtinet, quia aggeribus ad regulam eductis, quos quatuor angularia propugnacula committunt, conſtabant, deradi, fierique in annos ſingulos, humiliora, obſerues. Hos, laxa fouea circuibat, *Vagi* illuuione, nunquam non offuſa. Intus, orientali propugnaculorum regioni, concamerati fornices, ſuberant, militi accipiendo deſtinati; ſed, quos iam inculcu, & ruinis, ſqualere, ipſi vidimus. Reliquum, quod arci ineſt, ædificiorum, eleganti, & commodo, ad habitandum prætorio, turri item valida, & ferendis tormentis idonea, inſtructum eſt: quæ iam ſingula, multum priſtini cultus recepere, prorſus, ex ingenio heri facta. Aditur porta vnica, oppido obuerſa, quam domeſtici ſatellites obſeruant. Hic carcer viſitur, ſub propugnaculum retruſus. quo ſontes herilis ditionis, concludi moris eſt: cetera adparatus bellici inops. Secedit *Nitria*, tribus, in occidentem milliaribus.

Hodie, cui pareat, quoque ſit habitu?

SE-

Digitized by Google

SECTIO II.
DE
Oppidis Proceſſus Nitrienſis.
PROOEMIVM.

EPISCOPALEM Ciuitatem, quomodo decreta regni, & diplomata vocant, in arcis deſignatione vidimus; Nitriam ſcilicet, hodieque, & laxe habitatam, & copioſe. Reliqua iam oppida ſuccedunt, quibus *Proceſſus Nitrienſis* colitur. *Ujvarinum* in his maxime celebre eſt; cuius tamen hiſtoriam, pro fatorum varietate, nunc expromſimus, cum ortus, conuerſiones, & occaſum munimenti, pro eo, ac decuit, in litteras referremus. Ergo, tenuiora quædam ſuperant, quæ ſaltem memorauiſſe, lectorum intereſt.

SYNOPSIS.

I. Svrán:
Suránii *priſta celebritas: fuit oppidum militare, publica impenſa munitum: leges huc pertinentes: locus regioni defenſandæ idoneus: præſidiariorum in propulſandis hoſtibus virtus: hodiernus oppidi ſtatus.* §. I.

II. Sellye:
Prima Sellye *mentio peruetuſta: donatur a* Bela IV. *Præpoſitura Thúróczienſis: tranſit in iura ſocietatis JEſu: eius iſthic collegium & ſchola: oppidi & poſſeſſorum fata: disiicit Botskaiana ſeditio* Sellyenſes *ſcholas:* Pauli V. *Pontificis, pro ſocietate ad* Matthiam, *litteræ: Muſa Sellyenſes, Tyrnauiam demigrant poſtliminio: munitur poſtea oppidum.* §. II.

III. Ürmény:
Oppidi Ürmény *poſitus: heri: & agri.* §. III.

IV. Schempte:
Vetus & cognitum hiſtoriæ oppidum: prima eius mentio in Salomonis rebus: auctoris, de ortu caſtri, coniectatio: oppidi celebritas: error Bonfinii *geminus, emendatur: hoſpitio accipit* Wladislaum *regem*, Schempta. §. IV.

V. Mocsonok.
Oppidi habitus: incolarum ſolertia. §. V.

VI. Komjáthi:
Inſigne olim, munitumque oppidum: Forgáchii *R. H. Palatini ſedes.* §. VI.

VII. Ujlak:
Positus Ujlaki: *frequens oppidum, & ab Hungaris cultum: nondum dememinit Turcarum Ujvariensium iniurias.* §. VII.

§. I.

Oppidvm Svrán.

Suránii *prisca celebritas:*

Celebre olim, atque militare fuit oppidum; sed, fere iisdem fortunæ casibus obnoxium, qui *Ujvarinum* exercuerunt. Id vero, a vicinitate profectum putamus. Quia enim, milliari vnico ab *Ujvarino* discretum est, non facile, seu obsideri, seu oppugnari contigit, *Pergama* illa, quin, iisdem casibus circumcluderetur *Suránum*. Quocirca, operam dedere *Status*, & *Ordines*, ne, post captam a Turcis *Budam*, infestum item *Strigonium*, & confines circum arces, inerme esset oppidum. Fauebat instituto, castellum huias. quod ideo, & milite communitum legimus, & operibus, ad retundendas impressiones, idoneis. Ita habet anni MDLVI. (*a.*) decretum: *Domini* Országh *bona, vna cum bonis Domini* Bánffy, *& Præpositura in* Ujhely, *ad munitionem* Svrán. Iterabatur, anno MDLIX. (*b.*) sanctio; sed ad eum modum, vt muniendi *Suráni* cura, *Nitriensi*, & *Trentschinensi*, Comitatibus, mandaretur: *Comitatus Nitriensis & Trentschinienſis ad Nitriam, Ujvár, Komjáthy, &* Svrán, *iuxta constitutionem proxime celebrati conuentus Posonienſis, laborent:* operis *Christophori Országh*, ad suas ipsius arces, delegatis. Durauit ea lex diutius, adscrebaturque plurium comitiorum consultis, anno puta, MDLXVII. (*c.*) anno item MDLXIX. (*d.*) ac denique, anno MDLXXVIII. (*e.*) Anno tamen MDCVIII. (*f.*) nulla amplius *Suráni* mentio; sed nec anno MDCIX. (*g.*) recurrit: forte, quod in iis castellis numerabatur, quorum muniendorum ratio, arbitrio & auctoritati *Palatini*, qui tunc *Stephanus Illésházy* fuit, permittebatur. Par, & anno MDCXIII. (*h.*) silentium de *Suráno* obseruues: dum iterum, anno MDCXVIII. (*i.*) *pertinentia arcis Surán* eidem muniendæ adscribuntur: quod & anno MDCXXII. (*k.*) repeti, atque annis MDCXXV. (*l.*) item MDCXXX. (*m.*) confirmari videas. Postea, nullam *Suráni* mentionem reperio; forte, quod anno MD CLXIII. *Ujvarino* a Turcis capto, *Suránum* quoque, ob vicinitatem nimiam, in eorum concessit potestatem. Interim, capi hinc potest argumentum, multum interfuisse rei *Christianæ*, ne immunitum, pro eorum tempestatum ingenio, oppidum relinqueretur. Alia profecto, eiusdem *Nitriensis Comitatus* castella, ne essent regioni noxia, publicis

fuit oppidum militare, publica impensa munitum:

leges huc pertinentes:

locus regioni defendendæ idoneus:

a.) Articulo peculiari XIII.
b.) Articulo XXVI.
c.) Artic. XVII.
d.) Artic. XIX.
e.) Artic. XXVII.
f.) Artic. XV. [post coronat.
g.) Artic. LXI.
h.) Artic. VIII.
i.) Artic. XLIX.
k.) Art. XXXVI.
l.) Art. XIX.
m.) Art. III.

Digitized by Google

cis decretis, ſolo æquari iubebantur. *Et quia in eodem comitatu Nitrienſi, ſunt certa caſtella, videlicet*, Ondród, Thornócz, Veche, & Babiosháza, *omni munitione & præſidio deſtituta, ita, vt ſi hoſtis illa, quod facile fieri poſſe videtur, occupet, toti Comitatui maximo detrimento ſint futura; concluſum eſt, vt ſtatim per Comitatus diſtrahantur.* Verba ſunt decreti anni MDLIX. (*n.*) Alioquin, valuiſſe, in propulſandis hoſtibus, virtute, *Suráni* præſidiarios, non vna id occaſione teſtatum fecere; tunc vero cum primis, vbi *Strigonienſes Turcæ*, capta expilataque *Leva*, præda onuſti, ad ſuos redirent. Digna relatu victoria eſt, quam ad hunc modum Istvánffyvs memorat: *Quum* Bartholomæus Horváthus, *qui Comaromii in præſidio erat, ab exploratoribus cognouiſſet, Turcas, Levam, de nocte profectos eſſe, id Franciſco Nyário, qui non procul* Suráni *erat, per expeditos equites, mature ſignificauit; atque is cum trecentis, & quinquaginta equitibus, quos ad repentinum rumorem armare potuit, itineri ſe confeſtim dedit. Sed, quum ad* Kürtum *pagum veniſſet, non ſine graui mœrore* Horváthum *de ſuo aduentu haſitantem, Comaromium reuertiſſe cognouit. Interea, adductus eſt ei captiuus Turca, qui via ancipiti & tenebricoſa a ceteris aberrauerat, a quo, hoſtes in reditu eſſe, comperit: & ad reuocandum* Horváthum *ex templo, citato curſu, equites mittit. Copiis etiam Morauicis, qua in æſtiuis ad Vagum flumen, circa oppidum* Selleium *conſtiterant, ac ſuis, quos* Suráni *reliquerat, militibus, ſerio mandat, vt maxima adhibita celeritate, & feſtinandi diligentia ad ſe venire maturent. Qui, quum absque mora e propinquis locis properantes adfuiſſent, hoſtes, in veſtigio perſequi cœpit: quos, quum haud multo poſt, in campis ad* Salcam *oppidum, (eſt locus inter Levam & Strigonium) aſſecutus eſſet: atque ii, viſis noſtris, reperto vado, Hippolum fluuium transiiſſent: noſtri, eodem vado, concitatis equis, celeriter ſequuti ſunt. Ibi* Nyarius *ſuis, ſiſtere pauliſper gradum iuſſis, ſub extremi ſupplicii pœna prohibet, ne turbatis ordinibus, quos in tres acies diuiſerat, pugnam capeſſant: ſed ſeruato militaris diſciplinæ tenore, ſimul in hoſtem, inclinatis haſtis irruant; nemo ex eis ante hoſtium fugam ad capiendas manubias, aut ſpolia, feratur: nemo, ad capiendum hoſtem, equo deſcendat; qua edicti ſeueritate promulgata, in hoſtem deferuntur, quum meridies eſſet, & pugna atrox crudelisque, & diu anceps exoritur, ita, vt neutro inclinante victoria, adueſperaſceret. Poſtremo, occidente ſole, hoſtium equitatus, deſertis* Janiceris, *terga vertere cœpit; quod noſtri recentiores, eos, & equos eorum, longo nocturni diurnique itineris labore fatigatos, vehementius vrgerent. Nam, feruente adhuc pugna,* Laurentius Zoltaius, *Paulli Strigonienſis antiſtitis equitum præfectus, Huſainum, equitum decurionem, quem Turcæ* Odalbaſſam *vocant, inter primos prælium cientem, ſuosque adhortantem, haſta interfecerat: multique, ſimul cum illo, occubuerant. In ea fuga hoſtium, quum* Janiceri, *ab equitibus deſerti, profugere pedibus non poſſent, magna ex parte cecide-*

præſidiariorum in propulſandis hoſtibus virtus.

n.) Artic. XXVI.

re. Per hunc modum, victoria, quæ diu in ancipiti ſteterat, propitio numine diuino, ad noſtros inclinauit: qui hoſtes, per nemora & montes, ac deuia quæque fugientes, & palantes, venantium in modum perſequuti trucidare, cæſim punctimque occidere, deditos & ſupplices vincire & abducere: adeo vt ex equitum numero amplius quingentis, deſiderati fuerint; quum Janicerorum pauciſſimi Strigonium reuerſi fuiſſent. Neque enim viuum hoſtem quisquam, ante eorum fugam cepit, quod a Nyário, *& ducibus fuerat interdictum: neque colligendorum ſpoliorum cauſſa equo deſcendit: niſi pleno victoriæ prouentu.* Iam inerme eſt *Suránum*, & priſtinæ virtutis forte immemor.

hodiernus oppidi ſtatus.

§. II.

SELLYE.

Prima Sellyæ mentio peractuſa:

VEtus eſt oppidum *Sellye*, cuius prima mihi occurrit mentio, in *Aurea Bulla* regis BELAE IV. quam is, *Ordini Præmonſtratenſium Conuentus de Thúrócz*, anno MCCLII. indulſit; villa ſimul hac, perpetuis eius iuribus, adtributa; vbi tamen *Sala*, ſeu *Schala*, legitur, ex quo, temporis, & pronunciationis lapſu, *Sellye* factum eſſe, palam eſt. Ita vero habet aurea bulla: *Dotantes idem monaſterium, datis, conceſſis & collatis eidem pleno iure, duabus partibus tributi portus, & pontis de* SALA. Et paullo poſt: *Contulimus etiam dedimus & donauimus, fratribus in dicto monaſterio Domino famulantibus, vtramque villam* Sala: *illam videlicet, in qua eſt Eccleſia in honore Beatæ Virginis Margarithæ; & illam, in qua eſt Eccleſia in honore Beatæ Virginis Eliſabeth.* Ac denique: *Prima meta terræ* SALA, *incipit a parte orientali.* Addiſcas hinc, vicum tunc fuiſſe *Sellye*, ſed, quando quæſo donatum oppidi axiomate? non habeo dicere. Ex eo tempore, manſit, in *Ordinis Præmonſtratenſis* poteſtate, oppidum; donec, poſt varias conuerſiones, *Patribus Soc.* IESV, adtribueretur: qua de re, in hiſtoria *Præpoſituræ de Thúrócz*, *(o.)* profuſa diligentia egimus. Nobilitauit oppidum, exeunte ſeculo decimo ſexto, translatum huc, *Societatis* IESV, collegium ſcholæque. Apud Thúróczienſes hucusque hoſpitabantur ſocii. Hinc, ſiue temporum iniuria, ſiue prouidentia patronorum, decedentes, *Sellyam*, anno MDLXXXXVIII. ſedes transportauere. Ergo, anno, qui ſequutus eſt MDLXXXXIX. collegium excitari cœptum, breui, non Patrum modo, ſed ſcholarium etiam numero, inualuit: manum operi, *Franciſco Forgáchio*, iam tum *Nitrienſi* epiſcopo, ſtrenue admouente. Annus fuit, barbarorum impreſſione funeſtatus, atque ſimul, niſi fata aliter voluiſſent, *Sellye*, perniciabilis. Narrabimus rem, *eruditorum Tyrnauienſium (p.)* verbis, ne ignoretur periculi magnitudo. *Erat*, Tartarorum irruptio, *quam-*

donatur a Bela IV. *Præpoſitura Thúróczienſi.*

tranſit in iura Societatis Ieſu:

eius ibidem collegium & ſchola:

oppidi & poſſeſſorum fata:

o.) Tomo II. in *Comitatui Thúróczienſis Hiſt.* Membr. IV. Sect. III. §. V. *ſeq.* p. 353. *ſeq.*

p.) In Progreſſu Almæ Archiepiſcopalis Societatis Iesv Vniuerſitatis Tyrnauienſis &c. p. 25. Adde FRANCISCI KAZY, S. I. Hiſtoriam Vniuerſitatis Tyrnauienſis paſſim. Prodiit *Tyrnauiæ*, A. MDCCXXXVII. forma quadripart.

Digitized by Google

quamquam bonis omnibus formidanda, at Comitatui Nitrienſi, in quo Sellya *ſita eſt, longe luctuoſiſſima. Circumiacentes pagi, & oppida vndique iniecto igne conflagrabant, homines, qui fuga ſaluti ſuæ conſulere non valebant, in ſeruitutem abducebantur. Horrendum erat videre, multa hominum millia, partim curribus, partim pedibus, cum omni ſua ſupellectile, & ſubſtantia, miſere fugientium, peracerbeque lamentantium, vias, & campos, a* Sellya, *Poſonium vsque, compleuiſſe. Idem malum impendebat* Sellyenſibus, *ni propitio Numine, ex Comitatu Poſonienſi, parua quidem, at valida militum manus, ſubſidio miſſa fuiſſet: nam cum Tartarus onuſtus præda (legens enim ripam Vagi prædando, ſuperauerat* Sellyam *ſtadiis compluribus) cum inquam grauis ille captiuis, ac multiplici ſupellectile, Tartarorum exercitus, iuxta* Sellyam *rediret ita prope, vt ex collegii tecto, & a ripa Vagi commode videri poſſet,* Wolffgangus Somogyius, *miles egregius, milites, quorum tum ductor erat, eductos ad ripam Vagi, explicatis vexillis, ac ordinata acie conſiſtere iuſſit, vt ſcilicet Tartari id ſpectantes, ab iniuria,* Sellyenſibus *inferenda, arcerentur. Succeſſit, DEO fauente, auxilium: nam ingens ille Tartarorum exercitus, a mane, ad horam prope ſecundam poſt meridiem, longo ordine, tranſire ſpectatus, præter metum, quem iniecit, nihil incommodi afferre auſus fuit. Attamen, vt in tam repentina calamitate fieri amat, ſtudioſi, cum Magiſtris ſuis, pars Thúróczium, pars Poſonium dilapſi ſunt, quisque ſe in tutiora recepit.* Fame hinc, cum vniuerſa *Hungaria*, tum *Sellya* etiam, & noui eius alumni, anno MDC. laborauere, tam atroci, vt mortalium plurimi, inedia paſſim contabuerint. Pergebat interim adoleſcere, nuperum, apud *Sellyenſes* S. I. inſtitutum. *Botskaiana* poſtea ſeditio, *Sellyam* exercuit, quam annus MDCIV. dederat, confirmauerat quintus. *Quid agant, hic, in tanta rerum ac temporum calamitate, multis iam ſæpe malis tentatæ, Muſæ Sellyenſes?* inquiunt eidem S. I. eruditi *(q.) ab homine ſibi infenſiſſimo,* Botskaio, *nil niſi tormenta, mors, vel exſilium exſpectabantur; ergo, fuga ſibi conſulunt, vt non plane perirent.* Preſſit ea calamitas, *Sellyenſe* collegium, in annum vsque MDCIX. Tunc vero, Pavllvs V. Summus Pontifex, curam eius ſibi peculiarem eſſe voluit, litteris, ad Matthiam II. regem Hungariæ datis, quæ iſtiusmodi ſunt: Pavllvs Papa V. *Chariſſime in Chriſto Fili noſter! ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Præteritis perturbationibus Regni tui Hungariæ, expulſi fuerunt quatuor abhinc annis, vt accepimus, ex Collegio Sellyenſi, a fel. rec. Gregorio XIII. prædeceſſore noſtro, fundato, dilecti filii, pii, ac religioſi viri, Sacerdotes Societatis* Iesv, *bonaque Collegii ab* Illésházio *de facto occupata. Quanto autem cum Catholicæ religionis detrimento id factum fuerit, omnibus notiſſimum eſt. Propterea, valde ſolliciti ſumus, vt Collegium in priſtinum reſtituatur: ideoque a Maieſtate tua, etiam atque etiam petimus, vt Collegium, & eius bona, quamprimum reſtitui mandes. Quod tanto vehementius petimus, quanto magis certi ſumus,*

diſlicit Botskaiana *ſeditio* Sellyenſes *ſcholas.*

Pauli V. *Pontificis, pro Societate, ad* Matthiam *littera:*

q.) Ibidem p. 31.

de tua pietate, & Catholicæ religionis zelo. DEVM *quæſumus, vt te continua protectione cuſtodiat, & Maieſtati tuæ, cum omni charitatis affectu benedicimus. Dat. Romæ apud S. Petrum VIII. Idus Nouembr. M. D. CIX. Pontificatus noſtri anno Quinto.* Valuere hæ Pontificis preces, eo, vt commendatam ſibi MATTHIAS, ſociorum fortunam, haberet; quam ipſi tamen, temporum illi ingenio diffiſi, *Sellye*, immunito oppido, in primis, poſt captum a Turcis *Strigonium*, noluerunt porro credere. Itaque, *Tyrnauiam* iterum translati, iſthic, & ſedes poſuere, & aperuere ſcholas. Silenda hæc non erant, ne videamur, in oppidi celebritatem eſſe iniurii. Poſtmodum, inualeſcente *Turcarum* potentia, de *Sellya* munienda, cogitatio, publicis curis ſuſcipi debuit, referrique inter eius pacis conditiones, quæ, poſt acciſas, gemina victoria, ad *Lévam* hinc, ad *S. Gothardum* illinc, Turcarum vires, anno MDCLXIV. inibatur. Erat, nimirum conditionum ſeptima, vt *Neográdo*, & *Ujvarino*, in Turcarum faucibus relictis, integrum eſſet Cæſari, inter *Comaromium* & *Ujvárinum*, nouas munitiones ponere, *Sellya* autem ad *Vagum*, pro eo, ac luberet, ſuppar *Ujvarino* caſtrum excitare. Ex eius ergo pacis conditionibus, muniri cœpit oppidum, impenſa quidem publica, ſed lentiore, quod fit, ſucceſſu. Sempronienſi comitio, anno MDLXXXI. *(r.)* illic celebrato, vni, e Comitatus Poſonienſis, *proceſſibus*, Archiepiſcopi item bonis, & Comitatui Strigonienſi, muniendi eius cura laborque, iniungebatur. Ita lex: *Ad* Sellyam, *vnus Proceſſus Poſonienſis, cum Comitatu Strigonienſi, Boniſque Archiepiſcopalibus illic habitis, laboret.* Sed, eæ operæ, breui poſt, *Turcis* propulſatis, prorſus ceſſauere; quin & factæ e ceſpite munitiones, ſenſim ita decreuere, vt vix notari poſſint amplius: ſolo *Ieſuitarum* collegio aggeribus incincto adhuc. Paret hodieque oppidum, *Præpoſituræ Thúróczienſi*, & quæ huic dominatur, *Societati* IESV *Tyrnauienſi.* Inſedit citeriorem *Vagi* ripam, duobus, infra caſtrum *Schemptæ*, milliaribus, ſitu, ob amnis viciniam, non vndiquaque opportuno.

Muſa Sellyenſes, Tyrnauiam *demigrant poſtliminio:*

munitur poſtea oppidum.

§. III.

ÜRMÉNY.

Oppidi Ürmény *poſitus*

OPpidum ÜRMÉNY poſitu eſt eleuatiore, & aprico, ideoque multæ amœnitatis. Procurrit autem, vnico, ab occidente in orientem, vico; vbi, *Piſonio* venientibus, a dextris quidem ædes ſacra, a ſiniſtris, herile prætorium, ad ipſum oppidi ingreſſum ſe obiicit. Et Eccleſia quidem, ſolidi eſt operis, & capax concionis numeroſioris. Excitauit illam, ab imis fundamentis, ſua ipſius impenſa, LADISLAVS HVNYADY, tunc, apud Cancellariam Hungaricam, Cæſari & Regi CAROLO VI. a conſiliis, poſtea vero, anno ſibi emortuali, *Perſonalis preſentia Regia in iudiciis Locumtenens:* de-

r.) Artic. VII.

dedicauitque S. Ladislao, regi Hungariæ; ſiue id quidem, ſuo ipſius nomine admonitus, ſiue adductus peculiari, qua diuum illum coluit, religione. Prætorium, ad modum caſtelli, ita factum, vt & habitatu ſit commodum, neque importunum ruſticationi, eſtque nunc gentis *Hunyadiana* receſſus, an ſedes propemodum perpetua. Priſca ætate, atque in primis Belae IV. temporibus, in vicis cenſebatur, *Illmér* vocitatum, paruitque *Comiti Benedicto Korch*, ex quo gens, *Illméry de Illmér*, numeroſo traduce, propagata eſt. Ampliſſimo tunc fuit territorio: quippe, a *Vago*, vsque ad *Nitram* amnem procurrente; continebatque terrarum ea ſpatia, quæ hodie *Ivanka* vico, & *prædiis, Tarany, Püſtény, Tepülcſen* & *Iattó*, vetere iure, admenſa ſunt. Tandem, poſt initia ſeculi XIV. hoc eſt, ſub Carolo I. tantopere increuit *Illmériorum* familia, vt neceſſe fuerit, vnius vici territorium, inter plures diſpertiri. Ager, qui hodie oppido circumfuſus eſt, benigne fert, & vitem, & nullum non frumenti genus: quam naturæ bonitatem, adſiduitate agricolationis, pulchre in rem ſuam vertunt incolæ. Inſigne oppidum fecere, *Turcarum* caſtra, *(s.)* magno circumſitæ regionis malo heic exeunte ſeculo, ab *Ibrahimo* poſita. Diſſidet *Nitria*, duobus in meridiem milliaribus, eſtque, ſuo merito, in præcipuis, huius *Proceſſus* oppidis, cenſendum.

hortus

& ager.

§. IV.

Schempte.

Vetus & exquisitum historiæ oppidum:

prima eius mentio in Salomonis rebus:

auctoris de ortu castri coniectatus

APertum eſt, ſiniſtro *Vagi* latere, oppidum, ne hiſtoriæ quidem incognitum. *Schintaua* Slaui, Latini nonnunquam, *Schintauiam* adpellant: credo, vocabuli Germanici, *Schindau* imitatione. Vetus *Sempta* mentio eſt, quam in rebus *Salomonis*, apud Thúróczivm, *(t.)* & Bonfinivm *(u.)* reperio. Pulſus regno, a *Geyſa*, ad *Henricum IV.* Romanorum Imperatorem, *Salomon* confugerat, vt auxilia impetraret aduerſus æmulos. Hæc, cum ægre a *Cæſare*, Hungarorum ferocitatem reformidante, obtinuiſſet, profectionem in Hungariam, comitante *Henrico*, ſuſcipit. *Cæſar*, inquit Bonfinivs, *cum vniuerſo equitatu, prater vlteriorem Danubii ripam, in Vngariam properat. Atque, vbi ad* Vagum *amnem peruentum eſt, caſtra ponit, cum præfectis equitum conſulturus, in quam potiſſimum vrbem eſſet irrumpendum.* Nitriam, *quæ proxima caſtris erat, primum inuadere viſum eſt. Quare, Salomoni legiones duæ* (trium agminum *Thúróczius* meminit) *cum decenti equitatu datæ, vt* Nitriam *oppugnaret. Quibus copiis, cum de* Semte *vico ſe mouiſſet, inſtructa acie, ciuitatem adoritur.* En, vetuſtam, Semtae, mentionem. Thúróczivs, *Sempte* ſcribit, vici vocabulum omittit. Fallor? an non caſtra iſta *Henrici*, arci

t.) Istvanffivs, Lib. XXXI. p. 744, 35.
s.) Chronici Hungarorum Parte II. cap. LIV. p. 62.
u.) Decade II. Lib. IV. p. 221, 36.

arci *Semptenſi*, & originem dederint, & nomen impertiuerint Germanicum. Dicam, quid exiſtimem. *Salomon*, tamquam itinerum gnarus, præcurſoria agmina ductabat. Cum his, traiecto Vago, ad *Semptam* conſederat; dum interea *Caſar*, caſtra, depreſſiore eo loco poſuit, vbi nunc arx inſidet, temporarias, quod fit, munitiones circumducens. quarum prætoria, caſtro locum feciſſe potuit, poſt irritam expeditionem Germanorum; præcipue, cum Piſonii, *S. Ladislaus*, Salomonem obſidebat. Quia vero, totum exercitus illius robur, fere equite conſtabat; non potuerunt non, vel tridui ſtatiua, in eo iumento, cadaueribus carere. quæ, dum pro caſtris, calones decoriabant, hæſit poſtmodum loco nomen Germanicum, *Schindau*, ſiue conuitio inditum, ſiue, ex re ipſa enatum. quod iam non interpretamur. Celebritatem, multis poſt ſeculis, oppido adtulit, *Statuum* atque *Ordinum* regni Hungariæ legatio, *Buda*, accipiendo WLADISLAO miſſa; qua factum eſt, vt regis eiusdem hoſpitio honeſtaretur oppidum. BONFINIVS *(v.) Legati*, inquit, *pronunciato, in frequentiſſima concione, rege, ſenatusconſulto decreti, in primis*, Iohannes Varadienſis, Thomas Jaurienſis, Johannes Cſanadienſis, & Stephanus Syrmienſis, *ex Epiſcopis: e proceribus vero, ac regulis*, Stephanus Báthor, Stephanus Comes Scepuſienſis, Sigismundus D. Georgii Comes, Drach Bertholdus, Ladislaus Orſzág, *veteris Palatini filius*, Ladislaus Rosgonius, Ladislaus Loſontzius, *multique alii, ornatiſſimi optimates. Quibus, adducendi, honorificentiſſime, regis, data prouincia, & adiecta mandata, vt antea, quam intra fines regem accipiant, in oblatas conditiones, iurare compellant. Iuſſi mandata viri, impigre curant. Cum honeſto munitoque equitatu, Tyrnauiam, ad regni fines, peruenerunt, decem millibus paſſuum, a* SCHEMPTE *oppido remotam. Vahus Tyrnauiam, & Scemptam amnis interfluit, vt Vngariæ fines, a Bohemica ditione, dirimat.* Gemina hæc *Schemptæ* oppidi mentio, facile mihi perſuadet, ſubſtitiſſe, tamdiu, apud *Rosgonium*, honorificentiſſimum legatorum comitatum, habitumque, ex gentis more, laute atque opipare; dum, de aduentu *Wladislai* certiores fierent: tunc enim, *Tyrnauiam* profectos fuiſſe, fas eſt opinari. Alioquin, in duplici errore eſt narratiuncula hæc BONFINII: alter; quod *Tyrnauiam*, in finibus regni Hungariæ collocat; a quibus tamen plus minus triginta mille paſſibus, ſi *Strazniczam* verſus, qua ad regnum acceſſit *Wladislaus*, iter metiaris: alter, quod *Vagum*, Bohemicæ & Hungaricæ ditionis faciat diſterminatorem; cum amnis ille, nusquam adluat *Morauiam*. Sed hæc ob iter. Poſteaquam legati, orante *Johanne Varadienſi*, regem, pro maieſtate accepere; is vero, fidem adfirmauit poſtulantibus, *Schemptam*, toto cum comitatu, itum eſt. Iterum BONFINIVS *(x.) Edito ibi plauſu, & ingenti adclamatione, rex, cum oratoribus & Bohemiæ, Pannoniæque proceribus, in* Schemptæ *oppidum venit, a* Ladislao Rosgonio, *loci domino, ad cœnam inuitatus. Vnga-*

oppidi celebritas:

error Bonfinii *geminus emendatur:*

hoſpitio accipit Wladislaum *regem,* Schemptæ:

v.) Decadis IV. Lib. IX. p. 669, 23. | x.) Ibidem Lib. IX. extremo.

Digitized by Google

garicam ibi primum liberalitatem expertus eſt, quando, pro dignitate non ſolum exceptus, ſed prater omnium opinionem, ample donatus, in Vngariam abiit. Hæc, non niſi cum famæ diſpendio, ſilere potuimus. Iam, in iis cenſendum oppidum exiſtimamus, quæ, neque tenuia ſunt nimis, neque copioſa, quibusque tolerandæ vitæ modus omnis, ex agricolatione, & cultu vineatico, petendus eſt. Nam, habet omnino, colles vitiferos, longo tractu, aduerſa *Vagi* ripa, iucunde porrectos, vti non ſpernendi fructus, ſi cælum fauit; ita reditus eximii, modo eſſent, qui mercatu vinario, cellas oppidanorum exinanirent.

Eſt vero, cum ditione vniuerſa, in *Comitum Joſephi* & *Franciſci Eſzterházy*, poteſtate, quam æquiſſimis legibus, mutuo diſpertiuere. Accenſentur autem *Schemptenſi* huic dominationi, apud *Nitrienſes* quidem: Arx & Oppidum *Schempte; Uj-Város*, ad oppidum *Szered; Sopornya; Puſzta-Kürt; Patha*, vici; atque *Jatho*, agri & pabuli diues prædium. Apud *Poſonienſes*: Caſtellum, & Oppida *Cſeklész, Szempcz*, & *Szered*; Vici: *Nyék, Vizkeleth; Vezekény, Eperies, Tallós, Nádſzeg, Hidas-Kürth, Majthén, Szent-Abraham, Nagy-Machéd, Felső-Szely, Taxony, Farkashida, Kereſzt-Ur, Nagy-Sur, Valtha-Sür*, & *Közép-Csöpöny*. Quæ ſingula, in hiſtoria (*y*.) Comitatus Poſonienſis expromſimus.

§. V.

MOCSONOK.

Oppidi habitus:

FRequens olim oppidum, & a militibus fere cultum, cuius florem, *Turcarum*, poſt captum *Ujvarinum*, & quæ hinc conſequutæ ſunt, calamitates aliæ, iam pridem detriuere. Certe, veterem illam prærogatiuam, nulla re magis, quam laboris agreſtis patientia, tuentur oppidani. Nam, & rus, quod admenſum habent, cum induſtria percolunt, &, qua ſe lucelli faciendi dat occaſio, ei cum cura imminent.

incolarum ſolertia.

§. VI.

KOMJÁTHY.

Inſigne olim, munitumque oppidum:

INſigne olim & copioſum oppidum, cui *Forgáchiana* gentis caſtella (*z*.) præcipuo ſunt ornamento. Rebus, ob Turcarum Ujvarienſium viciniam, adhuc trepidis, opere militari communitum, & ab acri præſidio inſeſſum fuit. Id quod ex iisdem illis ſanctionibus condiſcas, quas ad *Surányum* adlegauimus. Cum tuta circum fuit regio, ſede hic fere perpetua colebant *Forgáchii*, atque in his præ-

Forgáchii, *R. H Palatini ſedes.*

y.) Tomo operis noſtri II. paſſim.

z.) Horum alterum, FRANCISCVS FORGACH, *Cardinalis, & Archiepiſcopus Strigonienſis*, familiæ velificaturus, excitauit. Vide Operis noſtri, Tom. I Hiſt. Vrbis Poſonienſis, Cap. V. Art. VI. §. XIX. p. 500.

cipue *Sigismundus* Regni Hung. Palatinus. Adtinet ad ditionem *Ghymesiensem*, habetque agrum non plane nullius ad rusticandum opportunitatis.

§. VII.

UJLAK.

Positus Ujlak.

OPpidi nomen, *nouam coloniam* Hungaris notat; tametsi vetus quiddam, ædificiorum non minus, quam positionis habitu referat. Insedit medio, inter *Schintauiam*, & *Nitriam*, itinere; sparsis, per collis, quem insedit, cliuum, nullo fere ordine, domibus. Copiosis est incolis, rusticationis amplæ, neque inutilis. Habitatur autem ab *Hungaris* fere, dialecto vtentibus haud indecora. Erat, cum ceremoniam instaurandorum magistratuum, ad diem, *B. Georgio* Martyri sacrum, isthic spectaremus. Conuenere, nimirum, ad pulsum æris campani, in ædis sacræ ambitum, quem *cœmeterium* vocamus: vbi collatis sententiis, quos vellent surrogatos, diu magna sedulitate, disquisiuerunt. Simul ipsis mutuo conuenit, subiere templum, sacris operaturi. Reliquum actus, properatum iter opperiri haud permisit. Cum *Turcæ Ujvarinum* obtinerent, misere diuexatum fuisse oppidum, octogenarius senex, qui nocturno hospitio, hac proficiscentes, acceperat, nobis recensuit: quippe obsidis loco, si quid tributi erat dependendum, illuc raptatus. Neque iam, ex iis calamitatibus conualescere potest: communi fato regionis circumfusæ. Profecto, dirutum *Ujvarinum*, adeo non dolent, qui id adcolunt, vt laudibus etiam extollant facinus; cum se tot malis exemtos vident, in quæ eos sæpissime præcipitauit, pacis non minus, quam belli temporibus, infelix *Pergamon*.

frequens oppidum, & ab Hungaris *cultum:*

nondum dementiis Turcarum Ujvariensium *iniuriæ.*

§. VIII.

GHYMES.

Nuperum oppidum:

NOn est pridem, cum indulgente Cæsare, ac Rege Hungariæ, oppidi iuribus, donaretur: nam, antea vicus fuit, haud sane ignobilis, &, cum ob commune, cum arce, nomen; tum, ob titulos gentis *Forgách*, insignis. Agro circumsidetur amplo, & multarum ad agricolandum, commoditatum. Enim vero, præter apertum passim rus, accipiendæ sementi idoneum, saltuosis montibus gaudet. Iam, & domicilio *Forgáchiorum*, quod ad *castelli* modum, PAVLLVS iunior, instruxit, decorum est. Adde hortum eleganti opere designatum, & vario arboris genere consertum. Est & piscina, opportune posita. *Hæc de oppidis.*

eius ager, & possessor.

SE-

SECTIO III.

DE

Vicis Proceſſus Nitrienſis.

SI ita felices eſſent, quam ſunt numeroſi, *Proceſſus* huius vici; facile reliquos *Comitatus*, non æquarent modo, ſed anteirent etiam. Verum, quia & bellorum iniuriæ, quas toties queſti ſumus, paſſim ſuperant, &, hi eluuionibus amnium, illi calamitate alia, in annos fere ſingulos, adfliguntur: difficiliter ad florem priſtinum adſurgunt. Recenſendi nihilominus erunt; vt & mori noſtro ſatisfaciamus, & lectorum auiditati. Sunt autem:

1.) *Nagy-Kér*, eximius, *Sedis Verebélienſis*, vicus, fertili in planitie poſitus, ſed *Czétény* amniculi, & profluentis *Nitræ*, exundationibus, obnoxius.

2.) *Ivanka*, fuit olim *Ilmerianæ* dominationis caput. Qua demum varie diſpertita, in variorum, & ipſe hic vicus, poteſtatem venit. Decus ei conciliat, caſtellum *Barinyaianum*, & opere, & ſitu, elegans: quippe, *Nitra* amne, ad inſulæ modum, circumfuſum. Sedet, medio, inter *Nitram*, & oppidum *Komyáthy*, itinere, poſitione oppido amœna, atque idonea ad ruſticandum. In primis, molarum, quas *Nitra* impellit, beneficio, vicos, eidem flumini adſitos, fertur antecellere. Vicum vtrumque, *Nagy-Kér*, & *Ivanka*, *Turcas* euaſtauiſſe, cum anno MDXCIX. facta impreſſione, regionem hanc euerruerant, ISTVÁNFFYVS (*a.*) auctor eſt. Eadem fortuna, & *Tardoskeddum* manſit.

3.) *Ondrohó.*
4.) *Malom-Szeg.*
5.) *Nagy-Szeg.*
6.) *Egyház-Szeg.*
7.) *Bán-Keſzi.*
8.) *Várad.*
9.) *Andot.*
10.) *Megyer.*

Vici ſunt, qui olim, & dum *Nitria*, cum adſcripta ei ditione, in regum eſſet poteſtate, ad arcem adtinebant. Quos demum, priſci illi reges, inter hos diſpertiuere, quorum exſtantia erant, de patria merita. Agro gaudent, in primis alendæ rei pecuariæ, commodo, & frumenti feraci, ſed arationis difficilioris.

11.) *Tardos-Kedd*, duobus, *Ujvarino*, milliaribus, in occidentem ſepoſitus. Agrum, quem fertilem habet, in annos fere ſingulos, diluuia, corrumpunt. Qua re fit, vt pluribus lacubus per depreſſa pratorum circumſideatur. In his præcipuus eſt, qui vico, a ſeptentrione, offunditur, *Cſer-Gáthya*, vulgo dictus, & haud inops piſcium. Id importunum, in vici poſitu eſt, quod, tametſi eleuatior ſit, vnico admodum fonte, ad potandum ſalubri, gaudeat. Reliqui, ea ſunt laticis malignitate, vt ne pecudi quidem adaquan-

a.) Lib. XXXI. p. 744. 745.

dæ ſint idonei Incolæ, qui *Hungari* ſunt, præter cornutum pecus aliud, ouium greges, ob paſcuorum vbertatem, cum cura educant, aluntque. Inſunt vico, *Prædialiſtæ* quoque; ſed fortunarum tenuiorum. Eſt in ditione *Ujvarienſi*, Archiepiſcopo Strigonienſi, iure veterrimo, adſcripta. Iam tum enim, ſub ANDREA III. quem *Venetum* adpellamus, anno, ſcilicet, MCCXICVII. iuribus *Archiepiſcoporum*, accenſum fuiſſe, ex diplomatibus, condidicimus. Nimirum, fuerat olim *Abbatis Conuentus S. Crucis in Auſtria*, diœceſis Patauienſis. Quod ille, cum vico *Parachan*, permutauit, iureque perenni, LODOMERIO *Archiepiſcopo*, tradidit: id quod, non *Abbatis* modo litteræ, ſed conſenſus etiam ANDREAE regis, in tabulas relatus, *(b.)* adfirmant.

12.) *Szellőcze.*
13.) *Sook.*
14.) *Helmény.*
15.) *Farkasd.*
16.) *Tornócz.*
17.) *Negyed.*

Itidem, in dominatione arcis *Nitra*, olim cenſi. Quod prope ad *Vagum* inſederunt, multum ab exundante amne, damnorum, in annos fere ſingulos, capiunt: alioquin, paſcuorum laude, toto *Comitatu*, facile principes futuri. In præcipuis tamen habentur, *Szellőcze*, *Farkasd*, & *Negyed*. *Tornócz*, idem ille vicus eſt, cuius caſtellum, decreto publico, ſolo æquandum iubebatur: id quod ad *Suránum* meminimus.

18.) *Király-Falva*, citeriore *Vagi* ripa, ſupra oppidum *Sellye* poſitus.

19.) *Hoſzſzú-Falu*, quod longum vicum notat, forte, ob eundem ſitum ita dictus.

20.) *Vecſe*, olim, munito caſtello, nobilis; ſed quod metu hoſtium, iuſſu publico, dirutum fuiſſe, ſupra diximus.

21.) *Berench*, copioſus quondam vicus, & ad oppidi modum, frequens. Quem tamen, temporum, qua ſumus, difficultas, valde diminuit. Ceterum, rure eſt laudatiſſimo: nam, præter agrum frumentarium, ſementi inprimis amicum, vitem quoque alit, generoſioris vini proventu, celebrem: vt pratorum, & piſcationis commoditates, ſileamus. Caſtrum aliquando habuiſſe, rudera, *Nitræ*: amni adſita, teſtantur.

22.) *Nagy-Falu*, ſeu *vicus magnus*, credo, ab incolarum copia, & agri, qua eſt, multitudine, ita vocitatus. Premunt hunc quoque, iniuriæ temporum.

23.) *Lyüky*, quod *Nitræ* adſedit, molam habet frumentariam, eximii prouentus. reliqua, priori illi, ſuppar.

24.) *Salghó*, cenſebatur, priſca ætate, in arcis ditione, eſtque agro fertili.

25.) *Cſabay*, ſedes olim fuit, familiæ cognominis. Nobilis hodieque vicus, & cum rure commodo, tum ſiluis præditus: ante hac, oppido *Ürmény*, limitaneus.

26.)

b.) Superant ea monumenta, in Tabulario Archiepiſcopi Strigonienſis, littera V. num. 1. & 2.

Digitized by Google

26.) *Csápor*, cum *Nitria* regum erat propria, in *caſtellanorum* arcis eiusdem, poteſtate fuiſſe perhibetur.

27.) *Lehota*, & diſcriminis cauſſa, ob *Ujlaki* vicinitatem, *Ujlak-Lehota*, ad arcem *Galgócz*, olim pertinuit. Ruris, & ſiluarum, diues.

28.) *Üregh*, cenſetur in hærediis *Epiſcopatus Nitrienſis*, nullo non opportunitatis genere, ſi prata demas, inſignis.

29.) *Király*, quod *regem* ſignificat: ita dictus; ſeu, quod regum aliquando fuit; ſeu, quod ab eius nominis homine, vel poſſeſſus aliquando, vel acceſſionibus donatus.

30.) *Köpösd*, tenebatur quondam, a gente cognomine, *Köpösdy*, quæ, vbi defecit, multis litibus diuexatum vicum, L. B. *Gabriel Tolvay*, extricauit. Oſtentat caſtellum *Tolvayanum*, eſtque in eorum numero, qui, & frumentario, & compaſcuo agro, valent.

31.) *Sopornya*, ditionis *Semptenſis*, vicus inſignis, & oppido illi confinis.

32.) *Patha*, in eadem cenſetur ditione, habetque eximiam agricolationis commoditatem.

33.) *Uj-Város*, platea eſt, oppido *Szered* connexa, tunc forte poſita, cum *Vagus*, ſiue ſuapte natura, ſiue arte repreſſus, mutauit alueum. Cum enim, reliqua oppidi *Szeredienſis* pars, *Comitatui* admenſa eſt *Poſonienſi*; *Ujváros* iſtud, quod *nouum oppidum* notat, cum caſtro, quemadmodum diximus, ad *Nitrienſes* pertinet. Eſt itidem in ditione *Semptenſi*.

34.) *Puſzta-Kürth*, quem alii *Puſzta-Kerth*, hoc eſt, *deſolatum hortum*, malunt dicere. Refertur & hic, in ditione *Semptenſi*.

35.) *Nagy-Bab*, &

36.) *Kis-Bab*, vici ſunt, quos olim familia cognominis, nobilitauit. Eſt eis ager, frumenti, vini, & fœni ferax; ſed neque ſiluis deſtituitur. Caſtellum, quod pro vico, vna cum æde ſacra poſitum eſt, inſigne huic decus adfert.

37.) *Salgótska*, ſede *Georgii Dávid*, annis ſuperioribus, *Vice-Comitis*, nobilitatus. Sua ille impenſa, templum heic eduxit, ſic ſatis elegans.

38.) *Román-Falva*, quod *Romanum vicum* ſignificat, a milite quodam *Romano*, cui *Tiburtio* nomen fuit, ſic adpellatus. Venerat is, cum reduce, ex *Dalmatia*, *Bela IV.* quodque, & de rege, & de *Hungaria*, præclare fuerat meritus, vico hoc, de dominatione *Nitrienſi* detracto, donatus eſt. Si vitem excipias, nulla ei, ad ruſticandum opportunitas, deeſt.

39.) *Nemes-Kürth*, ſiue *Kerth*, ob repreſſam aggere, aquam molarem, quaſi lacu quodam offuſus, tantum habet agri, quantum & viti ſufficiat, & ſementi.

40.) *Udvarnok*, amœni ſitus, aëris item ſalubritate, & vinearum præſtantia, nobilis. In vineis, maximi habentur, quas mons *Barod* habet.

41.) *Poſzádka.*

42.) *Bajnoczka*, vini & frumenti prouentu, commendandus. Quia *Vago* adſitus eſt, molis gaudet perennibus, & ob molentium frequentiam, inſignis reditus.

43.) *Ságh*, intra ſiluas retruditur; ſed notus tamen eſt, ob agri frumentarii, & vinearum qualemcunque celebritatem. Fuit quondam gentis *Zomorianæ*, inter cuius ſucceſſores, qui ſuperant hodieque, ſi ex æquo diuideretur, plures numeraturum heros aiunt, quam ſunt anni dies.

44.) *Kelechen*, arcto eſt agro, ſed ſementi tamen, & viti, amico.

45.) *Felsö-Recsén*, &

46.) *Alsó-Rechén*, vno olim territorio continebantur, iuribus familiæ *Rechény* adſcripto. Atque ſunt ſane, amplo circumfuſi terreno. Caſtellum vici, olim aduerſus *Turcarum* impreſſiones, & operibus munitum fuit, & præſidio militari. Paret iam familiæ *Sándor*.

47. *Kamocha*, vel ſi mauis *Kamotha*, gentis *Kamocſay* natalibus, & qualicunque opportunitate alia, inſignis.

48.) *Elecske*, dedit & hic, nomen, familiæ quondam *Elecskey*, agri, & ſiluarum diues, atque piſcinis, fere vndiquaque, circumfuſus. Caſtellum laudatæ gentis *Elecskey*, pronum in ruinam eſt.

49.) *Andacs*, laudem habet, opportunæ agricolationis, cui ſcrupuloſius procurandæ, cum induſtria ſe impendunt incolæ: ceteroquin viculus futurus inops.

50.) *Üzbegh*, fuit ætate priſca, in arcis *Nitra* ditione, peculiari demum iure, inter vicos *Archiepiſcopi Strigonienſis*, relatus. Nihil ei ad ruſticationis commoditatem deeſt; nam, & agrum frumentarium, & vineas colit; ſed neque ſiluis caret: eo quandoque infelix, quod paſcui ruris partem, prataque, *Nitra* exundans, peſſundet.

51.) *Sarluska*, olim *Nagy-Sarló* vocatus, pertinuit primo ad *Nitrienſem*, poſtea ad *Ghymes* arcem. Pro ſua portione, agris gaudet ſiluisque, ſic ſatis commodis.

52.) *Molnos*, &

53.) *Kayſza*, antea *Kis-Sarló*, arcis fuere *Nitrienſis*, cum ea dominatio floreret.

54.) *Cſehy:*

55.) *Csétény*, adſcribitur *Sedi Verebélyenſi*, de qua apud vicinos *Barſchienſes*, coliturque, partim a *Prædialiſtis Archiepiſcopalibus*, partim ab ruſticis; ſed agro, inter vtrosque, diſcriminato.

56.) *Könyök*, retruſus, intra ſiluas, vicus, quarum ita diues eſt, vt ligni cædui copia, *Nitriæ*, a quo non longe ſeiungitur, ex facili ſuffecturus credatur. Neque frumentariis agris deſtituitur.

57.) *Felsö-Szöllös*, fuit quondam, gentis *Szöllösy*, proprius, eſtque terreno, ad ruſticandum idoneo.

58.) *Cſornok*, inſignis, oppido, vicus, ſiue poſitum ſpectes, ſiue op-

Digitized by Google

opportunitates agricolationis alias. Nimirum, ad *Nitriæ* ripam, ita collocatus eſt, vt, & agro frumentario, laxo eo ac fœcundo, pratis item ſiluisque, circumſideatur, & vitem alat, idoneis ſitibus, depoſitam. Vinum huias, ea quondam polluit adprobatione, vt dignum haberetur a FERDINANDO II. quod menſis auguſtalibus inferretur, biberetur, a principe, magna ſalubritatis exiſtimatione. Eſt *Forgáchiorum* hæredium, quod, cum *Comes Ladislaus*, qui ſedem heic collocauerat, haud importunam, ære, propemodum nimio, nuper vendidit, redemtum a *Forgáchiis* eſt poſtliminio; ne gens, inſigni poſſeſſione, fraudaretur.

59.) *Oſzdöghe.*

60.) *Födémes.*

61.) *Gyaragh*, neſcio, an non hic ſit vicus, *Giorok*, quem *Tomas*, & *Abrahamus Hunt-Paznám*, reparandis damnis, quæ Archiepiſcopatui Strigonienſi intulerant, eidem Archiepiſcopo, adtribuerunt. vti habent litteræ *Capituli Strigonienſis*, in tabulario Archiepiſcopali, lit. D. num. 12. ad annum MCCLXXXVII.

62.) *Vajk.*

63.) *Kaláſz*, vici ſunt, agri, propemodum conſimilis, & ad ruſticandum, perquam idonei.

64.) *Bábindál*, exilis vicus, quem tamen, florentiſſimæ olim gentis *Bábindály*, ortus & occaſus, illuſtrarunt.

65.) *Nagy-Hind*, paruit quondam familiæ cognomini. Agro gaudet ſegetibus amico, habetque ſiluas, lignationi commodas.

66.) *Cſaládd*, hæredium *Cſaládiorum.*

67.) *Bodogh.*

68.) *Geſzte*, vici, ſic ſatis opportunæ agricolationis.

69.) *Pográny*, adtinet ad *Sedem Verebélyenſem*, eſtque agro fertili, & ſiluis prædito.

70.) *Lápas-Gyarmath.*

71.) *Nagy-Lápas.*

72.) *Kis-Lápas*, ſortis eiusdem vici, ſiluarum præcipue diuites, ſed tenuibus agris frumentariis.

73.) *Nagy-Emőke*, elegantiſſimæ poſitionis, atque earum opportunitatum, quæ toto *Comitatu*, paucis obtigere.

74.) *Thomos*, villa olim fuit ruſtica, ſeu *allodium*, arci *Nitrienſi* obnoxium: dum in vicum excreſceret, eximiæ commoditatis. Quidquid enim, ſiue ad rem pecuariam, ſiue frumentariam, cum fructu procurandam, neceſſarium eſt, abunde id, vici ager ſufficit; maxime, cum annus eſt ſiticuloſior, neque eluuionibus, rei ruſticæ infenſus. Obiacet arci, poſitu adeo aperto, vt oculo armato, agreſtes operæ, & domi, & ruri, egregie poſſint conſpici. Paret *Epiſcopo Nitrienſi.*

75.) *Gerentsér*, fuit olim in dotibus *Conuentus S. Hypolithi*, de monte *Zoborio* cenſus: hodie iuris eſt *Eccleſiaſtici.*

76.) *Cſitár*, vicus, oræ eiusdem, haud incommodus.

77.)

77.) *Kólon*, pollet, omni ad ruſticandum commoditate; nam, & agros habet ſementi benignos, & colles vitiferos: ligna cædua, montes ſiluoſi, ſufficiunt. Ferunt, hunc quoque vicum, ditioni *Conuentus* de monte *Zoborio*, adſcriptum fuiſſe. Habet vicinum prædium *Kowácſy*, cuius terreno potiuntur incolæ.

78.) *Zyre*, ſiluis glandiferis interſitus, & ditioni accenſus *Ghymeſienſi*.

79.) *Lédecz*, copioſus vicus, quem riuus interlabens, ita diſcriminat, vt vlteriorem quidem partem, *Barſchienſi*, citeriorem *Nitrienſi Comitatui*, admetiatur.

80.) *Ghymes-Koſztolán*, ſic dictus, vt prænomine illo, ab aliis, id nominis, vicis, diſtinguatur; nam, cenſetur omnino in arcis *Ghymes* dominatione, agro non ignobili præditus.

81.) *Felſő-Elefánt*, gentis *Elefantianæ*, vti priſca antiquitate, ita, adminiſtratis, per regnum, muneribus, quæ *Baronatus regni* vocant, celeberrimæ. Tulit denominationem eam, familia illa, a *Colomanno* Hungariæ rege, ob donatum ſibi, cum duobus mauris, *Elephantum*, non inuiſum ſolum, ſed inauditum etiam tunc in Hungaria. Inde, & inſignia tulit, familiæ idem conditor, quæ *Elephanti* imaginem referebant. Vici profecto vocabulum, indidem repetendum eſt: quippe quem, a rege, in præmium acceperat, tripartito poſtea, ob ruris laxitatem, diuiſum inſeſſumque; vt iam, & *Alsó-Elefant*, & *Szent János Elefant* ſuperent, familia pridem intermortua. Viſuntur adhuc, caſtelli, quod colebant, rudera, ex quibus, de *Elefantiorum* elegantia, ad ſeculi eius ingenium facta, coniicias. Poſſidetur vicus hodie, cum a pluribus aliis, tum a familia *Jákly*, futurus, totius vallis *Nitrienſis* facile princeps, niſi, nimia illa dominationis partitio, multum detraheret de eius celebritate.

82.) *Alsó-Elefánt*, amœnus, oppido vicus, ſed agro & opportunitatibus aliis, ſuperiori tenuior. Adſedit prope ad amnem *Nitram*, caſtelli *Elefantiorum* veſtigia oſtentans.

83.) *Szent-János-Elefánt*. Vicus FF. Eremitarum *S. Paulli Primi Eremitæ*, cœnobii *S. Johanni Baptiſtæ* dicati: cuius hilarem poſitum, fundationemque, nihil piget, ex annalibus (c.) ordinis eiusdem, referre. *Hoc eodem* inquiunt, *anno MCCCLXIX. ſub auſpiciis* F. Triſtiani *generalis*, *inſigne monaſterium* S. Johannis Baptiſtæ de Elephant, *conſurgebat*: *cui mox* Michael De Sevv, *nobilis de eadem* Elephant, *centum iugera terræ arabilis, filius vero patri ſuo cognominis, vineam & molendinum, de Béed, ſeptem rotarum, in eleemoſynæ vicem, ſubrogarunt. Porro, Monaſterium hoc ſub monte excelſo, in colle modico, quem vallis irrigua a monte ſeparat, exſtructum, amœnitate loci, vt ipſe, per anni ſpatium expertus ſum, frugum fertilitate, & ſolitudine eremitica, niſi quod ab inſidiis Turcarum minus tutum, plurimum hilareſcit. Olim, ſub vicariatu de* Noſztre, Prioratus *ſolummodo titulum habuit; cum vero dictus vicariatus, a colluuie circumciſarum gentium,*

(c.) Lib. II. Cap. XII. p. 145.

tium, per bella patria nobis eriperetur, iſte in deperditi dignitatem, & titulum ſuffectus eſt. Tandem, monaſterium hoc vetuſtate iam inclinatum, ætate noſtra, ad annum MDCXXXVI. Reuerendus P. Paullus Iuanouics, *primus illius loci* Vicarius, *poſt etiam* Generalis, *meritiſſimus, hodie vero* Epiſcopus Tinnienſis, *ac* Præpoſitus S. Thomæ, *de monte Strigonio, ad meliorem clauſtri formam reſuſcitauit. Quod ſucceſſu temporis, muro in quadratam formam, turriculis interiectis cinctum, Turcarum inſultum, non adeo reformidat.* Hæc illic legas, digna omnino relatu. Poſt prima exordia, variorum liberalitate, facile adoleuit. *Anno*, inquiunt porro annales *ſupra milleſimum tercenteſimum nonageſimum, nobiles viri,* Laurentius, *&* Johannes, *fratres germani, & filii Domini* Stephani *de* Baracska, *in expeditione contra Turcas de conſenſu & voluntate* Sigismundi *regis, legarunt monaſterio* S. Johannis Baptiſtæ de Elefant, *poſſeſſionem Welkapolyam*, (Hochvies Germanis:) *additis tribus molendinis, in ſuperficie pagorum*, Ugrócz, Kolocſna, *&* Patyth. Atque iterum, *Anno MCCCCXC. Dominus* Petrus *de* Praznoch, *Monaſterio S.* Johannis Baptiſtæ de Elefant, *dimidium Poſſeſſionis* Poruba, Kelechem, *&* Hunnyarad; *aliud item dimidium poſſeſſionis* Praznóch, *addito molendino in fluuio* Nitra, *duabus piſcinis, vnoque prædio* Szarkahal, *teſtamentario inſcripſit.* Ibidem, ad annum MCCCCXCIX. reperio: *Monaſterio S. Johannis Baptiſtæ de Elefant*, Dominus Benedictus de eadem, *medietates totalium poſſeſſionum* Felsö-Eleffant, Szalakaz, *cum dimidio molendini, ad fluuium* Nitra *ſituati, in perpetuam eleemoſynam impertiuit. Ac denique, (d.)* A. MDL. *vrgente potiſſimum* Ferdinando *rege, poſſeſſio* Nicolgaran, *Fratribus D. Johannis de Eleffant, per moderatores arcis* Lévæ, *ad requiſitionem Comitis Nicolai a Salmis, & Archipræſulis Strigonienſis, adtribuitur.* Iſtis ergo incrementis, & tunc opulentius reddebatur *Eleffantenſe* cœnobium, cum domeſticis, iuxta & Turcicis armis, late euaſtaretur regio. Hodie, in iis *Paullinorum* monaſteriis iure cenſetur, quæ, & ſitus ædiumque opportunitate valent, neque deſtituuntur opibus. Qui cœnobium adierunt, mirifice eius poſitu delectabantur; partim, quod præter pomaria, egregie inſtructa, amœnis ſiluoſisque ſaltibus, circumſideatur; partim, quod in regionem, qua ea in ſolem occiduum diffunditur, liberum hilaremque proſpectum habeat. Ferunt, ſudo cælo, & äere tranquillo, *Piſonienſem* arcem, duodecim milliaribus, in occidentem ſubmotam, oculis hinc vſurpari poſſe. Quod nos quidem, eo procliuiores credimus, quo magis *Nitrienſes* iſtos montes, quorum lateri cœnobium inædificatum eſt, *Piſonii*, in obtutu habemus. Ceteroquin, locus eſt religioſis peregrinationibus celebris. Claret ſepulturis, olim familiæ *Eleffanty*; nunc *Forgáchianæ*. Hactenus, cœnobium nos detinuit: nunc pedem proferamus.

d.) Lib. II. cap. XXXIX. p. 303.

84.) *Béd*, eſt in poteſtate cœnobii *Elefant*.

85.) *Menyhe*, &.

86.) *Szalakuſz*, vici *Elefantenſi* valli confines, agris vineis, & ſiluoſis montibus, commendandi.

87.) *Daráſy*, ditioni *Epiſcopatus Nitrienſis* adſcriptus, & capella, colli eminentiori, inſtructa, longe per vallem *Nitrienſem* conſpicuus. Auxit eius territorium, *Adamus Erdődy*, nuper Epiſcopus verſus *Szalakuſz*, vt iam in vicis opimioribus referri poſſit.

88.) *Felső*, ſiue *Superius*, &.

89.) *Alſó*, ſeu *inferius Kercskény*, vnius olim, atque cognominis familiæ, hæredia, infra *Nitriam*, *Ivankam* verſus, ripæ fluminis impoſita. Pratorum hic laus præcipua eſt, ager reliquus, anguſtus quidem, ſed eximiæ vtilitatis. Fuit quondam, in arcis *Nitrienſis* dominatione. Vltra hos eſt:

90.) *Gergely-Falva*, agro non tam laxo, quam fertili, & tritico in primis amico. Hinc ſunt:

91.) *Alſó-Szöllős*,

92.) *Kis-Hind*, &

93.) *Kis-Manya*, ſuis ſinguli commoditatibus, præditi.

94.) *Szent-Mihály-Ur*, vicus, nullo non genere opportunitatis ruſticæ, circumſeſſus; eó infelix, quod minutim diſpertitus, pluribus heris pareat, fiatque, ea re, in dies exilior.

95.) *Márton-Falva*, quantarumuis commoditatum vicus.

96.) *Pár-Ucza*, cohæſit *Nitrienſi* vrbi, latere occidentali, vbi de eo, dictum eſt nonnihil.

97.) *Kis-Kér*. eſt poſſeſſio *Prædialis*, *ſedi* accenſa *Verebélyenſi*.

98.) *Ditske*.

99.) *Pán*, adtinuit olim ad gentem, hinc denominatam, agro, ſi quis alius, ſterili circumſeſſus.

Atque hi ſunt, quos cognouiſſe potuimus, vici *Proceſſus Nitrienſis*. Optaſſemus luculentius dare illuſtratos, vt, & *Comitatui*, & familiis, a quibus poſſidentur, celebritatem conciliaremus: nunc, ſufficiat opportet, præcipuos non ignorauiſſe; quando non erant, qui voluiſſent vberiora, liberaliter ſuppeditare.

MEM-

Digitized by Google

MEMBRVM II.

DE

Proceſſu Bajmoczenſi.

PROOEMIVM.

ORa, quæ hoc nomine inſignitur, inde a capitibus *Nitræ* amnis, in viciniam vsque arcis cognominis, ſecundo fluminis alueo, ad octo milliaria, procurrit, lataque eſt, heic vnum, medium alibi, milliare. Ordo tractationis poſcit, vt, more noſtro, *Arces* primo, *Oppida* poſtea, denique *Vicos*, perluſtremus.

SECTIO I.

De Arcibus Proceſſus Bajmoczenſis.

MIrere, montanam hanc regionem, paucioribus communitam eſſe arcibus, quam id tuliſſet, ſituum commoditas: nam, duæ admodum, neque eæ paris habitus, ſuperant. *Bajmoczenſis* altera eſt, altera *Keſſellökőienſis*. Quas iam adibimus; cum *Bajmoczenſi* illa, oppidum quoque, deſignaturi.

I. Arx, & Oppidum Bajmócz.

SYNOPSIS.

Coniectationes de nominis origine: eſt Slauorum opus: *natales eius non ſunt* Huſſitis *adtribuendi.* §. I.

Priſcis temporibus, regum fuit: primi eius poſſeſſores. §. II.

Præfectura Petri Pokii, *facinoribus infamis: eius ſupplicium.* §. III.

Reliqui arcis poſſeſſores: Alexius Thurzo: Ferdinandi *in eam rem diploma:* Alexii *teſtamentum: ſucceſſores: venit in poteſtatem gentis* Pálffyorum. §. IV.

Arcis quæ fuerint fata: ſub Carolo I. *ſub* Eliſabetha: *ſub* Matthia: *Turcis graſſantibus: prima eorum impreſſio: irruptio altera.* §. V.

Botskaiana *graſſatio:* Thurzonum *fortuna: quid noſtra ætate a* Rákoczianis *paſſa ſit arx: redit ad Cæſarem, & heros.* §. VI.

Molis lenta exordia : auctoris de iis coniectatio : Alexii Thurzonis, *magnificentia :* Pauli Pálffy, *in arce augenda labores : ſitus mira amœnitas.* §. VII.

Oppidum arci ſubſitum : a Judæis *habitatum : nunc, dimiſſis iis, ſolos Chriſtianos ciues habet:* Præpoſitura *Bajmoczenſis : incolarum occupatio : ſitus oppidi.* §. VIII.

§. I.

Coniectationes de nominis origine :

Omen arcis, a *Slauis* repetendum eſt. Varium eius adfertur etymon. A *Buoy* alii, quod *pugnam*, ſeu *prælium* ſignificat, arceſſunt, vt factum inde *Buognicz*, locum pugnæ, aut qualemcunque belli euentum, notet. Alii, a *Bogimſe*, id eſt, *metuo*, deriuant, putantque, primi, quod hic collocatum fuit, præſidii teſſeram eſſe potuiſſe, *Bognicz ſe*, & breuius *Bognitz*, *(a.)* quaſi diceres, *nihil timeto, forti ſis animo.* Non contra eo, quia facile eſt in vocum originibus ludere: quin addo, ſi lubeat coniectare, Slauicum *Buogu moc*, hoc eſt, *pugnarum multum*, quod poſtea dare potuit, *Bajmócz.* Negari certe nequit, *Slauorum* opus, arcem primitus fuiſſe. Quod ſi credamus, dubietas ſe tamen ingeret, cui id ætati adtribuamus. Sunt, qui putent a *Huſſitis*, vt, illa regione prædas agentibus, perfugio eſſet, excitatum fuiſſe. Cui opinioni adſentiremur facile, niſi diplomatum fidei, ad ætatem, multo retruſiorem, quam Huſſitarum fuit, deduceremur. Enim vero, iam tum Caroli I. temporibus, *caſtelli*, quin & *caſtri* nomine, vocatum *Bajmóczium* reperio. Proinde, non ſunt arcis natales, genti graſſabundæ, adtribuendi.

eſt Slauorum *opus :*

natales eius non ſunt Huſſitis *adtribuendi.*

§. II.

Priſcis temporibus regum fuit :

Atque priſcis quidem illis temporibus, in regum ditione *Bajmóczium* fuiſſe, itidem diplomata loquuntur. Nam, ita in more olim poſitum fuit, vt caſtra omnia, regibus eſſent propria, quæ illi *Caſtellanis* credebant, aut ſi eſſent, qui bene de rege, patriaue meruere, in eorum iura penitus transſcribebant. Primus, qui, quantum ſcimus, in poſſeſſionem arcis *Bajmócz* venit, Gelathvs *Banus* fuit, *Comes de Bajmócz, & de Priuidia*, in diplomatibus ſcultetiæ Porrubenſis, vocitatus. Huic, *Nicolaus* & *Johannes*, *ex poteſtate metuendi Domini* Caroli, *Dei gratia Illuſtriſſimi regis Hungariæ*, vti laudatum diploma *(b.)* habet, ſucceſſere. At, ſub Lvdovico I. *Ladislaus*, dux de Opulia, Regni Hungariæ Palatinus, atque Cumanorum

primi eius poſſeſſores.

a.) Notum eſt vici, *Nebogſa*, & familiæ *Balogh de Nebogſa*, cognomentum, quam in Hiſt. Comit. Poſonienſis, Tomo Operis noſtri II. p. 207. & 209. recenſuimus.

b.) Iidem & in diplomate *Cracháſi*, a Venerabili Conuentu de Thúrócz, Anno MCDXCIX. d. 25. Aprilis tranſumto, leguntur.

Digitized by Google

rum Judex, arce potius eſt: id quod litteræ eius, quibus *Nicolao* cuidam, filio *Dieterici*, *Scultetiam*, vt vocant, *Koſſenſem*, ſeu *Andrasdorffenſem*, A. MCCCLXVII. *in craſtino feſti exaltationis crucis*, iure perpetuo contulit, condocent. Poſt eum, *Leuſtachio de Ilſua*, itidem Regni Hungariæ Palatino, Sigismvndi regis indulgentia, arcem paruiſſe, in tabulis, quibus *ſcultetia Tuſſinenſis*, *Hermanno Heckel*, iudici de *villa Fabri*, & conciui de Probna, A. MCCCXCIII. XII. die Menſis Maii, adſcripta eſt, reperio. Quin & filios *Leuſtachii*, puta, *Georgium*, & *Petrum*, paternis iuribus perfruitos aliquamdiu fuiſſe, *Koſſenſis ſcultetiæ* diploma illud, quod nunc meminimus, loquitur. Anno dein MCDLXXIII. filii *Onuphrii de Bajmócz*, puta, *Albertus*, *Emericus*, & *Onuphrius*, teſte *Porubenſi* eodem diplomate, cuius primo loco nobis mentio fuit, rebus *Bajmóczii*, ex æquo potiebantur. Id vero, quia in ætatem Matthiae Coruini incidit, procliue eſt exiſtimare, *Onuphrium*, trium filiorum patrem, poſt fata *Georgii*, & *Petri de Ilſua*, benignitate fortean Sigismvndi, hæreditatem Bajmoczenſem adiiſſe, id quod ex diplomate filii *Onoffrii de Bajmócz*, cuius nomen vetuſtas exedit, *Koſſenſi* ſcultetiæ A. MCDXXX. *Bajmóczii*, die *B. Franciſci* confeſſoris, dato, colligas: *Nos* - - - - - *filius quondam*, *Onoffrii de Bajmócz*, *Comes Triceſimarum*, *& Cuſionis monetæ Quinque-Eccleſienſis*. Iſta, diplomatum fide præmunita ſunt, eoque lectori gratiora fore confidimus, quo ſunt ab ætate noſtra remotiora.

§. III.

Præfectura Petri Pokii, facinoribus infamis:

Gente Onvphrii, vti ſuſpicamur, exſtincta, iterum regum peculiaris facta eſt arx, dum mortuo Matthia Coruino, *Johannes* filius, arce, & dominatione eius potiretur. Inerat ei tunc *caſtellani* functus munere, *Raphael de Maythén*, credo, a *Matthia* illhic collocatus, dimiſſus dein a *Johanne*. Qui *Petrum Poky*, in eius locum ſurrogauit, hominem, non vno poſtea maleficio, infamem. Litteræ, quibus exauctorabatur *Raphael*, quaſque, manu *Johannis* ſignatas, ipſi legimus & exſcripſimus, ſic habent: *Nos* Johannes Corvinvs, *Sclauoniæ*, *Liptouiæ & Opauiæ* Dvx, &c. *recognoſcimus*, *& tenore præſentium ſignificamus: quod egregius* Raphael de Maythén, *Caſtellanus caſtri noſtri* Bajmócz, *de voluntate & commiſſione noſtra ſpeciali*, *caſtrum noſtrum* Bajmócz, *quod hactenus a nobis tenuit*, *manibus egregii* Petri de Pok, *dedit & conſignauit*, *ſatisfaciens honori & humanitati ſuis de reſtitutione dicti caſtri noſtri* Bajmócz. *Vnde nos dictum* Raphaelem de Maythén, *ſuper reſtitutione memorati caſtri noſtri*, *pertutum reddimus*, *& per omnia expeditum declaramus*, *harum noſtrarum vigore & teſtimonio literarum mediante. Datum*, *in caſtro noſtro* Komáron *in die S. Clementis Papæ*, *Anno MCCCCLXXXX. primo. JOHANNES CORVINVS Dux*, *manuppa.* Ad hunc modum, *Poky*, ad *Bajmóczii* præfecturam emerſit. Interregni, quod mortem Mattiae excepit, tempore, atque ingruente poſtea, *Germanico* hinc, illinc *Polonico*

nico bello, eo licentiæ, facinoroſi quique, arcium in primis montanarum rectores, progreſſi ſunt, vt pacis quietisque ſtudioſos, paſſim contrucidarent; prædas, quoties libido inceſſit, quaquauorſum agerent; neque quidquam, ſiue ſacrarum, ſiue profanarum ædium, intemeratum relinquerent. Hos, vt rex WLADISLAVS perdomaret, priuata iudicia, ſumma ſeueritate, exercenda curauit. In eos caſſes, quomodo *Pokius* inciderit, ISTVÁNFFYVS (c.) luculentus auctor eſt. *Erat inter ceteros*, inquit, *Petrus Pokyus, e Mérgeſiorum, prope Jaurinum, gente, qui bonis malisque artibus, in* Coruini *clientelam, aulamque ſe inſinuauerat, atque ab eo oppidum & arcem* Bajmócziam, *non procul Nitria (d.) diſtantem, gubernandam (e.) acceperat. Is, a Johanne Gyulay, Ludouico Szeretsény, & Georgio Perneſſy, Coruini familiaribus, ſummis viris, proditionis ac perfidiæ accuſabatur; quod (Johanni) Coruino, in thermis, quæ prope oppidum iucundæ & ſalubres habentur, lauanti, arcemque repetenti, contra fidem & iusiurandum, de reddenda præſtitum, reſtituere recuſaſſet; &, quod capitalius erat, conductis ſicariis, vitæ eius inſidiatus eſſet. Quæ crimina, cum ille tergiuerſando, negandoque, diluere conatus eſſet; tum illi, productis teſtibus, omni exceptione maioribus, eum intentati ſceleris, conuincerunt. Itaque, rege, & iudicibus, pro tribunali ſententiam ferentibus, eum vitæ exitum habuit, vt proditorum more, in fruſta ſecaretur. Quam pœnam ille, pio, patientique animo, tuliſſe fertur.* Iſte *Pokii* exitus fuit.

eius ſupplicium.

§. IV.

Reliqui eius poſſeſſores:

CEſſit poſtea, arcis poſſeſſio, genti *Zápolitanæ*; at, quo iure? non reperio; neque noſtra multum intereſt: dum a FERDINANDO I. anno MDXXVII. feria ſecunda proxima poſt feſtum *omnium Sanctorum*, ALEXIO THVRZONI, viro ſummo, ob præclara, de ſe, & regno Hungariæ, merita, donaretur. Cauſſas, ablatæ, a *Johanne de Zápolya*, arcis, ex tabulis *Ferdinandeis*, addidicimus: quas, quia habent momenti quidpiam, ad hiſtoriam, eius temporis illuſtrandam, nihil dubitamus adſcribere. *Quod quidem caſtrum* Bajmócz, inquiunt tabulæ, *ex eo, quod idem* Johannes Comes, *immemor fidei & fidelitatis ſuæ, qua Sereniſſimo quondam principi, Domino* LVDOVICO, *dictorum regnorum noſtrorum, Hungariæ & Bohemiæ regi, ſororio noſtro chariſſimo, Domino ſuo naturali tenebatur, eodem quondam* LVDOVICO *rege, curam & defenſionem fidei noſtræ Chriſtianæ, dictique regni noſtri Hungariæ agente, caſtraque ſua, caſtris imperatoris Turcarum, in campo, prope oppidum* Mohács, *opponente; idem* Johannes Comes, *per litteras, & iteratos nuncios, eiusdem quondam regis* LVDOVICI, *vocatus & monitus, in defenſionem capitis regis & domini ſui naturalis, venire non*

Alexius Thurzo:

Ferdinandi, *in eam rem, diploma:*

c.) Libro III. p. 42, 37. Conſer omnino BONFINIVM, qui Dec. V. Lib. V. p. 730, 33. plura maleficiorum *Pokii* capita, enumerat.

d.) Diſtabit certe, minimum, milliaribus Hungaricis ſex.

e.) Colligas hinc, manſiſſe arcem, Regi propriam, ſolam eius gubernandæ procurationem, *Pokyo* commiſſam, ritu antiquo.

Digitized by Google

non curaſſet; ipſoque rege LVDOVICO, *ibidem infelici caſu obeunte, dictus* Johannes Comes, *Coronam eiusdem regni noſtri, fidei, curæ & conſeruationi ſuæ (f.) datam, contra iusiurandum ſuum, ſuperinde præſtitum, pro ſe vſurpaſſe, & eadem, extra leges ac conſuetudines & libertates, iam fati regni noſtri Hungariæ, ſe coronari feciſſe, vindicataque ſibi corona ipſa, & regio nomine, ſe nobis, contra efficaciſſima iura noſtra, hoſtem manifeſtum exhibuiſſe, multaque ac quam plurima damna, nocumenta, ſpolia & incendia, in ipſo regno noſtro Hungariæ, perpetraſſe dignoſcitur: ex eoque, per notam infidelitatis eiusdem, ex voto & deliberatione omnium regni noſtri ſtatuum Hungariæ, in congregatione noſtra generali, pro felici coronatione noſtra celebrata, crimine læſæ maieſtatis, & nota perpetuæ infidelitatis, meruit condemnari; ad ſacram, dicti regni noſtri Hungariæ Coronam, conſequenterque collationem noſtram, deuolutum exſtitit & redactum.* En, abrogatæ, *Zápolitanæ* in arcem dominationis, cauſſas. Iam & merita *Alexii Thurzonis*, quibus arcem ſibi, atque fratribus, fecit propriam, ex iisdem tabulis, iuuat cognouiſſe. FERDINANDVS, DEI GRATIA, *Rex Hungariæ* &c. *Cum nos debitum, vt decet, habentes reſpectum, & integerrimam fidem, & conſtantiam, ac ſeruitia cumulata, fidelis noſtri Magnifici* ALEXII THVRZO *de Bethlehenfalva, Magiſtri Tauernicorum noſtrorum, quæ ipſe, ſacræ in primis regni huius noſtri Hungariæ Coronæ, & deinde Maieſtati noſtræ, diuerſis temporibus, non ſine magna fortunæ varietate, præſertim in aſſecutione ſacræ dicti noſtri regni Hungariæ Coronæ, qua* DEI *auxilio, feliciter ſumus (g.) coronati, nullis ſuis parcendo periculis, laboribus, facultatibus & impenſis, ſumma cum fidelitate conſtanter exhibuit & impendit. Volentes igitur, pro his ipſius,* Alexii Thurzonis *meritis cumulatis, & ſeruitiis gratiſſimis, ei, & cauſſa ipſius,* Johanni Thurzo de Bethlehen falva, *fratri ſuo vterino, gratia, liberalitate & munificentia noſtra adeſſe ſingulari: totale caſtrum* BAJMÓCZ, *in Comitatu Nitrienſi exiſtens & habitum,* Johannis de Zápolya, Comitis Scepuſienſis: *quod aliis, poſt felicem noſtram electionem, in regimen huius noſtri regni Hungariæ, Poſonii factam, mediantibus certis litteris noſtris donationalibus ſuperinde confectis, eidem* ALEXIO THVRZO, *& ſuis fratribus, dediſſe, donaſſe & contuliſſe dignoſcimur; ſimul cum cunctis ciuitatibus, oppidis, villis, & qui-*

f.) Fuiſſe JOANNEM *de Zápolya*, poſt partem STEPHANVM, ſacræ Coronæ cuſtodem, conſtat apud omnes. Relege, quæ Tomo Operis III. in hiſtoria arcis *Wiſſegrád*, de ſatis Coronæ meminimus, p. 493. ſequ.

g.) Confici hinc poteſt, ne id ob iter ſileamus, controuerſia, quæ eſt inter hiſtoricos, de die inaugurationis FERDINANDI I. *Quo die id factum*, inquit TIMON, ad annum MDXXVII. *incertum eſt.* ISTVANFFYVS, *cum* NICOLAO OLAHO, *die Solis, qui antecedebat feſtum B. Martini Epiſcopi, adtribuit; ſolo D. Emerici,* GEORGIVS PETHÖ, *cum* JOHANNE SAMBVCO, *regiique decretis; vicesimo primo Octobris,* ABRAHAMVS BARSAIVS, *cum ceteris hiſtoricis.* Si enim coronatus iam fuit, cum tabulas eas perſcriberet FERDINANDVS; perſcribebat eas autem, *Alba Regali, Anno MDXXVII. ſecunda feria, proxima, poſt feſtum omnium Sanctorum*, hoc eſt, *die tertio Nouembris*; fruſtra ſunt, qui in *Nouembrem* retrahunt coronationis ſolemnia. Itaque, non eſt, cur dubitemus, diem reuera fuiſſe *Octobris* vltimum.

quibuscunque vtilitatibus & pertinentiis, quouis nominis vocabulo vocitatis, & generaliter, quarumuis vtilitatum & pertinentiarum integritatibus, ad idem de iure antiquo ſpectantibus, reliqua. Ita tunc, in ALEXII, & per hunc, gentis *Thurzonum* reliquæ, poteſtatem, *Bajmócz* venit. *Alexio* demum, anno MDXLIII. fatis functo, JOHANNES, frater ſuus, ex quatuor reliquis ſuperſtes adhuc, *Bajmóczii* hæreditatem, cum Scepuſienſi alia, ex teſtamento adiit. Verba ſic habent: *De caſtris & bonis meis, hanc facio diſpoſitionem, & hunc ordinem ſeruari volo: Primum, quod caſtrum* Bajmócz, *& caſtrum Scepuſienſe, cedant fratri meo, Domino* Johanni Thurzoni, *quem rogo, vt his bonis ſit contentus.* Et poſt pauca: *ex quo autem idem* Johannes Thurzo, *hæredibus deſtitutus eſt; lego & volo, vt, ſi quid illi humanitus contigerit, bona prædicta, mox & defacto, deuoluantur ad* Bernardum Thurzo, *& liberos fratris ſui* Chriſtophori Thurzo; *ſed ita, vt qui inter eos ſenior fuerit, bona ipſa gubernet & poſideat: cum reliquis autem, quoad reditus & vtilitates, concordare debeat.* Et ita omnino euenit; vt, *Johanne*, germano *Alexii*, anno MDLVIII. vita concedente, filiabus porro *Alexii I. Anna* & *Eliſabetha*, emortuis, *Chriſtophori* hæredes, puta *Alexii II.* filii, *Stanislaus*, *III.* Regni Hung. Palatinus, cum fratre *Nicolao*, Bajmóczio, cum tota dominatione, potirentur. Grauem, vtrique, fiſcus, iuſſu RVDOLPHI, anno MDXCVI. litem, eam ob rem, intentarat; ſed, ſteterunt tamen cauſſa fratres: quippe, teſtamento *Alexii*, & quam idem, a FERDINANDO I. impetrauerat, teſtandi pro lubitu, bona ſua, facultate, egregie ſemet ipſos tutati. Poſt STANISLAVM III. qui anno MDCXXV. Cal. Maii, vita functus eſt, filii ſui, atque in his vltimus, *Michael*, arcis, cum ditione, poſſeſſionem adiit: qui, quoniam, anno MDCXXXVII. improlis deceſſit, cum opimas dominationes alias, tum *Bajmoczenſem* quoque, fiſco regio reliquit: vt adeo, centum admodum, & decem annorum ſpatio, gens *Thurzonum*, *Bajmóczio* potita fuerit. Præfuit tunc ærario regio, *Paullus Pálffy*, vtrique principi FERDINANDO II. & FERDINANDO III. vnice gratioſus. Ergo, procliue fuit, tanto viro iuſta æris ſumma, in ærarium regis ſoluta, arcem, & accenſam huic ditionem, ſuam facere. Ius illud *hypothecarium*, quod & *inſcriptionale* vocant noſtri, integrum, PÁLFFYORVM genti, ad noſtram vſque ætatem, perdurauit: dum, anno MDCCXXVI. NICOLAO, Regni Hungariæ Palatino, & JOHANNI, Croatiæ tunc Bano, iam Iudici Curiæ Regiæ, a CAROLO VI. iure hæreditario ac perenni, adtribueretur. Iſtæ, poſſeſſorum fuere conuerſiones.

Alexii teſtamentum:

Succeſſores:

venit in poteſtatem gentis Pálffyorum:

§. V.

Arcis, quæ fuerint fata:

FAta arcis, a primis exordiis ſæpius variauiſſe, inde capi argumentum poteſt, quod iſta *Hungariæ* ora, nunc ciuilibus diſcordiis, nunc hoſtium incurſionibus, frequenter diſtinebatur.

ſub Car. I. *Matthæus* ille *Trentſchinienſis*, CAROLO I. immane, quam refractarius, do-

Digitized by Google

dominationis terminos, hucuſque prorogauerat; certe arcem etiam obtinebant noſtram. Eo, in ordinem redacto, quieta diu fuerunt omnia, dum Elisabethae, viduæ *Alberti* factionem, an iura? ſequuti *Bohemi*, late regionem inundarent. *Huſſita*, Bohemicum & ipſi genus, veſtigia eorum legentes, tantum dedere cladium, quantum ſcribendo vix adſequare: quippe, e montanis caſtellis, quæ præſidio tenebant, toti circum regioni, dies noctesque inſidiantes. Quæ peſtis, a Matthia *Coruino*, ſuo ductu iſthic militante, depulſa tandem eſt. Tunc vero, non potuit non, arx noſtra, nunc admiſiſſe hoſtes, nunc reieciſſe iterum. Obſtinata hæc, temporaria tamen fuerunt mala; at, quæ *Turcæ* intulerunt, inexplicabili perniciei, diuturnitatem habuere coniunctam. Primus, qui *Bajmóczium*, memorabili clade adfecit, *Mehmetes*, Belgradi præfectus, homo ſanguinolentus, exſtitit. Venerat is, vt *Budae*, quam *Rogendorffius* oppugnabat, ſuppetias ferret. Verum, quod *Germani*, non exſpectato eius aduentu, obſidionem ſoluerant, ne fruſtra, validum adduxiſſe exercitum, putaretur, *Vsreffo* Boſnenſi, atque *Amurate* Herczegouinæ præfectis ſuadentibus, ad leniendos militum animos, impreſſionem, in Ferdinandi prouincias, intemeratas adhuc, & inexhauſtas, ſuſcipiendam ſtatuit: nec quidquam proficiente Johanne, qui muneribus cultum, eo, vnde venerat, innocuis itineribus, regredi cupiebat. Itaque, relicto, ad *Peſthum*, cum impedimentis peditatu, in regionem, quae eſt inter *Granum*, *Nitriam*, *Vagum*que, quaſi rupta cataracte, cum vniuerſo equitatu, ſe infundit, ſecuram tunc, & quod dies erant, *Natalibus Domini noſtri* Iesv Christi, ſacri, otio, genialibus iocis, atque conuiuiis, exitiali inſtituto, diffluentem. Iam latiſſime regionem, *Vago* adſitam, euaſtauerat, cum *Bajmóczio*, iniquiſſimus hoſtis incubuit. *Mehmetes*, inquit Istvánffyvs, (*b.*) *Amuratem, cum ſuis Hertzegouinis,* Bajmóczium *verſus excurrere iuſſit, locum itidem thermis, ac ortu* Nitriæ *fluminis, clarum, & nobilem. qui cum oppidum, fugientibus in arcem incolis, vacuum reperiſſet, illud ſuccendit, ac cognito, maioris minorisque pecoris, magnam copiam, ad vicinos montes, metu hoſtium actam eſſe, ea monſtrantibus indigenis, qui inter captiuos erant, quaſita atque reperta, abegere.* Atque hæc quidem, exeunte anno MDXXX. euenere. cuius cladis, ſæpius meminiſſe oportebit: quippe, toto poſtea ſeculo, haud reparatæ. Nam, quo minus potuerit reparari, nouo *Turcarum*, neque eo clementiori maleficio, factum eſt. Calamitatis auctor, *Ibrahim*, purpuratorum princeps fuit, qui anno MDXCIX. per vtramque *Vagi* ripam, longe, lateque diffuſus, regionem, nefandum in modum adflixit. Prolixe ſtragem eam Istvánffyvs (*i.*) deſcribit: *Peruaſtata*, inquit, *omni ea regione*, (quam Vagus interluit) *praeda & ſarcinis onuſti, redeuntes, obuia* Thurzonum *oppida, Galgóczium*, *Pri-*

ſub Eliſabetha:

ſub Matthia:

Turcis *praſſantibus*: *prima eorum impreſſio*:

irruptio alterа.

b.) Lib. XI. p. 172., 4. *Nitriam* vero amnem, non ad *Bajmóczium*; ſed altius multo oriri, ſupra, Parti Generali, Membr. I. §. V. num. 2. diximus.

i.) Lib. XXXI. p. 744. 745.

vigyiam, Prónam, Bajmóczium, *ac penes Nitriam, Kérium, Iuankam, & adtigua Noua Arci municipia, Tardoskeddium, Nyárhidam, Cisáriam, quamuis Turcis tributaria, infensissime direpta, mox iniectis facibus, concremauere, reliqua.* Ergo, *Bajmóczium* quoque, ea strages pessum dedit. Oppidumne vero tantum, an arcem simul? non liquet. Id nos iubet dubitare, quod *Thurzones*, suo ipsorum præsidio, arcem custodiebant adtentius, tamquam frequentem gentis sedem, quin perfugium etiam. Certe, *Georgius Závodszky, Georgio Thurzoni* a secretis epistolis, in ephemeridibus *(k.)* suis, in quas immanissimam hanc impressionem, paucis retulit, captæ arcis, nihil meminit.

§. VI.

Botskaiana *grassatio:*

NOndum vulnus regioni, iuxta & *Bajmóczio* inflictum, ad cicatricem venerat, cum recentes plagæ, Hungariæ vniuersæ, nostroque *Bajmóczio*, infliguntur denuo. Nempe, *Botskaianis* late grassantibus, in Cæsaris fide aliquamdiu arx perstitit. ISTVÁNFFYVS *(l.)* *Basta*, inquit, *promoto ex hibernis, Leuociaque, exercitu, via militari, per Liptouianos, & Thúróczianos facta*, Bajmócziam, *atque Galgóczium, quod adhuc a Thurzonibus (m.) in fide Cæsaris retinebatur, peruenit.* Sed parum aberat, quin ea constantia, damnum irreparabile fecerint *Thurzones*; hostibus, in horum, qui secum facere nollent,

Thurzonum *fortuna:*

oppida, vicosque, igne ac ferro, sæuientibus. *Quibus de caussis*, inquit historicus, STANISLAVS THVRZO, *eo tempore, Sintauiæ commorans, Tyrnauiaque & Nitria, duobus locis, veluti indagine intercluſus, vt subditis ſuis, ne ferro & igne vaſtarentur, conſuleret, deditione facta, ad eam factionem tranſiit. Eius exemplo*, Christophorus *quoque frater ſuus, quem* Barbianum *accepiſſe hoſpitio, ac cum eo in arce Scepuſiana, obſidionem pertuliſſe narrauimus, poſt multa accepta detrimenta, ad illum*, (Stanislaum) *ſe Caſſouiam contulit. A quo ibi, falſo dicterio perſtrictus eſt, vt eum, poſtquam longis & diuturnis imbribus madefactus eſſet, tandem penulam induiſſe diceret.* Istis ergo rebus factum est, vt debuerit, *Botskaianos* accipere *Bajmóczium.* Sequutis postea tumul-

quid noſtra ætate a Rákóczianis *paſſa ſit arx:*

tibus, eadem in fata recidit, arx oppidumque. Nostra certe ætate, *Rákóczianorum* obsidionem, in decimum vsque mensem, mascule tolerauit, anno demum MDCCIV. Mense Julio, hosti tradita. Fuit postea, *Nicolao Bertsénio*, homini, ad perdendam Hungariam nato, vxorique suæ, furiarum principi, in deliciis. Itaque, non modo frequentius isthic diuertit, sed vniuersam simul *Bajmóczii* dominationem,

rediit ad Cæſarem & heros.

dum tumultus durauere, cum omni reditu, suam fecit. Rediit in Cæsaris ditionem, a loci hero, *Comite Johanni Pálffyo*, anno MDCCVIII. exeunte Octobris, perdomatum.

§. VII.

k.) Sunt ex Manuscriptæ, habentque summa rerum momenta, ab anno MDLXXXVI. vsque ad annum MDCXXIV.

l.) Lib. XXXIV. p. 826, 10.

m.) Fuere hi patrueles, GEORGIVS, & STANISLAVS, *Thurzones.*

Digitized by Google

§. VII.

IAm arcis molem, ædificiaque videamus. Lentis eam accreuiſſe acceſſionibus, coniectatu procliue eſt admodum: maxime, ſi iisdem *Bajmóczii*, qui arcium plerarumque natales fuerint: vbi concurſante, vicina, ad faciendum opus, multitudine, moles, raptim ac tumultuarie fiebant, vt eſſent communi perfugio, ſi belli metus ingrueret. Has poſtea, ſiue reges ipſi, ſiue hi, quibus illi poſſidendas tradiderunt, ex ſuo ingenio fingebant, refingebantque. Quæres in cauſſa eſt, cur vetera arcium per *Hungariam*, ædificia, informia ſint nimium, atque præter regulam facta. Accuratius, cum *Bajmóczio*, actum putamus, quod thermarum commoditate, reges adlecti, haud raro iſthic hoſpitarentur. De *Coruino*, arcis aditu, a *Pokyo* prohibito, cum in thermis lauaret, ſupra, hiſtoricum audiuimus. Ergo, oportuit, ita iam tum arcem fuiſſe factam, vt regem, ſi alia re, in excitandis profecto ædificiis, magnificum hoſpitem, ſine maieſtatis opprobrio, accipere potuerit. Poſtea, multum *Alexii Thurzonis*, diuitis, multæque elegantiæ viri, ſumtu & curis increuit. De Thermis diſerte GEORGIVS VERNHERVS (*n.*) *Calidis ad Bajmóczium, hoc*, inquit, *honoris habuit* ALEXIVS THVRZO, *qui in ea familia, nomen illuſtre, & ſecundum regiam aliquamdiu ſummam poteſtatem, apud Hungaros obtinuit, vt eas, quadam quaſi ciſterna, ex quadratis facta lapidibus, qui etiam deſcendentibus, ſcalarum & ſedilium locum præbent, includendas curauerit.* Poſſum hinc, haud inaniter coniectare, non minori cura, arcem, habitatu commodam, *Alexium* feciſſe, quam thermas, ad lauandum opportunas reddiderat. Eadem poſtea in ornanda augendaque arce, inclyta *Pálffyorum* gens, adſiduitate elaborauit. In primis *Paulli Pálffy*, Hungariæ Palatini, eximiam, in excolenda ea, fuiſſe operam, res ipſa loquitur. Nam, & prætorium magnifice inſtauratuit, & nouis auctum tricliniis, ad pompam inſtruxit. Adiecit propugnacula quoque, hoſti propulſando, defenſandæque moli interiori, idonea. Certe *Bajmóczenſi* hac ſede, adeo eſt delectatus, vt eam, nulli non arcium ſuarum, antepoſuerit. Vulgo perhibent, totidem feneſtris, prætorium huias ſuperbire, quot diebus annus deſcribatur. Et ampla omnino arx eſt, neque inelegans, vt iure in iis cenſeri poſſit, quæ ſunt, poſt tot clades, tota *Hungaria* commodiſſimæ. Inter præcipua eius decora, facellum referunt, non tam vaſtitate ſubſtructionum, quam elegantia, memorabile. Arcis ſitus, mirificam habet amœnitatem; ſiquidem monti inſedit, iugo, haud quidem rigido, tumeſcenti tamen. Itaque, læto, in omnem partem, proſpectu eſt: quem hinc, ſiluoſi, varieque ſubſidentes colles; illinc, prærupti opaciique montes, & qua regio arci propius circumfunditur, horti, agri, prata, piſcinæque, longe omnium amœniſſimum efficiunt. In primis, *Priuidiæ* obtutus, quæ medio, in orientem, milliari ſecedit, iu-

Molis lenta exordia:

auctoris de iis coniectatio:

Alexii Thurzonis *magnificentia:*

Paulli Pálffy *in arce augenda labores:*

ſitus mira amœnitas:

n.) In Epiſtola, de *admirandis Hungariæ Aquis.*

iucunditatis eſt eximiæ. Aeris, ex iſto poſitu, ſalubritatem æſtimaueris, quæ ſola, inuitare poſſet heros, vti hic ſedem figerent: iam enim rarius accedunt, nec niſi receſſus, aut rei familiaris inuiſendæ, cauſſa. Cum *Thurzones*, & poſt hos, *Paullus Pálffy*, iſthic habitarent, viuarium quoque habuit, vario ferarum genere diues. Quod poſtea, ciuiles, qui inciderunt, tumultus, diſſipauere.

§. VIII.

Oppidum arci ſubſitum: ARci, oppidum ſubhæſit, neque anguſtum, neque vltra modum amplum. Antea, inerme propemodum fuit; ſed cum ſemel atque iterum, a Turcis euaſtaretur, muris id præcinxere poſſeſſores, ita factis, vt prædabundos hoſtes, arcere queant. *Judæos*, qui heic copioſi, noſtra ætate, habitabant, *Montanarum* vrbium vicinitas exegit. Eſt enim hoc in earum iuribus, ne lucripetas hos, ad ſeptimum, quaquauorſum milliare, vicinos habeant; ob fraudes, ei genti proprias, & metallis, quibus inſidiari ſolent, maxime noxias. Igitur, ſolis *Chriſtianis* ciuibus iam frequentatur oppidum, nullo, vti accepimus, herorum intertrimento; quod in *Chriſtianis*, & fides tutior, & in præſtandis, ſiue penſionibus, ſiue operis tributariis, exquiſitior multo eſt adcuratio. *Præpoſitura*, quam S. Antonio *Abbati* dedicauere fundatores, multum oppido celebritatis conciliat, eſtque eorum redituum, qui alendo, ſine querela, præſuli, egregie ſufficiant. Incolæ, *Slaui* ſunt plerique, rei ruſticæ ſtudioſi, agrum nacti fœcundum, reditusque fructuoſi. Habuit ante acceptas clades, colles, vite obſitos, qui, quod fructum ederent auſterum, negligentius, poſt acceptam calamitatem, habiti, iam penitus obſoleuerunt. Reliqua loci opportunitas, ad regionis ingenium comparata eſt. Adſidet, occidentali *Nitriæ* margini, quam ponte inſtratam meminimus.

Judæis *potiſſimum habitatum:*

nunc, dimiſſis iis, Chriſtianos *ciues habet:*

Præpoſitura *Bajmocxenſis:*

incolarum occupatio:

ſitus oppidi.

II. Arx Kesselö-kö.

SYNOPSIS.

Kesselökői *ſitus: molis ratio: origines ignotæ: eſt familiæ* Maythenianæ *gentilitia.* §. I.

Docetur id ex Ferdinandi II. *diplomate: dono accipiunt arcem a* Sigismvndo. §. II.

Laudes Bartholomæi Maythény, *eodem diplomate perſcriptæ.* §. III.

Quomodo Szegedienſem *prouinciam adminiſtrauerit:* conſilii Regis Budenſis *ad eum littera.* §. IV.

Ladislai Maythénii *encomium:* Georgii *præclara facinora:* Johannis *decora.* §. V.

§. I.

Digitized by Google

§. I.

KESSELLÖKÖ, montem insedit amœnum, sed petrosum tamen: vnde, & lapidis nomen; nam, Kô, lapidem notat Hungaris; *Kessélô* vulturem; hinc *Kessélô-Kô*, si verba verbis reddas, *lapis vulturum* fuerit. Siue, quod lubenter istis montibus, rapax auis, nidulabatur olim; siue, quod ædificandæ arci, *vultur* dederit auspicia. Vtrumque adfirmari audias. Dum intemerata fuit moles, habuit opportunitates, his istius modi arcibus, proprias. Nam, & habitationibus instructa fuit, & mœnibus, atque propugnaculis, hosti reprimendo idoneis. Origines vestigantibus, nemo erat, qui eas potuisset designare. Ex *Slauico* arcis vocabulo, *Kamény-Zámek*, arguunt nonnulli, *Hussitarum* esse opus. Quod non ausim adfirmare; eo quod, vetustiora adpareant murorum opera, quam quæ ad eam ætatem possint referri; diplomata autem, longe aliud condocent. Nolim tamen negare, exiliorem forte, atque inermem arcem, vertisse in rem suam, ferum genus, feciseque, post ætatem Sigismvndi, munitionibus valentiorem. Iam senssim, & robur amittit, & commoditates pristinas; eo tamen digna commemoratu; quod genti *Maythényanæ*, veterrimo iure adscripta, titulos simul impertiuerit, vt, iam de *Kessélô-Kô*, adpelletur.

Kesselö-Köi situs:

molis ratio:

origines ignotæ:

est familiæ Maythenianæ *gentilitia.*

§. II.

LVculentæ sunt, Ferdinandi II. in eam rem, tabulæ, quibus, anno MDCXXXI. die XXIV. Julii, *Georgium Maythény*, Baronis axiomate ornauit. Ita vero inter cetera habet: *A tempore* Ludovici I. Sigismundi *Cæsaris*, Alberti *Cæsaris*, *eius familiæ* (Maythényanæ) *ciues & consortes, publicis muniis in bellis defunctos feliciter, ac victoriis, in* Italia, Dalmatia, Bosnia, *& ipsa* Hungaria, *præliisque interfuisse, cognitum est: ex cuius prosapiæ stirpe, continuata serie, qua bello, qua pace, excelluisse, & floruisse viros, testatum esse constat.* Johannes, *inter alios fuit* Maythény, *qui cum* Johanne Hunniade, *vbique præliis interfuit, & Generalis Capitaneus, ad Varadinum-Petri fuit. Cuius pater* Gregorius; *bellica virtute clarus, ob res strenue, & fortiter gestas*, arcem, Kessélô-Kô *vocatam, benigne donatam*, a Sigismvndo *Cæsare obtinuit.* En, arcis, non minus ætatem, quam iura *Maythéniane* gentis, quibus, in *Kessélô-Köi* possessionem venit olim; vti decora posteris, ita digna æmulatione.

Docetur id ex Ferdinandi II. *diplomate:*

dono accipiunt arcem a Sigismvndo.

§. III.

PErgit diploma, virtutem *Maythéniorum* commemorare. „ Auus quoque tuus, *Bartholomæus Maythény*, vir, ad omnem bellicæ „ virtutis fortunam, aptissimus & exercitatissimus, in aula re- „ gis

Laudes Bartholomæi Maythény *eo-*

dem diplomate perſcripta.

„ gis LVDOVICI II. fauorem & gratiam, multis promeruit fidelitatis officiis, „ *Dapiferi* honorem & *Cubicularii* dignitatem, conſecutus; quo, cum „ bello contra Solymannum ſuſcepto, prælioque in campo Mohách, „ inito, ipſomet rege, cum ingente clade procerum & nobilitatis „ interemto, præſens exiſtens, ſtrenueque dimicans, captus, By„ zantiumque delatus erat, deinde tamen liberatus, ad ſuos rediit. „ At dum feliciter Auguſtiſſima domus Auſtriaca, ſic diſpenſante „ Deo, poſt aliquot annos, ad gubernacula Hungariæ rediit, ac „ FERDINANDVS I. proauus noſter, initio regni ſui, cum aduerſario „ ſuo *Johanne Wayvoda*, de regno certare debuit, ac furore rebel„ lionis plurimi deficerent; *Bartholomæus*, memor auitæ ſuæ virtutis, „ ac fidei Auſtriacæ domui deuinctæ, copiis, ſuis ſumtibus condu„ ctis, alaque veteranorum, in *Trinchinii* obſidione, per *Johannem* „ *Catzianerum* factæ, præclare ſe geſſit, & ad felicem poſſeſſionem „ caſtri illius, conſilio & arte, adfuit. Simili modo, ad *Szerdahelyi* „ caſtra, aliisque in locis, ſingularia fidei & fortitudinis munera, præ„ ſtitit. Ob quæ tandem facta, præmia quoque condecentia „ accepit; dum in *Conſilii Regii* numerum adoptatus, ac Ca„ pitaneatus *Szegedienſis* officio donatus eſt. „ Hæc, de *Bartholomæo*, diploma. Adeo ille, non modo non degenerauit, ab auita virtute; ſed fecit etiam maiorum ſuorum actus, multo illuſtriores.

§. IV.

Quomodo Szegedienſem *prouinciam adminiſtrauerit:* Conſilii Regii Budenſis, *ad eum litteras.*

NEque, ſeu fide, ſeu laude minori, prouinciam *Szegedienſem* adminiſtrauit *Bartholomæus*. Inibimus, quod ſpero, lectoris gratiam, ſi eius ætatis *Conſilii Regii* litteras, *Buda*, ad *Maytényium*, datas, intertexuerimus: quando, & eorum temporum habitum loquuntur, & teſtantur vna, quantum in *Bartholomæi* virtute ac vigilantia, ſpei habuerint poſitum, *Budenſes* proceres. *Egregie Amice, nobis honorande! ſalutem! Tam ea, quæ de neceſſitatibus veſtris, quam illa, quæ ex parte ciuium* Zegedienſium, *ſcripſiſtis, intelleximus omnia: de quibus, licet ſeorſim, ad quemcunque noſtrum litteras dederitis; tamen, vna ſimulque reſpondere decreuimus. Erga ciues, quomodo vos gerere debeatis, nuper, Regiæ Majeſtatis nomine, ad vos ſcripſimus, & per* Johannem Zabozthow, *latiſſime nunciauimus: quæ vt diligenter ſtudioſeque obſeruetis, etiam his litteris noſtris, vos hortamur: nam prorſus rerum ſtatus, & publica vtilitas, ita expoſcunt. De neceſſitatibus autem veſtris, egimus, cum Camerariis Regiæ Maieſtatis, Domini noſtri gratioſiſſimi, quos ſimul monuimus, vt neceſſitatum veſtrarum curam agant: qui & polliciti ſunt, & vobis nonnihil deputaſſe adfirmauerunt, deinceps quoque daturos operam, ne in ſeruitiis Regiæ Maieſtatis, & Regni, ob neceſſitates, elaborare deſinatis. Nos hortamur vos, & rogamus, vt defenſioni iſtius ciuitatis, ac iſtarum partium, quam diligentiſſime ſolerterque inuigiletis, curetisque modis omnibus, vt veſtra iſthic præſentia, quam plurimum commodi vtilitatisque partibus iſtis adtuliſ-*

ſe

ſe videatur. Quod vos, pro veſtra fide, veſtraque virtute facturos, non dubitamus. Dedimus autem litteras, ad Comitatus, qui pro defenſione iſtarum partium deputati ſunt, vt, ſi qui hactenus gentes ſuas, non miſiſſent, quam primum, ſine vlteriori procraſtinatione, occaſione quauis poſthabita, ad vos mittere debeant, & teneantur. Aliud propterea ne faciatis, iterum iterumque hortamur. Valete. Ex Buda, *feria tertia Beatæ Virginis Mariæ, Anno Domini milleſimo quingenteſimo, vigeſimo octauo.* Nihil epiſtola hac, in reipublicæ procuratione, concinnius. Inſcribebatur autem: *Egregio Bartholomæo de Maythyn, Capitaneo Regiæ Maieſtatis Zegedienſi, Amico Honorando;* obſignabaturque ſigillis quatuor, cera expreſſis rubra. quorum ſecundum, *Báthoreorum* inſignia referebat: nam reliqua, vetuſtate fuerunt detrita.

§. V.

Ladislai Maythény *encomium:*

QUod reliquum eſt, in *Ferdinandeo* illo diplomate, ad laudes *Ladislai Maythény* pertinet, quæ, in compendium miſſæ, huc redeunt: Collocauiſſe *Ladislaum*, priſca, gentis *Maythenianæ* decora, in ſummo faſtigio: quando, non bello tantum *Saxonico*, quod FERDINANDI I. auſpiciis gerebatur, apud auunculum *Johannem Pethô*, militiæ rudimenta poſuerit; ſed inde etiam redux, ſub conſummatiſſimis belli ducibus, *Marco Horváth*, & *Nicolao Zrini*, ſtipendia meruerit diutius: donec, *Maximiliani* ductu militans, & in veteranis relatus, ob ſeruatam *Caniſam*, præfectura arcis *Kis-Komárom*, donaretur; poſteaque, *Vetuſolium* translatus, ornatusque *Supremi Comitis* dignitate, præclaram defenſandis montanis vrbibus, operam nauaret. Sequuntur inde, præclara *Georgii*, facinora: quippe qui, poſt decennii, quod ſub RVDOLPHO II. exegit, rudimenta, eum ſe, in præliis & obſidionibus, præbuit, vt nihil dubitarit, *Nicolaus Pálffy*, vir ſummus, eum inter duces præſidii *Vjvarienſis* referre. Præterquam enim, quod gemina *Strigonii* oppugnatione, indiuiduus ſemper *Nicolai* comes fuit; inſignem ei, in recuperato *Laurino*, operam nauauiſſe perhibetur. *Botskaiano* certe, ac *Bethleniano* tumultu, non vi, non illecebris, eo ſe adduci paſſus eſt, vt regum ſuorum partes deſereret. Quibus rebus, axioma *Baronis* promeritus, inſignia ſimul luculentiora, FERDINANDI II. benignitate, indeptus eſt. Fuit *Georgius*, præter rei militaris ſcientiam, inſigniter doctus, quod ex fragmento hiſtoriarum *(a.)* ſui temporis addidicimus. Poſtea, ſub LEOPOLDO M. *Jo-*

Georgii *præclara facinora:*

(*a.*) Grande fuiſſe volumen oportuit, cuius ad nos tenue, plagularum circiter ſex, fragmentum, perlatum eſt. Inſcribebatur autem: GEORGII MAYTHINII, RERVM HVNGARICARVM SVI TEMPORIS, DECADES. *Auctarium*, quod in poteſtate habemus, ex DECADIS OCTAVAE, LIBRO X. decerptum eſt, *Pacis Viennenſis, & Zitua Torokienſis*, habet hiſtoriam. Equidem, dolere ſatis nequeo, diſperditum eſſe volumen reliquum. Trium enim Regum, RVDOLPHI, MATTHIAE II. & FERDINANDI II. res geſtas, pro ratione ætatis, quam vixit GEORGIVS, complecti potuit. Vtinam ſit, qui eruderet vtiliſſimum ſcriptum: quippe, ingentem *Rerum Hungaricarum* lacunam expleturum: niſi forte, quod adfirmauit nobis nonnemo, vſus culinares, dudum id detriuerunt. Tantum eſt, *Lusinam*, inſcribendo, non habuiſſe propitiam! Ceterum, RAPHAELIS MAJTENII, ad *Bajnóczium*, meminimus,

Johannis *decora.*

Johannes Maythény, Perſonalis præſentiæ in Judiciis Locumtenens, gentem ſuam illuſtrauit: vt iam decora reliqua, ne quid fauori dediſſe credamur, ſilentio prætereamus, Hæc, arcis nobis mentio, opportune non minus, quam cum gentis decore, ſuggeſſit.

SECTIO II.

DE

Oppidis Proceſſus Bajmoczenſis.

PROOEMIVM.

Vere hucuſque arces; iam ad oppida accedamus, pauca ea, neque tamen incommoda ad habitandum, ſi rem, ex regionis, quam inſederunt, habitu, metiaris. Et *Bajmoczenſe* quidem illud, ad Arcem memorauimus: reliqua nunc expromemus more noſtro, hoc eſt, breuiter non minus, quam adcurate.

SYNOPSIS.

I. Prividiae *nomen: ſitus laxitas, & incolæ: quibus artibus valeant*: cœnobium *PP. Piarum Scholarum: agri indoles: oppidanorum laus.*

II. Német-Pronae *ſitus, & nomen: vetuſtas oppidi, & an incolæ*, Gothorum, Gepidarumue *ſint reliquiæ; eorum ſolertia: loci amœnitas: vici ædes: pomaria, mercatus.*

III. Sámbokréthi *habitus: eius decrementum, & huius cauſſæ: oppidi vetuſtas:* Carolum I. *hoſpitem habuit: huius, erga* Sámbokréthium *quendam, benignitas.*

IV. Szkacsani, *tenue oppidum: agri indoles: eſt hodie in* Epiſcopatus Nitrienſis *ditione: vici eo pertinentes: ſitus oppidi: priſcæ munitiones.*

I. Prividia.

Prividiæ *nomen:*

Prividia, medio, quod diximus, milliari, in orientem brumalem, *Bajmóczio* ſeiungitur. Hungari *Privigye*, Slaui, *Priwiza*, Germani *Priwitz (a.)* adpellant. Nemo, Slauice gnarus, non videt, eiusdem linguæ, vocis originem eſſe, quaſi *Priwodze*, hoc eſt, *ad fluuium*, Sarmatica dialecto,

a.) Monendus hic eſt lector, male *Zeitlerum*, ex vnius nomine oppidi, duo loca facere, cum aliud *Priwitz* ei eſt, aliud *Prividia.*

Digitized by Google

cto, diceres. Eſt enim ad riuum cognominem, decliui in planitiem colli, impoſita, quod, vti iucunditatis multum, ita plurimum habet opportunitatis. Protenditur laxe, habitaturque a ciuibus, rerum ſuarum pulchre ſatagentibus. Varius his, fructuoſusque labor eſt. Nam alii, curam agricolationis, mercatibus, opificiis alii, contemperant. Nundinas ergo, quæ in oppidis late circumſitis, aguntur, magna adſiduitate adeunt, & cum domeſticas, tum adſcitas aliunde merces, venum circumferunt. Præcipua eorum laus eſt, quod & pannificio valeant, & arte ſutoria. Vulgus certe ruſticum, panno huiate lubenter amicitur. Quin & cothurnorum, qui hic fiunt, magna eſt paſſim adprobatio, quod e corio ſubactiore, ad formulas pedi maxime congruas, parentur. Inſunt oppido, duæ *Eccleſia*, quas parochiales vocant. Ætate noſtra, inſigni *Collegio PP. Piarum Scholarum*, a Comitibus *Pálffiis*, eo fini auctum eſt, vt eſſet educandæ iuuentutis quoddam quaſi ſeminarium. Enim vero, quas poſtea ſcholas adaperuere, frequentes ſunt hodieque. Templum, colli impoſitum, muro circumdatum eſt robuſtiore, areolis, ſiue propugnaculis, ita interſtincto, vt impetus hoſtiles retardare poſſit, reiicereque. Alioquin, oppidum, agro, circumquaque offunditur amœno, atque vbere, neque non ſiluarum diuiti. Olim, & vino, & croco, ciues operabantur: quam vtramque curam, frumentario, eoque fructuoſiore cultu, penitus iam commutauerant. *Cereuiſia*, quæ hic paratur, eximia eſt, bibiturque vulgo, ea auiditate, vt in ſingulas hebdomadas, iterari cocturam, oporteat. Sunt præterea oppidani, elegantiæ, morisque, a maioribus accepti, perquam ſtudioſi. Hoſpitalitatem huc retulerimus, & conuictus, quos mutuo agunt, hilares. Ipſum oppidum, *Bajmóczio*, vetuſto iure adſcriptum eſt; priuilegiis tamen regum donatum. Huc, præter annuorum mercatuum, qui diem *D. Paulli; Inuentionis S. Crucis; S. Laurentii*; incidunt, ius gladii pertinet. Poſt eas clades, quarum ad *Bajmóczium* meminimus, ſub *Tökóliana* ſeditione, a commeante vltro citroque milite, Anno MDCLXXVIII. exuſtum penitus eſt, neque non nupero tumultu *Rákóczianorum*, durius habitum; tunc in primis, cum Bajmóczium, lenta obſidione premerent. Iam herorum prouidentia inualeſcit denuo. *Feliciter!*

ſitus laxitas, & incolæ:

quibus artibus valeant:

cœnobium PP. Piarum Scholarum:

agri indoles:

oppidanorum laus.

II. Németh Próna.

Eiusdem tractus oppidum eſt, ſed altius intra montes, ad aquilonem ſubductum. Quod *Germani* erant, qui coloniam condiderunt, *Teutonicam (b.)* inde *Pronam* hodieque adpellant. *Németh* enim *Germanum* Hungaris ſignificat, non obſcuro etymo, a *Nemetibus (c.)* Germaniæ populo, tametſi aliunde adſcito. Hinc

Németh Pronæ *ſitus, & nomen:*

b.) In Diplomatibus, *Próna Teutonicalis* legitur.

c.) De Nemetibus, vide Iacobi Caroli Spenerī Germaniæ Antiquæ Notitiam, Lib. I. p. 40. item p. 44. & p. 84. atque p. 163.

Digitized by Google

Germani ipſi, *Deutſch Proben*, Slaui autem *Nemeczké-Prawno*, adpellant, eoque vocabulo a *Tót-Prona* Thúróczienſium, diſcriminant, quæ *Slauorum Prona* dicitur. Vetuſtum eſt oppidum: quippe, cuius mentio, in Caroli Roberti diplomatibus occurrat. Atque iam tum in ditione arcis *Bajmoczenſis* fuiſſe, conſtat. Incolas, priſcos illos, adhuc retinuit, inſtitutorum atque ſermonis auiti, longe omnium tenaciſſimos. Craſſum illis os, & niſi adtentius audias, vix intelligendum; vt in eam coniecturam ducantur aliqui, *Gothorum*, aut *Gepidarum* potius, ſparſas, per recondita hæc montium, reliquias eſſe oportere: quomodo & nos, timidius tamen, coniectamus; cum ignoret nemo, ſæpius *Germanicas* colonias in Hungariam fuiſſe arceſſitas, quæ vti ætate illa, & lingua rudes fuere, & moribus, ita in iſta montium luſtra delatæ, atque ab accolis *Slauis* obſeſſæ, retinuerunt oris, iuxta & conuictus, priſtinam illam aſperitatem. Ceterum, ſolers genus eſt, & cum ruſticationis ſtudioſum, tum opificiis in primis, & pecuariæ mercaturæ, pro regionis ingenio, deditum. Itaque, paucos in oppidanis reperias, quibus, præter amplam rem familiarem, æs in fœnore poſitum haud ſit. Situs loco amœnus obtigit, & agri fœcunditate commendandus. Hunc, colles incingunt, varie ſurrecti, ſiluisque obſiti. Vltra, in ſeptentrionem potiſſimum, montes ineunt vaſti, opacique, & cum ſunt res turbatæ, latrociniis infames. Oppidi moles, vno atque altero vico, laxe protenſo, conſtat, ædibusque inſtructa eſt, e materia factis; ſed pro gentis more, habitatu commodis. Ad oppidi commendationem, pomaria referunt, vbere proboque fructu, luxuriantia. *Prunorum* præcipua copia eſſe conſueuit, quæ, vbi ex anni ingenio profecerunt, inſigni cura, ab incolis durantur, lateque poſtea, lucri faciundi cauſſa, per nundinas circumferuntur. Medio foro, ædes publica inſedit, ad quam merces domeſticæ, cibus item potusque, veneunt. Sunt oppido, annui quoque mercatus. Quatuor in faſtis reperio: quorum primus, *Dominica Inuocauit*; alter, *Dominica poſt S. Gotthardi* diem; tertius, feria *S. Johannis Baptiſtæ*; quartus denique, *S. Emerici* die, agitur.

vetuſtas oppidi, & an incola Gothorum, Gepidarumue, ſint reliquiæ:

eorum ſolertia.

loci amœnitas.

vici ædes:

pomaria:

mercatus.

III. Sambokret.

Sámbokréthi *habitus:*

Oppidum olim, cum frequentia incolarum, tum boariis mercatibus, celebre. Et eſt omnino agro inſigni, atque ſuſtentandæ multitudini, idoneo: decreuit tamen adeo, vt oppidi nomen, non iam oppidanorum numero, atque ædium elegantia, ſed priſcis illis, quæ obtinet, iuribus, vix, ac ne vix quidem, tueatur. Loci hæc decrementa, præter temporum viciſſitudines, herorum multitudini, vulgo adſcribunt. quod iam non diſquirimus. Ciues ſane plerique, anguſta ſunt re, domos materiatas quomodocunque colentes: vt deſertarum, frequentia rudera, taceamus. Celebrat hodieque fora, pecuaria potiſſimum. *Caſtellum*, quod in oppido viſitur, in poteſtate plurium eſt. Seiungitur *Topolcsáno*, duobus

eius decrementum, & huius cauſſa:

in

Digitized by Google

in ſeptentrionem, quatuor *Bajmóczio*, in occidentem brumalem, milliaribus, habetque publici curſoris ſtationem. De vetuſtate oppidi, diplomata loquuntur, iam tum a Bela IV. perſcripta. Paruit olim, genti florentiſſimæ, *Sámbokréty*, quæ anno MDCCII. penitus emortua eſt. Caſtrum, vix vlli, tota Hungaria, de antiquitate concedens, quod heic poſuerant *Sámbokrétii*, hoſpitem Carolvm I. habuit, eo bello, quod aduerſus *Matthæum Trentſinenſem* geſſit. Quod ex regiis tabulis, quas anno MCCCXVII. iſthic edidit, cognouimus. Idoneis auctoribus, relatum accepimus, e *Sámbokretiorum* gente quendam, accipitrum curæ a rege adhibitum; *accipitrarium*, noua voce, *falconarium* alii, dicunt; primum fuiſſe, qui reportatam, de *Matthæo*, victoriam, regi nunciarit, gemina falce, qua pugnarat ipſe, quercino ramo ornata, inſtructum. Ad quem nuncium, gaudio perfuſus Carolvs; *Tu vero*, inquit, *o bone! qui tam læta nuncias, vti præmium habeas, ad ſeram poſteritatem transmittendum, accipe nobilitatis, quam meruiſti, inſigne, falces tuas, teque porro virum præſta, & nobis fidum, & patriæ vtilem?* quæ demum ſimulacra, totis quinque ſeculis, in inſignibus ſuis retulere *Sámbokrétii*; tametſi, iam tum, ante *Caroli* tempora, in *ſeruis regiis*, ſeu nobilibus, cenſi fuerint.

oppidi vetuſtas:

Carolum I. *hoſpitem habuit:*

eius, erga Sámbokrétium *quendam, benignitas.*

V. Szkacsany.

FVit antea, eximie cultum oppidum; ſed quod temporum difficultas, ſicuti paſſim regionem reliquam, extra modum adflixit. Adhuc tamen, & laxitate valet, & colonorum frequentia. Agro certe circumſidetur haud ſatis fœcundo, quem tamen incolarum induſtria fructuoſum efficit. Vitis, quam patitur, vinum fundit copioſum, ſed auſterum illud, ob ſoli cæſique ingenium: ſi vineam vnicam excipias, fructus, multo, quam ſunt reliquæ, generoſioris, atque ideo, lautioris etiam pretii. Laudatiores pomariorum ſunt fructus. Templum colli inædificatum, iucundum, e longinquo ſpectantibus, obtutum præbet. Eſt & *Xenodochium* in oppido, ſuis donatum reditibus. Olim, ad *Nitrienſis* arcis ditionem pertinuit; dum in *Epiſcopatus* cognominis poteſtatem veniret, regum, ſicuti fas eſt credere, beneficio; vt iam caput ſit, *Szkacſanenſis dominii*. Huc referuntur vici: *Hradiſce*, vtraque *Weſtenicz*, *Szuchán*, *Rachicz*, *Dwornjk*, *Nagy-Krſtyenye*, & quædam in *Kis-Krſtyenye* portio, *Verbén*, *Bajmócz-Apáty*, *Lrwina-Apáty*, *Chudá-Lehotka*, *Kis-Naſticz* & *Wiskupicz*, in vicinia *Bán*, oppidi *Trentſinienſis*. Conſedit in ripa *Kis-Nitria* amnis, extrema tractus *Divikienſis*, (Slaui, *Diuiaczky Widiék*, vocant) amœnaque ora; vt, totius eius vallis, cui nullum præterea oppidum ineſt, metropolis dici mereatur. Fora, quæ celebrat, tenuia ſunt, neque digna memoratu. Cum *Turcæ* viciniores fuerunt, fatigabantque regionem crebris incurſionibus, foſſis, celſo aggere, vallisque, circumcingebatur, vt eſſet perfugio adcolis, aduerſus hoſtium iniurias. Iam detritæ ſunt

Szkacſani, *tenue oppidum:*

agri indoles:

eſt hodie ius Epiſcopatus Nitrienſis *diſtortus:*

vici eo pertinentes:

ſitus oppidi:

priſca munitiones.

hæ munitiones. Hactenus de *Oppidis Proceſſus Bajmoczenſis*, nunc ad cognoſcendos vicos, more noſtro, accedamus.

SECTIO III.
DE
Vicis Proceſſus Bajmoczenſis.

FRequens vicis regiuncula, quod & laxe diffunditur, & pluribus *Dominiis*, quæ vocant, diſcreta eſt; ſuis iterum *Diſtrictibus*, more antiquo, definitur. Nos, eum ſequemur ordinem, qui nobis a prouincialibus ſuppeditatus eſt.

1.) *Kovárcz*, Slauis *Kowárcze*, vicus, ſiue loci amœnitatem ſpectes, ſiue ruris opportunitatem, in eximiis ponendus. Præter rem enim frumentariam, & cultu vineatico, haud ſpernendi fructus, lætatur. *Caſtellum*, quod vico decus conciliat, & mole præſtans eſt, & elegantia. Expilatum id, anno MDCXL. ab *Adamo* quodam, vulgo *Adamko*, inſigni latronum ductore, memoriæ proditum reperi; præda illinc viginti mille florenorum, intempeſta nocte, ablata. quam tamen vindicauit herus, vir nobilis, prædones e veſtigio inſequutus, eosdemque, dum ciatho, ſignatum argentum, inter ſe partirentur, adgreſſus, diſſipauit, prædam retulit. Adtinuit olim ad arcem *Apony*. Iſthic, PAVLLVM APPONI, eximium eius gentis ornamentum, ſepultum eſſe, epitaphium eius, quod templum habet, loquitur. *Spectabilis ac Magnificus* D. PAVLLVS APPONI, *trium Auguſtiſſimorum Imperatorum*, RVDOLPHI, MATTHIAE, FERDINANDI, *felici ſub regimine, præclaris virtutum facinoribus, domi militiæque, pacis ac bellorum operibus clarus; Cæſareus ac Regius Conſiliarius, Sacræ Regni Hungariæ Conſeruator, decus familiæ, columen ſuorum clientum: eorum dolore obiit. Anno CIↃ IↃC-XXIV. VIII. Septembris. Ætatis ſuæ LX.*

2.) *Nagy-Apony*, cognomen dedit, inclutæ genti *Appony*, eſtque, cum ſitu hilari, tum rure, rei ruſticæ percommodo. *Caſtellum*, vico inædificatum, multum habet commoditatis, coliturque ab heris, quos diximus *Aponyis*. Vineæ, per apricos colles, conſitæ, vinum fundunt, aptum menſis, etiam non vulgaribus. Fuit vico arx quoque, iucundi, in ſubiectam regionem, proſpectus, ſed quam,

tempus edax rerum

in triſtes ruinas præcipitauit. Priſcis temporibus, regum fuiſſe propriam, ex diplomatibus condocti ſumus. SIGISMVNDVS certe, ſæpius iſthic diverſabatur; vnde coniicias, de molis, qua ea tempeſtate fuit, habitu. Atque exſtant omnino, frequentes tabulæ, quas heic loci perſcripſit regum optimus. Graſſantibus, hac regione, aduerſus SIGISMVNDVM, *Huſſitis*, forte, quod reſiſtere auſa eſt vaſtatoribus, in rudus abiit, diuque parietinis deformis, inculta iacuit: dum, *Sigismundi*

di beneficio, atque permutationis quodam iure, cum vico *Nagy-Apony*, & poſſeſſionibus aliis, *Aponyiis*, qui circa annum MCCC. in *Aladario* de genere *Péch*, primum emicuerunt, traderetur. Ita hi poſtea ſenſim inſtaurarunt arcem, vt, & commode habitari, & perfugio eſſe poſſet, ſi quis, aut latronum metus, aut belli tempeſtas, ingruebat. Euenit hoc, in primis dominantibus late *Turcis*: tunc enim, non heros modo ſuos, ſed vicinos etiam, egregie tutabatur; donec incuria primum, iniuriis poſtea aliis, ſeculo ſuperiore, collabi inciperet. Fuit prætorio, non tam vaſto, quam opportune inſtructo, & poſt anguſtius atrium, varie ſinuatis habitaculis, ita facto, vt potuerit ſane, hoſpites accipere, etiam numeroſiores. Vicus ipſe, tabernarum diuerſoriarum frequentia, vix vlli, tota valle *Nitrienſi*, ſecundus eſt.

3.) *Kis-Apony*, ita dictus, quod maiori illo, tenuior ſit, tametſi ruſticationis opportunitate, ſuppar. *Aponyiis* quondam paruit; iam, parte potiore, *Bartakovicſiis* adſcriptus eſt.

4.) *Szulyócz*, earundem fere, cum priori, opportunitatum.

5.) *Nitra-Szerdahely*, cognomentum ab amne, cui adpoſitus eſt, accepit, vt ab aliis eiusdem vocabuli oppidis *(a.)* vicisue, diſcrimineretur. Slauis *Streda* dicitur. Agro eſt omnis generis frumenti feraci. Hinc Slauicum illud prouerbium: *Streda, u proſtred chleba*, id eſt, *Stredam vicum, pane eſſe circumdatum*: quod fertili agro vndiquaque circumfuſus eſt, non ſecus, quam medulla panis, cortice incingitur: nam, & medullam panis, *Streda*, apud Slauos, ſignificat. Neque rus reliquum deterius eſt. Pratorum commendatio, ob præſtantiam graminis, præcipua. Sed, nec vite carere voluerunt agrum, ſeu heri, ſeu incolæ. quæ tamen vinum dat tenue, neque ætatis tolerans. Eſt in hærediis inclutæ familiæ *Szerdahely de Nitra-Szerdahely*, cui geminum iſthic caſtellum, ſedesque per opportuna eſt. Cum *Podmaniczkii (b.)* fratres, nota apud *Hungaros* nomina, iſta regione graſſarentur, caſtellum huius, latrociniis fuit infame. Itaque, publica lege, ſolo æquandum ordines *(c.)* ſtatuerunt. Quod & ita euenisſe, ex decreto anni MDXLVII. *(d.)* condiſcas: vbi ſimul, deleto *Szerdahelyienſi* caſtello, rapinarum ſedem, ad clauſtrum *Kolos*, tranſtuliſſe *Podmaniczkium*, legitur.

6.) *Cſalátka* proxime conſedit, tenuis quidem vicus; ſed ruris tamen præſtantia commendandus. Paret eisdem *Szerdahelyis de Nitra-Szerdahely*.

7.) *Szoltsán*, in oppidis aliquando relatum fuiſſe, conſtans incolarum traditio eſt. Nunc, ad dominationem *Kis-Topalcſanenſem*, accenſetur, & habitatur omnino laxe, ac copioſe, vico, gemina ædium ſerie, in longum decurrente. Medium *Eccleſia* inſedit, non inelegantер facta. Gleba gaudet fertili, ſiluis ad cædendum ampliſſimis. Ingens

a.) Notum eſt inſulanum, in *Piſonienſi* prouincia oppidum, *Szerdahely*, quod illic Tom. II. p. 245. num. VI. meminimus, nec non *Vágh-Szerdahely*, ad Szerediuum, ibidem, p. 213, num. 35.

b.) Lege omnino Decretum An. MDXLII. Art. XLIV. & An. MDXLV. Art. XLVII.

c.) Anni MDXLVI. Art. LVI.

d.) Art. XXV.

hic papaueris copia, prouenit, quo incolæ, late conſerunt agrum. Atque delectantur omnino, cibis papauere adſperſis; his in primis, qui ad modum *(e.) fundulorum*, e farina probe ſubacta, fiunt, poſteaque affuſo melle, papauere condiuntur. quæ res, a dicaculis, in opprobrium verſa eſt pridem. Ac fit hodieque, vt ſi peregrinorum aliquis, palam ſciſcitetur: *quanti, fundulorum eiusmodi metreta, hic loci, veneat?* eumque comprehendi contingat, duriſſimis, ob dicterium illud, verberibus mulctetur. Incolarum occupatio, præter rem agreſtem, quæſtu ſalis ac ferri, diſtinetur. quas illi merces, equeſtri aurigatione, paſſim deuehunt. Adſedit vico, *Kominansko* deſertum, non minus ſiluis, quam agris frumentariis, multæ fœcunditatis, atque riuo *Libna*, iſthuc in *Nitram* delapſo, inſigne.

8.) *Praznócz*, Slauis *Praznowcze*, ex nimia *Nitriæ*, & confluentis *Liuinæ*, vicinitate, eluuionibus obnoxius, agri tamen præſtantia, vix vlli, circumſitorum vicorum, ſecundus. Pars incolarum, pagum olim habitabant, cui *Hornany* nomen fuit; ſed quod ille monti *Brloch* ſubſitus, prædonum impreſſionibus frequenter euaſtaretur, facta demigratione, *Praznoczenſem* hanc coloniam, vel condiderunt primum, vel certe noua acceſſione hac, adauxerunt. E priori vico, nihil, præter rudus templi, reſiduum ſupereſt. Eſt hæredium familiæ *Szopek*; cum olim *Praznowzkyorum* fuiſſet.

9.) *Krencs*, vicus haud ignobilis, ad radices montium *Tábor*, *Brloch*, *Kozlicza*, & *Dieta*, quadripartito exædificatus, totidemque nominibus diſcretus. Partium vni, *Kutnya*; *Záwada* alteri; tertiæ, ſpecialiori vocabulo, *Krencs*; quartæ denique, *Zemansky Konec*, quaſi *nobilium limitem* diceres, nomen eſt. Duo heic caſtella ſunt obſoletiora, prætoria item aliquot, quæ *curias* vocant. In his familia *Goſztoniorum*, generis antiquitate incluta, ſedem habet: quippe, ad quam, priſco iure, vicus pertinet. Agri circumquaque, inſignis ad ruſticandum, amœnusque eſt poſitus: pratorum in primis, quæ in conuallibus ſepoſita, riuulis rigantur vberibus, & cancrorum diuitibus. Quin, & vineatici cultus patientem accepimus; ſed exili prouentu, neque, niſi menſis vulgaribus, idoneo. Maior *cereuiſiæ*, quæ hic fit, adprobatio eſt. quam ideo, vicini, quoque in pretio habent.

10.) *Tükés-Ujfalu*, Slauis, *Nowá-Wes*. Hungari, a truncis, quos forte exciſæ ſiluæ dederant, cum primum excitaretur vicus, ad eum modum adpellarunt; certe, vtriusque linguæ vocabulum, vicum nouum ſignificat. Poſſidebatur antea, a gente *Ujfaluſiorum* de *Tükés-Ujfalu*; iam inter plures diſpertitum eſſe accepimus. Hæc illa *Nowa-Wes* fuit, cuius heri, comem hoſpitalitatem, TOLLIVS *(f.)* commendauit: quam, quia ad *Nitrienſium* laudem pertinet, nihil piget adſcribere. *Poſtridie* inquit, (quam *Nymphas* lauantes viderat) *non tam*

e.) Hungari, familiare, diebus eſurialibus, cibi genus, *Mák-Cſik*, Slaui, *Makowe Slze*, adpellant: ignotum, quod ſciam, *Germanis* ferculum; certe, acceptum minus.

f.) Loc. cit. pag. 154. 155.

Digitized by Google

tam venuſto, quam Dominis vtili ſpectaculo ruſtico, memet oblectaui. Pagus erat cum caſtello; pago autem Nowa-Weſæ *nomen. In eius conſpectu, tanta agricolarum, vtriusque ſexus (g.) opus facientium, frequentia erat, vt cauſſam rogare non puderet. Erat in agrorum quaſi carceribus, arbitra operis Domina. Hanc ſalutare officii mei exiſtimans, cum iuxta viam carpento vecta opus vrgeret, rogor ab ea, poſt aliquantuli temporis colloquium, vt quoniam hunc ſibi honorem habuiſſem, ne eundem filio ſuo denegarem; monſtrabatque caſtellum, vbi commoraretur. Ego, ne inofficioſus viderer, & promiſi, & præſtiti. Nomen huic viro nobili erat,* Stephano Horvato, (*h.*) *ſiue, vt more Hungarico loquamur,* Horvát Iſtván: *ſolent enim Hungari poſtponere prænomina, gentis, ſiue familiæ ſuæ nominibus. Vti mater, ita & filius, humaniſſime me excepit, & quod tempus prandii inſtabat, nihil tale cogitanti, amicam vim intulit, coegitque ſibi eſſe conuiuam. Carpiones, trutæ, cancri ponebantur, cibi, etiam ſatiato non ingrati. Vinum vero, non Hungaricum modo optimum, ſed & de quo merito dici potuiſſet, notum illud,* est, est, est, *liberaliter propinabatur. Rogabat me nobilis hoſpes, linguæ Latinæ, ad ſermonis facilitatem peritus, cuias illud cenſerem? ego vero, quod ne dubitandum quidem exiſtimarem,* Tokaini *inquam natum.* Immo vero, *ait ille,* ne quid felicitati Cæſaris deeſſe exiſtimes, etiamſi, quando Hungaria forte nullum ſuppeditet vinum, Croatia *huic mater eſt. Mirabar ego, qui &* Luteburgenſe *non ſemel bibiſſem, quod de eo, nihil in Croatiæ confiniis inaudiuiſſem. Dum ita nos vinum hoc bibendo laudamus; nullus enim bono vino melior veriorue haberi bonos poteſt; menſa ſecunda infertur. Hic meus hoſpes:* Domine, *inquit,* vinum bonum e Croatia dedi, dabo & aliquid, quod in tua patria natum eſt: *dixeram enim, me Batauum; & ſimul oſtentat butyrum. Iouem ego lapidem iurare auſim, ſuauius, aut melius, me nunquam apud nos deguſtaſſe. Ergo, damnare tacite mecum humanam conſuetudinem cœpi, huic vel illi tantum rei, notam aliquam bonitatis adſcribentium. Nam, vt vinum adpellari vulgata voce ſolet* Cos; *ita & butyrum hoc merito idem ſibi cognomen vendicabat. Erat enim colore, odore, ſapore optimo: neque fictitius, factitiusue hic color, e ſucco florum calendulæ; ſed naturalis, flaueſcentis metalli, non diſſimilis.* Hæc ille. cui equidem gratias habeo, quod non diſſimulauit gentis noſtræ hoſpitalitatem. Abeant nunc, maſtyges illi *Hungarorum*, barbariem nobis obiectantes, & in media ſua patria, quærant, dentque, ſi poſſunt, hanc iſtiusmodi in peregrinos, humanitatis ſignificationem. Lucri, plerisque, ſuauis, ex peregrinis maxime, odor eſt.

11.) *Janó-Falva*, Slauis, *Janowá-Wes*, fuit olim in poteſtate gentis *Ujfaluſi*, de *Túkés-Ujfalu*, qua exſtincta, inter plures diuiſus eſt. Habet *caſtellum*, olim non inelegans, rus autem arctum & ſterile.

12.) *Ko-*

g.) Scilicet, tributariæ fuerunt operæ, quas heri, ex ſeruitutis lege, agro colendo, ſolent adhibere.

h.) Credo, id nobili viro fuiſſe nomen, forte, ob patriam: quod ex vino *Croatico*, iſtis partibus inuſitato, ſimul colligas.

12.) *Koloſs*, Slauis *Kliß*, vicus, bipartito (*i.*) diuiſus, neque tam agri, quam ſiluarum & montium diues. Olim, *Abbatiam* & cœnobium habuit; ſed quod, ob *Podmaniczkianorum*, quæ iſthic ſibi delegerant, perfugia, lege publica, deletum eſt. Sic anni MDXLVII. decretum. (*k.*) *Fortalitium, in clauſtro* de Kolos, *per Dominum* Podmaniczky, *poſt dirutum caſtellum* Szerdahely, *erectum, vnde circum vicinis nobilibus & colonis, non parua damna eueniunt, Maieſtas ſua, euerti & demoliri iubeat; Eccleſia tamen, ſiue templum, integra maneat, &* Abbas, *in ea Abbatia* regularis, *ordinetur.* Quæ etiam ſanctio, anno, qui ſequutus eſt, MDXLVIII. (*l.*) repetita fuit: Koloss *fortalitium diruatur, & Abbatia, ſi Abbatem non habet, viro religioſo conferatur.* At propugnaculo deleto, *Abbatia* ſimul ceſſauit. Parent iam vici, *Monialibus* Piſonienſibus, *Ordinis S. Claræ.*

13.) *Kráſznó*, Hungaris *Széplak*, a iucunditate poſitus, nomen tuliſſe videtur. Et eſt profecto multæ amœnitatis, tametſi exilior ſit, quam pro ſpecie. Templum enim, quod editiorem collem occupauit, proſpectus eſt latiſſime patentis: quin, & ager ita comparatus, vt mereatur omnino hoc, quidquid eſt nominis: nam, *Széplak*, locum habitatu pulchrum, Hungaris ſignificat. Pertinet, ad hæredia dominationis *Kis-Tapoltsanenſis:* eſtque, in pignore *Baronis Boſſány*, & viduæ *Nicolai Hunyady.*

14.) *Nedanócz*, non longe illinc abeſt, iurè hæreditario familiæ *Apony*, adſcriptus, & agro pratisque circumfeſſus, fertilitatis egregiæ.

15.) *Kis-Boſsány*, cenſetur in hæredíis gentis *Uſſaluſianæ*, & *Rudnaianæ.* Eſt orientali Nitræ margini inædificatus, poſitu hilari, fœcundoque rure. Præter *curias* aliquot, prætorium, ſeu caſtellum habet, *Boſsányis* proprium.

16.) *Nagy-Boſsány*, priori, ad eundem amnem, reducto in meridiem ſitu, vicinus, atque ita copioſus, vt nomen *maioris Boſſány* meruerit. Profecto, incolarum frequentia, atque varietate, oppida æmulatur. Sunt in his opificum complura genera, vt fere nihil ſit, ad ruſticanæ vitæ opportunitatem neceſſarium, quod non iſthic paretur. Præcipua tamen loco celebritas parata inde eſt, quod ortus dederit, inclutæ, multis (*m.*) retro ſeculis, *Boſsányiorum* genti: cui idcirco, de *Nagy-Boſsány* agnomen inditum. Itaque, hæreditas eorundem eſt hodieque, quam illi, pluribus inſignem caſtellis, colunt. Ager vico laudatiſſimus obtigit. Fuit iſthic Jacobvs Tollivs, doctus ille, elegansque itinerator. *Adſumo*, inquit, *(n.) Topoltſchâni ducem itineris, in proximum pagum* Boſsánum, *quod via, æſtu, eo die defatigatus, vlterius haud poſſem. Ac erat mihi prima domus, ob ſpem leuan-*

i.) Anni MDCXXXV. Decreto, Artic. XIX. vtraque *Koloſs* dicitur.
k.) Articulo XXV.
l.) Articulo XLVIII.
m.) Ortum ea trahit, a Falckmanno comite, de genere *Divék*, e cuius poſteris, emicuit præcipue, Dominicvs *de Boſſány*, belli dux, & *Banus Sirmienſis*, ſub Andrea II. celebratiſſimus, quem plurimi excepere, domi & militiæ, hoc eſt, toga & ſago, illuſtres viri.
n.) Epiſt. Itineraria V. p. 153.

leuandæ ſitis, gratiſſima. Dominus adium, ſutor crepidarius, duci meo amicus erat familiaris: ergo, recipior hoſpes, & comiter habeor. Quid ſub diei ſerum ad *Nitram* amnem, viderit, iucunde *(o.)* narrat.

17.) *Chinorány*, laudatiſſimus vicus, ſiue agrum ſpectes, fertilem eum, & late porrectum, ſiue incolarum ſolertiam. Præterquam enim, quod rus ſuum, omni cura ſtudioque percolunt, frumentario ſimul quæſtu proficiunt. Id nimirum, cum eſt maxime parabile, ſollicite coemunt, poſteaque, in ea loca inferunt, quæ ſunt ex ſitus vitio, frumenti indiga. Itaque, gemino prouentu diteſcunt. Profecto, vulgo in iis cenſentur, qui ſunt iſthac ora, opulentiſſimi. Vicus ipſe, vltra ruſticanum modum, elegans eſt, idemque perpetuo ſepimento incinctus. Loci habitui, *templum* affabre ſubſtructum, atque parochiali donatum prærogatiua, ex æquo reſpondet. Eſt in hærediis *Archiepiſcopatus Strigonienſis*, cenſeturque in ditione *S. Crucis*, quæ eſt in *Comitatu Barſchienſi.*

18.) *Belicz* ſuperior, &

19.) *Belicz* inferior, modica intercapedine ſeiuncti. Ille, templo nuper ſubſtructo; iſte caſtello probe munito, memorandus. Ager frumentarius, macer vtrobique eſt; at rus reliquum, prata in primis, colono idonea. Ad inferiorem hanc *therma* ſcatent, non tam aquarum calore; venas enim frigidæ admixtas habent; quam ſingulari quadam ſalubritate, commendabiles. Quarum hiſtoriam alii loco adſeruamus.

20.) *Nawogowcze*, Hungaris *Navajócz*, vliginoſo prope *Kis-Nitram* ſitu. Agri mediocritatem, prata, fœni feracia, quomodocunque penſare creduntur. Eſt in poteſtate *Simonyorum.*

21.) *Hradiſitya* vicus, templo, colli impoſito inſignis; agro tamen, non vndiquaque fœcundo, ſi prata excipias, & ſitu, pone *Nitricskam*, amœno, & fœni feraci. Incolæ, aucupio & mercibus tenuioribus circumferendis, dediti in primis ſunt. Sedet *Trans Nitram* minorem, e regione ſuperioris *Weſztenicz.*

22.) *Alsó Weſztenicz*,

23.) *Felsó Weſztenicz*, vici, oppido celebres, ad pedem montis *Rokoſs* poſiti, obque ſitum, ita cognominati, vt ſuperior alter, alter inferior dicatur. Illi templum parochiale, turri eleganter facta, conſpicuum; huic, publici veredarii ſedes, cum telonio opimorum redituum, ineſt. Vtriusque ager, laudem habet, cum amœnitatis, tum

o.) Ibidem pag. 154. BOSCHANI, *inquit*, ſpectaculum mihi oblatum eſt, non viſum hactenus, nec ingratum tamen. Deſcenderam circa nonam veſpertinam, in *Nitriam* fluuium, collectas, exitinere ſordes, abluturus. Vix dum egreſſo, obuiæ veniunt puellæ & feminæ iuuenculæ complures, in indutiis & fubuculis interioribus. Quæ conſpectum meum, nihil veritæ, omnes ſefe in flumen coniiciunt, natatuque ſe exercent ſtrenue. Credo ego, ſi quæ mihi veſtem cuſtodiendam tradidiſſet, vt illa, apud ARISTENARETVM, *Epiſt.* l. 7. totam illam me cantilenam græcam, e veſtigio fuiſſe recitaturum: non enim minus ſtupebam, *cura*. Nempe, ſolemne eſt, ruſticæ, apud nos, plebi, ſexus vtriuſque, lauationibus iſtiusmodi, contractas, ex operis diurnis, ſudores, detergere.

fœcunditatis etiam. *Crocum*, quod iſthic generoſiſſimum gignitur, non in *Hungaria* modo, ſed apud exteros etiam, in pretio eſt. Miram in eo ponendo, educandoque incolæ ſolertiam ponunt. Quod, inde fructus collegere, per vniuerſam *Hungariam*, quin & vicinas regiones, deferunt, lucrum, eo quæſtu, facientes. Et raro ſane vrbem adeas, quin in ea *Weſzteniczenſis*, crocum circumgerens, oberret. Qui exteros adire conſueuerunt, poma inde citrea, aureaque, & aromata pretioſiora, referunt, poſteaque, cum domeſtica ſua merce, venum exponunt. Ex tenui hoc quæſtu, lucelli quidpiam faciunt, qui ſunt ad rem adtentiores. Colunt incolæ, vitem quoque, ſed ad eſcam fere. Itaque ſimul maturuere vuæ, vicatim eas cum fructibus aliis, quos ſuauiſſimos habent, venundant. Ceterum, *croci*, quod meminimus, colendi, hanc ab ipſis *Weſztenicenſibus* rationem accepimus. Terrenum, ad eam rem deligunt, apricum, quod neque pingue ſit nimium, ſed nec macrum. Id, vbi ſepe circumducta, deſignauere, ſumma cura, alte pedem vnum, refodiunt, ſubiguntque ad eum modum, vt perlibrata ſit ſuperficie. Tunc areolas definiunt, longitudine ea, quam loci opportunitas admittit, latitudine autem, quæ crocum coacturis, ne ſit prenſando nimia. In his ſulcos ducunt diligenter, atque ad palmi altitudinem egeſtos, quibus depoſitos, per interordinia, bulbos, reſoluta humo, molliter obtegunt. Id fere menſe *Septembri*, ineunte plenilunio, faciunt. Tum enim maxime turgeſcere bulbos credunt, pullulareque altero, poſt ſationem, menſe. quod & ita fit. At, ſi ſobole radix luxuriet, menſe *Maio*, ſulcos refodiunt, ſubmiſſosque bulbulos, decerpunt, & loco ſicco reponunt, dum ſerendi tempus iterum adueniat. Hieme, ſine fomento *crocetum* relinquere moris eſt, idque nulla prouentus iniuria. Vere ineunte, herba ſe oſtendit, gracilis ea, atque informis, quæ vbi tota æſtate viruit, areſcit ante, quam flores prodeant. quod fere exeunte *Octobri* euenit. Singuli horum, tres croci apices, medio calice ferunt, quos ſimul protruſere, diligentia, quam maxima, excerpit ruſticus, & ad ignis teporem, lentiſſime torret, puroque vaſe, atque loco ſicco, reponit. Sin igni admoueatur luculentiori, nigreſcit crocum, odoremque ſpargit, multis modis, quam alias, debiliorem. Has, educandi croci ratio, apud *Weſzteniczenſes* leges obtinet. Quas decerpturis fructum dicunt, non abſunt a ſuperſtitione. *Mulier*, inquiunt, *menſtruis laborans, niſi vaſtitatem inferri velit, crocetum ne ingreditor; ocreas, die ſolis, aut die veneris, crocum carpturus, adipe (p.) ne perungito.* Et quæ ſunt huius generis, alia. De pinguedine certum eſt, inimicam eam recenti croco eſſe, vt diem *ſolis* atque *veneris*, non opus fuerit in ſubſidium vocare. Certe, capſula pingui depoſitum, quacunque id die accidat, nigreſcit. Sed hæc ob iter. 24.)

p.) Eſt hoc in more poſitum, apud ruſticum vulgus, vt calceamenta, ad ſingulos dies *Dominicos*, ſiue nitoris cauſſa, ſiue, vt corium reddant ſubactius, adipe, aut pinguedine quauis alia, perungant.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRIS

Joannes in & de Egyházas Divék.
Coni. Dorothea Szalay de Patvarics.

Nicolaus de Egyházas Divék. *Coni.* Eliſabetha de Palugye.

Petrus de Egyházas Divék.

e Kiſs Boſsán.
eloucz.

Kis-Boſsán,
is Secretarius.

L

Joannes.

Stephanus.

Ladislaus de D. Ujfalu. *Coni.* Magdalena Sólyom de Kolon.

Barbara Ujfaluſy. *Coni.* Gabrielis Eſterházy de Galantha.

Emericus.

Andreas de D.
Coni. Anna O
de Giletin

Andreas L. B. de D. U.
Coni. 1. Helena Wojsko.
2. Eva Karoly de Nagy Karoly.

S
C

Suſanna Ujfaluſy. *Coni.* C. Caſparis Szunyog de Budetin.

Clara, *Cons.* Comitis Georg. Berény de Karánc Berény.

Eliſabetha. *Cons.* Ladislai Czirâky, L.B. de Dinyésfal.

JudithaUjfalu
Sanctimonial
Ord. S. Clar
Tyrnauiæ pr
feſſ. bis Abb
tiſſa.

Digitized by Google

24.) *Dwornik* inferiori *Weſztenicz* obiicitur, agro itidem conſimili.

25.) *Racſicz*, conſedit, rure præditus eodem, quale illic vidimus.

26.) *Szutsány* vicus, ad radices montis *Rokoſs*, omnino laxus, ſed cui rus macrum, ſiluæ contra, prataque, iucunditatis eximiæ, obtigere. Cum agricolatione reliqua, *croci* culturam ſcite coniungunt incolæ: quin & cepas, quam pro more, copioſiores per hortos educant. Sed vineta, fructum habent auſterum, rariusque matureſcentem.

27.) *Divék-Ujfalu*, Germanis *Neudorff*. Inclaruit gentis *Ujfaluſiana* natalibus, ſedeque. Certe, quæ habet caſtella, ita facta ſunt, vt ſolemnem, inclytæ illi familiæ, elegantiam, palam loquantur. Iſthic, dum viueret *Paullus Ujfaluſy*, *Liber Baro*, agebat, vir hoſpitalitatis laude, longe lateque notus. Subluitur vicus, a *minore Nitra*, eſtque eo rure, quod non ruſticationi modo commodum, ſed iis etiam opportunitatibus inſtructum eſt, quæ dignæ ſunt nobilium virorum oblectatione. Huc referas, præter late poſitos hortos, piſcinasque, vaſtos montes, & opaca nemora, venatibus perquam idonea. Fuit, ad annum vsque MCCLXXII. rus incultum, & arci *Nitrienſi* accenſum. Tunc vero, comiti *Jóka*, de genere *Divék*, filio *Iuabun* de *Seeg*, ob præclaros actus, adtributum eſt. qui heic coloniam poſuit, *nouam* adpelatam, ob viciniam veteris *Divék*.

28.) *Divék*, pluribus inſeſſus prætoriis, nomen genti *Divéky* impertiuit. Aedes ſacra, gemina turri, præter vicorum morem, faſtigiatur. Intus, emortuales, *Ujfaluſiorum*, *Rudnayorum*, *Divékiorum*, & *Beſznákiorum* cryptæ viſuntur, epitaphiis inſignes. Rure, prioribus ſuppari eſt, & fructuum hortenſium feraci. Ab hoc vico init inſignis ille *Proceſſus* huius *Diſtrictus*, quem *Divékienſem* adpellant.

29.) *Jeſkofalva*, Slauis, *Geſkowa*. Exilitatem vici, horti & agri frumentarii, quomodocunque penſant.

30.) *Kriſténfalva*, Slauis *Kriſtianowa*, vicus, quem amnis diuidit, colli impoſitus. Ager pomariis, quam frumento, amicior eſt. Sunt heic quoque *curiæ*, iuribus familiæ *Turcsány*, accenſæ.

31.) *Rudno*, natalibus gentis *Rudnay*, nobilitatus, pluribusque prætoriis, quas *curias* dicunt, inſignis. Agro gaudet, qualem in vicinia notauimus. In primis, amœna loco ſunt pomaria, prata contra pauca.

32.) *Lehota*, vix opportunitatis habet quidpiam, præterquam, quod montanis paſcuis quomodocunque proficiat.

33.) *Lyeſtyn*.

34.) *Lomnicza*, viculus *Nitræ* minori adpoſitus, rure, ne mediocriter quidem fœcundo; ſuppares huic ſunt:

35.) *Walaſzká-Belá*, locus vaſtus & incolis frequens, qui præter vicum ex ſe amplum, ſparſa in montium iugis tuguria, late colunt. *Lazy* ideo vocata, quod deraſis ſiluis, montana illic prata

habeant. Ab ouium multitudine, qua vicus pollet, cognomen natum, vt *Walaſzká-Belá*, id eſt, *opilionum Bela*, vocaretur. Itaque, cum ex agri vitio, præter hordeum & auenam, ob auctumnales pruinas, raro proficientem, vix quidquam educent, pane, ex eodem frumenti genere cocto, lacte item & caſeo, viuunt incolæ, increſcuntque eximio corporis, & robore, & proceritate. Amant incoctum far, quod *Czir (q.)* vernacule adpellant cuius prægrandem ollam, vnicus opilio, ludibundus exedit; mox & alteram, accido recentiue lacte plenam, exſorbet, ſimulque panem hordeaceum, fere integrum, altum digitos duos, latum palmas quatuor, deglubit. Tunc vero, quaſi impranſus adhuc, caſeum circumſpicit, eiusque tantum ſumit, quantum alias de pane, vix in more eſt. Ita paſti, greges ouium cap ellarumue, hilares ſequuntur, ſolitudinemque ſaltuum, nunc tibiis vtricularibus, nunc fiſtula quauis alia, ſibi ipſis leniunt, dum ſole occiduo, redeant cum grege, ad ſua illa tuguria. Aedes, quas colunt, ſine caminis ſunt. Proinde, fumus, quem furni intus ſuccenſi egerunt, per feneſtellas, vix protendendo capiti humano ſuffecturas, exeat oportet. Crederes, fumaria eſſe, non ædes. Alii, qui pecudis ſunt ſtudioſiores, iisdem, quas habitant, ædibus, vaccas porcosque, cum recenti fœtu, accipiunt. Accidit non raro, vt alterum quidem ædium angulum, puerpera; bos forte cum vitulo alterum; tertium porca lactans; (*r.*) paterfamilias cum liberis, furni dorſum, teneat. Alioquin, œconomiæ, ex loci ingenio, tam ſunt ſtudioſi, quam qui maxime. Itaque, & cenſus heris, nec grauate præſtant, & operas tributarias. Veſtis, gauſape eſt, e panno craſſo, incomtoque factum. Id plerumque fune, per lumborum regionem ducto, ſuccingunt, inque laxas rugas, ſupra cingulum cogunt. Pectus, ad omnem æris, non æſtiui modo, ſed brumalis quoque iniuriam expoſitum, nudumque gerunt. Choreas impenſe amant ſectanturque, maxime diebus feſtis. Agunt vero eas inſigni virium contentione, vt ad triturarn conductos putares. Saltatricem, quam e ſpectantium corona forte corripuerunt, dextro brachio tollunt in altum, in gyrum agunt, atque e manu eliſam, iamque libere ſalientem, prehendunt denuo, manu ſublatam, iterum iterumque ad numeros rotaturi. Reliquum vitæ, agreſte extra modum eſt. Cum vicinis frequens de *(s.)* agri limitibus concertatio, nec cædibus abſtinens. Intra vici montes, *Nitræ minoris*, quam vulgus *Nitricska* vocat, caput ſcatet, quæ vbi aliquam-

q.) Agreſte cibi genus eſt, quod ita fieri meminimus. Capaci ollæ, aquam infundunt, quæ, vbi igni admota, efferbuit, immittunt farinam hordeaceam auenaceamue, qua, ad modum glutinis percocta, quidquid ollæ ineſt, in ligneam patinam effundunt: id, vbi detepuit, lacte perfuſum, auide ingerunt.

r.) Westphalos eſſe diceres, non *Slauos*, ob hanc victus inelegantiam. quam falſe queritur Tollivs, Epiſt. Itiner. I. p. 6. 15. 18. & Henninivs, ibid. p. 21. ſequ. quæ legenda ſunt omnino.

s.) Vide omnino, Anni MDCXXXV. Articulum XIX. Quid? quod priſcis temporibus ipſe Regni Hungariæ Palatinvs, diſterminandi agri *Belenſium* cauſſa, ea potiſſimum regione, qua eſt *Trentſſinienſium* oræ confinis, plures dies, in montibus vici, cum inſigni comitatu, diuerſatus ſit: id quod ex *metalibus* tabulis didicimus, quæ iam non ſunt ad manus.

Digitized by Google

quamdiu, per aſperas valles defluxit, trutarum ſit patiens. Loci poſſeſſio, *Ujfaluſiorum*, & *Rudnaiorum* eſt.

36.) *Cſávoy*, limitaneus *Trentſinenſi* prouinciæ vicus, nominandus eſt, ſitus non minus, quam ruris importunitate, vulgo damnatus. Plumbi olim metallo valuit, quod iam negligi accepimus, forte, ob nimia intertrimenta. Ergo, *Belenſibus*, quos confines habent, victu & moribus ſimiles incolæ, alendis cum primis ouibus, ſtudent.

37.) *Tömöſs*, Slauis, *Temeſs*, a monte, cui ſubſitus eſt, nomen accepit. Situs malignitate, vnice fortaſſe memorandus. Montibus certe undiquaque, circumcluditur.

38.) *Newiczin*, triſti valle conſedit. Slauicum certe loci nomen, inde factum, quod non ante obtutum oculorum ſubeat, quam vico ingrueris. Eſt rure iniquo.

39.) *Dobrosſná*, conſimilem priori diceres, niſi aditus eſſet facilioris. Vallem inſedit inamœnam, ſed quæ tamen pomaria haud refugiat.

40.) *Szeths*, obſcuri & hic poſitus, neque agri melioris. Hortorum laus præcipua. Montes, & horum ſaltus, paſcua habent, alendis ouium gregibus, per quam opportuna: quorum cura, incolæ proficiunt, qui & a venationis peritia commendantur.

41.) *Koſztolná-Falva*, habet nomen, ab æde ſacra, eleganti opere ſubſtructa, communicatum. Loci poſitus, non inamœnus eſt, pomaria, vario arboris genere, conſita.

42.) *Diſin.* | 43.) *Felſő-Sutócz*, &

44.) *Alſó-Sutócz*, geminus vicus, quorum ſuperior alter, alter inferior, a ſitu, dicitur. Vterque agro eſt ieiuno, arbuſtorum tamen patiente.

45.) *Banka*, non tam ſemente, quam arbuſtis pollens.

46.) *Macſon.*

47.) *Lelócz* inferius, *Tarnocziorum* hærediolum. Vicus vterque *Nitræ* maiori adſedit, loco opportuno quidem ad ruſticandum; ſed agro frumentario, quam, vt incolis ſufficiat, anguſtiore. Prata, contra ea, ſiluæque, late procurrunt, paſſim arboribus fructiferis conſitæ.

48.) *Laſzkar*, non tam ruſticanarum ædium numero, quam eleganti *Comitum Berényi* prætorio, inſignis. Rus vico fœcundum obtigit, amœnumque, & cum agris frumentariis, tum pratis etiam excultum.

49.) *Nowák*, vicus frequens, idemque rure amplo & fœcundo circumfuſus. Eccleſia huius mater eſt, quæ ſimul Xenodochium alit. Tenuere id olim Præpoſiti de *Nowák*. Adſcribitur genti *Majthéniana*, quæ heic ſedes habet.

50.) *Nagy-Lehota*, ſeu maior, &

51.) *Kis-Lehota*, ſiue minor, geminus eiusdem nominis vicus,

non minus agro ſterili, quam nimia incolarum ruſticitate, cognitus.

52.) *Sebedráz*, vicus eſt, pluribus curiis, longo ædium ordine, inſeſſus, rure tamen, ex contagio montium, ieiuno. Sed prata, quæ habet, pabuli ſunt feracia. Eſt ei templum *filiale*.

53.) *Koczár*, longa ædium ſerie, *Bajmoczenſi* valli inædificatus, cum agro ſit ſterili, pomariis tamen gaudet. Nemora circumſita, quercum hic, alibi fagum, educant. Eſt hæredium familiæ *Simony*.

54.) *Bajmócz-Apáthy*, Slauis *Opatowcze*, modico interuallo *Bajmóczio* ſeiunctus. *Nitræ* maiori, ab occidente vicinus adſedit; ſed agrum, trans amnem habet. Eſt in vicis exilioribus, idemque, ſi pluat diutius, ob cœnum, propemodum inpermeabilis.

55.) *Kanianka*, radicibus montis *Nichor* inædificatus, ſiluarumque, quam agri frumentarii, ditior.

56.) *Lazani*, *Præpoſituræ Bajmoczenſi* adſcriptus.

57.) *Kis-Próna*, Slauis *Prawenecz*, viculus ex ſe quidem tenuis, ſitu tamen, & circumfuſi agri iucunditate, commendandus. Sedet orientali *Nitriæ* margine, hortis, pratis & ſiluis fagineis querneisque obſeſſus. Loci hæc opportunitas, heros *Boſsányios* inuitauit, vt pridem iſthic ſedem poſuerint. Olim, in edito monte arcem habuit, Slauis *Wiſſehrad* dictam, cuius rudera quædam ſuperſunt adhuc.

58.) *Szólka*.

59.) *Maiſel*, poſitu, ob montoſum ſaxoſumque agrum, iniquiore. Nomen loci *Germanicum*, lapidicidas olim iſthic habitaſſe, indicat. Profecto, hodieque non tam agricolatione viuunt incolæ, quam qualicunque prouentu, quem ex tophaceo lapide, capiunt. hunc nempe, ex cauernis, ruditer exſectum, venundant, concamerandis fornicibus, perquam idoneum. Eſt hæredium gentis *Boſsányana*.

60.) *Batskafalva*, Slauis *Baſtina* dicta. Si molem vici ſpectes, modicus eſt; ſed, cui rus contigit fertile, atque pomariis amicum. Inſignem faciunt, prætoria aliquot, ſeu *curiæ*, quæ ſunt familiæ *Batskády* propriæ.

61.) *Szádek*, vicus exiguus, & inter plures heros diſpertitus. Dicitur etiam *Cſichicz*, eo præditus agro, qui non eſt vltra mediocritatem fertilis. Vineæ tenuiores ſunt, quam quæ colonum poſſint ditare.

62.) *Turcsánka*, veterrimæ familiæ *Turcsány*, cui & nomen impertiuit, tenue hæredium.

63.) *Felső-Lelócz*, ſiue ſuperius, inter multos diſpertita poſſeſſio.

64.) *Podhradje*, Hungaris olim *Várallja*, quod & *Slauicum* nomen ſonat, ſcilicet, locum arci ſubſitum. quam vicinam, & dum floreret, amœno poſitu ſuperbam, habuit. Slaui *Kameny Zámek*, hoc eſt, *arcem lapideam*, Hungari *Keſſelökö*, vulturum lapidem adpellant, eo iam infelicem, quod in ruinam prona eſt. dictum de ea ſupra. Eſt hæredium gentis *Majthéniana*.

65.) *Szomorfalva*, Slauis *Szomorowá* exilis quidem vicus, ſed quem agri & horti commendant. 66.)

66.) *Baſtianka*, ager, quem nactus eſt, frumenti, atque hortenſis fructus prouentu, laudatur.

67.) *Beſznyák-Falva*, pluribus curiis excultus. Hinc *Beſznakiana* gens prodiit, in cuius poteſtate vicus eſt hodieque. Nihil, quod ad commoditatem pertinet, negatum ei a natura eſt. Ager ſcilicet frumenti; horti fructuum; nemora ferarum, ditia, vico obtigerunt.

68.) *Poruba*, loci antiquitatem, ſitum, & iura, quæ habuit, *Sultetia*, optime ex tabulis diſcas, quæ ſic habent, cum fide, ex membrana deſcripta: In Nomine indiuiduæ Trinitatis, Amen. „ Ne ea, quæ in tempore fiunt, ſiue ordinantur, ſimul cum tempore lapſum „ patiantur, vt his idoneorum virorum lingua teſtimonium perhi- „ beat, aut ſcriptura. Nos igitur, tam præſentibus, quam futuris, „ ad quos præſens ſcriptum peruenerit, vniuerſis: Quod nos, Magi- „ ſter *Nicolaus*, & *Johannes* filii *Gelathi*, quondam *Bani*, felicis re- „ cordationis, Comitis de *Bajmócz* & de *Priuidia*, diſcretam atque „ idoneam perſonam *Aduocati* noſtri *Conchlini*, oſtenſoris præſentium, „ intuentes, damus & contulimus ex poteſtate metuendi Domini „ Caroli Dei Gratia Illuſtriſſimi Regis Hungariæ, præfato aduocato „ noſtro *Conchlino*, ſuisque hæredibus ſeu ſucceſſoribus vniuerſis, tem- „ pore perpetuo & in æuum, quandam ſiluam hominibus non habi- „ tatam, ad caſtrum Bajmócz pertinentem, circa fluuium *Szielnicze*, „ ad congregandos populos, amicabiliter duximus committendam. „ Vniuerſis Chriſti fidelibus tenore præſentium propalamus, quod qui- „ cunque in ipſam ſiluam noſtram, cauſſa commorandi aduenerint, „ ſeu congregati fuerint, a dato præſentium vsque, ad annos XVI. „ reuolutionem annorum, ſine aliquo cenſu ſeu debito, liberi & ſe- „ curi pacifice perfruantur & cohabitent. His itaque annis ſupra di- „ ctis exſpiratis, eadem, qua ceteri *Teutonici* gaudent & permanent, „ perfruantur libertate, quibus libertas talis eſt: Vt in feſto *S. Michaelis Archangeli*, pro Domino ipſorum, de vno lanco alterum di- „ midium florenum, ſex ſapones annonæ, ex quibus duo tritici, duo „ ſiliginis, duo de auena. Item, tribus vicibus munera præſtentur „ de quolibet lanco, ſcilicet in *Paraſceue* Domini, in *Pentecoſtes*, & „ & in *Natiuitate* Domini. Item, Comes in nullo eos habeat iudi- „ care, niſi *Aduocatus* eorundem, ſimul cum ciuibus; ſed in omni „ iudicio duæ partes *Comiti*, & vna *Aduocato*. Item, *Aduocatus* de- „ bet habere vnam liberam *curiam*, vnum molendinum, vnum ſu- „ torem, vnum carnificem, vnum ſartorem, vnum fabrum, vnum „ tabernatorem. Item, de qualibet manſione ſeptimam manſionem „ cum debito & omnibus vtilitatibus ſuis. Item, ſi homicidæ con- „ currerint ad eos, nullus habeat eos moleſtare, ſed ſi habeant li- „ bertatem perſeuerandi ad annum vnum & ſex ſeptimanas. Item, „ ſi in eadem villa perſeuerans, occiderit aliquem in eadem, de fa- „ cultatibus ſuis tertia pars *Comiti*, tertia pars *Aduocato*, tertia pars „ vxori cum liberis ſuis. Item, ſi aliquos fures in campo vel ſilua „

de-

„ deprehendere poſſent, habeant ſuſpendere facultatem, vel eis male
„ facere. Item, ſi aliquis ex ipſis in eadem villa manens, nocumen-
„ tum aliquod fecerit contingens, vel occiderit, vel vulnerauerit ali-
„ quem, vsque ad tertium diem habeat manendi, & meliorandi cauſ-
„ ſas ſuas. Item, pro *Eccleſia* eorum, aut pro ſacerdote vnam libe-
„ ram curiam bonam, & de quolibet lanco duos ſapones annonæ,
„ ſcilicet vnum de ſiligine, & vnum de annona. Item habeat *tribus*
„ vicibus iudicium generale, *Pareta* vulgo vocatum, ſcilicet in octa-
„ uis *Paſchæ*, in octauis *S. Michaelis* Archangeli, & in octauis *Epi-*
„ *phaniorum*. Item, habeat ſiluam liberam, quo nullus aduena au-
„ deat venatum, vel pro aliqua re alia, ſine licentia *Aduocati* habi-
„ tare. Quibus omnibus exactionibus, vel aliis factis, quos habet,
„ miſericordes eſſe voluimus & gratioſi. Nos vero *Albertus*, *Eme-*
„ *ricus*, & *Onophrius*, quondam *Onophrii de Bajmócz*, adtendentes
„ petitionis prouidi viri *Simonis Valach*, iudicis noſtri, ſuper confir-
„ matione ſeriei litterarum ſupraſcriptarum, quæ temporibus ante
„ elapſis, quo (*t.*) - - - - - - durarunt in partibus noſtris, ſigil-
„ lum præfatæ litteræ ipſorum, ex negligentia amiſerunt; conſpicien-
„ tes vero ipſam ſeriem litterarum eſſe veram, duximus eſſe confir-
„ mandam ſigillo noſtro ſub appenſo. Datum & actum in *Bajmócz*,
„ Dominica in feſto Sanctiſſimæ Trinitatis, Anno Domini *milleſimo*,
„ *quadringenteſimo, ſeptuageſimo tertio*. Videre hinc eſt, quæ *Sculte-*
tiæ illius iura fuerint. Hodie vicus haud infrequens eſt, dominatio-
ni *Bajmoczenſi*, priſco illo iure, obnoxius. Sacra ædes in *filialibus*
cenſetur, cuius dotem diploma meminit.

69.) *Czach*, eiusdem, cum priori, ætatis, coloniæ, itidem priuilegio perpetui iudicatus, a *Nicolao* & *Johanne* filiis *Comitis Gelethi*, ex parte metuendi Domini Caroli Dei Gratia Regis Hungariæ, donatæ. Inſedit ad fluuium *Chwognitz*. Ita (*u.*) diploma: *Nos Magiſter* Nicolaus & Johannes, *filii* Comitis Gelethi &c. *Aduocato noſtro* Henrico, *ſuisque hæredibus vniuerſis, perpetuum & in æuum, quandam ſiluam noſtram, hominibus inhabitatam, ad caſtrum* Bajmócz *pertinentem, circa fluuium* Chwognitz, *ad congregandos populos, amicabiliter duximus committendam.* Coloni adhuc dum *Germani* ſunt, moribus & lingua, *Handlouienſibus* ſuppares. De quibus infra.

70.) *Chuognicza*, Germanis *Funell* dictus, ſitu, intra montes petraſque retruſo, vbi amniculi cognominis capita, exiſtunt. Itaque, riuos habet, trutarum vberes; alioquin, non alia re magis, quam poſitu iniquo, ieiunoque agro, memorandus. Incolæ *Germani* ſunt, laborum durati patientia.

71.) *Tuſſina*, nomen vico, a fluuiolo *Tuſſinka* hac decurrente, ſubnatum. Vetus *Germanorum* eſt colonia, vernacule *Schmidſzhey*, la-

t.) Supple: *Huſſitarum bella & turba*, durarunt.

u.) Habemus Diploma integrum, ex *tranſumpto* Monaſterii B. V. M. de *Thúrócz*, quod, quia cum *Poruhenſi* eiusdem proceſſus argumenti, iisdemque fere verbis conceptum eſt, non adteximus.

Digitized by Google

latine *Villa Fabri*, dicta. Quæ, cum primum iſthuc deduceretur, *Sultetiæ* iuribus donata fuit, ſicuti ex tabulis, quas adſcribemus, adparebit. Copioſus hodieque vicus, a *Germanica* plebe colitur, aſpera ea, ſed rerum ſuarum, atque ruſticationis potiſſimum, ſtudioſa. Ager, quo circumfunditur, ex montium vitio, ſterilis eſt, pratis tamen, per valles, & depreſſa collium, excultus. Hinc rei pecuariæ ſtudium, inter præcipuas incolarum occupationes, cenſueris. Quin, & ſerendis pomariis oblectari eos accepimus; qua diligentia, multum, ad copiam fructuum varii generis, proficiunt. Adſcribitur dominationi *Bajmoczenſi.* cuius ſimul officinam *cereuiſiariam*, *allodium* item, ſingulariter inſtructum, iſthic videas. Eccleſia huias, plurium, quæ circumſunt, mater eſt. Ceterum, vt conſtet, quibus olim iuribus, & ob quæ merita, *Sultetiæ*, ſeu *Aduocatorum*, ſiue *Judicatus* perpetui conſtiterint, tabulas, quas ex authentica membrana exſcripſimus, in lectoris gratiam ſubiungimus. „ In Nomine Domini, Amen. Omnia tempora ſingularum rerum perſonarumque finem habere co- „ guntur. Ideo, ne ea, quæ tempore ſolito ſuo more contrahuntur, tempore inſolito ponantur, idcirco memoria ſit tenendum „ omnibus tam præſentibus, quam futuris quibus expedit vniuerſis. „ Quod cum nos *Jacobus Abrahe*, *Caſtellanus Bajmoczenſis*, ex gratia Sigismvndi, Dei gratia regis Hungariæ, Illuſtriſſimique Marchionis Brandenburgenſis, illud caſtrum gubernaſſemus regendo, loco „ magnifici viri *Domini Leuſtachii de Ilsva*, pro tunc Palatini Regni „ Hungariæ: ad noſtram perſonaliter accedens præſentiam vir ſagacis „ ingenii *Hermannus* dictus *Heckel*, iudex de *Villa Fabri*, atque conciuis in *Probna*, Domino noſtro magnifico viro *Leuſtachio*, atque „ nobis exhibuit nonnullas litteras priuilegiales, ſuper emtione villicatus iudiciique *Villæ Fabri* prætactæ, in quibus quidem litteris pro- „ pe finem concluſionis priuilegii continebatur talis articulus: *Etiam* „ *eidem iudici, eiusque poſteris in futurum ſubſequentibus, damus &* „ *committimus noſtris in tenutis, quandam ſiluam denſam, iuxta fluuium* „ *dictum Tuſſina, exſtirpandam, obſedendam, populo aggregandam, re-* „ *tinendam omni in iure* Teutonicali, *ac modum libertatum & conſuetu-* „ *dinis dictæ* Villæ *noſtræ* Fabri, *ſeu aliarum circumadiacentium.* Hoc „ itaque articulo perlecto & priuilegio, idem præfatus *Hermannus* „ *Heckel*, ſibi nouum priuilegium ſpeciale a Domino noſtro *Leuſta-* „ *chio* cupiuit fieri, ſuper eadem ſilua denſa, ſuperius villam *Fabri*, „ ipſam velle in nomine populorum exſtirpare. Itaque, ad ipſius pre- „ ces inclinatus *Vir Magnificus Dominus Leuſtachius*, adiudicauit, ipſius „ fieri petitionem. Et quia tunc occupatus negotiis officii ſui Pala- „ tinatus, nobis, videlicet *Jacobo Abrahe* commiſit, ſibi *Hermanno* „ deſuper conficere priuilegium noſtro ſub ſigillo, quod & fecimus, „ cuius priuilegii tenor ſequitur in hæc verba: Nos *Jacobus Abrahe*, „ Caſtellanus Bajmoczenſis pro tunc, de beneplacito *Domini noſtri Leu-* „ *ſtachii de Ilsva*, Palatinique Regni Hungariæ, memoriæ commen- „

„ damus vniuerſis & ſingulis, quibus expedit tam præſentibus, quam
„ futuris, quod nos conſiderata probitate morumque venuſtate ſaga-
„ cis viri *Hermanni Heckel*, iudicis de Villa Fabri, & conciuis in
„ *Probna*, ad petitionem ſuam ſuperius inſitam, dedimus & contuli-
„ mus ſibi, ſuisque filiis & poſteris, vnam ſiluam denſam iuxta flu-
„ uium *Tuſſina* ſuperius *Villam Fabri*, a monte *Kynberg* aſcendendo
„ fluuium *Tuſſinam*, vsque ad tenuta villæ, dictæ *Czitzmann*, cum
„ collateralibus montibus, de iure ad fluuium *Thuſſina* ſpectantibus;
„ ex alia vero parte montis dicti *Wyndgebürg*, vsque metas *Villæ Fa-*
„ *bri* prædictæ, cum ſuis collateralibus exſtirpandam, obſedendam,
„ populo aggregandam, in libertate XVII. annorum, omni ſine da-
„ tione permanendum, & in iure *Teutonicali* ſeruandum omni in iu-
„ risdictione, qua fruuntur fideles hoſpites noſtri in *Villa Fabri*. His
„ itaque annis XVII. libertatis elapſis, Domino noſtro *Leuſtachio*, &
„ ſuis hæredibus, iuxta poſſibilitatem ipſorum, ad modum aliarum
„ villarum Teutonicalium, tenebuntur cenſuare atque ſeruire. Dein-
„ de eosdem omnes populos ad plantationem *Heckelſchey* dictam, in
„ iure *Corponenſi (v.)* volumus indemnes conſeruare. Item, ſi ali-
„ quis forte cauſſaliter ibidem in fugam conuerſus fuerit, ſicuti ri-
„ xantes in tabernis, ſi fuerit pro re honorifica, ad triduum ipſi da-
„ buntur treugæ, donec forte æmulis ſuis poſſit reconciliari. Item,
„ damus eidem *Hermanno Heckel*, illud iudicium libere poſſidendum,
„ cum duobus lanciis, & libera curia, & vna taberna, tria molendina,
„ vnum quodque cum vna rota, etiam vnam rotam ſerrandi robora
„ pro aſſeribus, pro ædificiis domorum. Etiam damus eidem iudici
„ & ſuis omnibus poſteris in filios filiorum, illud iudicium ſeruandum,
„ commutandum, vendendum, exponendum pro cenſu, ſi ipſis pla-
„ cuerit, omni ſine contradictione. Inſuper damus pro *Eccleſia*, ſi
„ ibi fuerit, commode locanda, ſuum liberum lancum cum curia.
„ Item, damus facultatem iudici & ſuis poſteris, conſeruandum car-
„ nificem, fabrum, piſtorem, ſutorem, ſartorem. Item, damus iu-
„ dici, quicunque fuerit, ſextum lancum, & ſextum *Jobagyonem*,
„ qui ſibi deſeruiat & ſuæ poſteritati, cum omni cenſu, ſicuti in
„ *Villa Fabri*. Idem iudex plenam habeat facultatem iudicandi cum
„ ſuis iuratis, omnes cauſſas, præter has, furtum, cum ſtupro.
„ Homicidium ſibi non do, non iudicet ſine me illum, qui miſerit
„ ignem: in quibus nos iudicabimus, vna cum eo, & ſuis iuratis,
„ ita, vt duæ partes tangant nos, iudicem vero tertia. Item, in
„ anno tria iudicia legalia habebimus, iuxta conſuetudinem aliarum
„ villarum, in quibus nos, vel noſtri delegati deſcendent iudicaturi,
„ veſtris in expenſis, tam iudicis, quam ceterorum ibidem commo-
„ rantium. In cuius rei teſtimonium, hoc priuilegium noſtro ſub
„ appenſo ſigillo duximus roborandum, teſtimonio litterarum. A-
„ cta

v.) Excuſſimus illud, in *Hiſtoria Vrbis Carponenſis*, Tomo II. §. III. & IV. pag. 474. ſequ. quorſum remittimus lectorem.

Digitized by Google

ćta ſunt hæc ab anno Domini milleſimo, trecenteſimo, nonageſimo „
tertio. XII. die Menſis Maii. Præſentibus teſtibus multis fide di- „
gnis. Scripta per manus *Johannis de Probna*, Notarii publici. „

72.) *Gaidel*, ſitu, altius, in aduerſum *Nitra* latus, reducto, montes ſubſedit. Laxus omnino vicus, & colonis frequens. Ob ſaxoſi agri ſterilitatem, & ſiluarum copiam, præcipuus eorum labor, in materia edolanda, parandaque ſupellectile lignea, inſumitur. Quin, & hortenſi fructu, prunorum in primis, quæ *duracena* vocant, proficiunt. Iſthic *Nitria* amnis, ſcaturiginem habet, intra montium conualles, modica vena, ſalientem, quæ inde, riuulis, hinc atque illinc, acceptis, iuſto mox alueo, demanat, eſtque piſcium ſaxatilium, dum hac labitur, diues. Loci *Eccleſia*, filialis, ditio *Bajmoczenſis* eſt.

73.) *Poluſs*, commodo agro vicus, itidem dominationi *Bajmoczenſi* adſcriptus.

74.) *Nedozer*, amplus vicus, & præcipuæ ad agricolandum, opportunitatis. Incolæ certe, non modo ſtrenue ruſticantur; ſed aurigatione ſimul, rem faciunt. Inſedit, ad radices montis, quem *Ziare*, Slaui, Hungari *Fáraſztóhegy*, dicunt; quod impeditum habeat iter, & iumentis non minus, quam hominibus fatigandis, idoneum. Telonium huius, cum vniuerſo vico, ditioni *Bajmoczenſi* accenſetur. *Xenodochium*, quod olim herorum pietas fundauit, perfugio eſt miſeris, ægrisque.

75.) *Brezan*, eodem, ad pedes montium, ſitu. Ob argillæ ductilis copiam, frequens figulis vicus. Magna, vulgo, fictilium, quæ hic percoquuntur, adprobatio eſt. Rus loci haud infœcundum, *Parochiam* autem, *Eccleſiis filialibus* præditam, accepimus. Eſt in ditione *Bajmócz*.

76.) *Neczpal*, tenuis vicus, ſed agro circumſeſſus eximio.

77.) *Lehota maior*.

78.) *Lehota minor*, oppido *Priuidienſi* accenſi. Tenues ſunt vici, cum ex ſitus ratione, tum paucitate colonorum.

79.) *Hradecz*, Dominii *Bajmócz*.

80.) *Csauſſa maior*, &

81.) *Csauſſa minor*, amniculo, cui *Priwidza* nomen, adſederunt, inſigni ad ruſticandum, commoditate. Eſt hic vaſtum *Comitum Pálffy allodium*, multa pecude & iumentis agricolationi idoneis, refertum. Ceterum, fluuius *Priwicza*, in montibus *Kozé-Chrbty*, modico intra rupes, fonte ortus, vbi *Csauſſam* vtramque præterlapſus eſt, incurſu plurium riuorum auctior, alueum, *Priuidiæ* oppido, cui nomen largitur, admouet, atque illac, retorto iterum curſu, intra *Koſs*, & *Prividiam*, in *Nitram* illabitur.

82.) *Lipnjik*, ditionis *Majtheniana*, alendis ouibus idoneus.

83.) *Chrenowecz*, eximius vicus, tametſi agro ſterili. Quod prata habet fœni feracia, ſiluas item commodas, & pabulationi ido-

neas, incolæ, rem pecuariam, impensius curant. Templum vici, robusta celsáque turri præfultum, elegans est.

84.) *Brussno.*

85.) *Jalowecz.*

86.) *Morowno*, montana loca, ideoque tristioris habitus.

77.) *Rástocznuo*, alias *Mjto*, ob telonium isthic positum. Subsedit montes *Kozé-Chrbty*, Germanis *Czigen-Ruk*, id est *caprarum terga.*

88.) *Handlowá*, Germanis *Grægerhey*, peruetus Germanorum colonia. Sunt, qui non dubitent, eius origines, ad tempora Attilae referre, qui *Gothorum* reliquias, intra hos montes, habitatum compulerit. Verum, iam supra ambigebamus, an ei ætati, seu possint, seu debeant, *Germanicæ* hæ coloniæ, adsignari: cum recentiores, eius gentis, in patriam nostram immigrationes, diplomata historiæque meminerint. Procliuius est, reliquias *Quadorum*, dicere. Colitur adhuc ab agresti *Teutonum* genere, qui, eo rei rusticæ sunt studiosiores, quo asperiorem eis natura agrum dedit. Vicus ipse, ita factus est, vt incolarum singuli, admensum rus, circa ædes habeant. Itaque, magnis interuallis, domos secerni oportuit. Qua re, non potuit non, in longum vicus protendi. Milliaris modici spatium æquare dicunt. In vitiis agri, saxa lapidesque habentur, quibus ideo impedita sunt omnia, vt vicus ipse difficillimum circumquaque habeat aditum. Alioquin, in pagis censetur, qui sunt in ditione *Bajmoczensi*, optimi.

89.) *Koss*, propius ad *Nitram* amnem accedit, estque, e vetustissimis Germanorum sedibus. *Sultetiam*, Ladislavs, Dux Opuliæ, Regni Hungariæ Palatinus, *Bajmóczii* dominus, *Niclino* cuidam, quod *Nicolaum* sonat, anno MCCCLXVII. die *exaltationis S. Crucis* indulsit. Eius diploma, ne id sileamus, huius argumenti est: „Nos Ladislavs Dvx de Opvlia, nec non Palatinus & Judex Cumanorum, „ Regni Hungariæ. Memoriæ commendantes tenore præsentium, si„ gnificamus, quibus expedit vniuersis. Quod cum *Nikl*, filius *Die„ trich*, fidelis noster dilectus, *Sultetiam* villæ *Andreasdorff* vocatæ, „ in vicinitate villæ *Sancti Jacobi* adiacentis - - - - - villam eandem *Andreasdorff*, cum suis laboribus & expensis, populando me„ liorauit, & meliorat, ac popularem ditionem procurat, cum cura „ laboriosa & sollicitudine diligenti. Igitur nos, qui cunctorum no„ bis diligenter famulantium seruitia cordetenus pensare solemus, vil„ lam eandem, sex annis libertate in festo *S. Georgii* proxime ventu„ ri, duximus muniendam, sic, quod homines ipsius villæ præsen„ tes & futuri, infra spatium ipsorum sex annorum a solutione col„ lectæ liberi habeantur & exempti. Elapsis autem eisdem sex annis „ teneantur nobis soluere viginti marcas - - - - - insuper iidem po„ puli & *Jobagyones*, prout alii nostri populi seu *Jobagyones* semper „ tempore opportuno ac necessario, siue cum datiis exercitualibus, ac „ aliis

aliis indigentiis - - - - - Ceterum, memorato *Nicolao*, pro ſuis „ laboribus & expenſis, *Scultetiæ* ſeu iudicatus honorem in prædi- „ cta villa, contulimus, perpetue in filios filiorum ſuorum, cum vti- „ litatibus - - - - item primo habere poſſit & poſſidere - - - - - „ habeat liberam curiam - - - horreum cum terris, & aliis vtilitati- „ bus. Item, habeat duas càſas - - - - ſeu ſubleuationem popu- „ lorum facere, procurabit ſeruitium debitum, & ſolutionem - - - „ pro ſe vnam liberam tabernam - - - - - piſcinam, - - - - vnum carnificem, & vnum fabrum in eadem - - - - ſibi vnam Eccleſiam exſtruendi parochialem libere & ſecure poſſint. Præterea, annuimus, vt idem *Nyklinus* & ſui hæredes, omnes dictæ villæ cauſſas, exceptis homicidio, incendio & furto (quas quidem cauſſas pro nobis reſeruamus) iudicandi habeant facultatem, vbi tertiam partem habeant de iudiciis omnibus, duabus partibus, pro nobis reſeruatis. Item, habeant omnes generaliter - - - - - in tribus ſubſcriptis terminis, videlicet feſtiuitatum *Paſchæ S. Michaelis*, *Epiphaniæ*, iudicandi, vbi ſimiliter duas iudiciorum partes pro nobis, & tertiam pro ipſo duximus retinendam: de iudiciis vero minutarum cauſſarum, ipſemet pro ſuo lubitu diſponendi habeat facultatem. Etiam annuimus, quod homo, qui in dicta villa, in cauſſam homicidii, vel vulnerationis inciderit, in domo ſua, ibidem per triduum manendo, habeat facultatem pro ſuæ cauſſæ melioratione. Datum in craſtino feſti *Exaltationis ſanctæ Crucis*. Anno Domini, *milleſimo trecenteſimo ſexageſimo ſeptimo*. Diſcas ex diplomate hoc, *Andreas-Falvæ* ſeu *Andræsdorffio* nomen olim vico fuiſſe. Idem diploma Lvdovicvs I. anno MCCCLXXIII. & poſtea *Leuſtachii de Ilsva* filii, *Georgius*, atque *Petrus*, confirmauere. Quin & *Onophrii de Bajmócz* filius, (cuius nomen vetuſtate exeſum, tabulæ non referunt) *Comes Triceſimarum*, & cuſionis monetæ *(x.)* *Quinqueeccleſienſis*, vtrorumque tabulas non recognouit modo, ſed ratas etiam habuit, exemta illa clauſula, *factum collectionis* tangente. Anno Domini MDCCCCXXX. quemadmodum id ex *Tranſumto*, vt vocant, *Conuentus S. Benedicti de Grón*, Anni MDCCXXV. Dominica in Albis, didicimus. Incolæ adhuc *Germani* ſunt, ſolertes illi, ſed craſſi inconditique oris. Eſt in hæredii Dominationis *Bajmoczenſis*.

90.) *Czigel*, exiguis vicis adnumerandus, cuius incolæ, quia agrum nacti ſunt infœcundum, frumento coemto hic, vendito alibi, tantillum lucri vix faciunt, quod tolerandæ vitæ ſufficiat. Accenſetur ditioni *Bajmoczenſi*.

91.) *Dubniza*, tenuis vicus, eximio illo *Pálffyorum* viuario, cui *Obora* nomen, vicinus, neque tam agro frumentario, quam ſiluis circumſeſſus. Eſt in eadem ditione. Hucusque *Bajmoczenſis Proceſſus*.

x.) Obſeruent hic iterum, rei monetariæ Hungaricæ curioſi, & *Quinque Eccleſiis*, cuſos fuiſſe numos. quod & ſupra obſeruauimus.

MEMBRVM III.

DE

Proceſſu Bodokienſi.

PROOEMIVM.

REgio eſt, a ſeptentrione *Liwina*, alias *Hydina*, amne, *Nitra* ab oriente, concluſa. Quod ab his terminis, inter occaſum æſtiuum, & aquilonem ſupereſt, *Trentſinienſi Comitatu* præcingitur. Hæc illa eſt regiuncula, quam pro eo, ac meretur, TOLLIVS (*a.*) dilaudauit: *Nitria*, inquit, *per vberrimam frugum vallem, inter fertiles colles, in quinque & amplius milliaria porrectam, lætiſſimum iter fuit, hinc & illinc, ad ſingula paſſuum millia, pagis occurrentibus.* Quæ addit, ex falſa hauſit auditione: *Soli autem vberrimi, tanta eſt lætitia, vt vbi ſine vlla annua lætificatione, aut ſtercoratione, aut interpoſita quiete, iniiciant frumenta.* Enim vero, & fimo indigus eſt ager huias, & requie. quod, eandem oram peragrantibus, obuium erit.

SECTIO I.

DE

Arcibus & Oppidis Proceſſus Bodokienſis.

PAuca, & hoc tractu ſunt oppida; arx autem vnica: quod de regionis habitu, non eo quidem inculto; ſed neque celebri nimium, teſtatur. Dicemus de ſingulis, quæ explorata habemus, atque in promtu. Certe enim, exaggeratiora dari potuiſſent, niſi a communicandis notitiis, hos metus, oppido intempeſtiuus, illos, neſcio, quæ rationes aliæ, obſtinatius retentaſſent. Sed, mittamus hæc, &, propoſitum exſequamur.

I.

a.) Epiſtola Itineraria V. p. 152.

Digitized by Google

I. *Arx Bodok.*

SYNOPSIS.

I. BODOKI *poſitio atque ædificium: quando muniri cœperit: munitionis rationes: loci opportunitas.*

II. NAGY-TOPOLCSÁNI *nomen: habitus quis:* Tollii, *de fato ſuo,* Topolcsanenſi, *narratio: mendicorum aſtutia: oppidanorum occupatio.*

III. BAYNAE *ſitus & commoditas: incolarum operæ.*

IV. RADOSCHINVM, *quo ſit poſitu: eius heri: caſtelli huiatis opportunitas.*

BODOK, & latina terminatione, BODOKINVM, arx eſt, in planitie, quæ longam lætamque vallem interſtinguit, poſita. Intus prætorium inſedit, ſatis laxum, atque ad ęum modum, eleganti conclauium ordine, ſubſtructum, vt pluribus familiis, ſimul accipiendis, par ſit. Area, quam prætoria, circumcludunt, turrim habet, baſi murata, faſtigio autem e materia facto, ſublimem. Totam molem, excubiarum cauſſa, ſurrectam fuiſſe putamus, vt hoſtium inde irruptiones obſeruarentur, proderenturque mature. Munitiones, certe, quibus incinctum eſt, bellis demum *Turcicis* excitatas fuiſſe, pronum fuerit coniectare, eorum temporum calamitatem cogitantibus. Hucusque enim, quin altius etiam, *Turcas*, *Mehmete* duce, Belgradi præfecto, prima illa crudelique irruptione, pertigiſſe, ad *Bajmóczium* (*b.*) meminimus. Ergo, recedente hoſte, communiri cœperunt, aperta adhuc prætoria. In his *Bodokienſe* illud retuleris, ita præmunitum, vt tumultuarium opus credi poſſit. Agger ſcilicet, iuſta eductus altitudine, quidquid ædificiorum prætoriis connexum eſt, circuit, quem, ne deflueret temere, muro præfulſerunt, lapide potiſſimum fluuiatili inſtructo. Foſſa hinc init, molem vniuerſam ambiens, olim credo profundior, & forte vligine etiam impeditior. Iam, quod alta pace conquieſcimus, hoc, quidquid eſt, munimentorum, negligentius habetur. Nupero tumultu *Rákócziano*, perfugio militi *Cæſareo* fuit, qui ſe iſthic maſcule defendebat, donec arce dedita, *Trentſinium*, vti accepimus, deduceretur. Præcipua nunc ac fere vnica loci laus eſt, quod genti *Comitum Berényi*, ad quos iure pertinet hæreditario, titulos ac ſedem præbeat, oppido commodam, lætamque. Nam, & vicum cognominem proxime adiectum habet, & agrum circumquaque frugum vberem, atque iucundis nemoribus interſtinctum.

Bodoki *poſitio atque ædificium:*

quando muniri cœperit.

munitionis rationes:

loci opportunitas.

II. *Oppidum Nagy-Tapolcsán.*

ENatum loco nomen a *populo* eſt, arboris genere, quod Slaui *Topol* adpellant. Geminum eiusdem nominis oppidum, *maioris* & *minoris* cognomine, diſcriminatur. Iſtud, de quo agi-

Nagy-Tapolcsáni *nomen:*

b.) Parte II. Membr. II. Sect. I. ad Bajmóczium §. V.

gimus, maius esse, vocabulum *Nagy*, quod *magnum* significat Hungaris, condocet: minus enim, vulgo *Kis-Tapolcsány*, Barschiensi prouinciæ accensetur. Nomen idem, apud Germanos, Slauosque: nam illis, *Gros-Topoltschan*; his *Weliké-Topolcsani*, dicitur. Et fuit omnino, cur ita denominarint oppidum, primi eius conditores. Laxum enim est, & incolis perfrequens. Neque moramur Tollivm (*c.*) *modicum oppidulum*, vocitantem: quippe cui, e *Batauis* aduenæ, tantarumque regionum curioso lustratori, quæ nobis sunt eximia, modica, sicuti sunt, iure videri poterant. Ceterum, modicum isthoc oppidulum, quam Tollio, tempestatem, ac discussas ea, qualem rerum successum adtulerit, e re putamus peregrinantium, suis ipsius verbis adnotare. Topolchàni, inquit, *modico oppidulo, percommodum aliquod incommodum mihi accidit. Habebam comites duos, lixam alterum, alterum præcursorem militarem. Hos, de præstantissimis quibusque Hungariæ vrbibus interrogans*, Cassouia, Záthmaria, Tokajo, Eperia, *& ceteris, rogo tandem, quot milliaribus ab* Eperia *remotum esset*, Munkacsinum? *audito, quatuor (d.); dolendum, subiicio, non licere mihi, & illud, propter bellum visere: alias enim illius spectandi lustrandique percupidum me esse. Forte, dum ibi me, ex via, trium Hungaricorum milliarium, reficio, quam pedibus confeceram, quod rustici equos bouesque præ metu, ad exercitum coeuntium militum in siluas abdiderant; noningenti circiter isthuc milites veniunt*, Trentschenio, Strigonium *petentes. Meus ille præcursor, quod videret, me ad veredarium publicum euntem, vt equo, reliquum viæ* Trentschenium *versus, isto hoc die, absoluerem, defert me ad minorem vigilum præfectum, tamquam speculatorem* Tökölianum, *quasi dixissem, me quauis arte ac modo*, Munkacsinum *penetraturum. Rogor, cuias sim? inde, quo eam? similesque quæstiones militares. Respondeo adcurate, nihil adhuc suspectans mali: iubeor tamen exspectare maiorem vigilum præfectum, additusque custos miles. Queri ego de iniuria, ostendereque meas a* Curopalata Augustæ, Comite Waldsteinio; *& in primis a* Comite Rosenbergio, Cameræ Cæsareæ Præside, *commendatitias. Plus tamen mala suspicio, quam bona causa valuit. Post paullo tamen, inter colloquendum, intellecto meo medicinæ & chemiæ studio, quod & ipse operam chemiæ dedisset, eiusque esset admirator, & amator egregius, discussa hæc nubecula est, vini poculis aliquot; & mox maioris præfecti aduentu, qui mihi statim cœptum iter prosequendi facultatem concessit.* Fata hæc doctissimi peregrinatoris fuerunt, quæ is ipse, inter diuinæ prouidentiæ documenta, postea retulit: quod mutata viæ ratione, non *Trentsinium*, sed *Schemnitzium* profectus, præcipuum illic, totius peregrinationis fructum, ceperit. Addamus, quid porro ibidem spectarit Tollivs. *Euenit hic præfecto illi minori*, inquit, *me præsente, res perquam ridicula. Accedebant ad eum, duo mendici, qui tutelarem militem*, Saluam Guardiam

habitus quis?

Tollii, de fato suo Topolcsanensi narratio:

mendicorum astutia?

c.) Loco citato, p. 152.
d.) Atqui, triplicandus milliarium numerus fuerit, si locorum interualla, constare sibi oporteat.

Digitized by Google

am *vulgo vocant, petebant, idque gratis, ſiue, vt loquebantur* (*e.*) PRO DEO. *Præfectus, animi primum gratia, ſuique exhilarandi, id fieri ratus, vbi ſerio rem geri videt, mirari primo, rogareque,* num ſe ludibrio habeant? *mox ſuauiter vna mecum ridere cœpit. Atque ſane, riſu res erat digniſſima. Quid enim mendicis a milite eriperetur? quis nudis veſtimenta detraheret?*

Rarus, *inquit ille,* venit in cœnacula miles. *At, quantum a cœnaculis abeſt, mendicorum caſa? Sed latebat dolus. In eorum namque caſulam, velut in adytum quoddam ἄντρον, nonnulli incolarum res pretioſas abdiderant. Iuſſi igitur ſunt, abire in malam rem, aut pro tutelari milite, quod deberetur, perſoluere.* In hæc diuertiſſe, non fuerit alienum: nunc ad oppidum redeamus. Cum *Ujvarinum*, & montanæ arces aliæ, in *Turcarum* eſſent poteſtate, aggere & foſſa, robuſtisque vallis communitum fuit, vt ne incurſionibus hoſtium pateret. Situ eſt amœno, quem montes circum, in planitiem, occidentali *Nitræ* amnis latere, depreſſi, efficiunt. Itaque, re potiſſimum agraria valet, diuesque frumenti eſt. Certe, incolarum labor fere omnis, ruſticatione conſtat, fructuoſa ea, & nulli, tota regiuncula, ſecunda. Sed, nec opifices deſunt, & qui rem artibus ſellulariis faciant. *Cereuiſia*, & panis, qui hic coquitur, laudatiſſimi ſaporis eſt. Mercatus loci, boarii ſimul eſſe conſueuerunt. Aguntur ii, die *S. Antonio* feſto, qui in XVII. *Januarii* incidit; altera item, feria *Pentecoſtes;* atque die S. *Mariæ Magdalenæ* ſacro. Statio huius *Veredarii publici*, quatuor milliaribus *Galgotzino*, inter ſeptentrionem & orientem, ſeiungitur, tribus in aquilonem *Nitria*. Adſedit ei ab occaſu brumali, caſtellum *Tovarnok*, dominii caput, & Comitis *Petri Perényi* ſedes, multæ opportunitatis.

oppidanorum occupatio.

III. *Oppidum Bayna.*

BAYNA oppidum, amœno colli ſubſternitur. Rure profecto circumſeſſum eſt, vbere, & *Cereri* non minus, quam *Baccho*, opportuno. Loci hæc commoditas, pridem, copioſum habitatoribus oppidum reddidit. qui omnem curam ſtudiumque, in eo ponunt, vt agrum, quem nacti ſunt, pro ingenio regionis, ſcite, & cum fructu, colant. Rariores ſunt, qui ſe opificiis dedant, fabriles tamen artes, ſutrinamque, & quod reliquum eſt operarum, quæ ſunt ad agricolandum neceſſariæ, ſuo more exercent. *Bodokino*, milliari, inter occidentem & aquilonem ſeiungitur. quod idem ſpatium, & inter *Topolcsánum* intereſt; ſed, a *Septencz-Ujfalu*, inſigni vico, ſolius amœniſſimi nemoris interiectu, dirimitur.

Baynæ *ſitus, & commoditas:*

incolarum opera.

e.) Phraſi Slauica: *pro Boha*; & Hungarica: *ex Isten neuttre*: ita eleemoſynam rogare ſolent mendici.

Digitized by Google

IV. *Oppidum Radoſchin.*

Radoſchinum, *quo ſit poſitu:*

RADOSCHIN, Hungaris *Radosnya*, vltra *Baynam*, ſub montibus, qui iſthic altiores ineunt, conſedit. Incolarum frequentia priori conſimile, non item agri bonitate; tametſi montium quoque culpa, in bonum cadat; quod & fœcundos imbres demittant, & frangant impetum aquilonis, ſegeti vitique inimici. Itaque, haud quidquam temere, circa oppidum, deſideraueris, quod ad fructuoſam agricolationem pertineat. Glebæ certe, ſi quæ ſunt vitia, vti ſunt omnino, ob ſolum argillaceum, tempeſtiua lætificatione emendare, prouocareque ad fertilitatem poſſent incolæ, niſi mallent, viti operari impenſius, quam ſegetibus. Late enim vineas colunt, agrumque ideo frumentarium, ſi non prorſus negligenter habent, ſcrupuloſioribus tamen operis fraudant. Alioquin, territorio eſt diffuſo, & quod non glabros modo colles, atque his interiectas conualles, pratis lætas ac dumis; ſed ſiluas etiam continet vaſtas, atque ligni cædui copia, inſignes. Ergo, neque deſunt feræ, quæ venatibus, non herilibus modo, ſed ruſticanis

eius beri.

etiam, ſufficiant. Ad dignitatem oppidi referimus, quod in hærediis *Epiſcopatus Nitrienſis* cenſeatur, habeatque prætorium, Epiſcoporum ſeceſſu nobile. Opus id eſt, *Ladislai Adami, e Comitibus Erdödy*, Epiſcopi, dum hæc ſcribebamus, *Nitrienſis*, multo ſumtu excitatum, atque anno MDCCXV. conſummatum. Moles adſurgit quadrangula, ſolideque ſubſtructa, & in conclauia, ſeruato circum ordine, ex architectonices regulis, diſpertita. Lauta ea ſunt omnia, ſed illud maxime, quod ſupra portam, eleganti propylæo inſtructum eſt. Lætiſſimus huic, in vniuerſam propemodum *Nitrienſem* regionem, proſpectus obtigit. Turris hinc emergit, eleganti faſtigio prominens, & cum ære campano alio, tum horologio conſpicua. Reliquus caſtelli adparatus, adiectumque huic viridarium, magnificentiam conditoris referunt, dignam encomio. Profecto, ad leuandum curis animum, neque locus amœnior, ſed nec ſalubrius cælum, deligi potuit.

SECTIO II.

DE

Vicis Proceſſus Bodokienſis.

DIues vicorum tractus hic, ad porro pergendum nos inuitat: quem ideo peragrare, operæ fuerit pretium, ducto, ex *Nitria* vicinia, itineris exordio.

1.) *Pereſzlény*, oppidi prærogatiua gauiſum, fuiſſeque olim, in arcis *Apony* ditione, relatum accepimus. Situ eſt amœno, & ob agri frumentarii, paſcuorum item, atque inſignem vini prouentum, fructuoſi. Caſtellum, ad arcis formam eductum, templum item operis ſolidi, multum decoris vico conciliant. Diſſidet *Nitria*, duobus, ad-

aduerſo amne, milliaribus. Ferunt, *Caſimirum Polonum*, quem nouarum rerum molitores, aduerſus *Matthiam*, in regem euocauerant, cum a regni ſpe, *Nitrienſi* obſidione depulſus, in *Poloniam* trepidus rediret, nocturnum, in *Pereſzlény*, hoſpitium cepiſſe. *Turcis* graſſantibus, aggere incingebatur: more tunc vicis opimioribus, familiari.

2.) *Kamanſalva*, ſeu *Kalmanſalva*, Slauis *Kamanowá*. Cum arx *Apony* regum fuit, in eius hærediis cenſebatur; permutationis tamen iure, ſub *Sigismundo* factæ, genti de *Nitra-Szerdahely*, adtributus. Excellit, cum poſitus hilaritate, tum inſigni ad agricolandum, rure: quippe quod, vini, frumenti, & fœni, eximie ferax eſt. Adſidet *Nitræ* amni.

3.) *Vámos-Uj-Falu*, Slauice, *Mjtná Nowegſa*, multum a flore priſtino deſciuit. Eſt in poteſtate gentis *Zay*, poſteaquam ab arcis *Apony*, ditione auulſus, varie poſſeſſus fuiſſet. Nomen, a telonio accepit, eſtque taberna diuerſoria inſtructus. Itidem *Nitræ* adhæſit.

4.) *Falkas-Dworan*, priori illi viciniſſimus, atque eiusdem familiæ *Zay*, quin & fatorum eorundem.

5.) *Ludány*, Slauis *Ludanycz*. Diuiditur, in *Caſtellarem*, & *Abbatialem*: quod ille quidem ad caſtelli heros; ad *Abbates* iſte, priſca ætate, adtinuerit. Habuit enim, *SS. Damiani*, & *Coſmæ*, inſignem *Abbatiam*. Iam, longa retro ætate, *V. Capitulo Nitrienſi*, obnoxius eſt, idemque, gemino templo conſpicuus. Caſtellum, quod alteri inædificatum eſt, communitum bellis *Turcicis* fuiſſe, adparet hodieque. Erat quondam *Cſechorum*, *Dolygoſiorum*, *Babindáliorum*, & *Kozáriorum*; iam *Comitibus Erdôdy* paret. Alioquin, vicus vterque, oppidi refert ſpeciem, e longinquo proſpicientibus. Celebrantur autem, vini, quod heic gignitur, præſtantia, copia item agri frumentarii, ſiluarum, pratorum, & ruris paſcui; quin & incolarum numero.

6.) *Hrabor*, Slauice *Hrabrany*, conſedit inter *Ludány*, & *Nagy-Topolcsán*, aduerſa, *Nitra-Szerdahelyo*, amnis ripa, *Bajnenſi* fluuio interluțus. Fuit antiquitus, familiæ de *Kis-Dworan*; nunc *Erdôdiana* genti proprius. Habet, eximias ad ruſticandum opportunitates: nam, & vineis valet, agroque ſementi benigno, & ſiluis, pratis, atque paſcuis.

7.) *Nemſchitz*, ſitus haud importuni; ſed tenuium incolarum. Lanæ, quæ heic cogitur, præſtantiam commendari accepimus, quam rerum gnari teneritudini paſcuorum tribuunt. Adtinet ad dominationem *Nagy-Topolcsanenſem*.

8.) *Koros*, vnicus quidem vicus; ſed diuiſus tamen, in *Superiorem*, & *Inferiorem*: vnde, geminum ei templum fuit. Quorum ſuperius, gemina turri conſpicuum eſt. Ad *Templarios* olim pertinuiſſe, vulgus opinatur. Sed inferiores vici ædes, *S. Nicolao* ſacra, & colli, aduerſus caſtellum impoſita, *Rákócziani* tumultus iniuriis, in rudus fere abiit. Subluit vicum, *Liwina* amnis, murænarum & cancrorum copia, non minus, quam præſtantia, commendatus. Caſtel-

lum huias, non tam ſubſtructionum molle, quam ſitus elegantia, tota valle *Nitrienſi*, præcipuum eſt. Ager vici, laudem habet fructuoſæ ruſticationis.

9.) *Alſó*, &

10.) *Felſó-Helbén*, vterque *Liwina* hæreſcit, earundem cum *Koros* opportunitatum, vicis, *Koros*, & *Raicsán*, e regione *Boſsán*, interſitus.

11.) *Raicsán*, vicus genti *(a.)* cognomini, inde ab anno MCCCI. proprius. Trahit adpellationem a riuulo *Rajetz*, medium interluente vicum. Situ eleuatiore eſt, atque poſitione quadrangula. Egregiæ, circumquaque ei ſunt opportunitates. Præterquam enim, quod ædibus colitur, haud ineleganter factis, ſubluiturque, ab oriente *Liwina* fluuio; hortis quoque, multæ iucunditatis, circumſidetur. Ager, quem admenſum habet, frumenti ferax eſt, atque, ob paſcuorum probitatem, alendis ouibus idoneus. Collibus is paſſim intumeſcit, quos heic, amœna nemora, illic, agri frumentarii, inueſtiunt. Concluditur vicis, *Nagy-Lány*, ſeu *Nadlitz*, ab oriente; *Chirován*, a meridie; *Felſó-Helbén*, ab occidente. Vici templum, memoriæ *Decollationis S. Johannis Baptiſtæ*, ſacrum eſt. Inſedit locus, medio, inter *Nitram* & *Trentſinium*, itinere.

12.) *Nagy-Lány*, Slauis, *Nadlicze*, vicus *Aponyorum*, *Liwina*, ponte iunctæ, adpoſitus, & agro laudandus, & ſitu.

13.) *Liwina*, tenuis viculus, agrum nactus, quantulæcunque opportunitatis; eo tamen commendandus, quod ſedem olim præbuerit *Stephano Fejerkövy*, Nitrienſi epiſcopo. Conceſſerat poſtea in iura, *Damiani Kakas* de *Aranyad*, eleganti poſitione, in primis commendandus. Nomen, aut a fluuio accepit, aut eidem communicauit.

14.) *Liwina Apáthy*, Slauis, *Opatowcze*, vicinus *Liwinæ* priori. Eſt vicus *epiſcopalis*, rure obſeſſus ſterili, & dominationi *Szkacsanenſi* adſcriptus.

15.)

a.) Eſt hæc peruetuſta RAITSANYORVM familia, cuius genealogiam, inde a S. STEPHANI temporibus, vsque ad noſtram ætatem, perpetuo traduce propagatam, in adparatibus meis habeo. BOKON parens fuit, quem BÓD excepit, carceri *Wiſſegradienſi*, a S. LADISLAO, cum rege SALOMONE, incluſus, vti habet BONFINIVS, Dec. II. Lib. IV. p. 255, 46. Patris demum vitia, magnis virtutibus emendauit, KVRVS, *Comes Parochialis Comitatus Szaladienſis*, & centurio *Nitrienſis*. cuius poſtea nomen, a poſſeſſione impertitum, in titulis habuere poſteri; dum BELA IV. anno M. CCXLIV. ditionem RAICSAN, BETHLENIO, *Comiti de Kurus*, largiretur, a qua deinde, *Raicsán*, gens reliqua, ac primo quidem omnium, *Comes* DRAG, filius BETHLENII, denominationem accepit; vt iam *Raicsánii*, vel *de Raicsán*, vel *de eadem*, ſcribantur. quæ ſingula, prænum foret diplomatibus docere. Iſtud ſilendum haud putamus, memoratum hunc KVRVS, inſigni facinore, id apud STEPH. II. meruiſſe, vt poſt infelicem, ſui genitoris BÓD, caſum, & deperdita latifundia, nouam ſibi terram adquiſiuerit. Verba diplomatis ſic habent: *Reminiſcentes etiam hoc, quod idem* Kuros, *dilectus & fidelis noſter, olim ex unguibus vrſi, nos in venatione liberauit, & poſt infelicem patris ſui caſum, omnibus caſtris, terris, prædiis, & campis, deſtitutus fuerat &c.* En! inſignium familiæ *Raicsaniana*, præclaram originem; vrſum enim referunt, Regem, iam iam oppreſſurum, cui, cum pugione, *Kurus* imminet.

Digitized by Google

T.IV. p. 452. n 11

S Á N I.
ruit.

irca

, de *Krus.*
anno 1212.

VRITIVS, de *Krus*,
quo Familia *Kóroſſy*.

Digitized by Google

Digitized by Google

M FORGÁCH.

Sophia Dobó.

SIGISMVNDVS I. R. VI. perpetuus de Ghymes. Consors *Juliana Drágffy.*

PAVLLVS II. † 1578. M. LI

MARTINVS I. ANNA. PETRVS V. studiis operam dedit Viennæ 1539. Consors *Vrsula Petö.* JVLIANA.

ELISABETHA, nata 1560. † 1583. Cons. Gregorius Fánchy. CATH. NA, nat † 15 i- g. æ HELENA, nup. *Andr. Oszrosith.* SIMON II. † 1568. in quo deficiente cessauit possessio *Trenchin.* SVSANNA, nupsit *Francisco de Réva* Com. *Tököziehsi.* JVDITHA, Cons. C. *Paul. de Nádasd.* perpetui in *Cseiteba.* WOLFGANGVS III. NICOLAVS VIII. Consors *Anna Balassa.* JVLIANA, nupsit *Andreæ Babinddy.*

MARIA, nata 1620. Tyrnauiæ facta Monialis S.Claræ, 1630. † 1. Jan. 1685. HA. FRANCISCA. EVA, nup. Com. *Stephano Csáky de Kereszt szegh*, Tauernicorum Reg. Magistro. Acquisiuerunt arcem *Scepusiensem*, quam hodieque familia *Csakiana* possidet. SIMON III. MATTHIAS I.

SVSANNA, nup. Com. *Adamo Zicby de Vásonkö.* SIMON IV. nat. 8. Jul. 1669. Cons. *Agnes* Comes *Eszterházy.* † 13. Septem. 1730. FRANCISCVS VII.

ANNA JOSEPHA, nat. 28. Maii, 1687. † 27. Mart. 1688. 2 JOHANNA, nup. *B. Francisci de Schmidlin*, per Transil. Principatum Supremo Camerario. WILHELMINA, Cons. C. *de Herberstein.* SIGISMVNDVS V. nat. 24. Oct. 1694. CATHARINA, Ord. S. Claræ, Posonii. ADAMVS III. & LADISLAVS XI. ac quinque filiæ, omnes ætate tenera †.

ANNA, C. *Forgách*, nata 1721. LADISLAVS XII. natus 1722. R LIA nat 17 COLAVS X. ANNA MARIA. C. PAVLLVS VI.

15.) *Chudá-Lehota*, macer oppido vicus, id quod Slauicum *Chudá*, ſignificat: nam, macilento agro eſt, neque non paſcuis exſuccis. Adtinet itidem, ad *Szkacsanenſem*, epiſcopi *Nitrienſis*, ditionem.

16.) *Borcsan*, ita diſpertitus, vt parte altera, *Nitrienſi*, *Trentſinienſi* prouinciæ altera, adſcribatur. Fuit familiæ *Borſchániana*, eſtque tenuis ruſticationis.

17.) *Siſió*, &

18.) *Funcsin*, vici haud importuni, niſi a pluribus heris poſſiderentur. Antiquitus, poſterior hic *Fintúr*, vocabatnr. quod nominis hæret hodieque ſiluæ, quam territorium vici complectitur.

19.) *Lybychawa*, exilis quidem vicus; ſed ob agri frumentarii commoditatem, commendandus. cui, ſi paſcuorum vbertas reſponderet, vicis opimioribus conferri mereretur.

20.) *Felsó*, &

21.) *Alsó-Redek*, viciniſſimi vici. quorum ille in *Nagy-Topolcsanenſi* ditione cenſetur; hic, in nobilium eſt poteſtate. Vterque olim genti *Redeky* paruit. Ruris, quod habet admenſum, laudem, paſcuorum inopia minuit: alioquin, ſuo iure, opimioribus huius regiunculæ vicis adnumerandus.

22.) *Nagy-Wendégh*, Slauis, *Welké-Hoſtie*. Eſt in ditione *Nagy-Topolcsanenſi*. Agri, qua eſt, ſterilitatem, ruris paſcui vbertas, compenſat quodammodo.

23.) *Pochaban*, & iuris, & habitus, cum priori eiusdem.

24.) *Kis-Wendégh*, ſeu *Malé-Hoſtie*, nihilo prioribus melior, quam, quod ſiluarum ſit ditior. Cenſetur in eadem ditione *Topolcsanenſi*.

25.) *Zlatnjk*, Hungaris *Aranyos*, quod vicum aureum ſignificat: anne vero ab auri mineris ita dictus? non auſim adfirmare, quod faciunt non plane nulli. Eſt eiusdem, cum antegreſſis, ingenii, paſcuorum tamen adfluentior; quin, & ſiluoſis montibus copioſior. Adſcribitur *Nagy-Topolcsáni* hærediis.

26.) *Nemeczké*, quod nominis, a *Germanica* colonia, quam forte aluit quondam, accepiſſe cenſetur. Agro eſt commodo, qui, præter ſementem, vitem quoque patitur.

27.) *Szolcsánka*, alias *Kis-Szolcsán*. Retruſo eſt poſitu, ſed viti tamen amico, quæ vinum fundit, pro habitu regionis, generoſum: alioquin, vicus ex ſe tenuis eſt.

28.) *Onor*, Slauis *Norowcze*, æmulatur priorem, cum ſitus qualitate, tum vinearum cultura. quæ tamen vinum præbent, quam eſt *Szolcsankenſe*, auſterius. Siluis, & paſcuorum vbertate, vicino illo potior. Fuit olim, florentiſſimæ familiæ *Onory*, hæredium, a quo nomen quoque retulerant.

29.) *Alsó*, &

30.) *Felsó-Bulgyén*, Slauis *Bedzany*. Fuere antea, in gentis *Koros*, poteſtate, dum rerum potiente *Sigismundo*, familiæ *Zend*, alias *Kál-*

nay, de *Nagy-Kalna*, adtribuerentur. Hodie, vicus vterque, *Comitibus Berény* obnoxius eſt. cuius tamen maior, caſtello ſimul inſignis, minori, ruris opportunitate antecellit: dicuntur enim, & *Nagy*, atque *Kis-Bulgyén*.

31.) *Kis-Jácz*, re ipſa nomini, quod *paruum Jácz* notat, reſpondet; nam exilis eſt omnino, tametſi ſic ſatis heris vtilis. Caſtellum, vico inædificatum, eximie commodum eſt.

32.) *Tauarnok*, vicus licet ſit, caput tamen iam eſt dominationis *Nagy-Topolcsanenſis*. Poſitionis amœnitatem auget, magnifico opere inſtaurata arx. Alioquin, agro tam eſt vbere, vt paucos, tota valle *Nitrienſi*, pares, vix vllos, potiores habeat. Confinis eſt *Nagy-Topolcsano* ab occidente.

33.) *Nagy-Jácz*, &

34.) *Nemes-Jácz*, vno olim terreno concludebantur, dum, illo, ad *Dominium Nagy-Topolcsanenſe* accenſo; hic, in nobilium, a quibus & nomen tulit, poteſtate relinqueretur. Vterque, agro eſt laxo & vbere.

35.) *Kuzmicz*, ditioni *Topolcsanenſi* adſcriptus viculus, pro incolarum portione, haud ſane incommodus.

36.) *Twrdomeſzticz*, a figulis potiſſimum inſeſſus, qui fictilia educunt, multæ apud vulgus laudis. Ergo, & opificio rem faciunt incolæ, & agricolatione.

37.) *Praſicz*, accenſus *Topolcsáno* vicus, copioſus futurus, ſi ager ei obtigiſſet præſtantior.

38.) *Podhradgja*, edito, ſub arce *Topolcsanenſi*, loco poſitus. quia agrum, ex ſitus iniquitate nactus eſt effœtum, coloni materiarii ſunt, ſiluarum copia, ad eas operas, adſuefacti.

39.) *Závada*, vix quidquam ruſticæ opportunitatis habet, ſi paſcua, ſiluasque demas. Cenſetur in ditione *Nagy-Topolcsanenſi*.

40.) *Velusócz*, ſuppar priori, & iure, & agri qualitate.

41.) *Teſsár*, paruitatem vici, vini, quod gignit, præſtantia, affatim penſat. Eſt *Topolcsanenſe* hæreditolum.

42.) *Kakas-Falva*, æmulatur *Teſsárum* bonitate vini. Impertiuit nomen vico, *Kakas* quidam, qui in diplomatibus, latino vocabulo, *Gallus* quandoque adpellatur, nobilis & antiqui generis vir, multarumque olim in *Poſonienſi Comitatu*, poſſeſſionum herus. cuius demum poſteri, *Kakasfalvay de eadem*, vocabantur.

43.) *Vitkócz*, & vineolis, & agro frumentario, præditus.

44.) *Kis-Doworany*, ſedes olim gentis *Doworiana*, a vico denominatæ. qua, in *Michaele* de *Kis-Doworan*, emortua, in poteſtatem *Mereiorum* venit. Quibus caſtellum heic, haud importunum eſt. Amicus ſementi ager, vix vnquam, niſi cælo admodum iniurio, colonum fraudat.

45.) *Nagy-Doworan* eiusdem, cum minore illo, habitus.

46.) *Urmincz*, in via regia, quæ *Nagy-Topolcsánum* ducit, a-

prico

Digitized by Google

prico ſitu poſitus. Ager vici, fere collinus totus eſt, quem per conualles, prata diſtinguunt; ſiluis tamen nudus. quod difficilem incolis facit lignationem. Paret *Comitibus Erdödy*, ditioni *Ludanenſi* accenſus.

47.) *Csytár*, laudem habet pinguis & feracis agri. Eſt in *Comitum Berényiorum* poteſtate. quibus fructuoſa hic eſt villa ruſtica.

48.) *Bodok*, vicus eſt, arci cognomini adſitus, opimo agro, quem *Puſzta-Bodokenſis*, vicinus is, multo, & copioſiorem, & ad ruſticandum opportuniorem, efficit: vt parum abſit, quin cum *Tavarnok*, conferri queat.

49.) *Cſermend*, incubuit colli, *Bodokio* obiacenti, nulla re alia, ad commodam ruſticationem neceſſaria, quam vite ſola, deſtitutus.

50.) *Kis-Szulyán*, viculus tenuis, & ob agri, qui ei obtigit, anguſtiam, incolarum inops.

51.) *Kis-Vicsap*, locus ex modicis ſane; ſed *nobilitaris* tamen prærogatiuæ, & agri ſic ſatis fœcundi ſi coleretur diligentius. Præcipuum ei decus caſtellum, nuper, a *Stephano Vajay*, ad omnem ſubſtructum elegantiam, conciliat.

52.) *Nagy-Szulyán*, minori illi ſuppar.

53.) *Suránka*, vicus nobilis, & agro circumfuſus laudabili.

54.) *Csap*, quantus quantus eſt, territorio circumfunditur, *Aſſa-Kürtenſi*; agro ceteroquin præditus, plano vbereque. Paucis colitur ædiculis, eſtque in hærediis *Epiſcopatus Nitrienſis*. Vineæ huiates, quod ſoli meridiano ſunt oppoſitæ, fructus, quam eſt vicinorum, præſtantioris creduntur eſſe.

55.) *Szill*, priori, trans amniculum, adfinis, & cum rure, tum mola frumentaria, quam collectæ, intra aggeres, aquæ rotant, inſignis.

56.) *Lakácsi*, vicus haud infrequens, ac ſitu, priori lætior multo ac fœcundior. Sed vinum, quod heic gignitur, vix vlli gratum eſt, niſi qui id forte a teneris imbibebat. Templum, colli impoſitum, caſtellum item, decoris quiddam addunt obtutui vici. Adtinet ad *Epiſcopatum Nitrienſem*.

57.) *Egerſzeg*, in præcipuis huius oræ vicis, optimo iure cenſendus. Nam, & poſitus amœnitate, & colonorum frequentia, in primis pollet. Territorio certe, quod admenſum habet, vix facile repereris aliud præſtantius: ita, cum re frumentaria, tum vineatica, pratis item, agro paſcuo, & ſiluarum copia, valet; vt mereretur ſane oppidi prærogatiuam. Accenſetur veterrima donatione, *Archiepiſcopatui Strigonienſi*.

58.) *Cſékey*, Slauis, *Cſakajowcze*, eſt ditionis *Nitrienſis Eccleſiaſtica*; fortunatus vicus futurus, niſi inundationibus frequentibus, & damnoſis, adfligeretur, cum ager, frumentarius, tum prata potiſſimum. Ceterum, eximiarum eſt commoditatum, quæ non facile deſtituunt agricolam.

59.)

59.) *Lajos-Falva*, ruſticam potius villam, quam iuſtum vicum poſſis dicere, ob terreni, quo laborat, anguſtiam.

60.) *Nitra-Apáthy*, &

61.) *Nitra-Vicsap*, in eadem olim dominatione cenſebantur, dum varie diſpertiti, plures nanciſcerentur heros. Poſterior iſte, ea eſt poſitus elegantia, vt nihil ſupra. Nempe, molli inſidens cliuo, rus circumquaque adſpicit, longe amœniſſimum. Id hinc prata, ad *Nitræ* amnis ripam, late protenſa, & ex ſitus ingenio, multo gramine luxuriantia; illinc, agri frumentarii, ſegetum omnis generis feraciſſimi, definiunt. Quod vltra eſt, collibus, vite obſitis, honeſtatur. Vinum certe huias, in iis referri accepimus, quæ ſunt, toto *Comitatu*, laudatiſſima. Quam ob rem, frequentatur vicus, ſede plurium nobilium familiarum.

62.) *Lováſzi*, Slauis *Lowáſowcze*, viculus, priſca ætate, arci *Apony* proprius, pro ſua, qua eſt portione, ex reliquorum, prope ad *Nitram* amnem, vicorum ingenio, haud ſpernendus.

63.) *Körtvélyes*, Slauice *Hruſſowany*, eiusdem quondam, cum priore, ditionis, nulla non ad agricolandum commoditate præditus; ſed arctiore, quam res incolarum poſceret, territorio.

64.) *Aſſa-Kürth*, &

65.) *Kis-* ſeu *Ablántz-Kürth*, iam tum ætate priſca, vnius territorii vici fuere, quos *Jóſa* de *Gécz*, iuris ſui fecit, iterumque coadunatos, tranſcripſit in poſteros ſuos, vt hodieque *Géczii*, inclutum genus, vtroque vico potiantur. Ea, poſterior hic, agri eſt amplitudine, atque ſitus iucunditate, vt ſuo merito, in præcipuis, huius oræ vicis, cenſeatur. Valet, cultu etiam vineatico, cum vetere illo, tum recentiore alio.

66.) *Ujlacska*, eidem *Kürthenſi* valli inædificatus, ideoque habitus propemodum ſupparis. Vinum, quod huiates vineolæ gignunt, laudandi eſt ſaporis. Pertinet ad *Gécziorum* hæredia.

67.) *Alsó-Káp*, modicus is quidem; ſed agro eximie fertili, vineisque lætus. Sedes olim fuit familiæ *Kapy*, de eadem *Káp*: iam inter plures diſpertita poſſeſſio eſt.

68.) *Felsö-Káp*, rure præditus vbere, tametſi collibus inſeſſo, neque hoſpitali vineis. Adſcribitur iuri *Maholaniorum*.

69.) *Püſpök-Falva*, Slauis, *Biskupowá*, tenuis viculus, idemque *Nitrienſi Epiſcopatui* proprius, vnde & nomen traxit.

70.) *Nezette*, anguſti, ſed fertilis agri vicus; eo, quod multis herorum conuerſionibus obnoxius eſt, ægre proficit.

71.) *Nagy-Ripén*, ſiue *Welikè-Ripany*, ruſticationis, quam prior ille, multo commodioris; rus enim nactus eſt, & ſegeti idoneum, & viti. Accedit incolarum ſolertia, rei familiaris præclare ſatagentium: nam, præter agreſtem vineaticumque cultum, oues ſimul, cum cura, & fructu, alunt. Riuus *Radoſchnya*, huc deiectus, molarum eſt diues, eaque re, heris perquam vtilis. Eſt heic veredarii pu-

Digitized by Google

publici ſtatio, medio, nempe, inter *Galgóczium*, & *Nagy-Topolcsánum*, itinere. *Xenodochium*, ad vici limitem poſitum, commendari meretur.

72.) *Kis-Ripén*, Slauis, *Malé-Ripany*, eximiæ, ad agricolandum, opportunitatis; at ſiluarum inops. Paret pluribus.

73.) *Kis-Wieſzka*, intra vtrumque *Ripén*, eidem *Radoſchinenſi* amniculo, adpoſitus, & ex ſe tenuis. In aquilonem, eodem hoc tractu, ſubducuntur:

74.) *Sarlú*, Slauice *Sarluska*, exilis vicus, eo ſitus itinere, quod ex *Nagy-Ripén*, *Topolcsánum* ducit.

75.) *Paczolay*, Slauis *Pſolowocze*, valli, *Bodokino* oppoſitæ, inædificatus; lauto ſane agro, ſed quem plures ſibi vindicant. Prætorium huius, ita factum eſt, vt, & herum commode queat accipere, & rei ruſticæ, opportunitatis præbere, quantum ſatis eſt. Habent, & *Beniczkii* aliique ſuum, in vico, poſſeſſionis modum.

76.) *Szeptencz-Uj-Falu*, ab interlabente amniculo *Szeptencz*, ſic dictus ab *Hungaris*; nam Slaui, *Nowá-Weſz* tantum adpellant. Rure eo eſt, quod, & bonitate, & amplitudine, multis antecellit. Caſtellum, ampli ſolidique operis, ad plures adtinet: nemus, *Bodokino*, atque vico interſitum, multæ eſt amœnitatis. Vinum, quod hîc prouenit parcius, probum eſſe perhibent, & ſaporis, non ingrati.

77.) *Krtócz.*

78.) *Alſó-Bebéncz*, &

79.) *Felſő-Bebéncz*, vici ſunt *Radoſchinenſi* riuo, ſua ſinguli opportunitate, adſidentes. Qui, quod perennes, ac reſpuentes gelu, aquas vehit, molis frequentibus inædificatus eſt. Quas ideo, ſine ceſſatione, atque præcipuo poſſeſſorum fructu, verſat. Cetera, ſolo ſunt fœcundo, ſed vitis egeno. E *Radoſchinenſi* hac valle, ad occidentem ſolem tranſeuntibus, noua ſe iterum vicorum ſeries, ingerit.

80.) *Felső-Merecsicz*, &

81.) *Alsó-Merecsicz*, ad agricolandum, haud importuni.

82.) *Páſztó*, Slauis *Paſtuchow* (*b.*) ſuo iure, in copioſis vicis, referendus. Poſitu eſt aprico eleuatioreque, rure contra, collibus ac lucis interſtincto. Id, quia argillaceum eſt, ſolerti lætificatione fœcundetur, oportet. Certe, ob ſiticuloſiorem ſoli naturam, pratis, quæ parando fœno ſufficerent, deſtituitur. Quam inopiam, ſtramine, vernali a ſegete reſiduo alii, alii pabulo viciario, egregie leuant. Vineis, vix laudem aliam tribueris, quam quod vbere ſint prouentu, ſed inſuaui eo, atque ſaporis non vndique probi. Dirimitur *Galgóczio*, interſito monte, cui *Gábor* nomen, paretque *Libero Baroni Michaeli Sándor.*

83.) *Alsó-Vásárd*, nobilitaris prærogatiuæ vicus, agro laxo, ſed

b.) Oppidum Pasztó, *Zadjua* amni adpoſitum, idemque limitaneum *Neogradienſibus*, in Comitatu *Hevesienſi* occurret; neque cum *Nitrienſi* vico iſto, confundendum eſt.

ſiluarum pratorumque egenus. Próinde, difficilis heris eſt ruſticatio. Herba *Nicotiana* lætiſſime hic, & tota vicinia, proficit.

84.) *Felsö-Váſárd*, gemino caſtello nobilis, quorum inferius, *Czingelii* eſt; ſuperius *Jeſzenſzkiorum:* at vici poſſeſſio plurium. Præter pomaria, vineis lætatur, fructus notæ haud poſtremæ. Sed, neque re agraria defecit, neque ſiluarum eſt inops: tametſi nemora, quibus hinc ab oriente, illinc ab occidente, præcingitur, plus habeant oblectationis, quam ad lignandum opportunitatis.

85.) *Fornóſzégh*, vicus, vltra mediocritatem, colono opportunus. Incingitur fere circumquaque, ſiluoſis nemoribus, quæ, exſtirpari in annos ſingulos videas, vt deiectis arboribus, rus fiat exaggeratius. Itaque, & lignatione valet, & agro. Vineæ profecto vbertim coluntur, cum ab incolis, tum etiam ab heris vici. Duo horum ſunt: *Boſsányii*, & *Koſztolánii*. Vtriſque, ſua hic eſt ædes, pro diuerticulo commoda. Alioquin, poſſeſſionis partem, plures capiunt. Sedet in *Galgoczienſium* collimitio.

86.) *Alsó-Attrak*, cognomine illo exilior quidem, & ſiluarum quin & vitis expers; attamen rure eo, quod poſſit colonum ſuſtenrare. Paret *Maholaniis*.

87.) *Felsö-Attrak*, vberibus vinetis circumfuſus, quæ heic lætius multo proficiunt, quam ſegetes: quippe quibus, ager obtigit aſper, idemque, larga & frequenti ſubigendus lætificatione: quod illubentes faciunt incolæ, vineatici cultus, quam agrarii, amantiores. Vicum *curiæ aliquot* honeſtant.

88.) *Tekeld*, exili agro, ideoque modicæ agricolationis,

89.) *Tóth-Diós*, vini generoſioris prouentu memorandus. Solum agri pingue eſt, & ſiliginis potiſſimum feraci; triticum enim haud ſerunt incolæ, non id quidem, ob glebæ vitium; ſed, quod ſiligo non æque, quam triticum, colonum fraudet.

90.) *Szverbicz*,

91.) *Bzincz*, tenues vici.

92.) *Tóth-Sók*, Slauis *Salgowcze*, vicus omnino lautus, & cum frumenti, tum vini, ac fructuum diues, idemque, ob ſitum apriciorem, adſpectu iucundus. Inſunt ei *curiæ*, habitanturque a *Cseriis*, & *Nevediis*. Sedes olim fuit, ſuperſtitis adhuc familiæ *Sooky*, de *Tóth-Sók*.

93.) *Ardanócz*, fertili ſedens agro, verum exilis admodum. Alit vitem, fructus haud ſpernendi.

94.) *Sárfö*, non ineleganti *Eſzterhaziorum* caſtello, territorio item vbere amploque, memorandus.

95.) *Vozokány*, familiæ olim cognominis: nunc *Mereiis*, & *Beniczkiis* paret, agro frumentario, viteque percultus.

96.) *Lipownok*, ad amœni montis pedem ſitus. Fuit, priſca ætate, gentis *Lipowniczky* proprius, conſobrinæ familiæ *de Koros*. Colit agrum frumentarium, vitemque.

97.)

Digitized by Google

97.) *Belez*, tenuioris ſortis vicus.

98.) *Gelenſalva*, eſt vicus nobilis, ideoque, incolarum, in tributa cenſorum, expers. Anguſtus ei ager, ſed fœcundus tamen eſt. Inſedit viam regiam, eo itinere, quod e vicino *Galgóczio*, *Topolcsanum* tendit.

99.) *Perkócz*, Hungaris *Pérk*, nobilis vicus, habitatu commodus iucundusque. Si vitem demas, nihil agro defuerit ad eximiam fœcunditatem. Vallicula, quæ vltra vicum procurrit, obiecto aggere, riuum illac profluentem, in piſcinam colligit, capacem eam, neque piſcium impatientem; ſed in primis tamen verſandæ molæ frumentariæ, quæ ei cohæſit, deſtinatam. Inde, collis ſurgit, procera fago veſtitus, ideoque obtutu hilaris, & modicis lignationibus idoneus.

100.) *Szomorſalva*, Slauis *Somorowá*, modicus quidem vicus; ſed cum antiquis heris, tum agello commodo, inſignis.

101.) *Nemes-Redek*. Tantum iſthic vicorum fuit.

MEMBRVM IV.

DE

Proceſſu Ujhelyienſi.

PROOEMIVM.

UJHELYIENSIS PROCESSVS, terminos habet, ab oriente, *Bodokienſem;* a meridie, *Nitrienſem;* a ſeptentrione, *Trentſchinienſem;* denique, ab occidente, *Poſonienſem* agrum, & *Szakolczenſem* prouinciolam. Totum, quam longus eſt, *Vagus* interlabitur. Ipſa regio iis, quas vidimus, nihilo deterior; oppidis certe, arcibus, & vicis, forte etiam frequentior eſt: quod iam adparebit, ſimul, cuncta ſigillatim adierimus.

SECTIO I.

DE

Oppidis & arcibus Proceſſus Ujhelyienſis.

Coniunctim dabimus ſingula; ne diligentia partitionis nimia, lectorem fatigemus. Nam, ſunt oppidorum & arcium quædam, quæ merentur deſcribi profuſius; ſed, ſunt etiam, quorum, ſaltem meminiſſe, ſuffecerit; ne famæ diſpendium faciamus.

I. Oppidvm Vágh-Ujhely.

SYNOPSIS.

I. Ujhelíny *nomen, ex reipſa natum: olim,* poſſeſſio regalis de Ujhely, *&* Villa regia, *adpellabatur: datur a* Bela IV. *iure* cambii, *monaſterio* S. Martini: *eius rei hiſtoria, verbis diplomatis expromptæ.* §. I.

Reliqua Belæ IV. *in eam rem, benignitas: adfirmat* Ujhelíny *poſſeſſionem monaſterio,* Ladislaus Cumanus; *quam pater* Stephanus *fecerat irritam, oppido,* Laurentio Comiti, *adſcripto:* Ladislaus Cumanus, *diplomata ſua abrogat, oppidi poſſeſſione,* Laurentio *adfirmata: rata habet diplomata,* Stephani, *&* Ladislai, *rex* Ludouicus. §. II.

Cœnobitarum *prouidentia, graſſante* Matthæo Trentsinienſi: *iteratæ eorum, irritæ tamen, interceſſiones;* Ujhelyi *poſſeſſores hodierni.* §. III.

Oppidi habitus hodiernus; fœdatur frequentibus incendiis: nobilium, iſthic colentium, elegantia. §. IV.

Oppidanorum occupationes: vini *huiatis laus: quibus rebus quæſtum faciant incolæ.* §. V.

Quagaudeat libertate oppidum: Præpoſitura *Ujhelyienſis: ædes ſacra.* §. VI.

Clades, oppido illatæ a Turcis: Coſacis: Bocskaianis: *iterumque a* Turcis: *quid ciuilibus ſeditionibus paſſum fuerit.* §. VII.

II. *Arcis* Csejtae *origo ignota:* Matthiæ Coruini *ætate, præſidio tenebatur: an a* Matthæo Trentsinenſi, *excitata fuerit?* §. I.

Oppidi cognominis habitus: incolarum vitæ ratio: cellæ vinariæ, monti impreſſæ, Eliſabethæ Báthóriæ *facinore, infames redditæ: nefandi maleficii hiſtoria, ex ephemeridibus* Thurzonianis. §. II.

Eadem, ex Túróczio, *nupero ſcriptore, retexitur: ſceleris occaſio: incrementa: quomodo occultiſſimum facinus, in lucem protruſum ſit.* §. III.

In

In triſtem hiſtoriam epiphonema: mors Eliſabethæ. §. IV.
Ditionis Csejtenſis *viciſſitudines: fuit olim* Orſzághiorum: *ſit* Nádasdiorum, *permutationis iure: quibus tunc oppidis & vicis conſtiterit: redimit totam* Franciſcus I. Nádasdy; *iure perenni, pro ſexu vtroque.* §. V.
Mortuo Franciſco, *bipartito diuiditur ditio: ſitque, partem* Paulli Nádasdii, *partem filiæ* Catharinæ, *vxoris* Georgii Homonnaii: *excidit poſſeſſione eius* Franciſcus II. Nádasdy, *ob perduellionis notam:* Chriſtophorus Antonius Erdôdy, *are coemit ditionem.* §. VI.
Portionem Homonnaianam, *varie inter ſe partiuntur ſucceſſores: veniunt in eius poſſeſſionem* Révaii, & Forgáchii, *iure vxorum.* §. VII.
III. Verbovia, *vnde dicta: eius facies: oppidanorum labores: nobiles, qui hic degant.* §. I.
IV. Pőstény, *quo ſit poſitu, quibusque heris pareat: laus thermarum, quæ hic ſtatent, ex* Vernhero, *expromitur.* §. I.
Adami Traiani, *de iisdem carmen.* §. II.
Gemina oppidi, & thermarum clades, ab Iſtvánffyo *deſcripta, illata a* Turcis: *prioris facies: poſterioris calamitates.* §. III.
V. Vittenczi *ſitus: agro eſt, &* Bacho, & Cereri *benigno: colitur oppidum ab opificibus: eſt* Comitum Erdôdy, & Czobor. §. I.
VI. *Nominis* Ió-Kő, *origo Hungarica: poſitus arcis:* Blauæ *amnis, ad eius pedem, capita: ditio, ad arcem adtinens.* §. I.
VII. Leopoldopolis, *nomen & ortus.* §. I.
Situs, & munitionum rationes. §. II.
Tentatur a Rákoczianis, *ſemel iterumque caſis ac depulſis: pugnæ, ex ea occaſione, natæ.* §. III.
VIII. Galgóczii *dubia origines & adpellatio: coniectura nonneminis: nominis germanici ratio.* §. I.
Auctoris ſententia, Thúróczii *teſtimonio præmunita.* §. II.
Opinio, de origine Galgóczii *refellitur.* §. III.
Molis ſitus & opportunitatis rationes. §. IV.
Inſeſſa olim fuit a Matthæo Trentsinienſi: *poſtea* Laurentii *ducis* de Ujlak *hæreditas: eo, improle decedente,* Alexio Thurzoni, *a* Ludouico, *traditur: ſuam, numerato are fecit, gens* Forgáchiorum: *nunc in poteſtate eſt* Georgii Erdôdi Comitis. §. V.
Quæ arcis fata fuerint? §. VI.
Oppidi cognominis ſitus & ætas: agri vbertas: panis præſtantia & laudes. §. VII.
Ædes ſacra, & Franciſcanorum cœnobium: priuatorum domus: occupatio: mercatus annui. §. VIII.
IX. *Arcis* Temetvény *ſitus: molis ratio: proſpectus iucunditas.* §. I.
X. *Natales oppidi* Ujváros: *quo*

modo increuerit : eſt in ditione Galgoczenſi. §. I.
XI. KOSTOLÁNVM, *frequens oppidum*, Suehlæ *latrociniis inclareſcit : rei geſtæ ſeries : fit arx rapinarum : obſidetur a* MATTHIA Coruino : *in præſidiarios latrones, ſupplicia : caſtelli eius veſtigia, ad a-*
dem ſacram ſuperſunt. §. I.
XII. Ó TVRAE *nomen & libertas : ſitus atque ædium ratio : incolarum ingenium, ad ſcythiſſandum, & mutuas lites, procliue.* §. I.
XIII. BREZOWA, *nuper in oppidis relata : oppidanorum mores, & occupatio.* §. I.

§. I.

Ujhelinym nomen, ex re ipſa natum :

UJHELYINVM, cognomento ad *Vagum*, dixere *Hungari*, vt id ab aliis, eius vocabuli oppidis, diſcernarent. Nam, & *Trentſinienſi* prouinciæ, *Ujhelyinum* eſt, ab amne *Kiſzucza*, cui imminet, denominatum. Germani *Neuſtädl an der Waag*, Slaui *Nowé Meſto nad Wáhem*, dicunt. quæ ſingula nomina, huc redeunt, vti *Neocomum*, ſeu *Noua vrbs*, lingua eruditorum, poſſit adpellari. Et *nouam* quidem, a natalibus vocitatam fuiſſe, ambigendum non eſt ; quod circumſitis, recentior forte ſit, atque ſubſtructa tardius. Priſcis temporibus, & quæ ætatem BELAE IV. ſunt antegreſſa, *Poſſeſſio regalis de Ujhely*, & alio nomine, *Regia villa*, adpellabatur. quod indicio eſt, regum fuiſſe propriam, dum ab eodem BELA, anno MCCLXIII. XV. Calendas Apriles, monaſterio *S. Martini de Sacro monte Pannoniæ*, cum vicis aliquot, permutationis iure, traderetur. Rem, ex diplomatibus, ad hunc modum ſe habuiſſe, condidicimus. ANDREAS II. cognomento *Hieroſolymitanus*, caſtrum *Kuſſen*, Hungaris *Német-Ujvár* dictum, per anteceſſores Reges, memorato cœnobio, donatum, nec quidquam contraeunte *Abbate*, & *Conuentu*, ſuum, cum ditione vniuerſa, fecerat. Eo mortuo, BELA, qui patri ſucceſſit, arcem in poteſtatem receptam, fruſtra repetentibus monachis, detinuit quidem ; ſed ea tamen vſus æquitate, vt cum limitaneo illo munimento, nollet reges carere, ἀλλάγῃ, idem redimeret. Vtemur verbis diplomatis, vt fides ſit adprobatior : *Adtendens*, inquit BELA, *quod ipſum monaſterium per Sanctum regem* STEPHANVM *fundatum & donatum, ex ſpeciali dilectione ſibi conueniret amplexari, & poſſeſſiones eiusdem monaſterii, magis augeri facere, quam diminui ; veſtigia progenitorum ſuorum imitandi, ac etiam illud ; quod, cum ad partes maritimas, tempore perſecutionis gentis Tartaricæ ipſum ire oportuiſſet, de pecunia eiusdem monaſterii octingentas marcas puri auri recepiſſet, quas poſtmodum eidem monaſterio refundere nequiuiſſet, diuerſis cauſſis incumbentibus ; ad memoriam reuocans præmiſſa, quæ ab eodem monaſterio recepiſſet, tendere in detrimentum animæ ſuæ, niſi melius per eundem reformata extiterint : eidem monaſterio* S. Martini, *in concambium prædicti caſtri* Kuſſen, *ſeu* Uj-vár, *& pro ſatisfactione pecuniæ receptæ ; poſſeſſionem ſuam regalem* DE UJHELY, *quæ alio nomine* REGIA VILLA *voca-*

olim, poſſeſſio regalis de Ujhely, & Villa Regia, adpellabatur :

datur a Bela IV. iure concambii monaſterio S. Martini : eius rei hiſtoria, verbis diplomatis expromta.

cabatur, cum portu ſuper fluuio Vágh exiſtente, & tributo fori eiusdem villæ, ac cum omnibus aliis vtilitatibus, & pertinentiis ſuis; item villa Lubo; *ſimiliter cum portu ſuper fluuio Vágh conſtituto; item villam* Vágh-Szerdahely, *& villam* Patvarich, *ſpectantes ad ipſam villam* Ujhely, *exiſtentes in Comitatu Nitrienſi, ſimul cum cunctis vtilitatibus ac pertinentiis ſuis, - - - de plenitudine ſuæ gratiæ, conſentiente, donante, & adprobante omnia & ſingula, legitima conſorte ſua, Domina regina, perpetuo duxit conferenda, eadem libertate, quam ipſe habuiſſet.* reliqua. En! cauſſas, & iura, traditæ monaſterio *S. Martini, Villæ regiæ Ujhely.* Atque omnino, introducti ſunt in eius poſſeſſionem, *Abbas*, & *Conuentus*, anno eodem, idque, miniſterio *Magiſtri Johannis, Præpoſiti de Scepus*, cancellarii reginæ; vti eſt in diplomate, aurea bulla præmunito.

§. II.

HAud vero ſatis habuit, BELA, poſſeſſionem *Ujhely*, ad eum modum, cœnobio *S. Martini* adfirmauiſſe; eodem illo, quo id factum fuiſſe meminimus, anno, *Decimarum* ſimul iura, in iisdem villis, *Lubo, Ujhely, Szerdahely*, & *Patvarich*, ABBATI, & *Conuentui*, nouis tabulis, adfirmauit. Et cum forte, vti ſolet, de finibus villarum, a vicinis, litis quidpiam, nouis poſſeſſoribus, intentaretur; ſopiendam ante, hoc eſt, anno MCCLXIII. curauit, quam malum inualeſceret; adminiſtro vſus, *Kune, Bano, & Comite Nitrienſi:* quemadmodum eſt in tabulis, quibus BELA, anno MCCLXIV. rem omnem recognouit, ratamque habuit. Quid? quod LADISLAVS quoque, *Cumanus* poſtea dictus, BELAE IV. ex STEPHANO, nepos, anno MCCLXXIII. V. Calendas *Junii*, regni autem ſui anno primo, auream, aui ſui bullam, ad verbum, peculiari diplomate, recolere, planeque *Ujhelinum*, cœnobio adfirmare, haud dubitarit. a qua tamen ſententia, biennio poſt, diſceſſionem fecit, parentis, credo, STEPHANI exemplo adductus, qui, anno MCCLXXI. regni ſui anno primo UJ-HELYNVM, *conſideratis fidelitatibus, & fidelium ſeruitiorum meritis*, Laurentii Bani de Szeuerino, & Comitis de Dobóka, *cum pertinentiis, eidem* Laurentio Bano, *& per eum, ſuis hæredibus, hæredumque ſuorum ſucceſſoribus, perpetuo dedit poſſidendam, eumque per hominem ſuum, in corporalem adprehenſionem, dictæ poſſeſſionis, fecit introduci;* vt legitur in diplomate. Etiamne vero, violentia vſum STEPHANVM, aduerſus *cœnobitas S. Martini*, credemus? equidem, quid, ſeu negem, ſeu adfirmem, non reperio. Id coniectatu pronum eſt, cum male, cum patre BELA, conueniret STEPHANO, in partibus huius fuiſſe *Laurentium.* quam eius fidem officiaque, penſaturus nouus rex, poſt fata BELAE, *Ujhelino* eum impertiuerit; forte, offenſa quadam, ſeu vetere, ſeu noua, a monachis irritatus. Diſci id, ſaltem, tamquam per nebulam, perſpici poteſt, ex CVMANI diplomate, quod ille, anno MCCLXXV. X. Cal. *Februarii*, regni ſui anno ſecundo, edidit: quippe quo, *poſſeſſionem* Ujhely, *cum omnibus ſuis vtilitatibus, & pertinentiis ſuis vniuerſis, eidem* Comiti Lau-

Reliqua Belæ IV. *in eam rem benignitas.*

adfirmat Ujhelyini, *poſſeſſionem eidem monaſterio* Ladislaus Cumanus.

Laurentio, *& per eum, filiis eius, filiorumque ſuorum ſucceſſoribus, reddidit, & reſtituit, eo iure & plenitudine, in quibus etiam prius rite poſſedisſet; priuilegium ſuum regium, monaſterio, ante biennium ſuperinde traditum, caſſando & penitus irritando, authoritate ipſarum ſuarum litterarum, ita reuocata, vt vbicunque in iudicio, vel extra ſeriem iudicatus, vigore careant, & nullius penitus fiant firmitatis.* Nempe, ita reor, queſtum, de parentis *Stephani* iniuria, *Abbatem, Conuentum*que ſuum, elicuiſſe, a nouello, neque corrupto adhuc rege, tabulas eas, quarum ſupra meminimus; vt ereptum a *Laurentio* Ujhelyinum, ad aui Belae mentem, reſtitueretur priſtinis poſſeſſoribus: cuius eum poſtea æquitatis pœnituiſſe oportuit; ſiue, quod precibus *Laurentii* fatigaretur importunius; ſiue, quod raptaretur iam vagis libidinibus, eſſetque ad captandas offenſas, vti ſunt, libidine furentes, multo, quam antea, pronior. Ad hunc ergo modum, deiectum eſt *cœnobium S. Martini*, ab *Ujhely* poſſeſſione. Lvdovicvs certe I. regum Hungariæ indulgentiſſimus; vtrasque, cum *Stephani*, tum *Ladislai*, quas *Laurentio Comiti* dederant, tabulas, anno MCCCLXV. recognitas, prorſus adfirmauit; poſtea vero, anno MCCCLXVIII. nouas etiam perſcripſit, quibus, *Nicolao Leukes, Magiſtro Pincernarum* ſuorum; Comiti Barſchienſi, filio *Magiſtri Laurentii*, dicti *Tóth*, & hæredibus eorum, caſtrum *Temetvén*, ac plura alia adtribuebantur.

rata habet diplomata Stephani, & Ladislai *rex* Ludouicus.

§. III.

Neque tamen, iuribus ſuis indormiuere *Cœnobitæ S. Martini.* Graſſante enim *Matthæo Trentsinienſi*, anno MCCCXVII. die *S. Johannis Baptiſtæ* feſto, iniurias ſuas, coram venerabili ſacerdotum, quod *Nitriæ* eſt, collegio, palam profeſſi ſunt. qua de re, *capituli* eiusdem litteræ, ita teſtantur: *Quod* Frater Bernhardus *de* Monaſterio S. Martini, ſacri montis Pannoniæ, *in præſentia eiusdem Capituli conſtitutus, nomine Domini* Nicolai Abbatis, & Conuentus *loci eiusdem, propter tempus impacatum, & inſanam tyrannidem,* Magiſtri Matthæi Claudi de Trentſchinio, *poſſeſſiones* Ujhely, Szerdahely, Patvarich, Lubo, & Debrecze, *in Comitatu Nitrienſi, nec non* Diáki Sztará & Palota; *vocatas, cum earum appendicibus, partim in eodem Nitrienſi, partim in* Poſonienſi Comitatu *ſitas, ad idem monaſterium, vt dixiſſet, efficaciſſimorum inſtrumentorum vigore pertinentes, pro nunc pacifice poſſidere, & regere, ac ipſi vti non permitterentur, nec poſſent: quandocunque demum, & quamprimum, poſt reditam a Deo pacem & tranquillitatem, dictamque prænominati* Matthæi *tyrannidem, tunc ipſis afforet facultas, easdem poſſeſſiones ſuas, repetendi & requirendi. Hinc Regiam Maieſtatem inhibuit a collatione, contradicendo, & contradixit inhibendo.* Hæc habent litteræ. At enim, nihil, tota hac interceſſione, profeciſſe monachos, inde conſtat, quod, poſt *Matthæi Claudi* exceſſum, iterare cogebantur, has has iſtiusmodi, conteſtationes. Factum id reperio, in ſchedis A. MCCCXXI. Calendis Maii, nomine

Cœnobitarum *prouidentia, graſſante* Matthæo Trentsinienſi:

iterata eorum, ſed irrita, interceſſiones:

eius-

Digitized by Google

eiusdem *Abbatis Nicolai*, loco gemino; apud *Capitulum*, puta, *Veſzprimienſe*, & *Conuentum Szaladienſem*. Sed tunc quoque, ad irritum cadebant querelæ; quod *Laurentii Comitis* ſucceſſores, iura ſua in *Ujhelinum*, *Stephani*, &*Ladislai Cumani* diplomatibus, toto eo tempore, quo CAROLVS I. rerum potiebatur, tutari pergebant. Itaque, ne exoleſceret, repetitæ toties interceſſionis vis, ac memoria; anno iterum MCCCLVIII. tertiò die, *feſti B. P. Fabiani & Sebaſtiani*, Wiſſegrádi, LVDOVICVM I. Abbas SEFRIDVS adiit, atque ſolemni vſus formula, *Ujhelyinum a commetaneis, & vicinis, indebite occupatum, detineri adhuc* queſtus eſt, *proteſtatione*, quam vocant, inſtaurata iterum, ne id porro, rex optimus fieri conniueat. His *Sefridi* veſtigiis, LADISLAVM Abbatem, anno MCCCLXVII. inſtitiſſe, ex regiis, LVDOVICI tabulis, quas die *SS. Apoſtolis Petro & Paullo* ſacra, *Viſſegrádi* ſcripſit, addidicimus. Ergo, trahebantur lites, dum, aut ſuapte vaneſcerent, aut conſopirentur iudicum æquitate: eſt enim oppidum hodieque, veteri iure illo, in *Beczkouienſi* dominatione, varie, & a pluribus poſſeſſum. Hæc interea eruderaſſe ex diplomatibus, non ab re viſum eſt; vt conſtet, quantis difficultatibus, *iura*, quæ *poſſeſſionaria* vocantur, implicita ſint in *Hungaria*. Atque, foret profecto, multæ, non iucunditatis modo, ſed vtilitatis etiam plurimæ, ſic hæ iſtiusmodi conuerſiones, arcium, vrbium, oppidorum, erui ex diplomatibus poſſent. quod tamen facilius optaris, quam ſperaris, ob auara hominum ſcrinia. Iam ad oppidum ipſum redeamus.

Ujhelyi poſſeſſores hodierni t

§. IV.

HOdierna oppidi moles, pluribus vicis abſoluitur, e medio foro, huc atque illuc, pulchro ædium ordine, propagatis. Itaque, multum haberet elegantiæ, niſi frequentibus incendiis, extra modum, fœdaretur. Accidit, noſtra hac ætate, vt, quas ex cineribus, multo, & labore, & ſumtu, nuper excitauerant, domos, nouo iterum, poſt menſes aliquot, coorto incendio, nefandum in modum, deſolatas viderint incolæ. Itaque, vnius anni intervallo, ſæpius, ingenti oppidanorum damno, mutauit faciem *Ujhelyinum*, ſuo quodam malo ita adpellandum, quod raro in plures annos, habitum veterem retineat; ſed cogatur, frequentius, tecta renouare. Et profecto, niſi a nobilitate coleretur copioſiore, pridem in vaſtitatem abiiſſet. Hi tamen, vti ſunt, non lautiore modo fortuna, ſed elegantiæ ſimul, decorisque obſeruantes, facilius damna reparant ædium, quam reliquum vulgus, cui res anguſta domi eſt. Iam, ædes *Ghylanii*, ſtrenuiſſimi legionis Hungaricæ ducis, quas nuper excitauit, præcipuum decus oppido conciliant. Medium torrens interlabitur, multæ is quidem vtilitatis: quippe qui, & coortis ſubito incendiis, aquas, ad reſtinguendum, ſufficit, & molas rotat frumentarias, vtroque oppidi latere, inſtructas. Toto, quam longe fertur, alueo, quin & intra pomœria, fundulorum; ſapidiſſimi piſciculi genus eſt; diuitem accepimus.

Oppidi habitus hodiernus:

fœdatur frequentibus incendiis:

Nobilium *iſthic colentium, elegantia:*

Digitized by Google

§. V.

Oppidanorum occupationes:

Vluunt oppidani, cum ruſticatione, fructuoſa ea, neque non ampli reditus; tum quæſtu etiam, & artificiis vulgaribus. Vtrumque, ſitus, quo eſt oppidum, commoditati debent. Ager certe, qua ſegetum eſt capax, ea eſt vbertate, vt colonum, ſuo quidem vitio, nunquam, rarius ob cæli iniurias, annuo prouentu, defraudet. In primis vinetis proficiunt, quas ideo colunt adtentius. Fructus his rubellus eſt, tantæque, apud rerum gnaros, adprobationis, vt vinum huias, *Budenſi*, nihil dubitent anteferre. Itaque, non hic modo bibitur auide, ſed menſis etiam adhibetur optimatum. Illud caret dubietate, ſi apud vicinos, æque poſſet increbeſcere, ſicut *Budenſe*, non ei, remotioribus quoque locis, defore celebritatem. Qui rem mercatibus auctitant, *Vági* potiſſimum opportunitate, id faciunt. Atque alii quidem, omnis generis materiam, ab *Aruenſibus* & *Liptouienſibus*, coemptam, plenis ratibus, *Comaromium*, *Budam*que, deuehunt; butyrum alii, caſeum, cereuiſiam, quæ hic fit, ſaporis laudatiſſimi, vinum item factitium, *Palinka* ei nomen, eodem illo amne vſi, in *Danubium*, atque huius beneficio, in interiorem *Hungariam*, propellunt. Reliqua plebs, domi, rerum ſuarum, pro eo, ac poteſt, ſatagit. Nam, id quoque relatum accepimus, ſtrenuos eſſe oppidanos laborisque patientes, neque magis in opprobrio quidquam habere, quam inertiam, & arceſſitam, per ignauiam, paupertatem.

vini huiatis laus:

quibus rebus quaſtum faciant incolæ.

§. VI.

Qua gaudeat libertate oppidum:

ALioquin, tametſi in *Dominio Beczkovienſi* exiſtit oppidum, libertate tamen gaudet, regum priuilegiis olim confirmata. Itaque, integra ciuibus facultas eſt, legendi e ſuorum numero, ſenatores, atque ex his prætorem, reliquosque magiſtratus. Inter præcipua loci decora referas, inſignem *Præpoſituram, Canonicorum olim Regularium, ad B. M. Virginem*, reditibus adfluentem, qui procurando cultui diuino, & ſuſtentando, cum dignitate, præſuli, ſufficiant. Fundauiſſe eam Styborivm *Wajuodam*, in vulgus notum eſt. Hinc *Præpoſiti* electio, quod mirere, horum eſt, qui ditione *Beczkovienſi* potiuntur. Proinde, in ius fere abiit, vetus conſuetudo, vt ex heris plerumque deligantur hi iſtiusmodi præſules: niſi credamus, ita perſcriptum eſſe *Styborii* diploma, vti hæredes *Beczkouiæ*, ex ſuo numero legerent *Præpoſitos*; forte, vt æquior eſſet redituum, ſacri eius muneris, adminiſtratio. Sedes præſulis, eleganti adeo opere ſubſtructa eſt, vt prætorium, etiam cultiſſimum, æmulari poſſe videatur. Neque ædi ſacræ, ſiue ad elegantiam quidquam deeſt, ſiue ad firmitatem. quod, poſt tot clades, mirum videri poſſit. Turris, qua templum præfulcitur, eximiæ eſt altitudinis, decoreque faſtigata. Hanc *tubicinum* chorus incolit, vt, præter ſymphonias, in ſacris obeundis edi ſolitas, diebus ſingulis, meridianis horis, tubis canerent: quod & ita fit adhuc.

Præpoſitura Ujhelyienſis:

ædes ſacræ.

§. VII.

Digitized by Google

§. VII.

CEterum, ne id quoque lectorem prætereat; ſæpius deſolatum ab hoſte oppidum reperio. Ac primo quidem, cum fruſtra a *Rogondorffio* tentata *Buda*, conceptam animis vindictam, in hanc regionem Turcæ effuderunt: id quod, anno MDXXX. euenisſe, ſupra ex Istyánffyo (*a.*) meminimus. Quam cladem anno MDXCIX. hoſtes nouo cumulauiſſe maleficio, idem (*b.*) memoriæ prodidit. Georgii Závodszkii ephemerides, ita rem meminerunt: *Circa feſtum* B. Lucæ *Euangeliſtæ, generis humani atrocibus delictis ſit expoſcentibus, ac benigniſſimum numen, ad iram prouocantibus*, Tartarica, *& aliorum barbarorum rabies, vsque adeo peruaſit & deſæuiit, vt non ſolum totam regionem, fluuiis* Ipol *&* Grano *adiacentem, verum vltra* Nitram *etiam, & Vagum, ad Tyrnauiam &* Ujhely *vsque, miſere ac crudeliter depopularentur omnia.* Sed nec *Botskajani Hajdones*, aſperrimum genus, auidas rapinarum manus, ab *Ujhelyienſibus* abſtinuerunt. Atque hæ quidem ſtrages, tametſi multo ſanguine noſtris conſtiterunt, tamen viſæ ſunt quodammodo, quod ab hoſte inferebantur, tolerabiliores; ſed, quam deinde anno MDCXX. *Coſaci*, Ferdinando militantes, oppido, & toti circum regioni inflixerunt, multis modis exſtitit acerbior. Duci eorum, Krnowské-Knjze, nomen fuit. Quacunque is, ſanguinolentam manum ductauit, nihil, ſeu ſacri, ſeu profani, intemeratum reliquit, *Ujhelyinum* delatus, feritate prorſus barbara, non in tecta modo, opesque, ſed in oppidanos etiam, ſæuiit, multos e medio ſuſtulit, plures in captiuitatem rapuit. Sic in Závodskii aduerſariis lego: *Anno MDCXXIV. die V. Junii, Coſaci ex Morauia venientes*, Ujhelyinum *ad Vagum, miſere vaſtant, vtriusque ſexus Chriſtianorum, minimum quingentos, horribiliter trucidant*; Præpoſitum *loci, in captiuitatem abducunt, ex qua, perſoluto lytro, eliberatur.* Vltima, eaque omnium, quas vidimus, atrociſſima clades fuit, A. MDCLXIII. oppido, a *Turcis Tartarisque* illata. Stationario enim noſtrorum milite, qui ripas *Vagi* obſeruabat, ad *Galgóczium* profligato, ſimul cum XXV. millibus, amnem traiecerunt, diuiſo bifariam exercitu, apertam late regionem inuadunt. Agmen alterum, aduerſo *Vago* graſſatum, non ante in *Morauiam* ſe effudit, quam peruaſtata omni hac ora, *Ujhelyinum* quoque, igni ferroque deleret. Dici nequit, quanta recedente hoſte, oppidanorum omnis ætatis ſexusque, multitudo fuerit deſiderata. Poſtea pacata oppido tempora ſucceſſere, ſi motos, a *Rákocziis* & *Tökölio*, fluctus ſeditionum ciuilium, excipias. Quia enim *Vago* adhæſit oppidum, neque longe diſſidet a *Morauia* collimitio, factum eſt, vt, ſiue obſeruandi amnis, ſiue faciendarum impreſſionum cauſſa, frequentia iſthic ſtatiua haberent. Quod a licentioſo illo hominum genere, difficile erat, ſine exſtanti oppidanorum noxa, fieri. Iam, poſt plura, quæ meminimus, incendia, adſurgit denuo. *Feliciter!*

Clades oppido illata a Turcis:

Bocskaianis:

Coſacis:

iterumque a Turcis:

quid ciuilibus ſeditionibus paſſum ſit.

a.) Legeſis Hiſtoricum, Lib. XI. p. 172, 173. | *b.*) Lib. XXXI. p. 744, 745.

II. Arx, et Oppidvm Csejthe.

§. I.

Arcis Csejthæ *origo ignota:*

ARx *Csejthe*, Slauis *Czachticze*, colli impoſita, plus amœnitatis, quam roboris habet. Molis ortus exquirere, ſuperuacuum putamus, in tanto veteris hiſtoriæ ſilentio. Vetuſtum eſſe opus, pluribus indiciis cognoſcitur. Subſtructiones certe, quibus conſtat, obſoleti quiddam referunt, & alieni a recentioris ætatis cultu. Matthiae *Coruini* temporibus, eo fuit habitu, vt aduerſus graſſantes *Bohemos*, præſidio teneri potuerit. Ex *Swehla*, nefarii hominis captiuitate, celebritatis nonnihil accepit. Iuuat rem Bonfinii (*c.*) verbis meminiſſe: *Paucis poſt diebus*, inquit, cum *Koſtolani* obſidionem deſcribit, Swehla *captus adducitur. Is enim ſolus, equo inſidens, cum per ſiluas erraret, vt in* Morauiam *effugeret, in lignatorem quendam incidit, orauitque hunc impenſius, vt ſeſe viæ ducem tantiſper accommodaret, quouſque proximos* Morauiæ *fines adtingeret. Pro mercede equum, arma, pecunias, & perpetuam gratiam pollicebatur. Cum nomen rogatus*, Swehlam *ſe eſſe diceret. ille continuo: Há, ſalue, inquit*, Swehla, *latronum princeps facinoroſiſſime! O quoties mihi pecora & iumenta abegiſti? quot meam domum calamitatibus adfeciſti? Quod de te aliquid pollicearis, non eſt opus, iam mei iuris es* Swehla, *equus & arma mea ſunt. Mox adprehenſo equo*, Swehlam *cepit, qui trium dierum inedia iam abſumtus, vix equo ſuſtineri poterat. Hunc, ad caſtellum* Csejthe *duxit, caſtellique præfecto, cui* Ladislao Szénas *nomen erat, captiuum adſignauit. Is mox, ad regem, adhuc* Koſtolanum *obſidentem, litteras miſit, quibus, &* Swehlæ *captiuitatem, & quid de eo fieri vellet, plane ſignificabat.* Hæc, ad *Csejthenſis* caſtri, illuſtrandam memoriam, pertinent. An retruſiore ætate, mentio eius apud hiſtoricos occurrat, non habeo dicere. Illis profecto non facile conſenſerim, qui a *Matthaeo Trentſinienſi*, credunt excitatum; niſi id aliquando diplomatum fide adſtruxerint. Neque tamen ambigo, in regum fuiſſe poteſtate, priſcis illis temporibus, dum in iura peculiarium familiarum, transferretur. Quas indagare, in voluptate duceremus, ſi eſſet, vnde hiſtoriam poſſes eruderare.

Matthiæ Coruini *ætate, præſidio tenebatur:*

an a Matthæo Trentſchinienſi *excitata fuerit?*

§. II.

Oppidi cognominis habitus:

SUbſitum arci oppidum, largum eſt hodieque, ea tamen parte, quæ collino poſitu reſedit, cultius, quam quæ cliui pedem occupat. *Komárno* huic nomen, incerta adpellationis ratione; niſi illud credideris, quod volunt aliqui; tabernas mercatorum, quos Hungari, *Kómár* vocant, illic collocatas olim fuiſſe. Inter oppidi ædes, præcipuæ molis atque commoditatis eſt prætorium, quod *Comites Erdödii*, excitauere; tametſi & reliquis heris, qui vel in inoppido co-

c.) Decadis IV. Lib. I. p. 540, 19.

Digitized by Google

colunt, vel huc diuertunt aliquando, opportunæ ſint ad habitandum domus. Incolarum labor omnis, victusque, agricolatione conſtat. Gemina ea eſt, quarum altera *Cereri*, *Bacho* altera operatur. Vtriusque ingenio aptus ager; ſed in primis tamen viti, quam commode admodum alit, neque id ſine meliore prouentu. Valet etiam pomariis, quæ vbi annus fauit, tantum ferunt fructuum, quantum toti circum vicinitati ſufficiat. Cellæ vinariæ, admirationem mererentur, niſi eas, ſeculo ſuperiore, *Eliſabetha Báthori*, nefandum nomen! ſanguinolentiſſimo facinore ſuo, propemodum exſecrabiles feciſſet. Mons oppido, ab occidente hæreſcens, humum habet compactam adeo, tenacemque, vt, pro eo, ac lubet, in fornices cauari poſſit, ſua ſe firmitate ſuſtentantes. In hunc, cuniculos egerunt accolæ, cellasque, eo excauatas artificio, vt cum in grandes abeant concamerationes, ſua tamen ſe mole, ſine baſibus ſtilisque, ſuffulciant. Plures horum ſunt ordines, & alii quidem, certis quaſi contignationibus diſcreti, alii, per cuniculorum latera, ita huc atque illuc impreſſi, vt ſyracuſanum illum carcerem, æmulari poſſe videantur. *(d.)* Totum opus, vino adſeruando, primi molitores, deſtinauerant, documentis pluribus adducti repoſita iſthuc dolia, durauiſſe diutius. Quod, qualecunque beneficium, conſceleratiſſimo maleficio, *Eliſabetha*, quam diximus, contaminauit. Georgivs Záwodszky, in ephemeridibus Georgii Tvrzonis, Regni Hungariæ Palatini, cui a ſecretis fuit, rem funeſtam, ita retulit: *Eodem anno MDCX. circa finem, cum rediret Poſonio ex octauis iudiciis, intelligens* ſua Celſitudo Palatinalis, *iam antea de facta inquiſitione, ſuper horrenda,* Magnificæ Dominæ Eliſabethæ Báthori, *relictæ viduæ*, ſpectabilis ac magnifici olim Domini Comitis Franciſci de Nádads, *laniena & carnificina, quam miris & diris modis, in ſexum femineum, pediſſequasque ſuas, a longo tempore exercuit, earumque, ad ſexcentas propemodum, enecauit; adſumtis ſecum* ſpectabilium ac Magnificorum Dominorum Nicolai a Zrinio, & Georgii Homonnay, *generorum præfatæ relictæ viduæ, certis ſeruitoribus, nec non* Generoſo Domino Megyeri; *eandem dominam, in Caſtello, in oppido* Csejthe *exſtructo, in flagranti crimine deprehenſam,* (*vnam ſiquidem tunc quoque puellam miſerabiliter & flagris, & vſtulationibus defunctam, repererunt*) ſua Illuſtriſſima Celſitudo, *ex officio & auctoritate ſua* Palatinali, *perpetuis carceribus, in arce* Csejthe *adſeruandam, addixit & mancipauit.* Joannem Ficzko, *famulum capite plexum*, Helenamque, & Dorotheam, *coadminiſtras tantæ lanienæ, iuris ordine, in oppido Bitchæ conuictas, & flammis adiudicatas, iuſte puniri fecit, die VII. Januarii anno MDCXII.* Hæc verbis *Záwodſzkii* ſuis, quæ pridem ex ſuis ipſius ſcriptis, in aduerſaria noſtra connotaueramus, referre placuit, ne quis temere fidem dictis deroget. §. III.

incolarum vita ratio:

nefandi maleficii hiſtoria, ex ephemeridibus Turzonianis.

d.) De eo Cicero vltima in *Verrem*, cap. XXVII. Latumias Syracuſanas omnes audiſtis, plerique noſtis. Opus eſt ingens, magnificum, regum ac tyrannorum. Totum eſt ex ſaxo, in mirandam altitudinem depreſſo, & multorum operis penitus exſciſſo. Nihil tam clausum ad exitus, nihil tam ſeptum vndique, nihil tam tutum ad cuſtodias, nec fieri, nec cogitari poteſt.

Digitized by Google

§. III.

Eadem, ex Túróczio, nupero scriptore refertur:

AD eam immanitatem, formæ venuſtioris cupidine, illectam fuiſſe, nuperus auctor, P. LADISLAVS Túróczi S. I. *(e.)* memoriæ prodidit: *Femina,* inquit, *iam* DEI *fere oblita, tota in eo fuit, vt coniugi (f.) placeret. Ergo, conciliandæ ſibi formæ, operam locat omnem, & quemadmodum in dies, mundum muliebrem, alium & alium induitur, ita caput, varios torquet in cincinnos: iam hoc, iam illo modo, caſariem diſcriminat, auro perlinit, gemmis adamantibusque diſtinguit, ac grauat. Conſederat forte ad ſpeculum, pediſſequarum manibus ornanda Venus: feruent opera, ſuo quæque, nec indiligens, fungitur officio: hac crines pectine, quam poteſt leuiſſimo, diſſuit; illa, odoro inſpergit rore; torques altera, in annulos capillum; calamiſtrum altera, quo cirros conciliet, ſedula circumfert. In hac ancillarum mole curarum, quo, neſcio, infortunio, paullo plus, ac ferre poſſet, tam delicata hera, extendit earum vna crinium quidpiam, & ſtomachum* Eliſabethæ *mouet. quæ etiam, continuo os puellæ, excuſſiſſimo pulſat colapho. Et en, proſilit ex templo ſanguis, & macula vultum Dominæ tingit, quam vbi illa linteo terſiſſet, mirabile dictu! formoſior ea parte, & prope ad prodigium candida ſibi eſſe videbatur; ſiue ea eſt humani virtus ſanguinis, ſiue, vt veroſimilius, callidæ cacodæmonis artes, femineis illuſere oculis. Quidquid id ſit, ſanguinea illa labes, & illa modica, heu me! quantum deinceps profundet ſanguinis. Sed pergamus.* Eliſabetha, *ſuæ ad inſaniam fere ſtudioſa formæ, viſo hoc ſpectaculo, ita ſecum cogitare: quid? ſi tantillum ſanguinis, tam magnam addit venuſtatem, quantam faciet, ſi totam memet illo abluero? primis mihi in votis, viro placere; vt in oculis ferar, pulcherrima oportet ſim: modum mihi ſors, &* DEVS *oſtendit; amens fuerim, niſi vtar. Hac ſæpe ſecum reuoluenti, venit tandem in mentem, vnam, vt e gynæceo, vitæ eripiat puellam, eiusque ſemet cruore efficiat candidiorem. At enim, immane, quantum fatigabat animum, ſceleris magnitudo, timor imminentis infamiæ, ſi factum in lucem prodiret; ſi occultum maneret, tamen terrebat vltrix criminum Dei iuſtitia. Sed vicit dira mulierem formæ cupido, inque meditatum impulit flagitium.* His ille, occaſionem ſceleris, coloribus depinxit, vt ſpectatorem primi facinoris, cognitoremque cogitationum feminæ fuiſſe, credi poſſet. Poſtea maleficii incrementa, non minus copioſe, quam eleganter, ediſſerit. *Adhibet itaque duas in conſilium vetulas,* Helenam *&* Dorotheam; *& quæ vnquam occulta ſcelera ſine vetulis? narrat factum nuper dierum; pandit animum ſuum; vtque ſibi conſilio adeſſe velint, & auxilio, rogat. præmia deinde pollicetur, & fauorem ſempiternum.*

ſceleris occaſio:

incrementa:

In-

e.) In HVNGARIA, cum ſuis regibus, compendio data, Parte I. p. 189. De Balneis in SANGVINE, vide ANDREAM BACCIVM ELPIDIANVM de Thermis, & totius orbis Balneis, Lib. VII. extremo, p. 508. & quos illic citat, auctores.

f.) Dubium mihi eſt, etiamne, profuſam hanc, in percolenda forma ſua diligentiam, mariti, viri pientiſſimi, cauſſa, adhibuerit: neque tamen auſſim, amores illegitimos cauſſare; tametſi facile foret ſuſpicari, de perditiſſima femina.

Digitized by Google

Infernalia illa ſilicernia, nocere duntaxat docta, probare voluntatem Dominæ, multisque dilaudare, offerre adhæc laborem & induſtriam, quo res ex animi ſententia, & cadat, & perpetuis in tenebris maneat. Atque in primis ſuadent, idoneum maxime locum eſſe in cellis, de quibus initio locuti ſumus: quarum claues ſibi dari petunt, curamque demandari; eam deinde ipſam puellam, cuius primum ſanguis heram inſperſérat, decernunt trucidandam. Erant Eliſabethæ *ab obſequiis.* Joannes *quidam, quem a puero eduxerat,* Ficzkonemque *(puerulum notat) adpellabat, quod nomen, etiam annis maturo adhæſit. Hunc pariter, veluti ſibi fidiſſimum, in ſecreti conſcientiam admittit, vtque vetulas illas, validior ipſe pro virili iuuet, in mandatis dat.* Johannes, *quo gratiam heræ amplius promereatur, non minus, ac veteratrices illæ ſtriges, ſpondet omnia, ac iureiurando appromittit. Et ſtetit verbis, moxque miſſam, iuſſu Dominæ, in nefaſtas illas cellas, pediſſequam, nihil tale metuentem, adgreditur, & in interiora abreptam, crudeliſſime ferro transadigit, vetulis ſanguinem excipientibus. Quo ferali balneo lota* Eliſabetha, *pulchrior rurſum, ope, nullius dubito, ac illuſione diabolica, ſibi adparuit. E voto ſucceſſit primum iſtud maleficium, vtque iam patrarent plura, audentiorem fecit. Ibat infandum nefas, de anno in annum, & quod ſtupeas, extincto etiam marito, iamque in ſenium declinante vidua, cædes ſacrilegæ producebantur. Tanti eſt, ſceleri ſemel inſueſſe! Ferunt, eo ſæuitiei veniſſe* Eliſabetham, *vt iam carnes occiſarum manducaret, nec ſuauius his cupediis, quidquam duceret. Heu delicias, in vltimam barbariem relegandas!* Ita eſt, marito adhuc in viuis exiſtente, ſcelere iſthoc ſe obſtringere cœpiſſe *Eliſabetham;* cuius initia *Csejthæ* ne? an alibi, facta fuerint, non auſim adfirmare. Vulgi ſermonibus, hodieque immaniſſimum facinus commemorari, a *Transdanubianis* (vbi latiſſime dominabatur *Nádasdyus*) audias, quin monſtrari etiam infelicia loca, fontesque, quibus, & nefas perpetratum ſæpius, & paratæ furiæ illi, balneæ fuerint. Sublato demum e viuis *Franciſco Nádasdy*, quod anno MDCIV. d. IV. Ianuarii eueniſſe, ex iisdem *Turzonianis* ephemeridibus didicimus, ſimul & ſcelus inualuiſſe, pronum eſt exiſtimare; forte, vt amorum inſatiabilis femina, procos ſibi conciliaret, aditumque ad vota ſecunda inſtrueret. Iam, quomodo occultiſſimum ſcelus propalatum ſit, audiamus! *Exhauriebatur interea gynæceum,* pergit ille, *pluresque nobilium puellæ deſiderabantur. Mos eius temporis fuit, vt procerum aulæ, quemadmodum filios, ita filias pariter alerent, informarentque, nobilitatis mediæ. quas, cum parentes repeterent: fato perfunctæ, terræque creditæ, dicebantur. Et initio quidem, fidem res habuit; verum, cum funera multiplicarentur, nec quidquam de morbis, aut ſiniſtro caſu aliquo, nuncii acciperent; aduertit, quosdam amantiores prolium ſuarum ſollicitudo, diligentioresque in indagando fecit. Vnde, dum elatam audirent in aula filiam, quæſierunt: quo ex morbi genere? quamdiu fuerit lecto adfixa? quibus vſa medicis? ad quæ, cum ſusque de que reſponderetur, petierunt demum ſibi locum ſepulchrumque pandi ſi-*

quomodo occultiſſimum facinus, in lucem protruſum ſit.

filiarum. Vbi quoniam cum indignatione repulſam paſſi ſunt, non vana eos inſedit ſuſpicio, dolum iſthic latere, & quas neſcio fraudes. Inquirere proinde apud ſeruitia aulica, de filiabus, & multa ſciſcitari; muneribus quoque agere & pollicitationibus. Id extuderunt de quibusdam, ſed paricidiorum ignaris, vidiſſe ſe ſanas & incolumes, iuiſſe in cellam vinariam puellas, nec deinde vsquam viſas. Tunc enim vero, ſuſpecta eſſe omnia, & perturbationis maximæ. Et acerbior fuit multorum dolor, quam vt diſſipari leui opera poſſet. Quare, communicato cum amicis negotio, rem primum ad proregem, tum ad ipſum quoque regem, deferunt. Nominant hi diſquiſitores, ac imperant, vt modis quam occultiſſimis adorirentur omnia, rimentur, expiſcentur, excutiant. Hactenus laudatus Túróczi. Nimirum, ſicuti ſorex, ſuo ſe prodit indicio; ita occultata diu ſcelera, ſua ipſorum iniquitate, cum nec cogites, in lucem ſe protrudunt, ſuaque ſibi ſupplicia, quæ meruerunt, cumulate arceſſunt. Reliquum hiſtoriæ, immo tragœdiam iure dixeris, ſumtaque, de maleficentiſſimo hominum genere ſupplicia, iam ſupra, verbis *ephemeridum*, recitauimus.

§. IV.

In triſtem hiſtoriam epiphonema:

ATque hæc illa exſecrabilis innocuarum clades eſt virginum, vti cum Túróczio iterum loquamur, quæ antiqua poetarum figmenta, vertit in hiſtoriam; & quod de nullo auſi ſunt illi comminiſci virorum, in vna exhibuit femina, amore formæ ſuæ, perdite proiecta. Scilicet, *nihil mediocre in muliere, ſiue bona illa fuerit, ſiue mala.* Efflauit monſtrum iſtud, animam anno MDCXIV. die XXI. Auguſti, quemadmodum Závodszky memoriæ prodidit: *Eliſabetha*, inquit, *Báthori, relicta vidua*, Franciſci de Nádasd, *ante annos aliquot, ob inaudita ac crudeliſſima ſua facinora, in perpetuos carceres detruſa, in iisdem miſere, nocturno tempore, exſpirauit.* Iſta de *Eliſabetha* feritate, nullis vnquam ſeculis audita, meminiſſe voluimus, vt habeat poſteritas, quod ex animo deteſtetur. Nunc, ex triſti hoc diuerticulo, ad arcis dynaſtiam redeamus.

mors Eliſabethæ.

§. V.

Ditionis Csejthenſis *viciſſitudines: fuit olim* Orſzághiorum:

AD ditionem *Csejthenſis* arcis, quod adtinet, opima ea fuit, & fructuoſi reditus, cum in vnius heri poteſtate eſſet. Erat nempe inclutæ gentis *Orſzág de Guth*, *(g.)* quorum vltimus *Chriſtophorus* fuit, iudex curiæ regiæ. De eo Istvanffyvs: *(h.) Gabrieli Perénio, Petri filio, in præfectura prætorii, ſuffectus eſt*, Chriſtophorus Orſzágus; *ſed vix inito magiſtratu, quod eſſet articulorum dolore, membris omnibus diſtortus & deformatus, absque hæredibus deceſſit,*

g.) Liberalitate, ſicuti fas eſt credere, Sigismvndi regis.

h.) Libro XXIV. p. 512, 18. ad annum MDLXVIII. De ortu familiæ *Orſzágiorum*, cuius pater Michael fuit, diximus ex Dvbravio, Tom. II. operis, in Hiſtoria Vrbis *Modrenſis* §. I. p. 102.

Digitized by Google

ceſſit, *bonis ampliſſimis regio fiſco*, *magiſtratu autem*, Stephano Bánfyo Lindváno, *relictis*. Et paullo poſt: *In his*, inquit, *tribus viris*, *Gabriele Perény* puta, *Chriſtophoro Orſzág*, & *Georgio Bebeco*, Pereniorum, Orſzágiorum, *&* Bebecorum, *vt vetus, ita illuſtris familia, & progenies, defecit*. Ad oppidi famam adtinet, quod iſthic tumulo illatus eſt, *Orſzágiorum* iſte vltimus. De eius funere Timon: *(i.) Mandatus eſt tumulo, in templo oppidi* Csejthe, *ſuæ ditionis, cum hac ſepulchrali inſcriptione:* Hic iacet, Spectabilis ac Magnificvs olim Comes Christophorvs Ország de Gvtth, Ivdex Cvriae, *(k.)* ac Consiliarivs Sacrae Romanae Caesareae, Regiaeqve Maiestatis, nec non Comitatvs Neogradiensis Comes. Aetatis svae annorvm XXXII. Obiit die XIX. Octobris, Anno MDLXVII. Mortuo *Chriſtophoro*, in fiſcum redigebatur *Csejthensis* ditio, fato, & regi, & regno, perquam opportuno; quod eam, Maximilianvs II. cum *Kaniſa*, valido iam tum caſtro, permutarit. Fuerat illud, cum adſita ditione, gentis cognominis, *Caniſay*, hæredium, quod illi, ſua primum impenſa, vt tutos ſe præſtarent ab *Turcarum* impreſſionibus, cœperunt communire; dum increſcentibus periculis, præſidiis regum defenſari, & publicis regni operis, ſubinde arcem inſtaurari oporteret. Quæ res, quod cum moleſtia herorum eſſet coniuncta, *Urſula Caniſay*, vnica vltimaque, totius familiæ, hæres, tunc vero *Thomæ de Nádasd*, regni Hungariæ Palatini, vidua, ſuo, & filii *Franciſci I. Thoma* geniti, arbitratu, arcem Maximiliano II. permittendam ea lege ſtatuit, ſi bonorum, quidpiam, alio loco ſibi, tacito quodam permutationis iure, adtribueretur. Accepit conditionem, a publicæ vtilitatis ſtu-

ſit Nádasdyorum, *permutationis iure*:

i.) In noua Synopſi, edit. Caſſouienſis, fol. A. MDCCXXXVI. p. 209.

k.) Monendus hic, ob iter, eſt lector: male, ab auctore, Cvriae Ivdicvm Regni Hvngariae, Tyrnauiæ A. MDCCXXVI. forma oct. editæ, p. 46. Christophorvm Orszagvm, ad annum M. CCCCXXX. hoc eſt, Sigismvndi tempora, inter Iudices Curiæ Regiæ, numerari: quippe qui, centum & triginta annis poſtea, Maximiliano rerum potiente, eo munere, vita autem, anno, quem epitaphium indicat, MDLXVII. functus eſt. Error is, a Longellino manauit, qui in Catalogo Iudicum Curiæ Regiæ, pronepotem, Christophorvm II. loco aui, Michaelis, ad eum annum repoſuit. Tunc enim fere, aut multo antea, Michael, homo nouus, ea dignitate, ſub Sigismvndo potitus eſt. quem Matthias *Corninus*, Palatinum R. H. creauit. Bonfinivs, Dec. IV. Lib. I. p. 538, 23. Tantum eſt, non adtendere ad Chronologiæ rationes! Alioquin, familia Orszagh, breuem habuit ætatem. Cum enim, anno forte MCCCCXXXVII. in Michaelis adoleſcente, ob ſingulare facinus, a Sigismvndo, inter familiares recepto, poſteaque opibus & dignitatibus aucto, cœpiſſet, in Christophoro II. de quo nunc agimus, anno MDLXVII. emortua prorſus eſt, poſteaquam annis CLXXX. duraſſet. Fuere autem, quantum indagare poteramus: Michael, Regni Hungariæ Palatinus, gentis ſator. *Matthiæ* Decr. II. concl. Christophorvs I. Palatini filius, Iudex Curiæ Regiæ; ſucceſſit, in eo munere *Ladislao Palocsai*, anno MCCCCLXVII. Timon, loco cit. p. 71. Ladislavs, Palatini, ex *Chriſtophoro* I. nepos, Agazonum Regal. Magiſter: vide clauſulam Decreti VI. regis *Matthiæ*, anno MCCCCLXXXVI. editi: & Decreti I. *Wladislai* concluſionem, anno MCCCCXCII. Denique Christophorvs II. itidem Iudex Curiæ Regiæ, Palatini abnepos, *Ladislao* anno circiter, MDLXXX. genitus. Sunt, qui inter *Ladislaum*, & *Chriſtophorum*, Franciscvm interierant. Quod non habemus, ſeu negare, ſeu adfirmare. Hæc interim, inſtaurandæ, gentis memoriæ cauſſa, adnotare voluimus.

Digitized by Google

dio profectam, MAXIMILIANVS, quodque, arcem tunc *Csejthenſem*, cum admenſa ei oppidorum vicorumque ditione, in poteſtate habebat; pactis, pro ærario regio, quinquaginta florenorum hungaricorum millibus, quæ vidua, *Caniſiano* hæredio ſuperadderet, ditionem omnem in *Vrſulam*, & filium *Franciſcum I. de Nádasd*, Vindobonæ, anno M. DLXIX. quarto Aprilis die, transcripſit. Atque fuit ſane *Csejta* dies oppidorum vicorumque, cum in manus *Franciſci* veniſſet. Huc enim adtinuere: præter oppidum *Csejta*, *Verbó* & *Koſztolán*; vici item; *Komárno*, *Zolnofalva*, *Csaſzkócz*, *Leſzete*, *Koritna*, *Krajna*, *Brezová*, *Koſztolná*, *Ó Tura*, *Lubina*, *Hruſió*, *Hrakoviſte*, *Gabló*, *Wiſsnó*, *Zákoſztolán*, & *Vagyócz*; nec non portiones quædam in *Dubowan*, atque *Bzinecz*, ſeu *Botfalva*. Simul *Vrſula*, cum filio, in poſſeſſionem dominationis venit, dedit cum primis operam, vt hæreditariam ſibi poſſit efficere. Quod tamen, ob eorum temporum iniurias, non ante ſucceſſit, quam fatis functa *Vrſula Caniſay*. Tunc enim FRANCISCVS I. id a RVDOLPHO II. impetrauit, vt quanta quanta fuit dominatio ea, *titulo donationis mixtæ, & peculii caſtrenſis*, (*l.*) *in vtrumque ſexum, cum libera adquiſitioris diſpoſitione*, vti habent tabulæ, iure perenni ſibi adtribueretur: diplomate anno MDCII. vigeſimo ſecundo Auguſti, ſolemnibus formulis, perſcripto; ea tamen conditione, vti *octoginta octo millia, octingentos & octo florenos, denarios item quinquaginta octo*, fiſco regio, *Nádasdius* numeraret. Quod etiam ita euenit.

quibus tunc oppidis, & vicis conſtiterit:

redimit eam Franciſcus I. Nádásdy, *iure perenni, pro ſexu vtroque.*

§. VI.

AD hunc ergo modum, laudabilem non minus, quam legitimum, *Nádasdyorum* hærediis, iam tum late propagatis, accenſa eſt ditio *Csejtenſis*. Sed *Franciſco I. de Nádásd*, nequiuit, ob ſupremum fatum, diutina eſſe dominatio illa. De eo, in ephemeridibus, laudatus ZAWODSZKY: *MDCIV. die IV. Januarii, Spectabilis ac Magnificus* Franciſcus de Nádasd, &c. *fidei & nominis Chriſtiani conſtans, ſincerus, & acerrimus defenſor, ætate iam matura, ex hac lacrymarum valle, in cœleſtem migrauit patriam; amicis luctum, ac perenne ſui relinquens deſiderium.* Suſceperat *Franciſcus*, ex *Eliſabetha Báthóri*, cuius nunc meminimus, filium PAVLLVM *de Nádasd*, paternarum opum hæredem, & *Catharinam* filiam, *Georgio Drugeth, de Homona* (*m.*) matrimonio iunctam. Vterque igitur hæres, pro eo, atque erat in tabulis *Rudolphi*, ex patris FRANCISCI voluntate, ſancitum, anno MDCXVII. menſe Martio, *Csejtenſem* hanc dominationem, æqua inter ſe portione, ſine vlla querela, partiuntur: vt, ex eo tempore, pars altera iuris *Nádasdiani* eſſet, *Homonnaiani* altera. Fuit PAVLLO *de Nádasd*, filio, *Franciſci* I. nepoti *Thomæ*, filius *Franciſcus* II. qui ſe ditionesque ſuas, ob intentatam LEOPOLDI I. cædem, ſicuti notum

Morteo Franciſco, *bipartito diuiditur ditio e*

fitque, partim Paulli Nádasdy *filii partim filia* Catharinæ, *uxoris* Georgii Homonnay: *excidit eius poſſeſſione* Franciſcus II. Nádasdy, *ob perduellionis notam:*

l) Vide, de dominationum generibus, Tripartiti part. I. Tit. XIII.

m.) Habes eorum mentionem in Decreto Anno MDCXVIII. Artic. XXV.

Digitized by Google

tum eſt apud omnes, in peſſimam rem, immo perniciem ipſam, præcipitauit. Ergo, cum latifundia eius alia, tum *Csejtenſia* hæc, iure patrio, in fiſcum reciderunt. Quæ demum anno MDCCI. *Comes Chriſtophorus Antonius Erdödy de Monyorókérek*, ærario præfectus, *ducentorum & decem millium florenorum ære, ac quingentis numis aureis*, a fiſco redemta, inter hæredia gentis ſuæ retulit. *quam* Chriſtophorus Erdödy, *ære coemit.*

§. VII.

ITa ſe res *Nádasdyana* portionis habuit; cum contra *Homonnaianam* alteram, *Georgio*, qui primus ex ea gente, per *Catharinam Nádasdy*, in eius poſſeſſionem venerat, mortuo, inter ſe diſpertiuere ſucceſſores. Reliquerat, nimirum *Georgius Homonnay*, *Johannem* filium, perpetuum *de Ungh* comitem, & prætorio regio præfectum, atque *Eliſabetham, Ladislai Baronis de Réva*, conſortem. Hi ergo, æquis iterum partibus, patrimonium diuiſere, vt alteram quidem portionem, *Johannes*; *Eliſabetha*, cum *Révajo* marito, alteram acciperet. Quod anno MDCXXX. eueniſſe, ſchedæ, in eam rem perſcriptæ, teſtantur. Porro, cum *Johannes Drugeth de Homonna*, filium *Georgium*, & *Barbaram* filiam, ſuſcepiſſet, neceſſum fuit, paternam hæreditatem, bipartito iterum diſpertiri: quarum illa, quæ *Georgio* obtigit, in huius filios, *Valentinum* Epiſcopum Korbauienſem, *Sigismundum & Johannem*, filiam item *Chriſtinam Luciam*, poſtea *Andreæ Forgách de Ghymes*, conſortem; iſta vero, quæ *Barbaræ*, *Ladislai Révaii* vxori admenſa fuit, in ſucceſſores *Révaios*, translata eſt. Atque, hac ſucceſſionis ſerie, *Révaii*, non minus, quam *Forgáchii*, poſt gentem *Homonnaianam*, circiter annum MDCLV. emortuam, in iura dominationis, quam tenent adhuc, peruenere. Quorum geneologias, quia exhibuimus iam, non eſt opus recognoſcere. Iſta, de *Csejta*, quæ *Ujhelyino*, milliari in meridiem reprimitur. *Portionem Homonnaianam, varie inter ſe diſpertiuntur ſucceſſores:* *veniunt in eius poſſeſſionem* Révaii, *atque* Forgáchii, *iure vxorum.*

III. OPPIDVM VERBOVIA.

VErbouia, Slauis *Wrbowo*, Germanis *Wrbau*, milliari infra *Csejtam*, amœna vbereque valle, poſita. A ſaliceto, *Slauicum* nomen ſubnaſci potuiſſe, non eſt cur dubitemus: enim vero, *Wrba*, ea dialecto, ſalicem notat. Laxo oppidum vico, in longum procurrit, ædium non minus, quam incolarum frequens. Eadem his, quæ *Ujhelyienſibus*, atque *Csejtenſibus*, & fata fuere, *(n.)* & occupationes ſunt adhuc. Scilicet, ruſticantur ii, non ſcrupuloſius modo, ſed cum fructu etiam. Vini certe educant plurimum; ſed quod auſterius creditur, quam vicinorum fuiſſe meminimus. Neque parcior eſt prouentus ſegetum, vt dubio non careat, *Cereri* ne, an *Baccho*, ager ſit amicior? Opificum ingens hic numerus, pluraque eorum contubernia. In his, ſartorum illud genus, *(o.)* quod ex ru- Verbouia, *vnde dicta:* *eius facies:* *oppidanorum labores:*

n.) Vide ISTVANFFYVM Lib. XXXI. p. 745, 4.
o.) Slauis, *Halenári* dicuntur, a veſte, quam conficiunt, ruſtica, *Halena*, hoc eſt, *Chlana*, vocitata.

di panno, agreſtes lacernas conſuit, facile reliquos multitudine antecellit. Vulgus ſane, multum ſibi feciſſe lucri exiſtimat, ſi gauſape, chlænamue *Verbowienſem* emiſſe potuit. Itaque, nusquam maiore copia, ad oppidi mercatus, qui frequentes fiunt, coit, quam vbi auctumnus in hyemem procliuis eſſe incepit. Nobiles, qui oppidum habitant, cum commoditate iſthic degunt. quorum alii, ex pignore, fundos inſident, alii hæreditarios: plerique, ædes habent eximie cultas. Reliqua oppidi poſſeſſio, plurium iam eſt, ſed præcipue Comitum *Erdődy*, *Forgách* & *Révaj*, iure, quod ad *Cſejtam* expromſimus.

Nobiles, *qui hic degunt.*

IV. Oppidvm Pöstény.

§. I.

Pöstény, *quo ſit poſitu, quibusque beris pareat:*

Pöstény, Slaui *Pieſtyani* dicunt. Oppidum eſt, gemino milliari *Ujhelyino* in meridiem ſecedens, *Vago*que vicinum. Vuidus inde loco poſitus obtigit; ſed nec ipſa oppidi moles, prioribus ſuppar, tametſi ager nihilo ei deterior obtigerit. Accenſetur ditioni *Galgoczenſi*, eſtque inter *Comites Erdődy*, & *Forgách*, bipartito diuiſum. Iſthic celebres illæ ac periodicæ thermæ ſcatent, quarum Wernhervs *(p.)* & ex eo plures alii, meminerunt. *Vagi*, inquit ille, *ripa ſupra (q.) Galgoczium, quæ eſt arx familiæ Turzonum, nunc maxime nobilitata eſt calidis, non propter vim earum ſalubrem tantum, qua omnes alias in Hungaria ſuperare exiſtimatur; ſed etiam propter varium, planeque mirabilem earum ortum. Non enim vllum certum fontem habent, ſed alueum fluuii ſequuntur, & vt is excreſcit, & decreſcit, ita, aut recedunt, aut accedunt. Solent autem, quo magis exundat, hoc longius recedere, eoque, qui lauare volunt, ſubinde, alias atque alias ſcrobes fodere, & quaſi puteos aperire coguntur. Id cum intra alueum eſt fluuius, ſit in glarea, quod ipſius ſolum eſt, cum vero exit, in terra ſolida & argilloſa, in qua alioquin non reſtagnante fluuio, nihil pene humoris exiſtit. Neque tamen in ripa tantum eruuntur calidæ, ſed etiam intra amnem, ſi fundum eius, pedibus ſuffodias. Calent autem immodice, nec ſunt idoneæ balneis, niſi temperentur, quod admiſtione frigidæ de proximo hauſtæ, in procliui eſt; ſed quia magis ſalutares eſſe creduntur, præ miſtura, qui medicinam inde petunt, deſeruere eas ſinunt, quod pro temporis ratione, alias ſerius, alias citius ſit. Numquam ſic deſeruent, quin, qui in eas deſcendunt, tegete, ceſpiteue, aut ramis, in fundum ſcrobis, iniectis, imas corporis partes, aduerſus ebullientis caloris vim munire cogantur. Eſſe autem eas aduerſus diuturnos, ac pene deſperatos morbos efficaciſſimas, multis experimentis, cognitum eſt, & adhuc in*

lauí thermarum, *quæ hic ſcatent, ex* Vernhero *expromitur:*

p.) De admirandis Hungariæ Aquis, in collectione Scriptor. Hung. Bonc. p. 597, 36.

q.) Eadem omnino, qua *Galgóczium* ſedet, ripa. Scatebant olim thermæ *Pöſténenſes* prope ad vicum *Banka*, ſed littore eo *Vagi*, eluuionibus, in longum ſinum ſubruto, aduerſa iam ripa, ſcaturigines habent.

Digitized by Google

in dies, magis, magisque cognoſcitur. Decuit, ſuo iſto loco, thermarum has laudes, recitauiſſe.

§. II.

CEcinit, easdem Thermarum huiatium laudes, *Adamus* quidam *Traianus, Beneſchovinus Bohemus (r.)* ſed carmine venuſto minus, quam id materiæ dignitas, & inſolentia videbatur deposcere. Dabimus tamen ex eo quædam, ne honeſti conatus memoria intercidat. Nam ita omnino ſentio: Adami Traiani, *de iisdem, carmen.*

Etſi deſunt vires, tamen eſt laudanda voluntas.

Nimirum, qualicunque vſus præfatione, ſic exoritur canere thermarum poſitum:

Ne memorem thermas, alias, hic PISTINIENSES,
Sic dictas, nobis commemorare libet.
Fluminis idque Vagi ſiccis ſinuoſi in arenis,
Conſueti ripas, lambere ſæpe ſitas.
Aeris is tractus, locus eſt gratiſſimus oræ,
Nitrienſis.
Eſt Cereri dilectus ager, gratusque Lyæo;
Perſtrepit hyblea, fertilis hortus, ape.
Eſt ſpatium luci vicinum & amabile, quamuis.
Anguſtum, calidi ſunt vbi ſonticuli.

Poſtea thermarum ſcaturigines, & labra inſolita deſcribit.

Non ibi, ceu thermis aliis, ex fonte perenni,
Promanat calidæ, riuus amœnus aquæ.
Non ibi in exſtructa æde lauantur corpora ſemper,
Multa ſimul multos, vna nec vmbra tenet:
Effodiuntur enim foueæ, in ſabulo, ordine nullo,
Paruæ, plenæ mox, exſilientis aquæ.
Ruſticus has operit foueas bene frondibus altæ
Ilicis aut ramis, populeisque comis.
Corporis infirmi, nudatos abluit artus,
Aeger ibi.
Si calet, vt nimium nequeas ſufferre calorem,
Præ manibus Vagus eſt, contiguusque fluit.

Vagi autem, quas ſcrobibus illis, & vmbraculis, infert iniurias, ſic queritur:

Sæpius ille Vagus, *rapidus, furibundus & aſper,*
Submergit cunctos, hos quoque ſonticulos

r.) Prodiit, hoc, quidquid eſt carminis, A. MDC.XLII. *Trenſinii*, typis *Focaliana*, forma quadripart. Plagulis duabus, inſcribiturque: SALVBERRIMAE PISTINENSES THERMAE.

Deſtruit vmbracula, atque locum omnem complet arenis,
Vna cum ripis omnia quaque rapit.
Delere eſt penitus viſu mirabile thermas,
Vlla ſi vellet, vel ratione nequit.
Nec ſinit omnipotens.
Cogitur ergo iterum foueas purgare colonus,
Omnia non tarda mox reparare manu.

In primis facundus eſt, in commeatus decantanda copia.

Ad victum locus eſt rebus haud indigus illic,
Et Bacchi & Cereris copia magna ſubeſt.
Lac niueum, capas, vuas, & amygdala, pruna,
Allia, poma, fauum, caſtaneasque nuces.
Gallinas, pullos, oua, & cerealia liba,
Omnigenas horti fertilioris opes.
Caſeus.

Hæc ille, a ruſtica turba, venum, in dies ſingulos adferri ait; pleraque ita comparata, vt abeſſe omnino debeant, a medicis lauationibus. Nunc hoſpitiorum, quæ memorat, commoditates audiamus:

Eſt ibi magna domus præbens magnatibus aptum,
Hoſpitium, & gratum, quod reticere nefas.
Stat quoque non vna, obſcuro caſa fulta tigillo,
Haud ea verſiculis diſſimulanda meis.
Simpliciter limoque & canna obducta paluſtri;
Grata tamen claris ſæpius illa viris.
Molliter aut pulchre ſtratum haud quæras ibi lectum,
Aedibus obſcuris vix nitor vllus adeſt.
Accipiunt multi, dulces in ſtramine ſomnos
Sub cælo haud raro decubuiſſe ſolent.
Omnibus haud aditus patet ad laquearia magna,
Aedis, vix ſtabulis delituiſſe licet, reliqua.

Hodie, Comes *Georgius Erdödy*, ærario præfectus, pro ea, qua eſt, elegantia, nihil ad opportunitatem hoſpitiorum patitur deſiderari: quin operam quoque dediſſe accepimus, vt perpetuis labris, balineæ iſtæ poſſint concludi; qua in re, ſi profecerit; næ ille egregie meriturus eſt, cum de thermarum celebritate, tum de his, qui ad eas accedunt, lauandi gratia.

§. III.

Gemina, oppidi, & thermarum, clades ab Iſtvánffyo, *deſcri-*

INualeſcentibus, ſeculo XVI. *Turcis*, bis, oppidum thermasque, euaſtatas legimus. Ac primo quidem, anno MDXXX. quem toti circum regioni, funeſtum exſtitiſſe, ſemel atque iterum, in eadem hac *Comitatus Nitrienſis* hiſtoria, meminimus. De impreſſi-

one

one hoſtium, ita habet ISTVÁNFFYVS: *(s.) Conuerſus* Vsreffus Bosnenſis, *in alteram partem, vsque, ad Sentauiam, & Galgóczium, ac thermas* Pôſtinenſes, *eam omnem, penes Vagi ripam, regionem, oppidis, pagis, ac incolarum frequentia, refertiſſimam, rerumque omnium abundatiſſimam, incendiis, cædibus, rapinis, longe lateque deuaſtauit.* Satis omnino, ad communem regionis calamitatem! Sed altera, quæ in annum MDXCIX. incidit, impreſſio, cum reliqua prouincia, thermas *Pôſthinenſes*, in primis funeſtauit. *Hoſtes*, inquit ISTVÁNFFYVS, *(t.) ſuis e finibus egreſſi, quidquid terrarum a Nógrádo, Tyrnauiam verſus, illinc vero, ad Beczkonem & Trentſchinium, inter Granum, Ipolam & Vagum flumina, interiacet, vrere, vaſtare, & incolis, partim in ſeruitutem abductis, partim cæſis, crudeliſſime graſſari cœperunt.* Thermarum vero, & illic lauantium cladem oppido funeſtam, ad hunc modum meminit: *Sunt*, inquit, *Therma, vltra flumen Vagum, quæ* Pôſteniæ *vocantur, ſalubres pellendis languoribus, & aquarum natura admirabili. In has magnus ægrorum, æque ac valentium numerus; adultiore auctumno, confluxerat, quos ibi maiori ex parte improuiſus ac inopinatus hoſtium aduentus, qui ponte ſublicio flumen tranſierant, ſubito oppreſſerat, partimque, qui abduci ob corporis imbecillitatem non poterant, cæſi, partim rapti in diram ſeruitutem ſunt.* Hæc tunc euenere. Reliqui oppidi caſus, iidem, ſequutis temporibus fuere, quos ad *Csejtam*, & *Ujhelyinum*, memorauimus.

pta, illata a Turcis: *prioris facies:*

poſterioris calamitas.

V. OPPIDVM VITTENCZ.

VITTENCZ, Slauis *Chtelnicza*, *Ujhelyino*, milliaribus propemodum tribus, inter occidentem, & meridiem, ſub montes reiectum oppidum. Amplum eſt, & præter rem agreſtem, cultu vineatico in primis pollens. Sunt, qui vinum huias, *Verbowienſi*, & guſtu comparant, & perennitate. quod facile eſt creditu, loci ſitum æſtimantibus. Ager enim fere omnis, potiſſimum vero colles viniferi, oriente, meridianoque ſole apricantur; fæuis aquilonibus, montium, qui a tergo ſunt, obiectu, retuſis. Incolæ profecto, quidquid rei familiaris habent, frumento id debent, & vino. Opifices, quod ex vaſtitate loci coniicias, haud pauci heic degunt, quorum integra contubernia, vt puta, *pannificum*, *cothurnariorum*, eorumque, qui ſutrinam faciunt, reperias. quorum labor, non conſuendis modo calceis, ſed & ſubigendo præcipue corio, impenditur. Hi demum, præter nundinas domeſticas, merces ſuas, in fora vicina inferunt, tenues inde quæſtus facientes. Alit, & fabros ferrarios, tonſores, piſtores, aliosque. Cenſetur vero in ditione *Jókóienſi*, quæ eſt Comitum *Erdódy* & *Czobor*. quibus, cum ad ſeceſſus, tum ad accipiendos œconomiæ adminiſtros, ſua hic ſunt prætoria, quæ oppido, haud parum decoris conciliant.

Vittenczi *ſitus:*

agro eſt, & Baccho, & Cereri, *benigno:*

ſolitur oppidum, ab opificibus:

eſt Comitum Erdödy, & Czobor.

VI.

r.) Lib. XI. p. 172.

s.) Libro XXXI. p. 744. 50.

VI. Arx Jókö.

Nominis Jókö *origo Hungarica: positus arcis:*

OB ſitus opportunitatem eximiam, ita dictam ab Hungaris credimus. *Jókő* namque, *bonum lapidem* notat. Nempe, monti petroſo inædificata, & natura munita fuit, & arte. A tergo montes ſunt, vaſti ii, & ſaltibus opaci. In orientem contra, & meridiem, planities diffunditur, frequentibus inſeſſa vicis. Itaque, patentiſſimum, arx, dum floreret, proſpectum habuit. Ad montis, cui moles incubuit, radices, caput eſt *Blavæ*, fructuoſi amnis, quem Slaui, *Dobrávoda* dicunt. Ceteroquin, ſua arcis dominis ditio eſt, ad quam, trans montes, vicum *Hradiſto*, & orientalem pagi *Oſzuſzké* partem, referri accepimus.

Blavæ amnis, ad eius pedem, sapita.

VII. Leopoldopolis.

§. I.

Leopoldopolis *nomen, & ortus.*

LEOPOLDOPOLIS, ipſo nomine, magnum ſui conditorem indicat. Nimirum, opus eſt Leopoli Cæſaris, Anno MDCLXV. inchoatum, atque ſequutis annis, magna operarum contentione, dum conſummaretur penitus, continuatum ſine ceſſatione. Quia enim occupatum anno MDCLXIII. a *Turcis Ujvarinum*, ex pacis, quæ ſequente anno coaluit, legibus, in eorum poteſtate manſit; facultatem ſibi pactus fuerat Leopoldvs M. nouo propugnaculo, oram *Vagi* præmuniendi, ne temerata denuo pace, nudæ, ab eo lâtere, *Auſtriacorum* eſſent prouinciæ. Itaque, nihil cunctandum ratus Cæſar, locum, qui ad eam rem maxime opportunus eſſet, a peritis rerum deligi, futuræque molis fundamenta, iaci iubet. Et foſſæ quidem die X. *Aprilis*, agi cœptæ; fundamenta, autem die IX. *Septembris*, ritu ſolemni, dedicata ſunt. Magna res ea celebritate peracta eſt, præſentibus belli ducibus, & primoribus *Hungaris*, qui tantæ molis exordia, non cohoneſtarent tantum præſentia ſua, ſed auſpicata ſimul, cerimonia ſolemni, redderent. Hanc, Georgivs Szelepcsény Cancellarius Hungariæ, poſteaque *Archiepiſcopus Strigonienſis*, faciebat. Inde, creuit moles, opinione quidem tardius, quod egeſtæ, accipiendis fundamentis, foſſæ, aqua ſubtus ſcatente, non raro offunderentur; ſed adoleuit tamen, intra luſtri vnius, & quod ſuperabat, ſpatium, adeo, vt intentatam relinquere cogerentur *Tököliani*, ſemel iterumque, iſta ora tumultuantes.

§. II.

Situs, & munitionum rationes.

SItus arcis campeſtris eſt, atque ex contagione *Vagi*, vliginoſus, difficilem ideo oppugnationem præbiturus. Alioquin, quidquid ad communiendum locum, ab exquiſitiſſimis architectonices militaris magiſtris, potuit proficiſci, id omne, iſthuc collatum eſſe, vel ipſe molis obtutus, condocet. Nempe, opus vniuerſum, figuram

Digitized by Google

guram *hexagonam* refert, totidemque propugnaculis communitur. Horum extus interualla, ſeiunctis pro more operibus, *ſemilunas* vocant, prætexta ſunt, quæ ſingula foſſa præcinguntur, lata ea, & eximie profunda, quam ſcaturientes ex imo aquæ, paluſtrem, & impenetrabilem faciunt. Vltra foſſas, lorica procurrit, vallis, geminato ordine, defixis, ſuccincta. Ipſæ operum moles, ſuggeſtus habent, frequentibus tormentis inſeſſos. Interna arcis, nullis impediuntur ædificiis, quam, quæ munitionum ratio patitur. In his, ædes ſacra eſt, præfecti hoſpitium, & medio loco, ædicula excubatorum, cum adnexis, a tergo, carceribus. Hic & tormenta currulia, mortaria item, & globorum aceruos poſitos videas. Armamentarium geminum, domus item annonaria, cui ſimilem vix tota in Hungaria repereris, diuerſis lateribus conſederunt, numquam non ita inſtructa, vt diuturniori etiam obſidioni, queant ſufficere. Mœnibus, latebræ militares, & cœci paſſim fornices ſubſtructi ſunt. Neque enim ab aliis, quam militibus habitatur, ſi *Judæum* excipias, tabernam mercatoriam & macellum, nec non *braxatorium*, iſthic habentem. *Palma* Foro-Julienſi ſimillimum credunt munimentum, qui vtrumque viderunt. Aduerſum eſt autem, ſiue, quod humus vuida, & aquarum venis peruia, tantæ moli ferendæ impar eſt; ſiue, quod debiliora, quam loci ingenium requiſiuiſſet, iacta ſint fundamenta, propugnacula, in annos ſingulos, notabili altitudine ſubſidere: in primis, ſi *Vagi* eluuiones, & frequentiores ſint, & diuturniores.

§. III.

PRimi, qui arcem, noſtra ætate, auſi ſunt tentare, *Rákócziani* fuerunt. Et profecto, ſi ea virium contentione, & rei militaris ſcientia, cœptam ſemel atque iterum oppugnationem, continuauiſſent, quo eam adparatu atque militum numero, exorſi erant; parum abfuiſſet, quin arx ſuccubuiſſet hoſtibus. Verum, dum ex more ſuo, caſtra quidem, varia multitudine complent, militarium operum ignara, non ſolum, ſed impatiente etiam laboris neceſſarii; factum eſt, vt qui intus erant, præſidiarii, & tum ſecure agerent, cum maxime extus ſtreperent *Hungari*. Certe, commeatum, quoties opus erat, in arcem inferebant Cæſariani, ſtratagemata docti. Interim, *Rákóczianorum*, iſti occupandæ *Leopoldopolis*, conatus, iuſtis pugnis, in cædes tumultuantium deſinentibus, occaſionem præbuere ſæpius. Anno profecto M. D. CCV. die XI. Aug. cruento prælio, temeritatem eam luiſſe *Hungaros* certum eſt; cum *Herbeuillium*, commeatum *Leopoldopolitanis* adferentem, laceſſere auſi fuerunt; quin & priorem pugnam, *Tyrnauienſem* illam, anno M.D.CCIV. die XXVI. Decembris, duce *Heiſtero* initam, magnaque *Rákóczianorum* clade terminatam, *Leopoldopolis* obſidio, maiore tunc adcuratione ſuſcepta, prolicuit. Scilicet, prudentia non minus, quam virtute militari, expugnantur arces; non vano armorum ſtrepitu. Obſidionum harum, ſi quæ dicendæ ſunt, monumenta, hodieque in ar-

Tentatur a Rákóczianis, ſemel iteramque caſis, depul. ſique:

pugna, ex ea occaſione, enata.

ce exſtant. Nempe, tres ingentis molis æreos globos igniuomos, ab *Hungaris* iniectos, in aditu ædis ſacræ, ſuſpenſos videas. Alioquin, accuſatur loci aer, quod ex paluſtri ſitu ſit inſalubrior. Vnde, & de aquæ ingenio, coniicias, quæ lenteſcentibus puteis, ſubinde graue quid, & ſapit, & redolet. Hodie, disiecto *Ujvarino*, vnicum oræ huius propugnaculum eſt, quod ingruentem hoſtem, reiicere poſſit, aut remorari. Diſſidet *Piſonio*, octo, in orientem brumalem, milliaribus; duobus, in eandem plagam, *Tyrnauia*.

VIII. Arx et Oppidvm Galgócz.

§. I.

Galgóczii, *dubia origines, & adpellatio:*

Arx Galgócz, incertæ originis eſt, ſicuti pleraque omnia montana caſtra. Bonfinivs, nomen *ſcythicum* credit, quod liberam notet vrbem; ſed, quamnam linguarum *ſcythicarum*, plures enim erant, Herodoto teſte, intelligat, non indicat. Si *Hungaricam* (*a.*) velit, cuius ipſe ignarus fuit, oppido fallitur; cum eo idiomate *Szabad város*, adpellari debuiſſet. *Galgócz* certe *Hungaris* nihil ſignificat, vt coniici inde poſſit, ante *Hungaros*, nomen loco fuiſſe inditum. Neſcio enim, an conſtet ſibi, quod aliquando, viro non indocto, in mentem venit, enatum caſtro vocabulum, a *Salmonum* Hungarico nomine, quos *Galócza*, & cum adſpiratione *Galhócza* vocant populares noſtri. Vnde poſtea, adſpiratione in palatinalem quam, vti frequentius accidit, commutata, factum ſit *Galgócza*, & vocali obiecta, *Galgócz*. Habent iſta veroſimilitudinis quidpiam, cum conſtet, *Vagum*, cui arx imminet, piſcem eum alere paſſim, præbereque capturam non infrequentem, a quo locum ita dixiſſe poterant, primi *Hungarorum* metatores. Sed profecto certa haud ſunt, neque amplectenda temere. Planius a Germanis *Freyſtadl* dicitur, quod omnino liberum oppidum *(b.)* ſignificat; vt ideo nihil dubitarint *Germanicum* vocabulum, *Græce* reddere, qui in iſtiusmodi rebus, vltra vulgus ſapere cupiunt. Nempe (*c.*) Elevtheropolin, ἀπὸ τῆς ἐλευθερίας καὶ πόλεως, vocitantes. Nominis interea ſignificatio, facile nobis perſuadet, coloniam hic *Germanorum*, cum locus primum excoli cœptus eſt, collocatam fuiſſe, peculiari libertate, quam diplomata antiqua, *ius Teutonicale*, vocant, donatam. Hinc, & *Slauica* adpellatio manauit, ſed voce multum detorta, vt, quod Germani *Freyſtadl*, ipſi *Frajſták* efferant.

coniectura nonnemini

nominis Germanici *ratio.*

§. II.

Auctoris ſententia, Thúróczii *teſtimonio praemunita.*

Si certum eſt, ſicuti non ſinit nos dubitare Thûróczivs, Leélem, e ſeptem Hungarorum ducibus vnum, tertio, in has regiones, ad-

a.) Ita ſæpius idioma *Hungaricum* adpellat. Vid. Dec I. Lib. I. p. 26, 51.

b.) Atque hinc omnino error Bonfinii, nunc notatus, arceſſendus eſt.

c.) Pluribus Hungariæ locis, græca iſtiusmodi nomina adſperſa eſſe videas. Sic: *Egopolis*, Ketskeméth; *Tyropolis*, *Kesmark*; *Ifropolis* Piſonium; *Fragopolis*, Eperies; quæ vltima vox, tanquam hybrida, ferenda haud eſt.

Digitized by Google

aduentu, ſedem hic fixiſſe, non habebimus, cur de arcis nomine iuxta & origine, laboremus. Ita vero ille: (*d.*) *Quintus*, inquit, LEÉL *eſt nominatus, qui Meſſianos ſcilicet Bohemicos, de partibus* Golgathæ *expulit, ibique diutius caſtra metatus fuiſſe perhibetur.* Nimirum, per *Bohemos*, quos depuliſſe dicitur LEÉL, *Morauos* intelligi velim, iſta regione tunc late dominantes, & fidem CHRISTI, quod ſupra monuimus, iam pridem amplexos. Certe *Meſſianos* ideo vocari, dubium haud eſt. Hi vero locum hunc, *Golgatha* nomine, non alia de cauſſa inſigniuerunt, quam vt teſtarentur, eum ſe profiteri SERVATOREM, qui in *Golgatha*, cruci ſuffixus, morte ſua, vitam generi humano pepererit. Id demum vocabulum, *Hungari*, ita detorſerunt, vt *Galgócz* ex eo facerent. (*e.*) quippe, gentiles adhuc, & vocis etymon ignorantes. Iſta nominis fuit origo: arcis autem exordia, inde repetimus, quod diutius caſtra hoc loco LEÉLEM habuiſſe, ſcribit THÛRÓCZIVS. Non poterant videlicet non, loci opportunitate duci, aduenæ *Hungari*, (*f.*) quin nouas ſedes, operibus munirent tumultuariis, ſicuti fit primum; poſtea vero exquiſitioribus etiam, & cum arcendo, tum terrendo ſimul hoſti, idoneis.

§. III.

PRoinde, non ſunt arcis noſtræ natales dicendi, quorum (*g.*) BONFINIVS, in rebus MATTHIAE Coruini, meminit, quosque, iure ad *Bohemos* refert: *Caſtella*, inquit, *duo*, Comoroczkius & Valgatha, *in montibus, temporario opere erexerunt, vnde longe lateque tutiora latrocinia exercerent - - vni* GALGÓCZIO, *alteri Vadne nomen, ab his nuper erat inditum.* Præterquam enim, quod bellum, de quo loquitur hiſtoricus, ductu *Sebaſtiani Rosgon*, & *Ladislai Hedervárj*, præſulis Agrienſis, in ſuperiori *Hungaria*, hoc eſt, inter *Agriam*, *Caſſouiam*, & *Tibiſcum* gerebatur, vbi montanis *Bohemorum* caſtellis, infeſta erant omnia; ſitus certe ille, *Galgóczio* noſtrati, prorſus non conuenit: neque enim intra montes; ſed in aprica *Vagi* crepidine, conſedit, vt fas ſit credere, alterius caſtri, temporarii omnino, & *Agriæ* vicinioris, mentionem illic facere BONFINIVM. quod, cum ex circumſitarum arcium nominibus, tum & fuga *Bohemorum*, facile eſt ad colligendum. Quid? quod non conueniret ſibi BONFINIVS, (*h.*) qui alibi *ſcythicum* arcis nomen interpretatus, idem nunc ad *Bohemos* referret. Quidquid eius ſit, loci opportunitas ſatis condocet, tunc

Opinio, de origine Galgóczii, *refellitur.*

d.) Parte II. Chronici Hungariæ, cap. VII. pag. 32.

e.) Fieri hoc potuit ex procliui, cum *th* in priſcis Hungarorum nominibus, *Croatica* potiſſimum originis, lectum fuerit tamquam ex, ergo *a* & *o* per metatheſin transpoſitis, ex *Golgatha*, factum *Galgócza*, & vocali repudiata, *Galgócz*. Minutiæ iſta videri poſſent; ſed ſunt tamen eruderanda.

f.) Non ergo facimus cum BOMBARDIO, qui arcis molem a *Bohemis*, anno MCCCC. poſitam exiſtimat. Tenuerunt eam tunc *Bohemi*, & forte munierunt etiam, ſed dudum ante conditam.

g.) Dec. III. Lib. IX. p. 524, 53. ſeq.

h.) Refellenda hæc opinio fuit: quippe, moleſtius a nonnemine nobis obtruſa.

molem hanc iſthic poſitam eſſe, cum e re primorum *Hungarorum* fuit, *Vagi* traiectus, aduerſus depulſos ſubactosque *Morauos*, arcibus præmunire, & reliquam a tergo regionem, præſtare tutam.

§. IV.

Molis ſitus, & opportunitatum rationes.

SAne, rude ſubſtructionum opus, vetuſtatem arcis loquitur, haud omnino nuperam. Ita præterea tota moles comparata eſt, vt opinionem faciat, non tam ad cultum excitatam fuiſſe, quam perfugium regionis circumiectæ, & vt ſpecula quaſi quædam eſſet, ex qua, trans *Vaganæ* ditioni inſidiari poterant, illorum temporum præſidiarii. Sedet, nimirum, in colle, qui orientali *Vagi* margine, accliuibus, ſecundo amne, radicibus, ad iuſtam altitudinem pedetentim adtollitur. Huius vertici, prætorium, quadrato opere inædificatum eſt; neque id ſane informe. Qua colles proſpicit, muris incingitur, haud quidem inuallidis, vix tamen toleraturis obſidionem, ſi qua ingrueret. Quæ intus ſunt commoditates, præter aream non inelegantem, cubiculis partim, partim fornicibus abſoluuntur. Inprimis, decorum adſpectum habent, concamerata ambulacra, regum olim picturis inſignia. Putei tanta eſt profunditas, vt alueo *Vagi* reſpondere, quin & aquas, per meatus ſubterraneos, inde mutuari credatur. Sunt, qui adfirment, immiſſam anatem per eosdem meatus, in *Vagum* euaſiſſe. Alioquin, arcis poſitui, nihil ad amœnitatem ſalubritatemque deeſt. *Vagi* certe ſubterlabentis adſpectus, & trans hunc, late porrecta, atque frequentibus inſeſſa vicis planities, obtutum habet longe iucundiſſimum. Quam ob rem, ab heris, quibus olim paruit, maximi ſemper fiebat, incolebaturque, magna, illuſtrium familiarum, celebritate.

§. V.

Inſeſſa olim fuit a Matthæo Trentsinenſi:

CVm ora *Vagi*, MATTHAEVS ille *Trentsinenſis*, *Carolo Roberto* refractarius, potiretur, arcem noſtram, in eius fuiſſe poteſtate, non eſt cur ambigamus. Quo victo, cum vniuerſa, cui imperitabat, ditione, ad regem creditur rediiſſe; ſed quam diu ita poſſeſſa, aut cui poſtea donata, niſi aliquando e diplomatibus erui potuerit, ignoremus oportet. Temporibus MATTHIAE Coruini, & WLADISLAI Poloni, quod *Laurentio de Ujlak* paruerit, certum eſt; quo improle decedente, inſigni munificentia LVDOVICI II. *Alexio I. Turzoni*, adſcriptam legimus. Rem ISTVÁNFFYVS *(i.)* in litteras ad hunc modum retulit: *Laurentius*, inquit, *morbis, annisque confectus, nullo hærede relicto, e vita migrauit. Eius bona, quæ erant ampliſſima, tam ex transactione, cum rege* Wladislao *facta, quam legibus regni iubentibus, in fiſcum redacta ſunt.* Ludouicus, Német Ujvárum, *quod, inter Auſtriam & Styriam, in præalta rupe ſitum, inde ſic vocatur*, Franciſco Bottyánio, *cubiculario ſuo, iam vero Dalmatiæ & Illyrici*

poſtea Laurentii *ducis de Ujlak hæreditas.*

i.) Lib. VII. p. 105. 106.

Digitized by Google

lyrici proregi; Galgóczium *autem, ad collem* Vago *flumini impendentem, amœniſſimo loco ſitum, a Bohemis* (Germanis) Friſtadum *dictum,* Alexio Turzoni, *Joannis Wratislauienſis, & Stanislai Olomucenſis, Epiſcoporum patruo, dono dedit.* Iſta ergo LVDOVICI bonitate, in arcis poſſeſſionem, gens *Turzonum*, nuper inclareſcere occipiens, peruenit. ALEXIO poſtea, initio anni MDXLIII. *Galgóczii* mortuo, teſtamento eius, in patrueles transſcribebatur: Ita habet ISTVÁNFFYVS: *(k.) Inſequentis anni principio*, Alexius Turzo, *poſtquam ad* FERDINANDVM, *libertatis*, Prénio *obtinendæ, cauſſa profectus, nullum opera pretium feciſſet, domum reuerſus, in morbum incidit. quem, quum ſuſtinere non poſſet, diuiſa teſtamento, inter filias, & patrueles, opulentiſſima hæreditate, e vita migrauit*, ac Leuociam *deductus, auito ſepulchro, ſingulari funeris pompa, illatus eſt.* Sed *Turzonum* gente, ſuperiori ſeculo, emortua penitus, *Adamus Forgách*, arcem, cum ditione vniuerſa, CLXXX. M. florenorum pretio, a fiſco regio, ſibi ſuisque poſteris, redemit. Nunc Comiti *Georgio Erdödy* obnoxia eſt, poſteaquam *Simon Forgách*, partes *Rákóczii* improuide ſequutus, eius poſſeſſione, ſua culpa, excidiſſet.

eo improle decedente, Alexio Turzoni, *a* Ludouico, *traditur:*

ſuam, numerato aere fecit gens Forgáchiorum: *nunc in poteſtate eſt,* Georgii Erdödy Comitis.

§. VI.

ALioquin, immune haud manſit *Galgóczium* a belli calamitatibus. Nempe, ſub iis tumultibus, quos ciues *Hungari* ſæpius dederunt, nunc *Germanis*, nunc iterum *Hungaris*, ſuberat, vt diuerſorium dixiſſes, vltro citroque commeantium exercituum. A *Botskaianis* certe, & *Bethlenianis* inſeſſam reperio, in eorum temporum commentariis. Anno MDCLXIII. præſidiariorum facinore, *Turcis* deditum meminerunt annales. Scilicet, poſt expugnatum *Ujvarinum*, quidquid circum arcium fuit, ſeu metu, ſeu proditione, hoſtibus ceſſit. Meminit rem WAGNERVS *(l.) Galgóczium*, inquit, *mediocris ad Wagum arx, eandem fortunam ſubiit.* Inerant arci, præter *Germani* militis cohortem, non pauci *Hungarorum.* Et *Germanorum* quidem præfectus, pro more gentis, vltima quæque ſtatuit experiri quam arcem, hoſti, dederet. Alia mens *Hungaris* fuit. Nam, vbi *Turca* obſidionem moliri cœpiſſet, animoque reuoluiſſent, quibus cladibus circumfuſa regio eſſet adfecta, minis hoſtium, ſemel atque iterum denunciatis, conceſſerunt. Quo viſo, *Germanus* quoque miles, fruſtra reluctante præfecto, in *Hungarorum* ſententiam, pedibus abiit, & decuſſis, per vim portarum ſeris, arce, ouabundo ſimilis, exceſſit: quo factum eſt, vt tradito hoſti *Galgóczio*; præfectus a ſtatione decedens, ex cohorte, cui præfuit, quinque admodum in obſequio retinuerit: reliquis, iuratam fidem, iniquiſſimo conſilio, poſthabentibus. Captam arcem, præſidio muniuerunt Turcæ, toti circum

Qua arcis fata fuerint.

k.) Lib. XV. p. 256, 31. Habeo geminas, teſtamenti ALEXII, tabulas, pie non minus, quam prudenter perſcriptas, ADPARATVI aliquando, quem pergo edere, inſerendas.

l.) Hiſtor. LEOPOLDI M. Lib. II. p. 135. Conſer. ORTELIVS, P. II. p. 289.

regioni, ob continuatas ſubinde impreſſiones, longe iniquiſſimo; donec, anno MDCLXIV. pace ſubito inita, a *Turcis*, vacua relinqueretur, a *Montecuculio* demum inſeſſa, & aliquamdiu cuſtodita. Quæ has conuerſiones exceperunt, ſeditiones ciuiles, multis iterum malis arcem implicuerunt; tum, quod traiectum *Vagi* haberet, infeſtandæ *Piſonienſium* prouinciæ opportunum; tum, quod *Leopoldopoli*, aduerſa fere ripa, obiiceretur. Profecto, cum a *Rákóczianis* validiſſimum munimentum illud, tumultuaria obſidione tentaretur, armamentarium, atque ſpeculam hoſtium dixiſſes *Galgóczium*. Ipſa interim arx, ab inſeſſoribus iſtis, præter vaſtitatem, & triſtem hoſpitum memoriam, nihil omnino habet reſiduum. Nam, & picturarum ornamenta, quibus incruſtati erant parietes, turpiter fœdarunt, & qua poterant, reliquum ædificii decus, palatiorum in primis, detraxerunt: vt habeat omnino, quod nouus herus, vel obliteret, vel inſtauret. *Feliciter!*

§. VII.

Oppidi cognominis, ſitus, & ætas.

AB aquilone, oppidum, arci ſubiacet, præruptæ *Vagi* crepidini impoſitum, atque vico vno alteroue, in longum productum. Caſtro, quod nunc deſcripſimus, non coæuum modo, ſed propemodum vetuſtius, nihil dubitant credere, qui ſibi perſuadent, coloſſum, medio foro poſitum, LAELII, vel alterius cuiuscunque ducis *Hungarorum*, cyppum eſſe. Ita eruditi *Tyrnauienſes*: (*m.*) *Eſt oppidum antiquum, in Vagi ripa ſitum.* Ac deinde: *ſecundo* (*n.*) *Hunnorum in Pannorum, ingreſſu, ſedes erat vnius ducis, cui, vel alii erectus eſt in tumulum, coloſſus, magnitudinis viſendæ.* Quidquid eius ſit, non eſt omnino nuperum, tametſi e buſto renatum ſæpius. Enim vero, præter calamitates alias, hanc in primis habet propriam *Galgóczium*, vt igni fortuito exuratur frequentius, & quemadmodum eſt temporum ingenium, nunc citius, tardius, ægriusque alias, reſurgat. Ob agri vbertatem, qua pollet oppidum, *Bethlehemum* (*o.*) aliquibus dici meruit. Et fuit omnino, laudatiſſimi olim panis, quaſi officina quædam. Prodigioſa hunc mole feminæ pinſebant, eo ſucceſſu, vt, & ſaporem indipiſcatur, nulli, tota regione, ſecundum, & adcurate percoctus, mireque turgeſcens, nihil crudæ maſſæ, quod accidit facile, retinuerit. *Picentino* eum, iure antepoſuiſſes, cuius decantata apud auctores laus eſt; PLINIVM (*p.*) potiſſimum: *Durat*, inquit, *ſua* PICENO, *in panis inuentione gratia, ex alicæ materia*, reliqua. Quodque de eo MARTIALIS (*q.*) cecinit:

agri vbertas: panis præſtantia & laudes.

Pi-

m.) Celebriorum Hungariæ Vrbium, Parte II. p. 16.

n.) Nos, TERTIVM Hungarorum aduentum, conſtanter dicimus. Primus ſcilicet HVNNORVM; alter AVARVM; tertius HVNGARORVM, aduentus fuit: quæ de re, in HVNGARIA ANTIQVA, conſulto agimus.

o.) Ad Hebræum vocis etymon reſpicientibus: בית לחם enim *domum panis* ſignificat.

p.) Lib. XVIII. cap. XI. Conf. & APICII CAELII, de re coquinaria Lib. IV. Cap. I. p. 103. editionis Liſterianæ.

q.) Lib. XIII. Epiſt. XLVII.

Digitized by Google

Picentina Ceres niueo ſic nectare creſcit,
Vt leuis accepta ſpongia creſcit aqua.

Optime id de noſtro hoc cecineris: quippe qui, lacte, aut iure perfuſus, ſuauiter increſcit, fitque *Alexandrino (r.)* quouis, aut *Lybico*, multis modis ſapidior, & ad nutriendum valentior. Cauſſam rei ſciſcitantibus, gemina ſe obtulit; altera, quod frumentum huias, triticum in primis, medulla, quam alibi, ſit generoſiore; altera, quod fermentum, quo ſubigunt farinam, probum ſit, atque multa cura contemperatum. Plane ita id parari accepimus, quemadmodum deſcripſit PLINIVS *(s.) Fit*, inquit, *ex tritici ipſius furfuribus minutis & optimis, e muſto albo, (t.) triduo macerato, ſubactis, ac ſole ſiccatis. Inde, paſtillos in pane faciendo dilutos, cum ſimilagine feruefaciunt, atque ita farinæ miſcent: ſic optimum panem fieri arbitrantes.* Hæc nefas putauimus ſiluiſſe. Sed iam laus ea panificii hucusque *Galgoczienſibus* propria, quod dolendum, feminarum, quæ ex ſeculi vitio delicatiores eſſe cœperunt, incuria, aliorſum commigrauiſſe putatur.

§. VIII.

Aedes ſacræ, & Franciſcanorum cœnobium:

EST in oppido, præter *parochiale*, quod vocant, templum, cœnobium quoque *PP. Franciſcanorum*, omnium *Sanctorum* memoriæ, ab *Alexio Turzone*, dedicatum, ſed, a præterlabente *Vago*, extra modum infeſtatum. Rapidiſſimum flumen, in aduerſam hanc ripam, tota aquarum mole incurrens, altas ſubtus voragines, in annos ſingulos excauat, quæ factis gurgitibus, crepidinem omnem late ſubruunt. Neque *Cœnobii* tantum hæc eſt infelicitas, oppidi ſimul portio quædam, abraſa iam, ad eum modum eſt. quæ calamitas, eo incipit eſſe pernicioſior, quo minus ſuppetunt amni retundendo, idoneæ moles. Domus, quibus vici conſtant, ita ſunt factæ, vt non tantum decoris quidpiam oppidani referant; ſed habeant ſimul opportunitatem, rei ruſticæ, neceſſariam. Itaque, amplæ, fere ſingulis, ſunt areæ, longo ſtabulorum ordine definitæ, & in horrea exeuntes. Oppidanorum vitæ ratio, & varia eſt, & fructuoſa. Plerique agricolatione, & cultu vineatico; multi ſimul artibus illiberalibus; neque pauci mercatu, rem faciunt. Valuere olim opibus, ad inuidiam vsque. quod præter ſolemnem incolis ſolertiam, loci opportunitati tribuimus. Quia enim, ad *Vagi* traiectum adſedit, frequentesque viatores transmittit, eximia inde oppido fit acceſſio. Adde, publica prouinciæ comitiola, quæ iſthic, magno nobilitatis numero, frequenter, & quoties id reipublicæ intereſt, aguntur. Quid, quod regionis trans *Vaganæ* emporium quoddam fuerit, tunc in primis, cum *Turcæ*, *Vjvarinum*, & reliquam *Hungariam*, obtinebant. Fora profecto, quæ hic ce-

priuatorum domus:

occupatio:

r.) Panis fuere genera, quæ Romanus luxus, e trans marinis regionibus, in vrbem importauit. Vide notas Eruditorum, ad APICII CAELII Lib. IV. c. I.

s.) Lib. XVIII. cap. XI. initio.

t.) Aquam noſtræ feminæ, muſti ignaræ, adhibent.

Digitized by Google

mercatus annui. celebrari ſueuerunt, tanto agebantur multitudinis concurſu, qualem in vrbibus, etiam copioſiſſimis, vix hodie obſeruaris. Statæ his, in annos ſingulos, dies ſunt. *S. Paulli: Dominica Lætare: SS. Philippi Jacobi:* Feria ſecunda *Pentecoſtes: SS. Petri & Paulli: D. Laurentii: S. Michaelis Archangeli: Omnium Sanctorum:* & Dominica ante diem feſtum *S. Thomæ.* Peſtilentia anni MDCCXXXIX. extra modum, exinaniuit oppidum.

IX. Arx Temetvény.

Arcis Temetvény ſitus: Temetvény, prærupto monte conſedit, eſtque aditus longe difficillimi. Ne de huius quidem originibus, certi, quidquam poſſis ſtatuere, ſi a communi arcium montanarum ortu, quem indicauimus alibi, diſceſſeris. *molis ratio:* Molis habitus, ætatem loquitur, rudem adhuc, & ignaram, educendarum ad regulam arcium. Mœnia certe, quibus ambitur, non tam conſilio facta credas; quam fortuitis operis. Robuſta tamen ſunt, etſi vis ingruat, ferendis ictibus idonea. Neque melior prætorii facies erat. Quidquid conclauium habuit, priſco id ritu, anguſtius, quam pro dignitate, inſtructum, fuit. *proſpectus iucunditas.* At proſpectu gaudet omnium amœniſſimo, cum hinc ſiluoſos montes, iucundis verticibus, dorſisque diſcretos; illinc aduerſam *Vago*, planitiem, deſpiciat. Eſt in poteſtate familiæ *Csáky* & *Sándor*. Subducitur in aquilonem, duobus *Galgóczio* milliaribus.

X. Oppidvm Ujváros.

Natales oppidi Ujváros: Natales, nupero oppido, *Leopoldopolis* exordia dederunt. Cum enim arx ea, vti nunc diximus, diuturnioribus operis conderetur, vulgus mercenarium, poſitis caſulis, non æſtiua modo, ſed hiberna etiam, annis pluribus, iſthic egit. Concurſante mox, ad nouam ſedem, multitudine, ædium numerus, breui, ad vici modum excreuit. Quo viſo *Galgóczii* Domini, ne plebs fortuito in ſocietatem coacta, temere dilaberetur, vicum illic ponendum ſtatuunt. *quomodo increueris?* Et ceſſit omnino res ex animi ſententia. Namque, pluribus, qui fortunarum ſedem iſthic figerent, in dies confluentibus, non vicus modo prorſus inualuit, ſed relatus ſimul eſt ab indulgentiſſimo Cæſare, Regeque Leopoldo M. in oppidorum numero. Recenti loco, *Neoſtadii* nomen inditum, quod Germanis *Neüſtadl*, Hungaris *Ujváros*, Slauis *Meſtecsko*, hoc eſt, *vrbicula*, redditur. In priuilegiis, quæ indeptum eſt, ius nundinarum præcipuum cenſueris; ſed quod *Galgóczii* vicinitas eleuauit. Moles oppidi, gemina ædium ſerie, laxo diſtincta interordinio, abſoluitur. Eius medium, ſacra ædes, multitudini accipiendæ idonea, occupat, rem diuinam iisdem & hic facientibus, quibus *Leopoldopolis* *eſt in ditione* Galgoczenſi, commiſſa cuſtodia eſt. Sedet, proxime ad portam *Leopoldopolis* ſuperiorem, iuribus accenſum, arcis *Galgoczenſis*.

XI.

Digitized by Google

XI. OPPIDVM KOSZTOLÁN.

KOSZTOLÁNVM, *frequens oppidum*, Swehlæ *latrociniis, inclareſcit. rei geſtæ ſeries:*

Oſztolán, frequentia incolarum & agricolationis opportunitate, cum primis memorandum. MATTHIAE Coruini ætate *Swehlæ*, & ſequacium *Bohemorum* latrociniis primum, poſtea internecione etiam, nobilitatum. Iuuat hoc, quidquid eſt rei, ex BONFINIO (*a.*) retuliſſe, ne, cum loci meminimus, ignarum lectorem, quid hic olim, quaue fortuna geſtum ſit, dimittamus. Erat in MATTHIAE exercitu *Swehla*, vir impiger & ſtrenuus, cum eximia *Bohemorum* manu. Is, ſiue militiæ apud *Hungaros* pertæſus, ſiue, quod reuera fuit, latrocinandi cupiditate illectus, dimiſſionem a rege, tempore omnium importuniſſimo, ſibi dari contendebat. Quam, cum ob *Croatici* belli, quod rex adparabat, neceſſitatem, negatam ſibi videret, intempeſtiua ſtipendii flagitatione, regi moleſtus eſſe pergit, atque eo inuito, cum ſociis, exercitu excedit. In *Hungariam* reuerſus, dum transmiſſo *Danubio*, iter in Morauiam ſimulat, *Koſztolánum*, caſtellum regis, occupat, vtque, conceptum animo ſcelus, tutius patraret, *Bohemorum* illam ſocietatem, quæ ex cognomento *Fratrum* nomen acceperat, in *Morauia* tunc æſtiuantem, ocyſſime euocat. Fuit ea ſeptem millium virorum, nuper, a *Romano Imperatore* exauctorata. Ergo, prædæ, quam iis opimam promiſerat, cupidine adducti, *Piſonium* primo veniunt, vrbem, & *Tyrnauiam* ſimul, occupaturi, niſi *Blaſius Podmaniczky*, centurionum vnus, gente *Hungarus*, ideoque patriæ, quam iniquiſſimorum hominum ſtudioſior, maturius interceſſiſſet. Eius itaque, ſeu oratione, ſeu minis, a cœpto depulſi, pedem inde referunt, atque ad diui *Viti* fanum, caſtellum, a *Swehla* iam ante occupatum, inſtaurant, foſſa, aggereque duplici, & crebris turribus communiunt, quodque ædem ſacram intus haberet, *Koſztolánum* (*b.*) adpellant. Arce rapinarum, ad eum modum, inſtructa, ad agendas quaquauorſum prædas, effunduntur, vicos & oppida expilant, incendunt, abigunt pecora, reluctantes cædunt, captiuos ducunt, neque ſacris, neque profanis rebus, manus abſtinent, Iam plures, inter hæc maleficia, hebdomadæ abierant, totaque paſſim regio, lamentis opplebatur: *Regem, extero, inutilique bello intentum, diripiendam latronibus Hungariam reliquiſſe.* His ergo nunciis acceptis, rex *Croatici* belli conſilia extemplo migrat, iter cum exercitu flectit, & ſuperato Danubio, *Tyrnauiam* primum venit, tandem, ad *Koſztolánum* latrocinantis multitudinis aſylum, obſidendum expugnandumque, animum adiicit, mox & militem admouet. *Caſtellum*, inquit BONFINIVS, *quod vi facile capi non poterat, magnam ſibi vtrinque cædem poſtulabat; nullaque machina & ingenio citius, quam inedia, capi poſſe videbatur. Nam, ingens multitudo, propter operoſam*

ſit arx rapinarum:

obſidetur a Matthia Coruino:

a.) Decadis IV. Lib. I. p. 539.

b.) Nempe, *Koſtol*, ædem ſacram *Slauica* dialecto, ſignificat. Dubito vero, an tunc primum loco id nominis enatum, cum ante *Swehla* latrocinia, eodem vocabulo, regis hoc caſtellum, ipſe BONFINIVS adpellarit.

ſam munitionem, & properam obſidionem, ne tantum commeatuum inferre potuit, quantum ſat eſſe putaretur. Swehla *igitur, cui laquei ſupplicium, quotidie rex interminabatur, & ſuas numquam manus euaſurum auſpicabatur, ad fugam animum primum intendit, propoſitam ante oculos famem ſpectabat, & tantum ſociorum numerum, per inediam abſumptum iri, ægre ferebat, ab arte ſalutem exquirit. Proceras arbores, quæ murum, ex materia & congeſta terra factum, circumſtabant, nocte clam ſubcidit, pontemque ex eis conſtrui iubet, vt auerſa caſtelli parte, iacto, ſupra foſſam, cæco ponte, proſiliant. Cum omnia e ſententia fierent, per ſilentium noctis, cum vniuerſa fere ſocietate,* Swehla, *per actuarium pontem, clam elabitur, ducentas meretrices, & trecentos tantum homines, in caſtello relinquit: quo præſidio, dones ipſi longius effugiant, conatus regis eludant.* Hæc ille. Sed, quam inique ceſſerit, *Swehlæ* fuga ea, ſupra, ad *Csejtam*, retulimus. Cæſis nimirum ſociis, poſt triduanum errorem, in caſſes lignatoris incurrit, qui nefarium hominem, *Csejtæ* præfecto, hic autem regi, ad *Koſztolánum* hærenti, vinctum tradidit. Quem ille, pro eo, ac meruit, compellatum, laqueo, cum ingenti ſociorum numero, addixit. Funeſtum *Swehlæ*, & qui cum eo periere, exitum; ex eodem Bonfinio addiſcas. *Rex facinoroſorum ſupplicio* Blaſium Magyar *præfecit. Is, inſequenti die, pro caſtelli porta, cruces, longo ordine diſponit. Super has, eminentiores quasdam inſtituit, vt latronum princeps ipſe præpenderet. Mox omnes ad ſupplicium educti, in inferiori, ſpectantibus ſociis, qui in caſtello erant, ducenti & quinquaginta rite ſuſpenſi: in ſuperiori vero ordine, qui magis erant inſignes, in medio* Swehla, *a dextra ſacerdos eius, a leua, puer, qui poſt enſem geſtare ſolebat.* Triſti adeo ſpectaculo, qui caſtellum tenebant, exterriti, victoris ſe arbitrio, nihil cunctantes, dedidere, a *Stephano Bathorio*, Budam deuecti, ab arcis autem præfecto, *Michaele Czobor*, ne tot alendis ventribus, commeatum temere diſperderet, clam, interpolatis vicibus, *Danubio* demerſi. Atque hæc quidem tunc, & *Koſtoláni*, & maleficentiſſimæ turbæ, fortuna fuit. Veſtigia, infamis caſtelli, hodie exquirentibus, nulla monſtrari poterant alia, quam quæ templo, in colle poſito circumſita, aggeres referunt, penitus deraſos. Vt pronum ſit coniectatu, poſt *Swehlam*, ſociosque, e medio ſublatos, caſtellum ſimul, æde ſacra relicta, ſolo æquatum a rege fuiſſe; ne ſceleſtiſſimi latronum perfugii, exſtans aliquod monimentum ſuperaret.

in præſidiarios latrones ſupplicia:

caſtelli eius veſtigia, ad aedem ſacram ſuperſunt.

XII. ó Tvra.

ó Turæ, *nomen, & libertas:*

OTvra, quaſi *veterem Turam*, Hungari dixerunt. Atque idem, & apud Slauos, oppido nomen. qui id *Sztará Tura*, adpellant: cuius equidem denominationis cauſſam, haud aliam indagare potui, quam, quod vulgus ait, tunc *veteris* cognomen, diſcriminis ergo, hærere cœpiſſe oppido, cum exſectis late ſil-

ſiluis, *Turá-Lúka*, lautus iam vicus, conderetur. In liberis (*c.*) oppidis, a MATTHIA Coruino relatum ferunt, ob *Schwehlam*, maleficentiſſimum latronem, cuius actus ſupra recenſuimus, a lignatoribus *Turenſibus* interceptum. quod, ſi diplomate docuerint oppidani, multum, ſibi ipſis ad celebritatem momenti adferent. Oppidi poſitus, non minus lætus eſt, quam vber. Longo is vico, ſub collibus, agrariis partim, partim pabuloſis, procurrit. Vterque ædium ordo, ad omnem eam commoditatem inſtructus eſt, quæ eſt villico neceſſaria. Nam, hoc in primis vitæ genere oppidani delectantur; vt, alii quidem pecus, & domi, & per ſilueſtria ſtabula, copioſum alant; alii, coactum butyrum, late per *Hungariam*, quin & *Auſtriam*, venum deferant. Qua ſane merce, ita proficiunt, ad rem adtentiores, vt non raro, opes coaceruent, ruſticanis multo opimiores. Itaque, licentioſius, quam pro *Slauicæ* gentis more, viuunt, ſuntque commeſſationum, quas in publicis *oenopoliis* inſtituunt, amantiſſimi. Numquam vero ſine alea, aut *chartis*, quas vocant, *pictis*, ſcythiſſant. Quo fit, vt crebra colludentibus iurgia intercedant, fraudem ſibi mutuo exprobrantibus. Itur non raro, a verbis ad verbera; ſed nec cædibus parcitur. Haud vero deſunt, qui ſe litigantibus arbitros ingerant, & nunc iurgia, multa vſi vociferatione, ſopiant, nunc luctantes dirimant, nouamque, inter diſſidentes amicitiam, conglutinent. Ea poſtea opera, multo ab his vino, qui ſic in gratiam rediere, compenſanda eſt. Quod dum longis cum præfationibus bibitur, noui ſubinde tumultus gliſcunt, vt qui arbitri antea fuere, nunc commiſſi inuicem, clientes eorum fiant, quos a mutuis cædibus, reprehenderant. Fit ergo, vt vnica eiusmodi commeſſatio, ſæpius interrupta, iterumque redintegrata, dies noctesque continuetur. Hæc fere quotidie fiunt. Diebus autem feſtis, nihil non additur licentiæ, quam effuſiſſimi ſaltus, hos cædes, & ſexcenta, male feriatorum hominum, facinora, comitantur: quod illi maximum ruſticani laboris, mercatusque pretium, exiſtimant. Oppidi templum colli impoſitum eſt, ſubtus *Parochi* domus ſedet, a qua ſtrati lapide gradus, vſque ad ædem, ſurriguntur. Eſt in ditione *Csejtenſi*.

ſitus atque adium ratio:

incolarum ingenium, ad ſcythiſſandum, & mutuas lites, proclive.

XIII. BREZOWA.

PRopius, ſub *albos montes*, oppidum *Brezowá* ſuccedit, paucis ab hinc annis, inter oppida, regum indulgentia, relatum. Vaſte id ſe porrigit, eſtque maiore incolarum numero, quam quos agri, qua eſt anguſtia, poſſit ſuſtentare. Quam ob rem, pauciores in his reperias, qui pro eo, ac vellent, ruſticari poſſent. Ergo, plerisque in opificiis, præſidium omne collocandum eſt: ſutrina potiſſimum, cui oppidanorum pars eximia, haud ſine quæſtu, operatur. Poſitum eſt oppidum, intra colles montesque, vico vnico,

Brezowá, *nuper in oppidis relata:*

c.) Sæpius in Decretis, inter libera oppida, referri legas, A. MDCXLVII. Art. XXX. & A. MDCLIX. Art. LXVII.

Digitized by Google

oppidanorum mores, & occupatio.

longius multo, quam latius, procurrens. Nihil ab incolarum moribus alienum putaueris, quod de *Ó Turenſibus* diximus. Præterquam enim, quod læti ſunt, & cauponis dediti, mercatus & ipſi, lubenter conſectantur. Quibus res familiaris lautior contigit, boarii fere ſunt inſtitores: pecora hi, in *Hungaria* campeſtri, empta, educunt ad vicinos, præclare ſibi agere viſi, ſi tantillum lucelli referant. Ceteri, factitium illud vini genus, quod *Palinkam* vocant, plenis plauſtris, in *Hungariam*, profundius inuehunt, vicatimque venundant. Vix ruſticam ædiculam reperias, cui non ſit ahenum, deſtillando huic liquori, factum. Tercenta eorum numerari accepimus. Qua re fit, vt plus fere, arte improba, frumenti prodigant, quam, quod alendæ familiæ, neceſſarium eſt. Id vero, in tanta vini, per *Hungariam*, copia, an in commune vtile ſit, merito ambigimus.

SECTIO II.

DE

Vicis Proceſſus Ujhelyienſis.

TAmetſi bella Turcica, ſemel atque iterum, vehementer adflixerunt prouinciolam; tamen, ita, breui poſt, vicis, vtraque *Vagi* ripa, conualuit, vt nihil, cum ſitu eorum iucundius, tum agro dici poſſit vberius. His viſendis operam iuuabit impendiſſe.

1.) *Zolnafalva.*

2.) *Komárno.*

3.) *Caſtkowcze*, Hungaris *Caſztkócz.* ad teli iactum, *Csejta* ſemotus, & cum opportunitate alia, tum mola in primis frumentaria, fructuoſus. Suæ hic heris *Csejtenſibus*, & ſedes ſunt, & allodia, egregie inſtructa, ac prorſus ad ruſticandum facta.

4.) *Podolya*, Hungaris *Podola*, eiusdem tractus vicus, idemque omni ea commoditate, quæ eſt agricolationi neceſſaria, præditus. Pratis certe, & rure fertili, quin & vite, quam benignius alit, lætatur.

5.) *Koritna*, & agro, & incolarum copia, præſtans vicus.

6.) *Ozcskow*, duobus *Ujhelyino* milliaribus, in meridiem reiectus, gentis *Ocskaianæ* originibus nobilitatus. Mola, quam habet, plurium operarum eſt, atque ad modum caſtelli, muro incincta. Iſthic famoſiſſimum illum *Rákócziana* factionis ducem, iam Cæſaris partes ſequutum, *Jaworka* quidam, ex inſidiis intercepit, *Ujvarini*, ignobili prorſus ritu, a *Zingaro*, breui poſt, capite truncatum.

7.) *Osztró.*

8.) *Krakowan*, pagus frumenti diues. Fuit olim gentis *Appony*, poſtea, iure permutationis, *Epiſcopi Nitrienſis* factus, qui fructuoſam hic villam ruſticam habet.

9.) *Strázа*, olim, *Úr* vocitatus, fuitque gentis *Appony* proprius,

Digitized by Google

us, antequam a *Sigismundo*, ditione *Apony* donaretur, iſthinc poſtea denominatæ. Eſt præcipuo, ad ruſticandum, agro; fuitque in *locum Articularem* pro *Auguſt. Conf.* addictis, deſtinatus. quæ quidem prærogatiua, nuper, Cæſaris optimi indulgentia, *Pritrzdino* collata eſt.

10.) *Trebethe.* 11.) *Koczáricz.*

12.) *Bóri*, Slauis *Borowcze*, nobilis vicus, idemque ruſtico idoneus, vicinus *Dudvágo* adſedit. Expilatum deletumque a Turcis, apud ISTVÁNFFYVM (*a.*) legas: *Póſtenio*, inquit, *penes Vagi ripam procurſando, vsque ad Beczkouii oppidi portas, cæde & ſanguine obuiorum debachati*, Borium *pagum exuſſere, abductis nobilibus feminis*, Joannis Baloghii, & Paulli Vizkeleti, *vxoribus & liberis*. Tiliam habet, tam laxæ molis, quæ centum equites, pluuio, aut nimium calente cælo, obumbrare queat; ſed quæ, dum hæc ſcribimus, excidio proxima eſt, ob ætatem, & contractam ex ea, intimis medullis, putredinem. Trunco ſane, ad eam cauitatem exeſo eſt, quæ duodecim viris, commode accipiendis par ſit.

13.) *Rakowicz*, in hærediis cenſebatur olim arcis *Berencz*, eſtque, cum ſitu, atque poſſeſſoris ſede, tum agri præſtantia, commodus.

14.) *Veſzelé*, priore multo opimior.

15.) *Tyapko*, modicus vicus, agro tamen frumentario, & pratis, ſic ſatis opportunus.

16.) *Felſö-Dubowán.*

17.) *Alſó-Dubowán*, vici opimio rure circumfuſi.

18.) *Zákoſztolán.*

19.) *Pecsenyéd*, merentur, & a rure commendari, & a ſitu.

20.) *Petöfalva*, priori illo, commodior aliquanto.

21.) *Ratkócz.*

22.) *Zulkócz*, pratis non minus, quam agro reliquo, memorandus.

23.) *Karkócz*, Slauis *Trakowicze*: priori illo, & incolis frequentior, & rure laxior; ſed quod in via regia, quæ *Galgóczium* tendit, poſitus eſt, ob commigrantium, vltro citroque, militum hoſpitia, incolarum querelis grauatus. Iſthic, cænoſum illud, multisque, ex præterlabente *Dudvágo*, reſtagnantibus lacunis impeditum, & ob id, frequentibus pontibus conſtratum iter, incipit, per bis mille paſſus, vsque ad ſublicium *Galgoczienſium* pontem, (*b.*) procurrens. Qua ager vici verſus amnes deprimitur, pratis luxuriat; reliquum, aut frumento conſitum eſt, aut vite; ſed, quæ vinum fundit ignobilius. Neque deſunt vico ligna cædua: quippe quæ, dumeta, *Vago* proxima, ſufficiunt.

24.) *Bucsán*, ob rem frumentariam, oppido fructuoſam, opimis vicis adnumerandus. Inſedit ad *Blawam* amnem, qui heic plures molas, perenni aquarum incurſu, rotat. Sed vitis non æque re-

a.) Lib. XXXI. p. 745. ad annum MDXCIX.

b.) Anno MDCCXXXVII. ſtratam, ad modum aggeris, viam, publica impenſa, MIKOVINIVS, noſter, iſthic inſtruxit, magno itinerantium commodo. quos antea, difficultates illæ, extra modum remorabantur. Vtinam, ne per incuriam, dehiſcat cœpta moles!

ſpondet colono: itaque, parcius curatur. Olim, caſtello quoque honeſtabatur.

25.) *Manigha*, Slauis, *Malzenicze*, vicus, in principibus prouinciolæ huius, referendus.

26.) *Radosócz.* 27.) *Nyizná.*

28.) *Dejte*, limitaneus, vtriusque, *Nitrienſis*, & *Piſonienſis* prouinciæ pagus, ita inſedit, vt parte altera iſthuc; altera illuc, referatur. Limitem, amniculus *Blæwa* deſcribit, medio fere vico interlabens. Diximus de eo, apud *Piſonienſes.* (c.)

29.) *Jókó*, arci cognomini, ſubſternitur, intra vallem, laxam eam, amœnamque, repoſitus. Rus ideo vici, fere totum collinum eſt, & ex montium vicinitate, quam alibi, ſterilius. Proinde, ſi reddere ſementem debeat cum fœnore, vberiore lætificatione prouocetur, neceſſe eſt. Prata, contra ea, vtroque *Blæwa* latere, qua ſe vallis porrigit, diffuſa, fœni quidem ſunt feracia; ſed torrentium incurſibus, qui hinc atque illinc, præcipites deiiciuntur, obnoxia.

30.) *Lopaſsó*, montium radices, peculiari valle ſecretas, occupat, poſitu oppido amœno. A tergo enim montes adſurgunt, varie ſinuati, frontem contra, diffuſus in planitiem ager, occupat. Itaque ruris ingenium, & frumentario, & vineatico prouentu, lætatur. Cetera, vicus eſt copioſus, cuius latus alterum, ædes ſacra conſpicuum facit.

31.) *Lancsár*, &

32.) *Kocsin*, mediocres vici, magisque cultu vineatico, quam frumentario, proficientes. Aedes huius ſacra, edito loco poſita, multum refert elegantiæ.

33.) *Steruſz*, Werbouiæ adfinis, laxaque valle reſidens, quam, hinc ager frumentarius, illinc, colles vite obſiti, amœnam reddunt vberemque. Vinum ſane, quod hic prouenit, eximii ſaporis eſt; quin & hortenſes fructus, multo, quam alibi, ſunt iucundiores.

34.) *Podkilæwa.*

35.) *Sipkó.*

36.) *Krajna*, vici non infrequentes, atque agro, collini quidem poſitus; ſed fœcundo tamen, circumſeſſi.

37.) *Mijæwa*, princeps totius ditionis vicus, & ad oppidi modum, ædibus, iuxta & incolis, copioſus. Auſteri his ſunt mores, indolesque refractaria. Anno MDCXXIV. *Cosáci*, ſub FERDINANDO II. merentes ſtipendia, vicum euaſtarant. Quod dum fieret, multi incolarum, correptis armis, conuaſatisque reculis, ad ædem ſacram, & huius turrim, confugiunt. Inſtant *Coſaci* & reſiſtere auſos, qua vi, qua pollicitationibus, ſe, vti dederent, rogant, vrgent. At illi, incendia vici late diffuſa, conſpicati, nec minis, nec precibus commoti, rem, quam poſſunt, fortiſſime gerunt. Iam ad deditionem, inſtantibus impigre barbaris, res videbatur vergere, cum, e plebe, qui-

c.) Tomo Operis II. p. 188. §. XIV. vbi in oppidis refertur.

Digitized by Google

quidam, vltimum, qui obſeſſis ſuperabat, globum, fiſtulæ immittit, eumque, in caput *Coſacorum* ducis, tam feliciter elidit, vt humi proſtratus, ad eundem ictum, animam efflarit. *Krnowské-Knjze* ei nomen fuit. Quo viſo, gregarii milites, cadauer ducis feſtinatiſſime corripiunt, oppugnationeque relicta, in fugam, præda onuſti, effunduntur. Eadem, ac forte deterior, vici fortuna & tunc fuit, cum ſub iugum miſſo *Ujvarino*, hoſtes, late regionem populabantur. In primis autem cladem paſſus eſt, nupero tumultu *Rákócziano*. Adſueti latrociniis incolæ, ſubinde arma, viresque ſociauerant cum ſeditioſis, tunc potiſſimum, vbi *Morauiam*, infeſtis ſignis, inuadebant *Hungari*. Ergo, vlturi acceptas iniurias, *Morani*, duce *Leopoldo Ottislawo*, Hradiſtenſis dominationis prætore, Anno MDCCIV. in Hungariæ fines incurrunt, *Mijæwam* igni exurunt, æsque campanum grandius, de turri deductum, in prædam ſecum auferunt. Sed *Mijæwenſes*, ea clade nihilo facti meliores, quod ſe ab iniuriis haud abſtinerent, nouis ſubinde adfecti calamitatibus, pœnas hoſtibus dedere, tuguriis, quæ paſſim ſparſa habent, iterum iterumque exuſtis. Sedato tumultu, poterat redintegrari vicus, niſi pacis abuſus beneficio, optimi Cæsaris indignationem, ipſumque adeo *Jouis* fulmen, in ſe detorſiſſet. quod iam non recolemus. Multa hic opificum contubernia degunt, textorum potiſſimum, ſutorumque. Reliquum genus, agricolatione, reque pecuaria ſuſtentatur. Enim vero, præter copioſiſſimas vici ædes, tuguria colunt ſilueſtria, iis locis poſita, vbi exſtirpatis nemoribus, & agros frumentarios habent, prataque, & rus, compaſcendo pecori idoneum. Id genus caſas, agrumque, *Kopanicze* vocant. Porro, de vici frequentia, inde capi argumentum poteſt, quod prætores ruſticanos quatuor habeat. *Iudices* vulgo dicunt. Plures iam vico ſunt domini. In præcipuis ſunt: Comites *Erdödii*, *Illésházii*, *Nyárii*, *Révaii*, vt nobiles viros taceamus.

3.) *Vagyocz*, Slauis *Wagyowcze*, officinam *Vulcani* diceres, ita fabri ferrarii vicum adamauere.

39.) *Chrachovistya.*

40.) *Visnó.*

41.) *Koſztolná.*

42.) *Lubyna*, monti *Jaworina* ſubſitus, cuius vſi commoditate incolæ, materiarii ſunt plerique, vaſa parantes omnis generis, quæ ſecundo *Vago*, in Hungariam inferiorem auehuntur. Secedit *Ujhelyino*, vno, in aquilonem, milliari.

43.) *Hruſſócz*, Slauis *Hruſſowcze*, caſtello inſignis, quod clades *Tököliana* cuiusdam, luminibus captæ, atque iſthic ſedem habentis, nobilitauit. Famulus nimirum; coquum fuiſſe aliqui volunt; incautius ab exteris inter ſeruitia adſcitus, heram, cum cuſtode ſua, nocte concubia, e medio ſuſtulit, expilatisque, quos habebat, theſauris, *Piſonium* profugit; illic vero, patefacto ſcelere, captus, & manu carnificis, pro eo, ac deliquit, obtruncatus eſt.

44.)

44.) *Felsö-Bottfalva*, &

45.) *Alsó-Bottfalva*, Slauis *Bzincze*, Ujhelyino, medio ad occiduum ſolem, milliari repoſiti. Situ creduntur eſſe iniquiore, incolis autem extra modum agreſtibus.

46.) *Mosócz.* (*d.*)

47.) *Sz. Kereſzt.*

48. *Vieſzka.*

49.) *Patvarócz*, gentis olim hinc denominatæ.

50.) *Brunócz*, *Vago* adſitus, ideoque iniuriis, dimanantis amnis, expoſitus. Fuit olim *Bertsényi* hæredium, qui id nupero tumultu, inædificato prætorio, ornauerat. Sed, eo profligato, loci poſſeſſio, regis indulgentia, *Lochero*, viro, ob pacatam, ductu *Comitis Johannis Pálffyi*, Hungariam, laudatiſſimo, adtributa eſt.

51.) *Szerdahely*, a ſitu, & ob diſcrimen, ab alio vico, qui ad *Nitram* ſitus eſt, ad *Vagum* dictus: huic enim amni, tam propinguus adſedit, vt non vna, ab exundante eo, clade adficiatur in annos ſingulos. Fuit olim, in ditione *Ujhelyienſi.*

52.) *Pobedin.*

53.) *Basócz.*

54.) *Kis-Örvistye*, &

55. *Nagy-Örvistye*, *Vago*, & *Dudvágo* interſiti, vix habent reſidui quidquam, præter adlabentium amnium, frequentes iniurias.

56.) *Teplicze*, exilis, prope *Pöſtény*, viculus, ita dictus, quod iſthic thermæ, quas ſupra laudauimus, ſcateant.

57.) *Bakó*, paucis caſulis habitatus.

58.) *Drahócz.*

59.) *Madunicz*, & ſitu hilares, & agro fœcundi.

60.) *Vörös-Vár*, copioſus pagus, & tritici, quod rubella gluma eſt, diues; ſed *Vagi* eluuionibus infeſtus. Incolarum plerique omnes, aurigæ ſunt, equeſtres ii, qui, ſi aliter operam locare nequeant, coemto paſſim, & deuecto huc illucue, frumento, lucrum faciunt.

61.) *Bereghszegh*, aduerſam, arci *Galgoczienſi*, ripam *Vagi* tenet, poſitu depreſſo, ideoque eluuionibus amnis expoſito. Alioquin, tritici rubelli illius, & olerum ferax eſt.

62.) *Felsö-Zèla*, Slauis, *Zelenitz* ſuperius.

63.) *Alsó-Zèla*, ſeu *Zelenitz* inferius, eodem ſitu, & agri ingenio, viſuntur, *Dudvágo* hinc, illinc *Vágo* concluſi.

64.) *Sziládi.*

65.) *Szent-Péter*, adfinis *Galgóczio*, amnique imminens, &, cum ſegetum, tum laudatiſſimi vini, pro agri, quem nactus eſt eximium, natura, ferax; ſed eo infelix, quod *Vagi* incurſu, extra modum infeſtetur. Cenſetur in ditione *Galgoczenſi*; parte ſui altera, *Comitibus Forgách*, hodieque adſcripta.

66.)

d.) Haud confundendus omnino, cum *Túróczienſium* oppido illo, quod Tomo II. pag. 341. deſcripſimus.

66.) *Kapláth*, Slauis *Koplatowcze*, tam arcte *Vago* hæreſcens, vt inter vicum, & amnis crepidinem, ægre viam transmittat. Aſpera ea, & ſuperatu difficilis eſt, eo potiſſimum loco, cui *portæ lapideæ*, vulgo *Kamené Wráta*, nomen inditum. Nimirum, via eſt, per latus montis, in petram inciſa, atque hinc alto in *Vagum* præcipitio, illinc imminente cliuo, anceps & quaſi ſuſpenſa. Hanc olim, latrones ſubſidebant, viatoribus infeſti. Vicus agro eſt iniquiore; colles tamen vite lætantur. Prætorium certe, quod a montis pede, via intercurrens, dirimit, multum, ex vinetorum obtutu, habet iucunditatis. Sunt hic latumiæ quoque, lapidis, ad cædendum haud refractarii. Eſt locus in poſſeſſione gentis *Kún*, & aliorum.

67.) *Falsó*, Slauis *Falſthowá*, Kaplatenſi vico, propemodum ſuppar.

68.) *Szokolócz*, locus, cum rure ad agricolandum eximio, tum caſtello, nuper, a *Comite Sigismundo Nyáry*, educto, inſignis. Moles nimirum eſt, ad vaſtæ turris modum, in quadrum poſita, & in plures ſubſtructa contignationes, tricliniis & conclauibus adparate factis, conſtans. Extus, turbinati gradus, reliquæ moli coædificati ſunt. Per hos conclauia adeuntur, miræ iucunditatis. Quia enim altius ſurrectum opus eſt, proſpectum habet, vtraque *Vagi* ripa, vti latiſſime porrectum, ita amœnitatis prorſus mirificæ. Prætorio, hortus adhæſit, ad regulam factus, atque iuſtis arborum interordiniis, eleganter diſcretus. Hunc piſcina humectat, perennibus aquis, quæ proximis ſcaturiginibus ſaliunt, offuſa, varioque piſcium ſeminio referta. Vltra, vicus procurrit, rure obſeſſus, amplo quidem; ſed hinc ad *Vagi* iniurias expoſito; illinc argillacea gleba effœto, viti autem fere iniquo. Ergo, multa cum lætificatione fœcundari oportet. Viuarium *Phaſianorum*, intra amnem ſepoſitum, præter morem regionis, egregie proficit. Tantum eſt, naturæ, etiam nouercanti, artem admouiſſe! quod vtinam fieret a pluribus.

69.) *Baková*, priori vicinus.

70.) *Rattnócz*, interius, qua ſiluoſi montes ineunt, reſedit, agro non plane quidem iniquo; ſed quod per colles argillaceos ſparſus eſt, ſiticuloſo eo, & lætificationis indigo. Viti, quæ hic ægrius proficit, laus pene nulla.

71.) *Banka*, intra, montium radices, obſcuro adeo poſitu retruſus, vt hoc *Vagi* latere adſcendentibus, tunc demum ſe offerat, cum ſubcundus iamiam eſt. Obiacet *Pöſthénio*, cuius olim *thermæ* iſthic ſcatebant; ſed quas, *Vagi*, crepidinem latiſſime excedentis, impetus, iam pridem obruit. Atque tunc quidem lautiore fortuna vicus fuit; quod incolæ, lucelli quidpiam ex his, qui lauatum accedebant, facere poterant. Aiunt, ex rubricæ foſſilis prouentu, quæ hodieque eruitur, vico nomen olim enatum fuiſſe: *Banka* enim, Slauis, diminuto vocabulo, fodinam ſignificat. Agro eſt, ob frequentes editosque colles, aſpero, & ad ruſticandum difficili.

72.) *Morovánka*, lautius multo, eadem *Vagi* ripa, conſedit. Et

eſt omnino vicus eximius, idemque herili *Csákiorum*, in quorum ditione eſt, prætorio inſignis. Cum *Rákócziani*, per Hungariam tumultuarentur, ponte ſublicio, amni iniecto, ſuperbiit. qui demum, tumultu ſedato, reſciſſus eſt. Succedunt huic:

73.) *Hubina.*

74.) *Diczó.*

75.) *Uj-Lehota.*

76.) *Lúka*, eſt arcis *Temetvény*, cui ſubſedit, tamquam ſuburbanum quoddam; agro, frumento, quam viti, benigniore. Enim vero, vinum, quod hic prouenit, delicatiores improbant. Hortis tamen, paſcuisque luxuriat. Eſt iuris *Sándoriorum*, qui caſtellum huic poſuere, ob eminentem, in *Vagi* ripa, ſitum, & molis præſtantiam, nulli, hac ora, ſecundum.

77.) *Ó Lehota.*

78.) *Nagy-Modró.*

79.) *Lubina.*

80.) *Hrádek*, &

81.) *Horka*, haud importuni vici, *Cſejta*, & *Ujhelyino*, obiacentes.

82.) *Kis-Modró*, a maiore illo, & ſitu, & habitu alio, diſcretus. Hæc, de Vicis *Proceſſus Ujhelyienſis.*

MEMBRVM V.

DE

Proceſſu Szakolczenſi.

PROOEMIVM.

EXtremus iſte prouinciæ *Nitrienſis* angulus, hinc, *Albis Montibus;* illinc, finibus *Auſtriæ* & *Morauiæ;* a meridie *Piſonienſi; Trentſinenſi Comitatu* a ſeptentrione, definitur. Arcium, oppidorum, vicorumque, numero, pro regionis, qua eſt, portione, ſane copioſus; ob vicinitatem vero *Auſtriæ*, *Morauiæque* etiam lautus: a nobis id circo, eo impenſiore opera, deſcribendus.

SE-

Digitized by Google

SECTIO I.

DE

Libera Regiaque Vrbe Szakolcza.

SYNOPSIS.

Vrbis natales, priſcis Morauis *adſtribendi: cur ita ſentiat auctor.* §. I.
Quando iuris eſſe cœpit Hungarici? §. II.
Quæ eius poſtea incrementa fuerint: incolæ Slaui, *excitis coloniis aucti.* §. III.
An a Bela *cæco, ſit condita: de eius, apud* Szakolczenſes *natiuitate, diſputatio: eſt vrbis inſtaurator dicendus.* §. IV.
Vrbis, poſt inſtaurationem hanc, fata: in primis ſub Ottocaro. §. V.
Munitur a Sigismundo *rege.* §. VI.
Inſidetur a Pancratio *latrocinante: rei eius hiſtoria, ex* Gerhardo de Roo: *ex* Bonfinio. §. VII.
Fortuna vrbis, ſub Coruino: *poſt* Ludovici *occaſum, ſit exulibus perfugio: lites inde coortæ, & a* Ferdinando I. *diremtæ.* §. VIII.
Damnâ a Botskaio, *vrbi illata:* Bethleniana *factio, & ſeditiones reliquæ: lex, damnorum ſarciendorum cauſſa, lata.* §. IX.
Libertates vrbis, auctori incognitæ: Ferdinandi I. *in vrbem benignitas: Statuum prouidentia.* §. X.
Aedificiorum vrbis habitus: ciuium ingenium: occupatio: agri indoles. §. XI.
Sacrarum ædium, ordinumque ratio. §. XII.

§. I.

SZakolcza, vaſti huius Comitatus, vrbs vnica eſt, quæ priſco iure, *Liberis Regiisque* accenſetur. Eius natales, nihil dubitamus, ad *Morauos* referre, gentem, late olim dominantem. Ita, vt ſentiamus, non tantum *Slauica* nominis ratio; ſed regni etiam *Moranici*, priſtina illa amplitudo, nos permouit. Regnauere huiates populi, ante *Hungaros*, tota ea regione, quæ eſt a *Morava*, ad *Granum (a.)* vsque protenſa; ſed iſta *Quadorum* potentia fuit, Romanis ipſis formidabilis. Hos *Slaui (b.)* exceperunt, peregrino ſolo, huc illapſi, eo demum imperitantes licentioſius, quo plus tunc conſobrinarum gentium, rabies non minus, quam migrandi libido, inualeſcebat. Tunc ergo, *Szakolczam*, condi cœpiſſe, non vno auguramur indicio. In his ſunt: quod ad

Vrbis natales priſcis Morauis, *adſcribendi e*

cur ita ſentiat auctor.

a.) Conferatur omnino FRIDERICI WILHELMI a SOMMERSBERG Regnum Vannianum, vbi de vetere Morauiæ habitu, multa reperias; capite in primis VII.

b.) Adeas, egregie de his commentantem IACOBVM CAROLVM SPENERVM, Notitiæ Germaniæ Mediæ, Cap. IV. pag. 384, ſeqq.

Morauæ traiectum, loco omnium opportunissimo, vrbs adsedit; quod nomen gentemque *Slauicam*, inter tot conuersiones, ad nostram vsque ætatem, intemeratam retinuit. *Slaui* nimirum, suo idiomate *Skalicze* dicunt, hoc est, locum saxo inædificatum. Quod & congruit omnino cum situ vrbis. Ita BONBARDI (*c.*) Szakolcza *a Slauonica voce*, Skala, *hoc est*, petra, *quod videlicet*, *rupi impositæ*, *fines Morauiæ respiciat*, *nomen mutuata*. Et Tyrnauienses eruditi *(d.) a Slauonico vocabulo* Skala, *quod petram significat*, *dicta est*, *quia super petram ædificata*. Germani *Szkalitz*, eodem, sed decurtato vocabulo, adpellant. quod in vulgus nota sunt.

§. II.

Quando iuris esse cœpit Hungarici.

POst *Slauicas* hasce origines, tunc *Hungarici* iuris esse cœpit, *Szakolcza*, cum eiectis, saltem subiugatis *Morauis*, gens nostra, rerum, tota ista regione, potita est. Nimirum, discerpto, *Arnulphi* (*e.*) temporibus, *Morauiæ* regno, partem eius, quæ a *Grano*, ad *Morauam* vsque amnem, pertingebat, *Hungari* suam fecere. Ecquis autem credat, limitanea loca, non illis, iam tum curæ fuisse? Sed, ista tunc finium *Hungariæ* prorogatio, tumultuaria potius fuit, quam consilio suscepta. Vbi vero, ad iustæ reipublicæ formam, populus coaluit, regibusque cœpit subesse: vti adductius gerebantur omnia; sic & finium tutandorum, muniendorumque ratio, obtinuit sollicitior. Atque his ego temporibus, tot montana castra, aduersus amnem *Morauam*, tamquam extremum, ista ora *Hungariæ*, limitem, poni fuisse cœpta, saltem nouis instaurata operibus, existimarim. In his referimus arces: *Berencs*, *Korlatkő*, *Eleskő*, *Detrekő*, *Borostyankő*, *Dévén*, & auerso *Carpathi* latere: *Illawa*, *Besztercze*, *Trentsin*, *Lednicze*, *Beczkó*, *Csejte*, *Jókő*, *Szomolán*, *Vereskő*, *Sz. György*, *Posonium*; vt munita loca alia taceamus. Quidquid eius sit, vltra *Hungarorum*, tertium, in has regiones, aduentum, *Szakolczæ* natales, reponendi sunt.

§. III.

Qua eius postea incrementa fuerint?

HActenus, coniecturis, vero haud dissimilibus, locum dedimus. quod, neque potest fieri aliter, in tanta, priscæ illius ætatis, ignoratione. Iam certiora, qua poterimus, promenda erunt. Vrbe, vel huius rudimentis, *Hungariæ* adiecta, veteres eius incolæ, *Slauum* genus, suas istas sedes, & postea obtinuerunt; deductis subinde coloniis, aucti suppletique. Nam, ita sueuerunt prisci illi reges, vrbium incrementa procurare, vt gentes exteras, easque artium gnaras, etiam præmiis illectas, in *Hungariam* aduocarent, varieque dispertitas, in vrbibus collocarent, atque oppidis. Diserte

incola Slaui, *exteris coloniis, amßi.*

THú-

c.) Topographiæ Regni Hungariæ p. 122.
d.) Celebriorum Hungariæ Vrbium Parte II. p. 30.
e.) SZENTIVANY, in Chronologia Hung. ad Ann. 898. Adde THÚROCZIVM, Parte II. Chronici, cap. XXIII. p. 36.

Digitized by Google

THÚRÓCZIVS (*f.*) *Intrauerunt*, inquit, *Hungariam, tam tempore regis* GEYCHAE, *& S.* REGIS STEPHANI, *quam diebus regum aliorum*, Bohemi, Poloni, Hiſpani, Ismaelitæ *ſeu* Saraceni, Beſſi, Armeni, Saxones, Turingi, Miſnenſes, *&* Rhenenſes, Cumani *&* Latini, *qui diutius in regno commorando, quamuis illorum generatio neſciatur, per matrimoniorum diuerſorum contractus, Hungaris immixti, nobilitatem pariter, & deſcenſum ſunt adepti.* En! primo loco *Bohemos*, qui ſe, apud *Szakolczenſes*, & toto circum tractu, a reliquarum contagio nationum, eo facilius intaminatos poterant ſeruare, quo, & *Hungari* remotius hinc conſederant, & viciniores fuere *Morauí*, olim, vernaculum genus. Itaque, fas eſt exiſtimare, lentis licet, perpetuis tamen acceſſionibus, toto eo ſeculo, quod ab inauguratione S. STEPHANI, ad COLOMANNI vsque ætatem, decurrit, inualuiſſe vrbem. Certe, rerum adhuc potiente S. STEPHANO, æde ſacra, quam poſterior ætas, D. *Michaeli Archangelo* dedicauit, auctam fuiſſe, paſſim legas: vt recte omnino LADISLAVS TÚRÓCZI (*g.*) antiquitatis inde argumentum capiat; *antiquam*, inquit, *oportet eſſe, in qua, vt pote anno M. XXI. templum excitauit D. Michaelis Archangeli*, Joannes *quidam, vinearum cultor.* Addunt *Tyrnauienſes*, (*h.*) & cognomen fundatoris. *Maius his, ſplendidiusque eſt oppidanum S. Michaeli Archangelo ſacratum, anno MDCXXXI. exſtructum vero, anno MXXI. a vinitore, cui nomen erat* JOANNES DE PRVRIS. Igitur, coniectatu facile eſt, cum ſplendida ædes hæc, vrbi inædificaretur, & ciuibus frequentem eam, neque nuperam fuiſſe.

§. IV.

An a Bela *cæco, ſit condita?*

AT enim vero, ne quid diſſimulemus, vetuſtas vrbis origines, quales fuiſſe exiſtimamus, illud videtur poſſe labefactare; quod laudati auctores, a BELA cæco conditam, perhibeant. Ita eruditi Tyrnauienſes: *Comitatus Nitrienſis, Szakolczam ſibi vendicat,* BELA *cæcus condidit.* Alii, iſthic natum BELAM memorant. Vtrumque, quale ſit, videamus. Ac BELAE quidem pater, *Almus* fuit, regis COLOMANNI, minor natu frater, cum quo ei, odia interceſſere perpetua; ſiue, quod ea iniquiſſimi homines, mutuo inflammarent; ſiue, quod re vera, ſublatum e medio *Colomannum* voluerint. Proinde, frequenter, *Almo* exulandum fuit; nunc ſua culpa; nunc iterum, regis immanitate. Bis apud *Polonos*; ter fere apud *Alemannos*, diuerterat. Incerta, ad hunc modum, vagatus ſede, poterat omnino *Szakolcza*, clam aliquantiſper ſubſtitiſſe, vt grauida vxor, partum, in *Hungaria*, haud vero apud exteros, in lucem ederet, & poſtea, ſi res trepidæ forent, limitanea vrbe relicta, maritum, e veſtigio ſequi poſſet. Et concordant omnino, chronologiæ non minus, quam rerum geſtarum

denius, apud Szakolczenſes *natiuitate, diſputatio:*

Rrr 3 ra-

f.) Chronici Hung. Parte II. Cap. XXII. p. 36. Peculiaribus iuribus donauerunt *Szakolczam*, ANDREAS II. A. MCCXVII. & filius ſuus BELA IV. A. MCCLVI.

g.) Hungariæ compendio exhibitæ, p. 187.

h.) Loco, quem ſupra citauimus.

Digitized by Google

rationes. Anno enim, ſupra milleſimum, centeſimum, decimo tertio, HENRICI V. opera, *Almus*, *Colomanno* reconciliatus, nouis iterum ſimultatibus implicabatur. Tunc vero, BELAM, antequam fratres in gratiam redirent, natum iam fuiſſe oportuit: quippe, cum anno ſequente, vna cum patre, oculis orbaretur, infantulum adhuc fuiſſe ſcribit BONFINIVS. (*i.*) Ergo, nihil hiſtoriæ derogauerimus, BELAE natiuitate, *Szakolczæ* adſerta. Ea coniectura expedita, non erit difficile exiſtimare, cur ei, a ſcriptoribus, conditæ vrbis laus adtribuatur. Beneficium ille, patriæ rependiſſe, putandus eſt; non, quod eam reuera primus condiderit: quippe, quum ipſe naſceretur, iam exiſtentem; ſed, quod obſoletam forte & inermem, partim priuatis publicisque ædificiis, cohoneſtauerit; partim, mœnibus incinxerit, ne iniuriis *Bohemorum* pateret. Nam & illud in notitiis manu exaratis lego: *muros vrbis, nupero tumultu Rákócziano, a Morauis ſubrutos*, Belæ *cæci* opus fuiſſe.

eſt vrbis inſtaurator dicendus.

§. V.

NOn potuimus iſta ſiluiſſe, ne, vel ſcriptores optimi committantur temere; vel vrbs, ſua laude fraudetur. Poſt BELAE cæci fata, quia *Hungaris*, frequentia bella interceſſere, cum vicinis, *Szakolczæ*, haud parſum fuiſſe, exiſtimamus. Ab *Ottocaro*, certe, ſemel atque iterum, clade, vrbem adfici oportuit. Et difficile omnino eſt, aliter opinari: eo quod, poſt victum, in Auſtriæ, & Morauiæ confinio, BELAM IV. quidquid vrbium, arciumque, inter *Morauam*, *Vagum*que intererat, quaſi indagine concluſum, interceperit. Quod & tunc accidiſſe, memorant exteri ſcriptores, (*k.*) cum cæſum *Ottocarum*, a STEPHANO, Belæ filio, BONFINIVS (*l.*) adſerit. Sed nec ſub initia LADISLAI, quem *Cumanum* poſtea dixere, immunem, ab *Ottocari* ſæuitia, eandem hanc oram fuiſſe, *Ducum Styriæ* (*m.*) hiſtoria meminit: OTTOCARVS, *vbi ſexaginta millia trahens*, Vagum *verſus tetendiſſet, nullius amplius hoſtis frons conſpecta. Quatuordecim hebdomadum interuallo, ad Rottenſteinium*, Danubius *ponte iunctus. Tyrnauia, Nitria, Poſonium, S. Georgii caſtrum, Sopronium, munitiones omnes lacui vicinæ, Jaurinum, leges accepere.* Non hic quidem, *Szakolczæ* mentionem legas; ſed, qui potuit intemeratam vrbem relinquere *Ottocarus*, Morauiæ obiacentem? atque, traiectum amnis, ſi ab hoſte inſideri contigiſſet, remoraturam? Etiamne vero a *Matthæo Trentsinienſi*, ſub iugum rapta? Ita eſt profecto; vt optaſſemus ſane, ex annalibus vrbicis, rem omnem potuiſſe expromere.

Vrbis, poſt inſtaurationem hanc, fata:

in primis ſub Ottocaro.

§. VI.

BEllo demum *Huſſitico*, quod frequentibus Bohemorum incurſibus, tota hæc regio, infeſtaretur, SIGISMVNDVS, curam munien-

Munitur, a Sigismundo *rege.*

i.) Decade II. Lib. V. p. 246, 33.
k.) Legeſis Hiſtoriam Ducum Styriæ, in OTTOCARO, p. 94, & p. 99.
l.) Dec. II. Lib. VIII. p. 303.
m.) Loco citato, p. 100. & eius ætatis ſcriptores alii.

niendarum, iſto tractu, vrbium arciumque, ſuam fecit. Ita in exordio decreti, anni MCCCCXXXV. legas: *Volentes fines regni noſtri prædicti, a partibus* Bohemiæ *&* Morauiæ, *a quibus propter ingruentiam præſentis temporis, ab aliquibus elapſis annis, hucusque frequentiores, ferventioresque, ipſum regnum pertulit hoſtilitates, vi noſtra regia, reddere ſecuriores, onus infra ſcriptum, ſponte, immo ex debito regali, in noſtras regias curas & expeditiones duximus aſſumendum*; videlicet, vt ciuitates & caſtra ſubſcripta: *Ciuitatem & caſtrum Poſonienſe, ciuitates Tyrnauienſem,* Zakolcza, *caſtrum Trentſchinienſe, & alia caſtra, ac munitiones, & fortalitia in confinio Morauiæ, & iuxta fluuium* Vag *ſituata -- noſtris ſumtibus regalibus muniemus, & tutabimur, ſufficientibus gentibus, armis, & victualibus, aliisque neceſſariis, tam pro conſernatione & defenſione caſtrorum, & munitionum in ſe, quam ad tuendos campos, & defendenda circumiacentia campeſtria, contra quosuis inſultus hoſtiles occurrentes.* Itaque, in iis tunc vrbibus cenſebatur *Szakolcza*, quæ refrenando hoſti, videbantur idoneæ, adeoque dignæ, in quas communiendas, regii ſumtus fierent. Sed profecto, cauerí haud potuit, quin in poteſtatem latrocinantium veniret. Albertо nimirum fatis functo, cum pupillum hi, regem, *Polonum* alii, ſequerentur, eo miſeriarum ventum fuerat, vt facinoroſiſſimus quisque, in communem patriam, haud ſecus, quam ſi hoſtile ſolum eſſet, graſſaretur. Ad viuum Bonfinivs (*n.*) eam calamitatem expreſſit: *Conticuere*, inquit, *leges, & conculcata iudicia, prout quemque propria libido ferebat, ita ſeſe gerere, quisque ſibi iudex eſſe, vim, rapinas, homicidia, paſſim agere, inimicitia tunc grauiter exerceri, ille magis iniurius haberi, qui minus poſſe videbatur: aliena prædia, ſine pudore occupari, violari templorum iura, nulla denique ſacra profanaue poteſtas ſe iniuriis abſtinere.* Quod præterea, de tempeſtate ea, querelarum addit, illic legi poteſt expendique.

§. VII.

ITa res erant, cum *Pancratius* Liptouienſis, (*Pongrácz*, hodie priſcæ genti nomen eſt) *Giscræ* conſociatus, cum alia *Vaganæ* regionis caſtella, tum *Szakolczam* in primis, cum nefariorum hominum caterua, inſedit, late poſtea, ex eo perfugio, hinc per *Hungariam*, illinc per *Morauiam*, *Auſtriam*que, graſſatus. Meminit *Pancratii*, prædandi hanc libidinem, Gerhardvs de Roo. (*o.*) *Erat*, inquit, *Pancratius quidam Polonus, qui Scalitzio, in Hungariæ finibus, oppido occupato, multis incommodis vicinos diu adfecerat, nec vllis pactionibus, vt ab iniuriis ſuperſederet, induci potuerat. In hunc profectus* Vldaricus Cilienſis, *oppidum, validis tormentis quatit. Moram obſidioni fecit, pulueris defectus, quo ſubuecto, rebus ſuis diffidens*, Pancratius, *proregis* Coruini *fidei ac tutelæ, ſe committit. qui datis, ad* Cilienſem, *litteris,*

Inſidetur a Pancratio, *latrocinante.*

rei eius hiſtoria, ex Gerhardo de Roo.

n.) Decade III. Lib. IV. p. 424, 32.
o.) Annalium Auſtriacorum, Lib. V. p. 183.

ad annum MCDXLIX. Male vero *Polonum* adpellat: nam *Hungarus* omnino fuit.

teris, promittit: nihil in posterum damni Austriacis, ex eo loco illatum iri: oppidum ipse præsidio munit. Nihil, de *Szakolcza*, meminit Bonfinivs, præterquam, quod latrociniorum cum *Giscra*, societatem iniisse *Pancratium* scribat, (*p.*) quodque, captus prædandi dulcedine, arces, oppidaque complura, occuparit. *Præter Giscram*, inquit (*q*) *ille, & alii vim impudentius exercebant, vt puta*, Petrus Komaromucius, *qui Liptouiensem sibi comitatum occuparat:* Pancratius, *Hungarica gente natus*, Thúróczium *dominatum vsurpauit.* Ovár *insuper*, Berenchum, *&* Sztrechen *oppidum, cepit: regionem is omnem cadibus & rapinis infestam fecit. Mutuis isti sese odiis & præliis impetebant, mutuis quoque rapinis vtebantur.* Nempe, si *Berentsum* tenuit, procliue ei *Szakolczam* fuit occupauisse. Sed, chronologiæ rationes, impeditas hic video. Si enim a *Coruino*, in clientelam, anno MCDXLIX. acceptus, nihil in posterum damni viciniis intulisse, credi debeat *Pancratius*, sicuti ex Gerhardo de Roo, audiuimus: nescio, qui hæc ad annum MCDLI. a Bonfinio referri possint: nisi credamus, dedita *Coruino* vrbe, retinuisse tamen castra reliqua, rediisseque postea ad ingenium, rapinarum auidum; forte, vt illatam, a proceribus *Hungaris* iniuriam vlcisceretur. Iam tum enim, anno MCDXLIII. in Budensi conuentu, quem Vladislavs Polonus indixerat, hucque, præter *Giskram*, & reliquos Bohemos, Pancrativm *quoque, fide interposita, euocauerat, captus, inque vincula coniectus fuerat.* Pancratius, inquit Bonfinivs, *(r.) cui a S. Nicolao cognomen est inditum, in conuentum venit, Polonica factionis in Hungaria, his temporibus, adsertor acerrimus. Violata sacrosancta concilii libertate, facto nobilitatis impetu, ex odio publico, captus est, in vinculaque coniectus. Pari quoque inuidia, socii, ad supplicium rapti sunt. Furoris huiusce causſam ferunt, quod regionem, quam* Vagus *præterfluit, assiduis infestum latrociniis, teneret: vnde, publicam in se sociosque suos, inuidiam conflauit, & eam quidem, quæ publica fidei sanctitatem violaret.* Sed, ex eo carcere, quomodo se in libertatem adseruerit, aut quando ad officium reuocatus sit *Pancratius*, alii viderint.

ex Bonfinio.

§. VIII.

Fortuna vrbis sub Coruino:

His malis defuncta vrbs, qua postea fortuna sit vsa, silet historia. Fas est tamen existimare, bello, quod Matthias Coruinus, in Georgivm mouerat, tulisse, non plane nihil calamitatis. Eo confecto, atque *Bohemia, Silesia, Morauiaque*, inter titulos Matthiae, qui se tunc regem, ducem, *marchionem*que, earum regionum, magna virium contentione, gerebat, relatis, sua iterum *Szakolcza* halcyonia rediere. Mole enim belli, in *Turcas* incumbente, & reliquiis *Bohemorum*, qui infestam diu regionem fecerant, penitus exstirpatis, alta heic pace confouebantur omnia, tum quoque, cum Matthias Austriam,

p.) Loco citato, lin. 47.
q.) Decad. III. Lib. VII. p. 478, 25.
r.) Decade eadem, Lib. VI. p. 455, 45.

Digitized by Google

ſtriam, propemodum vniuerſam, perdomaret. Poſteaquam vero LVDOVICVS, ad Mohácsum, cum flore gentis Hungaricæ, occubuiſſet, & hoſtis, capta *Buda*, late occupaſſet Hungariam, exſulibus, perfugio *Szakolczam* exſtitiſſe, certum eſt. quæ res, multum ciuibus peperit moleſtiæ. Nobilium enim exulum numero, breui increſcente; quod liber eis *incolatus*, publica regni lege, concedebatur; parum adfuit, (*s.*) quin partem ciuitatis potiorem, agrosque, & vineas, ſuas facerent, nihil inde, ſiue tributorum, ſiue decimarum, volentes pendere. Qua licentia factum eſt, vt plures, ementita nobilitatis prærogatiua, ſedem iſthic, tamquam in aſylo, figerent. Proinde, litibus inter nobiles ciuesque, in dies inualeſcentibus; cum hi quidem, iure quodam ſuo, publicos priuatosque cenſus, depoſcerent; illi, lata lege, immunes ſe a tributis pronunciari, regererent; iamque ea controuerſia, ad tumultum vergere videretur: res tandem, ad regem, FERDINANDVM I. delata, atque ad eum modum diſcuſſa eſt: *vt ii quidem nobiles, qui ante rogatam legem, hoc eſt, annum MDXLVI. & VII. metu hoſtium profugi, ſedem iſthic fixerunt, tributo omni vacarent; qui vero poſtea huc conceſſiſſent habitatum, neque peculiari quodam regis indultu, domos agrosque ſuos liberos feciſſent, aut ementita nobilitate, Regi, Archiepiſcopo, atque vrbis magiſtratibus, impoſuiſſent; hos, quidquid, ex ciuitatis debito, pendendum tributorum eſt, ferre debere: quin & hi, qui exemtas haberent domos, publicam vrbis neceſſitatem, pro eo, ac iuſtum fuerit, vna tolerarent.* Regis hæc ſententia, ſingulari diplomate, (*t.*) cum anni MDXLVII. comitia *Poſonii* agerentur, feria V. proxima, poſt feſtum *Viſitationis* B. V. MARIAE, perſcripta, atque demum, a MATTHIA II. anno MDCXVIII. die XIII. Auguſti, nouo ſolemnique conſenſu regio, confirmata eſt.

poſt Ludouici *occaſum, fit exſulibus perfugio:*

lites inde coorta, & a Ferdinando I. *dirimta.*

§. IX.

CEterum, quam iniquis fatis, ſeculo ineunte decimo ſeptimo, vſa ſit vrbs noſtra, ex ISTVÁNFFYO *(u.)* addiſcas. Conuulſerat, pacem communem, *Botskaius*, iamque occupata, omni, a tergo, regione, *Tyrnauiam* obtinebat, cum mandante *Rédejo*, *Dengeleghi*, octo *Hajdonum* millibus, mille item *Turcis* ſtipatus, ad vaſtandam *Morauiam*, facto, per *Album*, quem vocant, *montem*, itinere, dimittitur. *Is, Morauiam longe lateque populatus, cum in equeſtres Morauorum copias, quas Wilhelmus Poppelius, & Hodiccius, ducebant, non procul* Szakolczia *incidiſſet, acre cum iis certamen contraxit, in quo vtrinque plurimi cecidere.* Dengeleghius *nihilominus in reditu*, Szakolcziam *vrbem, in limine & finibus Morauiæ ſitam, de-*

Damna, a Botskajo, *vrbi illata:*

s.) Laudandum infra diploma, ſic habet: *Si*, inquit, *liceret perpetuo profugos nobiles, in dicta ciuitate noſtra, domos acquirere, & in eis ſeſe, vigore prænotatorum articulorum, liberos & per omnia exemptos, fore, facile & breui, dictam ciuitatem noſtram ab omni - - - deſtitutam, a Fiſco noſtro alienari, & in ius nobilitatis conuerti.*

t.) Habemus id integrum, & inter cimelia noſtra repoſitum.

u.) Lib. XXXIV. p. 827.

dentibus ſe ciuibus, occupauit, & Stephano Horvátho, *defendendam commiſit. Quam Morauii, velut ipſis contiguam, ab illo, vi eiecto, incenſam, & ſolis templis duobus illæſis, cetera combuſtam recepere.* Tanti tunc *Szakolczenſibus* conſtitit, tumultuantes, in ſinum accepiſſe. Mitius, *Bethleniana* ſeditione, cum vrbe actum eſt. Rem ad hunc modum geſtam fuiſſe (*v.*) lego. *Poſonio*, fruſtra aliquamdiu obſidione tentato, cum pedem *Tyrnauiam* retuliſſet *Bethlenius*, Morauiam, cum exercitu inuadendam, ſtatuit. Itaque, edicta profectione, *Album montem*, nemine contraeunte, facile ſuperauit. *Szakolcza*, vbi adpropinquatum eſt, loci præfectum, *Raubero* nomen fuit, nuper, a Cæſare, cum præſidio iſthuc impoſitum, cum dedititia ſuorum manu, volitantibus ſignis, obuium habuit. Eius tam opportuno facinore collaudato, & *Hungarorum* caſtra ſequi iuſſo, vrbem, *Bethlenius*, milite communit, inque *Morauiam* effuſus, infeſta arma quam latiſſime circumfert: *Straſſitzium*, eodem proditionis genere, capit. Reſpirauit tamen breui poſt, exhauſta, tot malis, vrbs noſtra, cum in pacis conditiones *Nickelsburgi*, ſignatas a Caesare, *Bethlenio*que, iuraretur. Verum, vti erant res, fide plerumque dubia ſubnixæ; *Rákócziano* tumultu non minus, quam *Tökölianis* auſibus, *Szakolcza* contemerabatur denuo. Occupatam enim, non tam voluntate ciuium, quam neceſſitatis quadam lege, ita poſtea, ab anno MDCLXXXII. ad ſolutam vsque obſidionem Viennenſem tutatus eſt, *Tökölius*, vt aſylum credidiſſes, tumultuantis multitudinis. Atrocia hæc fuere, neque tamen vrbi prorſus exitioſa: eo quod, receptam, *Cæſar*, mirifica indulgentia, refouit denuo. At enim, vltima illa clades, quæ noſtra demum ætate vrbi incubuit, multo fuit atrocior. Sæpius, iſtis itineribus, immiſſus in *Morauiam* miles *Rákóczianus*, totam, quam late in campos diffunditur, regionem euerruit. Ergo, iniuriam repulſuri Morauí, *Szakolczam*, quam officinam tantarum cladium rebantur, delendam ſtatuunt, ſaltem, ita adfligendam, ne hoſti perfugio eſſe poſſit. Primus, qui vrbem adoriebatur, *Ricsán* fuit, Cæſarianorum dux. Et ille quidem, muris tunc pepercit, non ciuibus. Superuenere poſtea plebei milites, ad propulſandos *Hungaros*, magno numero, cum ducibus, exciti. Vix hi, ad vrbem admiſſi ſunt, cum præter id, ac in mandatis habebant, vrbis mœnia, pertundunt, ſubruunt, lateque proſternunt. Iniuria haud caruiſſe facinus, inde colligas; quod ſedato tumultu, anno MDCCXV. in publicis regni comitiis, de farciendis *Szakolczenſium* damnis, actum ſit. Verba rogatæ legis, ita habent: (*x.*) *Ad demiſſam ſtatuum & ordinum inſtantiam, ſacratiſſima ſua Maieſtas, benigne reſoluit, quod caſum, intuitu pretenſorum grauiſſimorum damnorum, ciuitati* Szakolczenſi, *per Dominum Generalem Ricsán, militiamque ſibi concreditam; non ſecus & Diſtrictus Morauia capitaneum, aliosque Officiales & ruſticos Morauicos, illatorum, atque*

Bethleniana, *factio, & ſeditiones reliquæ:*

lex damnorum farciendorum cauſſa, lata.

v.) Theatri Europæi, Parte I. ad annum MDCXXI. p. 543, 6.

x.) Anni MDCCXV. Art. LXXXVIII.

atque cauſſatorum, Conſilio ſuo Bellico propoſitum, examinari curabit, & ſi contra datam, vt exponitur, fidem, dolo malo res pratenſa, ablata, & damna cauſſata, reperirentur, Læſis iuſtitia impendetur. In puncto reparationis murorum autem, liceat iisdem Szakolczenſibus *conſernare muros, ad præcauendam duntaxat eorum ruinam.* Iſta ſunt, quæ ex domeſticis tumultibus, vrbs noſtra retulit, nunquam a *Turcis*, ſemel iterumque, a ciuibus, vicinisque *Morauis*, deuaſtata.

§. X.

IAm, a quibus regibus, quaue libertate donata fuerit *Szakolcza*, dicendum eſſet, niſi nos documenta publica deficerent: illud in confeſſo apud omnes eſt, vrbibus ſemper accenſam fuiſſe, quas *Liberas Regias*que vocamus. Certe WLADISLAI decreto, Anni MDXIV. (*y.*) inter *Bona Corona* legitur relata. Immo, & ex SIGISMVNDI prouidentia illa, qua *Szakolczam*, æque, ſicuti *Piſonium*, *Tyrnauiam*que, muniendam decernit, de vrbis prærogatiua colligi poteſt, quod ſatis eſt. Poſt optimos iſtos reges, curæ potiſſimum fuit FERDINANDO I. qui agrum vrbis, (*z.*) ex æquo, inter ciues, diuidendum curauit, ne mutuis litibus locus relinqueretur. Neque tamen & poſtea defuere, qui diſpertitos, auctoritate regia, agros, *Judæis* partim, partim *Morauis*, venderent, eaque re, terminos regni, eo tractu, contemerarent. Id vero, ne fieret, publica mox lege, cautum eſt. *Quoniam feruntur ciues de* SZAKOLCZA, *terras & prata ipſorum, hominibus Morauis, ac* Judæis *etiam vendere; Maieſtas regia modum conſtituat, vt nobiles, qui morantur in* SZAKOLCZA, *vel alii Hungari, eas terras & prata retinere poſſint; ac inſuper ciuitas puniatur, ne meta regni alienentur:* verba ſunt decreti, (*a.*) anni MDXLVIII. Et, e re omnino publica fuit, ne *Morauorum* iniuriis, luxati toties regni termini, *Szakolczenſium* culpa, porro conuellerentur, cumularenturque priſtinæ (*b.*) de finibus controuerſiæ.

Libertatis vrbis auctori incogni-ta:

Ferdinandi I. in vrbem benignitas:

Statutum prouidentia.

§. XI.

VRbis ædificia, neque lauta ſunt, poſt tot clades, neque ſordida. Elegantiæ referunt plurimum, quæ foro accubant. Reliqua, in vicos ſparſa, officinis coluntur artificum, ideoque, non tam facta ſunt ad luxum, quam, vt hoſpitia præberent, ab igne tuta, & digna habitatoribus. Nam, domus quidem pleræque e lapide ſubſtructæ, ſolidoque opere ſunt concameratæ. Reliquus vrbis nitor, a ciuium ingenio, repetendus eſt. Mira his comitas, con-

ædificatorum vrbis habitus:

ciuium ingenium:

y.) Artic. III. vbi poſt Albam Regalem, Leuchouiam, *Szakolczam* poni videas.

z.) Didicimus id, ex laudati Diplomatis verbis: *Hoc quoque declaratum eſſe volumus; quod cum nos ſuperioribus temporibus vniuerſas terras arabiles, in territorio dicta noſtra Ciuitatis* Szakolcza *adiacenti, ſecundum numeratam domorum ſeu ſeſſionum, in ipſa ciuitate exiſtentium, per Commiſſarios noſtros, ad id delegatos, diuidendas commiſeramus, & qua etiam diuiſa fuiſſe dicuntur; ob hoc, huiusmodi terra, ſub eadem diuiſione permanent; verum tamen, &c.*

a.) Articulo LXVIII.

b.) Vide Anni MCDXXXIX. Art. XVII.

ſuetudo inuicem, extra modum familiaris, nil quidquam adfectatæ humanitatis referens. Credunt peregrini, in nouam coloniam, neque obuiam alibi, delatos ſe eſſe, cum huc accedunt; ita, non parabilia modo hic ſunt omnia; ſed prona etiam, ad benefaciendum, humanitas eſt. Ceterum, vrbana multitudo, præter conſueta ciuitatibus, vitæ genera, re, cum primis agreſti, frumentaria illa, & vineatica, occupatur. Vtrique labori, agri habitus fauet, ita contemperatus, vt hic viti, ſegeti illic, fœno alibi, ſit amicus. Qua enim collibus tumeſcit, vineas habet, agros, qua ſe per editiorem planitiem exporrigit; ſed, qua a *Morava* lambitur, pratis lætatur, & pomariis, vario arborum genere, conſertis. Reliquum ruris, montes, ſiluoſi ii, & iucundis conuallibus diſtincti, inſident. In opificum tribubus, ex copioſiſſimæ ſunt, quæ pannificio, & fictilibus, rem faciunt. Lingua incolis *Slauica* eſt, ſed eius tamen elegantiæ, vt cum *Bohemica*, iure quodam ſuo, conferri poſſit: licet *Morauicam* dialectum, exprobrent ciuibus, ſermonis periti. Vrbis inſignia, crucem Hungaricam, tricolli inſidentem, referunt. quæ ei, Lvdovicvs I. cum ceræ rubræ vſu, anno MCCCLXXXII. indulſit.

occupatio:

agri indoles.

§. XII.

Sacrarum ædium, Ordinumque ratio.

VLtimum eſt, vt ſacras ædes commemoremus. Et Diui quidem *Michaelis Archangeli*, ſupra iam meminimus. Reliquas, breui faſce, laudatus Ladislavs Túróczy, complexus eſt. *Diuerſæ*, inquit, *vrbem inhabitant familiæ. Diui* Franciſci, *ad* B. Virginis, *ab anno MCCCCLXVII.* Societatis JEſu, *ad* S. Xauerii, *anno MDCLIX. fundatore collegii*, Georgio Szelepcsénio, *Strigonienſium Archiepiſcopo*; Carmelitæ, *ad* SS. Trinitatis, *a* Leopoldo Kolonicsio *Cardinali, Strigonienſium pariter antiſtite; denique* PP. Paulini. Reliqua decora, ab his addi oportebit, ad quos, vrbis illuſtrandæ, officium pertinet; hoc eſt, a vetuſtiſſimæ vrbis magiſtratibus.

SECTIO II.

DE

Arcibus, & Oppidis, Proceſſus Szakolczenſis.

SYNOPSIS.

I. Holitschii *ſitus, nomen, & moles: fata, ſub* Botskajo, *&* Bethlenio: Petri Bakits *facinus: oppidi ratio & incolæ: eſt patria* Franciſci Szluha: *eius epitaphium: eſt hodie* Holitſchum, *in* Magni Ducis Hetruriæ *poteſtate.*

II. Ekbel, *modicum oppidum: agri ingenium, cannabi amicum: nobiles incolæ, numero diminuti.*

III. *Arcis* Schaschinensis *ſitus atque moles: oppidi cognominis facies: incolarum occupatio.*

IV. Radoschócz, *quali ſit poſitu: incolarum ſtudia.*

V. *Denominatio* Szeniczii, *eiusque poſitus: oppidanorum occupatio: loci ædes quomodo factæ.*

VI. *Situs* Szabatistini: *agri indoles, & incolarum labor: caſtellum, & no-*

Digitized by Google

nobilium aliorum ſedes: Anabaptiſtarum *colonia: quibus artibus valeant.*

VII. BERENTSII *ſublimis præruptusque poſitus: ſubſtructionum ratio: fuit commune regionis perfugium: tenetur a* Botskajanis: *recipitur a* Morauis: *iam in ruinam vergit, & quare: arcis puteus: vicus caſtro coædificatus.*

VIII. KORLÁTKŐ, *quo ſit poſitu: opus vetuſtum eſt, & rude.*

IX. SÁNDORFFVM, *an Sandorſalva dici debeat: poſitus opportunitas.*

X. ELESKŐ, *nomen a ſitu accepit: eius priſci & recentiores poſſeſſores: iam in fœneratorum poteſtate eſt.*

I. ARX, ET OPPIDVM HOLITSCH.

HOLITSCH, caſtrum eſt, præter morem huius regionis, campeſtri ſitu, prope ad *Morauam*, exædificatum. Fallor? aut ab eo ſitu nomen accepit, qui glaber eſt & planus. Nam *Holy*, quidem, caluum ſignificat *Slauis*. *Holitſch* autem caluitium. Sed, de nomine non magnopere laboramus. Fuit olim, in poteſtate *Comitis Stiborii*, quod tabulæ, quas noſtri *Statutorias* vocant, anni MCCCXCII. regnante ANDREA veneto, condocent. Moles arcis, in quadrum facta, neque nimia eſt, neque modica. Hanc agger ambit, ad regulam circumductus, & parte aliqua, latericio muro ſuffultus. Quod intra eſt, ſpatii, prætorium occupauit, a *Czoboriis* Comitibus, pro ſeculi elegantia, inſtrui cœptum; iam vero, a *Magno Hetruriæ Duce*, STEPHANO FRANCISCO, pro ſua dignitate, magnifice conſummatum. Opportunitates certe indeptum eſt, non elegantes modo; ſed etiam ita capaces, vt Duci, cum familia iſthuc diuertenti, & hoſpitia præbeant, & oblectamenta. Neque tamen, herile ſolum hoſpitium eſt; Martem etiam, non propitium modo, ſed infeſtum quoque vidit, idque, quam arces circumſitæ, ſucceſſu omnino meliore. Iam enim *Szakolczam*, *Berentſum*, & id genus loca munita, ſub poteſtatem miſerant *Botskaiani*, cum *Holitſium* vnicum, furorem tumultuantium retunderet. *Holitſchium*, inquit ISTVÁNFFYVS, *(a.) defendente ſumma conſtantia*, Petro Révajo, *in fide Cæſaris permanſit.* Sed *Bethleniana* ſeditione, infelicius ſe habuit: quippe, reſiſtere auſum, igni ferroque deletum. *(b.)* Adeo, plus ad retundendum hoſtem momenti habet, quo pectore, quam quibus viribus, depugnes. Martis hæ fuerunt iniuriæ, eo toleratæ fortius, quo dignius viris eſt, vim vi retundere. Illud mirere, quod *Venerem* quoque, Dearum omnium longe blandiſſimam, hoſtem an hoſpitem, habuerit; at profecto non *Cælitem* illam, ſed *vulgarem*, quæ APVLEJO *(c.)* teſte, *populari amore percita, non modo humanis animis, verum etiam pecuinis & ferinis, ad libidinem imperitare, & im-*

Holitſchii *ſitus, nomen, & mala:*

fata ſub Botskaio, *& Bethleonio:*

Petri Bakitſch *facinus:*

a.) Lib. XXXIV. p. 827. 21.
b.) Ita meminit ORTELIVS Parte II. p. 77.
c.) Apol. p. 281.

modico trucique perculſorum animalium ſerua corpora, complexu vincire ſolet. Res fuit iſtiusmodi, *Petrus Bakith de Lak*, vicinorum prædiorum, & arcis *Detrekő* tunc dominus, *Suſannam Forgách*, illuſtris viri *Franciſci de Réva* coniugem, ſuam vero, & conſanguineam, & nurum, inſano libidinis feruore accenſus, nefarie deperire cœperat, omni ſtudio curaque, id vnice quæritans, quemadmodum femina potiretur. Neque duram, aut inexpugnabilem, ſe præbitura *Suſanna* videbatur. Quo aduerſo, *Franciſcus*, adductius eam habere, cumque laſciuos amores, non vno indicio proderet, *Holitsii*, quod ea tempeſtate *Révayorum* fuit, honeſta cuſtodia detineri iubet. Itaque, ſpe eius potiundæ, deiectum ſe dolens, *Petrus*, vi rem gerendam, ipſamque adeo *Holitſenſem* arcem inuadendam ſtatuit. *Poſtpoſito DEI & hominum timore*, verba ſunt decreti comitialis, (*d.*) *adiunctis ſibi certis ſatellitibus, ſuperatis vallo & foſſis arcis* Holics, *nocte intempeſta, domum, in qua præfata* Suſanna *ſub cuſtodia conſeruabatur, ac tribus muris hoſtiliter interceptis & perforatis, eandem, e dicta cuſtodia, vna cum duabus pediſequis, nonnullorum auxilio, in arcem* Detrekő, *auexit, abductamque, in hodiernum vsque diem, vti ſuæ placet voluntati, detinet, ac inceſtuoſe cum eadem viuit.* Quod deteſtandum facinus, ne impune haberetur, *Stephano Illyésházio*, Regni Hungariæ Palatino, id negotii datum publice eſt; rem omnem, *iudicio extraordinario*, vti diſcuteret, inque *Petrum*, pro ſceleris atrocitate, ex legum præſcripto, animaduerteret. Sed, quod cauſſa ea, vltra tria luſtra trahebatur, *Franciſcus* autem *Révaj*, per id tempus fato conceſſit, *Petrus*, & *Suſanna*, de crimine turpitudinis, publica iterum ſanctione (*e.*) abſoluti ſunt.

oppidi ratio & incolæ:

Arci, quam vidimus, oppidum adſidet, ædium, iuxta & incolarum, frequens. In his, opifices ſunt plerique, & agricolæ; ſed neque pauci nobiles, qui acceptas pignori poſſeſſiones obtinent, iure fruentes, quale herorum eſſe conſueuit. Ei labefactando, graues frequentioresque lites, *Comites Czoborii* mouere; verum, quod ſciamus, conatu irrito.

eſt patria Franciſci Szluha:

Iſthac, *Franciſcus Liber Baro Szluha* de *Iklad*, perpetuus in *Salgó* & *Bábolna*, prodiit, nobili omnino genere ſatus; ſed qui plus melioribus (*f.*) litteris, quam natalibus debuit; iuris prudentiæ maxime, qua ita emicuit, vt *Protonotarius* primum *Palatinalis*; poſtea vero Caroli VI. Cæſaris ac Regis indulgentiſſimi, in *Cancellaria Hungaro-Aulica*, *Conſiliarius*, vnus e multis, legeretur. Vtrobique eum ſe præbuit, qui dubium reliquerit, fidene in regem, an meritis in patriam, maior ſit habendus. Moritur Viennæ anno MDCCXXIX. ſtudiorum noſtrorum, dum viueret, longe amantiſſimus. Eius memoriam, amicorum nonnemo, ſic proſequutus eſt:

Fran-

d.) Anni MDCVIII. Art. XXVI.
e.) Decreto Anni MDCXXV. Art. XLIX.
f.) Exſtat eius oratio, ad ſtatus & ordines regni habita, qua eis ſucceſſionem Domvs Avstriacae femineam, in comitiis anni MDCCXXII. perſuadebat.

Digitized by Google

Franciſcum *locus hic* Szluham *produxit ab Iklad*,
Szluham, ſeu ſeruum, qui tamen herus erat.
Herus vt ipſe ſuus, ſic ſeruus Regis & æqui.
Quid? quod in cælis, ſeruus & herus agit.

eius epitaphium:

Nos autem, optimo viro, tale poſuimus monimentum:

Seruus & Herus eram, nam Szluha *vocabar ab Iklad,*
Seruus Regis amans, herus & ipſe meis.
His facilis, Regi carus, fidelis vtrisque,
Quid opus eſt multis? ſeruus & herus eram.

Iam arx, & ditio vniuerſa, Stephano Francisco Magno Duci Hetruriæ, iuſto ære, a pigneratoribus *Czoborianis*, redemta, paret, incipitque ſenſim conualeſcere, ex ea temporum malignitate, in quam, fatis *Czoborianis*, præcipitauerat. *Feliciter!*

eſt hodie, Holitſchũ *in Magni Ducis Hetruria* poteſtate.

II. Oppidvm Ekbel.

MEdio fere, inter *Holics*, atque *Schaſſinium*, itinere, Ekbel, modicum oppidum, conſedit. Omnis eius commoditas, in rure poſita eſt, fœni, quam frumenti feraciore. Profecto, agrum, qui ſementi videri poſſet idoneus, malunt incolæ cannabi conſerere, quam alio quocunque frumenti genere. Huic demum emacerandæ ſubigendæque, mira operarum adſiduitate, feminæ vacant virique, quæſtum inde facientes, haud omnino ſpernendum: pulchre enim iſthic adſurgit. *Alabandas* (*g.*) *Cariæ* diceres, ſi parua magnis liceret comparare, tam benigne ager hic

Cannabias nutrit ſiluas:

Et eſt omnino cannabum huias, in pretio apud reſtiarios, hos potiſſimum, qui funes torquent, rudentibus conſimiles, machinisque metallicis deſtinatos. Sed hanc laudem, pluribus cum vicis participat. Olim, magno hic numero, lautisque ædibus, nobiles familiæ colebant; quas tamen herorum prouidentia, an lubido, magnopere diminuit, id dudum elaborantium, vt quam pauciſſimi nobilium, intra hos fines ſuos, ſupereſſent. Fons ſulphuroſus, qui intra oppidum, vbere atque perenni aquarum copia, ſcatet, eximiæ, ad edomandos morbos, efficacitatis eſſe creditur. Quod, quia ſupra (*h.*) meminimus, non eſt opus recolere denuo.

Ekbel, *modicum oppidum:*

agri ingenium, cannabi amicum:

nobiles incolæ, numero diminuti.

III. Arx et Oppidvm Schassin.

SChaschin, Hungaris *Sas-Vár*, quaſi *Aquilæ arcem* diceres, campeſtre oppidum eſt, *Mijawæ* amni adſitum, arceque, eius, & molis, & formæ, qua *Holicſenſem* eſſe diximus, communitum; cuius

Artis Schaſſinenſis *ſitus atque moles:*

g.) De Alabanda, vrbe Minoris Aſiæ in Caria, & huius Cannabe, vide Gratium Cynegetico, ver. 47. Strabonem Lib. XIV. p. m. 454. Adde, Erasmi Chiliada, p. m. 372. in *Alabandicum* opus vbi Strabonem interpretatur.

h.) Parte Generali Membro I. §. VI. p. 300.

cuius tamen prætorium nondum conſummatum eſt prorſus. Gemina id contignatione ſubſtructum ibant, nuperi inſtauratores, quarum ſingulæ, ex architectonices præſcripto, hypocauſtis palatiisque deſignarentur. Verum, quod res *Comitum Czoboriorum* (*i.*) propemodum omnis, ære obruta eſt alieno, pridem ceſſatum ab opere eſt. Agger, quo prætorium clauditur, ritu militari eductus, propugnaculis quatuor committitur. Totum circa ambitum, foſſa præcingit, pro aggerum mole, lata altaque. Hanc, ſuffuſæ, ex præterlabente amniculo *Mijawa*, aquæ, ſi non impermeabilem, vliginoſam tamen, & impeditam faciunt. Caſtro, oppidum, diſcurrentibus huc atque illuc vicis, ad teli iactum aduicinatur; laxum id ſane, & incolarum frequens. Quorum plerique, agricolatione vitam degunt, pauci artibus ſellulariis. Quin & nobilibus, qui ſunt reſidui, ruri ſua occupatio eſt. Sunt & boarii quæſtores, qui emtum, in interiore *Hungaria*, pecus, partim in *Morauiam*, partim in *Auſtriam*, depellunt. Vulgus reliquum, cannabi, quæ heic quoque vbertim, & ſeritur, & prouenit, ſludent, atque magnis coactum faſcibus, per fora celebriora deuehunt: quod vt faciant, agri iniquitate adducuntur: quippe qui, arena offuſus, cannabo, quam frumento, amicior eſt. Ad celebritatem veneration emque oppidi, plurimum iam adtinere accepimus, prodigioſam B. V. Mariae icona, annis ſuperioribus, cognitam. Magnis huc, & conceptis ex voto ac religione, peregrinationibus, ſummi & imi, confluunt, tunc potiſſimum, cum ſunt dies, memoriæ B. V. conſecrati.

oppidi eognominis facies: incolarum occupatio.

IV. Oppidvm Radoschócz.

Radoſchócz, *quali ſit poſitu:*

HInc, milliari in aquilonem, Radosócz, Slauis Radoschowcze oppidum, amœna fertilique planitie, reſedit. Circum, rus vaſtum eſt, & cum ſegetum, tum pabuli ferax. Collis, modica intercapedine ab oppido ſeiunctus, vite luxuriat. Vnde colligas, qui ſit incolarum labor. Omnes, ſcilicet, agro operantur; frumento tamen, quam vino, magis proficiunt. Vtrumque ruſticationis genus, cum opificiis coniungunt aliqui, ſed iis tantum, quæ agreſti vitæ ſunt neceſſaria. Itaque, iure optimo, ruſticanum oppidum dixeris, ſiue occupationem incolarum ſpectes, ſiue mores. Neque tamen prorſus exſunt nobiles, tametſi pauciores iam, quam ætate ſuperiori.

incolarum ſtudia.

V. Oppidvm Szeniczivm.

Denominatio Szeniczii, *eiusq; poſitus:*

Szenicze, & latina terminatione *Szeniczium*, a fœni prouentu, nomen indeptum eſt; *Szeno* enim, Slauis, fœnum ſignificat. Et eſt omnino eo poſitu, qui educando fœno requiritur; plano ſcilicet, & amne *Chwoynicze*, irriguo. Neque tamen vnica hæc agri

i.) Controuerſiam familiæ *Czobor*, ob quingentos colonos, cum femineo ſexu agitatam, vide Decreto Anni MDCLV. Art. XC.

agri laus eſt, frumenti ſimul longe feraciſſimum accepimus, ea potiſſimum parte, quæ ſitu gaudet eleuatiore. Quocirca, vnice id curant oppidani, vt ſuapte fœcundum agrum, quam diligentiſſime colant, tametſi pauciores ſint, qui non ruſticationi, artes, vulgares illas, coniungant. Præcipuum oppido decus, a nobilibus eſt, qui hic frequentes degunt, alii tamen aliis lautius. Aedes profecto nonnullorum, tam eleganter commodeque factæ ſunt, vt ne vrbibus quidem cultioribus, importunæ eſſent futuræ. Reliqua oppidi moles, ex ingenio regionis, ampla ſatis eſt, & vico vno atque altero, inſtructa. Quia enim agricolatione viuendum eſt incolis, domos quoque, ad eum modum parauere, vt villico ſimul ſint idoneæ. Ni mirum, anterior pars, tantum habet cultus, quantum res heri familiaris patitur. quod inde procurrit ædium, ſtabulanti pecudi deſtinatum eſt, atque horreo; vltra, non raro, hortus olitorius eſt, aut arbuſtum, & amœnis, & neceſſariis arboribus, conſitum. Paucæ fuerint domus, quibus villicæ iſtiusmodi opportunitates, coædificatæ haud ſint. Quod inerme oppidum eſt, iniuriis ſubinde patuit ſeditioſorum; maiorem tamen ea cladem, quæ anno MDCLXXIII. a *Croatis* illata ei eſt, an acceperit poſtea, non auſim adfirmare. Diſtat *Szakolcza*, gemino, in orientem, milliario; cetera *Berentſchienſi Dominio*, accenſum.

oppidanorum occupatio:

loci ades, quomodo facta.

VI. OPPIDVM SZABATISTINVM.

SZABATISTINVM, quod Slaui *Szobotiſtye* vocant, ad bis mille circiter paſſus in aquilonem, intra colles, *Szeniczio*, reductum eſt. Aedibus colitur frequentibus, vtraque fluuii *Chwoynitze* ripa, qui ſtreperus intercurrit, longo ordine poſitis. Idem hic, quem apud *Szeniczenſes* meminimus, incolarum, & labor eſt, & ſollicitudo: nempe, vt agrum, quem nacti ſunt, ſtudioſe percolant. Duum is generum eſt, collini partim, partim campeſtris. Vterque, ſegetum patiens; hic etiam fœno; ille viti ſimul idoneus, qua, collem eximiæ altitudinis, conſertum habet. Sed frumenti tamen potior, quam vini, oppidanis cura eſt. Fit haud raro, vt amnis interlabens, ſi vel imbribus, vel diffugiente niue, intumeſcat, damnoſus ſit oppido. quod anno in primis MDCLXXII. euenisſe, ſupra, *(k.)* ad eius mentionem, retulimus. Caſtellum, medio excitatum oppido, gentis *Schunkenbergiæ*, ex pignore, ſedes eſt, ſolidi elegantisque operis. Sunt & nobilibus viris aliis, ſua domicilia, ſed plerisque iis, qui agri quidpiam, pignori datum, poſſident. Memoranda hic eſt *Anabaptiſtarum* colonia, vulgo, *Aula Anabaptiſtica*, & Slauis, *Dwúr Habánsky*. Pulſos ex *Morauia*, rerum domini, hoſpitio acceperant. Qui poſtea, numero inualeſcentes, partem oppidi occidentaliorem, pretio, ab heris emtam, ſuam fecere, domosque exædificauere, humiles quidem, ſed affabre, & ad omnem commoditatem factas, vico ſimul, macerie

Situs Szabatiſtini:

agri indoles & incolarum labor:

caſtellum, & nobilium aliorum ſedes:

Anabaptiſtarum colonia:

(k) Parte Generali Membro I. §. V. num. 8.

circumducto, vt ſe, ab oppidanis reliquis, diſcriminarent. Eidem coloniæ, ager, vaſte porrectus, cohæſit, quem ex induſtria colunt, vt panem habeant. Dant vero operam, vulgaribus quibusque opificiis, ſed diligentia multo, quam alias conſueuit, exquiſitiore. Parant nimirum cultros, tota circum regione, in pretio haberi ſolitos; fictilia omnis generis, eleganter educta, & quid non ſupellectilis domeſticæ. Neque refugiunt tonſtrinam, ſutrinam, & artem ſartoriam. Itaque, habent toto die, quod agant, quoque lucrum faciant, accedente opinione vulgi; quidquid hic mercium proſtet, & parabiliore id pretio venire, & fabrifactum eſſe exquiſitius. Vinum ſane, quod apud eos emeris, probius eſt, generoſiusque, quam in reliquo oppido. Sacra ſuo ritu peragunt, (*l.*) quem ad *Lévdrum* (*m.*) meminimus. Iis concelebrandis, *Trentſchinenſes* quoque *Anabaptiſta*, cum florerent adhuc, ſtatis anni temporibus, ſimul operam nauabant. Bonorum autem communio, qua in primis antecellere geſtiebant, pridem, habendi illa, inſitaque hominibus cupiditas, ſuſtulit. Nempe, cum ante hac,

quibus artibus valeant.

Nec ſignare ſolum, aut partiri limite campum
Fas erat: in medium quærebant.

Iam *ſuum* illud *cuique*, non minus exacte callent, quam id, in omni ſocietate obtinere videas.

VII. Arx Berentsch.

Berentsii ſublimis praruptusque poſitus:

Berentsch, montanum caſtrum, iugo altiori, & circumquaque abrupto, inſedit. Vetuſtum opus, & multo ante *Bohemicos* illos tumultus, qui plerisque, iſta regione, artibus, originem dedere, eductum. Gemina id mole conſtat, ſuperiore altera, quæ rotundum montis verticem occupat, altera, quæ accliuo eius latere exædificata eſt. Vtramque, priſco muniendi ritu, turritis mœnibus, ſiue primi conditores, ſiue inſtauratores alii, incinxere. Itaque, perfugio regioni fuit, quoties, aut metus belli, aut hoſtis ipſe, imminebat. Enim vero, quidquid fere nobilium familiarum circum habitabat, ſuum hic fornicem habuit, quo reculas, atque in primis, domeſticarum litterarum monumenta, reconderet. Quibus ad commune iſtud receptaculum, trepida re, concurſantibus, numquam arci deerant, qui eam defenſarent. Atque huiusmodi quidem præſidiario milite, anno MDCLXIII. aduerſus graſſatores, *Turcas Tartarosque*, cuſtoditum, ſeruatumque, cum ingenti *Chriſtianorum* multitudine, accepimus. *Botskaianis*, Hungariam miſcentibus, vine, an deditione capta? in tumultuantium poteſtatem venerat, a *Morauis* recuperata denuo. *Moraui*, inquit hiſtoricus, (*n.*) *Szakolczam - - - ſimul cum arce* Berentſchia, *recepere, & præſidio firma-*

ſubſtructionum ratio:

fuit commune regionis perfugium:

tenetur a Botskaianis:

l.) Vide, anni MDCXXXV. Articul. XXVI. quo Chriſtianos alios, ſuis initiare inſtitutis, vetantur.

m.) Tomo II. Operis noſtri, p. 274.

n.) Istvanffyvs Lib. XXXIV. p. 927, 20.

manere: quod illinc, non niſi longo, poſt finitum bellum, tempore, deductum eſt. Qua vero, tumultibus reliquis, fortuna ſit vſum, non reperio. Interiora arcis, palatiis partim, partim fornicibus, inſeſſa ſunt, elegantibus olim, ſolidisque; ſed quæ iam tectis fatiſcentibus, in ruinam prona ſunt. Cauſſam, arcis, negligenter adeo habitæ, in herorum multitudinem reiiciunt, quibus, opportunitas loci, ad tutandam circum regionem, cognita eſt. Nempe, cum nemo primus ad inſtaurandum, ſeu operas confert, ſeu ſumtus; ſed mutua exſpectatione, pro ſe quisque tempus trahit, fit, vt modicæ, tectorum murorumue rimæ, hiatus faciant, vix ac ne vix quidem ſarciendos poſtea. Atque tunc, quia plus faceſſit negotii, ſemirutum, quam integrum adhuc conſolidare, moles vniuerſa, quaſi data opera, in ruinam præcipitatur. Quæ quidem incuria, (*o.*) multas hodieque arces, per *Hungariam*, ſepelit. Eſt arci puteus, altitudinis tantæ, quæ imas montis radices, vel adæquet, vel certe, depreſſa profundius, etiam ſuperet. Magno is labore, per ſolidam humum, petrasque, cauatus, venas aquæ habet, & vberes, & ſalubres. quod, quantum ad tolerandam obſidionem momenti adferat, nemo non videt. Iam periculum eſt, ne, cum reliqua fere omnia, ruinam minentur, & puteus, ſuperobruatur. Extra arcis mœnia, caſulas, leui opere, *Anabaptiſtæ* partim, partim profugum genus aliud, excitauerant, quas bellis *Turcicis*, cum ruri ſecure minus ageretur, ingens familiarum numerus, incolebat. Vicum eum, foſſa circumdederunt, ſudibusque roſtrarunt, gemino ordine, erecto alio, alio transuerſo, defixis; ſed hæc omnia, iniuriæ, quas nunc queſti ſumus, adtriuerunt. Alioquin, arx ipſa, hæredium eſt gentis *Nyáriana*, & bonorum, quæ adſcripta ei ſunt, caput.

recipitur a Moranis:

iam in ruinam vergit & quare:

arcis puteus:

vicus caſtra condificatus.

VIII. ARX KORLÁTKÖ.

KORLÁTKŐ, occidentali, *Alborum montium*, latere prærupto petroſoque loco, poſita, iucundiſſimos, in porrectam late planitiem, deſpectus habet, neque tam ſe, aut mole, aut robore, quam amœno iſto ſitu, commendat. Facta eſt autem, opere, rituque veteri, hoc eſt, ſine elegantia, & admenſo ad regulam ordine. Mœnia profecto ruditer, & ita ſubſtructa ſunt, vt prætorii ſimul partem aliquam, ſuſtentent. Haud tamen conclauibus deſtituitur, quæ olim ab heris, commode habitabantur. Nunc, ſarta quidem tectaque eſt, ſed, ab herili hoſpitio, vacua. Cuſtoditur autem, a domeſtico ſatellitio, cui, præter portæ curam, captiuorum quoque commiſſa obſeruatio eſt. Dedit natales, celebri in hiſtoria Hungarica, *Korlátkőiorum* familiæ. Iam genti *Lapsánſzkiorum de Korlátkő*, & nonnullis aliis, cum reliqua dominatione, paret.

Korlátkö, quo ſit poſitu:

opus veteſtum eſt & rude.

o.) Id vero, ne fieret, lege publica cautum eſt ſæpius, A. MDCXXII. Art. LXXII.

IX. Oppidvm Sándorff.

Sándorffű, an Sándorfalva dici meruerit:

Sándorff, Germanicum esse nomen, nemo non videt. Hungaris, *Sándorfalvam* dici oportere, autumant, qui sunt domestici carum antiquitatum curiosi. Quod, si illi, e priscis monumentis docerent, gratiam apud nos inirent, non vulgarem: nunc, quia, quid sit denominationis, ignoramus, *Sándorffum*, cum vulgo dicimus. Abest *Szakolcza*, quatuor, in orientem æstiuum, milliaribus, situ haud omnino iniquo. Nimirum, collem insedit, molliuscule subsidentem, quem ab oriente, planities, circumdat. Qua situs ruris, collinus est, agri fere sunt frumentarii; sed, qua iidem in planitiem miteſcunt, pratis, amne *Mijawa* irriguis, insessa sunt omnia. Proinde, nihil oppido, ad rusticanam opportunitatem deest, siue siluas cæduas, siue rem agrariam, siue pabulationem, spectes. Accensetur dominationi *Korlátkőiensi*.

positus opportunitat.

X. Arx Eleskö.

Eleskö, nomen, a situ accepit:

Profundius, ad ipsos albos montes, Éleskő secedit. Ex nomine, de situs ratione colligas. Nempe, rupi incubat, in acutum verticem desinenti: quod & vocabulum *Hungaricum* significat. Fas est credere, eiusdem opus ætatis esse, cuius sunt reliquæ arces circumsitæ, tametsi, quæ ea fuerit, nequeamus definire. Olim, iuris, partim *Jakusitiorum*, partim *Révajorum* fuisse, ex Leopoldi M. diplomate (*p.*) didicimus, quo *Marco Czobor*, Adami filio, hæreditaria arcis possessio, XV. millium florenorum pretio, addicitur. Tametsi enim, ius illud hæreditarium, ad *Franciscum Nádasdy*, e *Juditha Révaj*, *Petri de Réva* filia, progenitum, spectabat; tamen, quod se is, crimine læsæ Maiestatis obstrinxit; *Sidonia* vero *Révaj*, *Matthiæ Osztrosith de Giletincz* vxor contra, parte altera, a *Jakusithiis*, sibi lege successionis relicta, potiebantur: arx integra, bonaque, & vici ei accensi, *Sidonia Révaj*, sine Osztrosithiano hærede fatis concedente, *Marco*, quem diximus, *Czobor*, perenniter a rege, tradita est. Nunc, ob conflatum grande æs alienum, quo se idem *Marcus* obruerat, in fœneratorum potestate est, suis propediem ruinis sepelienda, nisi iam sepulta sit penitus. Seiungitur a *Korlátkőiensi* castro, vno, in meridiem, milliario, situ, intra montes retruso. Vide Tomo II. p. 261.

eius prisci, & recentiores possessores.

SECTIO III.

DE

Vicis Processus Szakolczensis.

Vicos iam *Processus Szakolczensis* dabimus, ex *Dominiorum*, quæ vocant, ordine, haud tamen pro more nostro, situum immemores. I. Vici

p.) Datum id Viennæ est, A. MDCCII. die XXVI. Augusti.

Digitized by Google

I. Vici Dominii Holics.

CAput *Dominii* Holicsivm, cum oppidis, *Ekbel*, & *Radosócz*, nunc vidimus: vici, ad perluſtrandum, ſuperſunt. In his cenſentur:

1.) *Káthó.*
2.) *Tövisfalva*, ſiue *Trnowecz.*
3.) *Moczidlán.*
4.) *Wlczkowan.*
5.) *Widowan.*
6.) *Wéſzka.*
7.) *Oreſzkou.*
8.) *Lopaschó.*
9.) *Radimó.*
10.) *Unin.*
11.) *Letnicze.*
12.) *Péterfalva.*
13.) *Kopcsán.*

II. Vici Dominii Schaschin.

NOmen a *Schaschino* indeptum, ſimul eos vicos accenſos habet, qui olim in ditione *Eleskóienſi* fuere. Vicorum nomina hæc fere ſunt:

1.) *Stráza*, arci *Schaſchinenſi* prorſus cohæſiſſe crederes, niſi *Mijawa* interlabens, & ponte commiſſa, diuortium faceret. Ob eam vicinitatem, herilia iſthic ſtabula ſunt poſita. Non deſunt, qui exiſtiment, ita adpellatum fuiſſe vicum, ob excubias *Schaſchinenſium*, olim, iſto loco, ſtationem habentes. Agro eſt arenoſo, ideoque ſterili, neque tamen vitis experte.

2.) *Csáry.*

3.) *Szomolyánka*, proxime abeſt, ob arenam, ieiuno agro.

4.) *Stepanou*, Hungaris *Stepanó.*

5.) *Doytsch*, amniculo *Mijawa* adpoſitus, neque longe *Schaſchino*, ſepoſitus. Agro eſt fœcundo, & multis modis, qúam eſt vicini oppidi, meliore: quippe qui, & vite lætatur, & ſegetibus.

6.) *Nagy-Kovál'ó.*

7.) *Brodszká.*

8.) *Kúty.*

III. Vici Dominii Berentsch.

OPpida, quæ huc ſpectant, *Szeniczium*, & *Szabatiſtinum*, antea perluſtrauimus: ſupereſt, vicos, vt videamus.

1.) *Csacsow*, ita vicinus *Szeniczio* eſt, vt ſuburbium eius credi poſſet; niſi prata, quæ interſunt, vicum, ab oppido, dirimerent. Rure gaudet, circumquaque fœcundo, fœnique diuite; &, hinc *Mijawa*, illinc *Chwoynicz* amnibus, irriguo. Alit vitem quoque, fructus laudabilis. Nemus, quod vico ab occidente obiacet, quercinum eſt, *Dubrawa*, vulgo dictum.

2.) *Rybka.*

3.) *Smrdák*, ſitu, quam quos vidimus, multo iniquiore. Præter

ter vineas certe, quas copioſiores colit, vix quidquam agri poſſidet, quod laudari queat, pratorum prorſus egenus. Nomen ab aqua fœtida accepit, qua ad potum quoque vtuntur incolæ, idque, ſine noxa valetudinis.

4.) *Rowenſzko*, ita forte dictus, quod poſitu ſit mitiori. Nam *Rowny*, planum *Rowenſzko* autem, planitiem, *Slauis* denotat. Lætatur præter fœcundam rem agrariam, collibus vitiferis, meridianum occiduumque ſolem, proſpicientibus. Nemus, cui *Szowinecz* nomen, quaſi *luſtrum noctuarum* diceres, tenuius eſt, quam quod incolarum lignationi ſufficiat. Itaque, materiam fere omnem, cum igni alendo, tum contignandis ædibus, ex *Chwoynitz* petant, neceſſe eſt.

5.) *Rohow*, præcipuam vico laudem, vineæ conciliant, probi vberisque fructus. Reliquum rus, arctum eſt, & pratorum propemodum egenum.

6.) *Csaſztkócz*, eadem montis *Chwoynitz* vicinitate reſedit; hinc, *Berentſchino*, milliari, illinc *Szakolcza*, duobus ſecretus. Vinearum diues, ſed fructus improbi.

7.) *Chropow*, monti *Chwoynitz* vicinus, atque idcirco, rure arcto, aſperoque, gaudens. Qui vitem, qua delectantur incolæ, habet iniquius.

8.) *Werbócz*, limitaneus *Morauis*, idemque montibus circumquaque inſeptus. Crebræ ei, grauesque, de agrorum finibus, cum vicina gente, lites olim fuere, vt quas *Status Ordines*que, ſuas fecerint. Quidquid admenſum agri habet, per colles id ſparſum eſt, glabros hic, ſiluoſos alibi, & montibus immixtos. Ex his, *Chwoynitza*, amnis toties nobis memoratus, præceps ſtreperusque deiicitur, *Szobotiſtinum* hinc, *Szenitzium* poſtea, atque demum, infra *Holitſchium*, in *Morauam*, quod ſupra docuimus, delatus. Nomen illi, a monte *Chwoynitza*, ferarum omnis generis diuite, qui *Hungariæ*, *Moraniæ*que, iſta ora diſcriminator eſt, inditum.

9.) *Turá-Lúka*, vicus, collibus interſertus, rureque gaudens, ad agricolandum quidem idoneo; ſed, quia collino id ſitu, ſuſpenſum eſt, lætificationis, qua frumento conferitur, indigum. Qua in planum ſubſidet, *Mijawa* amne rigatur, lætaturque pratis, fœni laudatiſſimi feracibus. Incolæ, qui haud infrequentes ſunt, *Mijawienſium* naturam æmulantur. Crebræ inter vtrosque, nunc de finibus, nunc de noxis, vltro citroque datis, acceptisque, lites: quibus terminandis, vix plures *Triboniani* ſufficiant. Et ſitu, & dominationis iure, arci *Berencs*, ſubiacet.

10.) *Bukócz*, modica nemorum agrorumque intercapedine, hinc ſeiungitur, vtroque orientali, occidentalique latere, agroſis collibus concluſus: alioquin, tenui, anguſtoque rure eſt, pratis autem, vix pecudi domeſticæ ſufficientibus. Altera valle,

11. *Pritrz* inſedit, haud infrequens vicus. Medium, amnis *Mijawa*, interfluit. Itaque, cœnoſo eſt poſitu, maxime ſi diutius compluat.

Digitized by Google

pluat. Vtroque fluuioli latere, ædium ſunt ordines, neque rari il, neque denſi. Quod vltra eſt, in colles abit, vtrinque alte ſurrectos; ſed agris tamen percultos frumentariis. Vallem reliquam, prata veſtiunt, ob intercurrentem amniculum, multo gramine luxuriantia; ſed, arctiora ea, quam vt colono poſſint ſufficere. Ineſt vico *Oratorium* Aug. Conf. addictorum, iſthuc, *Straza* iuribus, benignitate CAROLI VI. translatis. Patria eſt, *Paulli*, & *Johannis Jeſzenákiorum*.

12.) *Kunow*, agro circumfunditur laxo vbereque, & non frumenti modo, ſed vini etiam diuite. Quin, & pratis, in meridiem porrectis lætatur: ligna autem cædua, montes. quibus *Hluboky-Zlab* nomen, ſufficiunt. Subluitur amne *Chwoynitza*.

13.) *Hradiſchtye*, intra montes ſiluasque reiectus, ideoque, ſitus, agrique iniquioris. Parte maxima dominationi *Jókóienſi* accenſus.

VI. VICI DOMINII KORLÁTH.

PRæter oppidum SÁNDORFF, quod ſupra meminimus, vici iſthuc referuntur:

1.) *Rozbehy*, rus quantumcunque habet, montano ſitu horreſcit. Nempe, ſiluas exſecuerunt incolæ, vt frumentarium agrum, prataque, dilatarent. Sedet vltra *Korlátkóum*, ad eas anguſtias, qua iter *Albos montes* traiiciens, procurrit. Sunt, qui credant, incolas hac opportunitate, ad latrocinandum abuti. quod & ita fuit olim.

2.) *Lieſzkow*, arci *Korlátkóienſi* ſubſitus, & caſtello inſignis, plurium, quam, quæ in arce ſunt, commoditatum. Agri ingenium, idem fere eſt, quale in *Jabloniczenſi* videbimus. Anguſtius tamen coit, definiturque, hinc montibus, illinc vaſto illo pineto, cui vulgo, *Buor*, nomen.

3.) *Czerowá* huic proxime adhæſit, & poſitu ſuppar, & agro: quippe, vnius admodum riuuli intercurſu, ab eo ſecretus.

4.) *Jabloncza*, vicus, totius dominationis, facile præcipuus; ita, & agro valet, & incolarum frequentia. Conſedit, ſub radicibus *Alborum Montium*, ea regione, cui *Kráſzná-Lipa*, a tiliarum elegantia, communicatum nomen eſt. Itaque, qua in orientem montes ſubit ager, collinus totus, & frumentarius eſt; qua vero, aduerſa plaga, deiicitur, in planitiem, *Mijawa* amne irriguam, hinc pratis, ſegetibus illinc, lætatur. Vidimus aliquando, exeunte *Julio*, iſthac præteruecti, ducentos plus minus falcatores, longis ordinibus, herile vaſtumque pratum, detondentes. quorum quidem obtutus, eo nobis accidit iucundior, quod tantum tributariarum operarum numerum, numquam antea ſpectaueramus. Dubium ergo eſt, frumentone, an pabulo, huias colonus magis proficiat: cum vtriusque laudatiſſimus ſit prouentus: hero potiſſimum, cui apertis campis, congeſtum, in longos aceruos, fœnum, non hibernat tantum, ſed perennat profecto: quippe, neceſſitati, ſi quæ, ex cælo ſicco, humoque ſiticuloſa, quod ſit, ingruerit, adſeruatum. Præter has opportunitates,

tates, peperit vico, famæ non nihil, *Ricsánii*, Cæſarianorum ducis, accepta, a *Rákóczianis*, anno MDCCIV. clades. Cum enim, e *Morauia*, ad depellendos, iſta regione, graſſatores, cum ſex, octoue millium exercitu, atque ingenti lixarum, calonum, *Judæorum*que turba, profectus, *Albos Montes*, imprudentius traiicit, *Tyrnauiam*, ſi poſſet, occupaturus; nec opinatus, in eos ſe caſſes induit, quos poſtea nequiuit perrumpere. Simul enim, de aduentu eius edoctus, a ſpeculatoribus fuit, *Bertsénius*, *Tyrnauiam* atque *Szeredinum* inter, ſtatiua habens, pedem tantiſper retulit, dum e montium anguſtiis eluctatus *Ricsánius*, locum ſtruendis a tergo inſidiis, relinqueret. Tunc vero, clam ſubmiſſis, qui montanos ruſticos, acerrimum iniquiſſimumque genus, officii commonerent, pylas, montiumque aditus, inſideri, atque, ſucciſis arboribus, iter, ex ſe difficile, impediri mandat. Quod, vbi curatum eſſe cognouit, ſubito in *Ricsánum* mouet. Is vero, improuiſo hoſtis aduentu, quem vltra *Vagum* profugiſſe exiſtimarat, perterritus, nec tentato prælio, receptui canit, eo, quo venerat itinere, ad ſuos redituras. Verum, res quidem, quam opinabatur, aliter cecidit. Nam, intra montes, quos antea nemine contraeunte, ſuperauerat, admiſſus, pellectusque in inſidias, in ſubſeſſores ruſticos, incidit. Diu, cum his, haud ſine clade, colluctatus, a *Rákóczianis* tandem eo loco deprehenditur, qui neque colligendo militi, neque ordinandæ aciei, opportunus fuit. Igitur, conſilio, ex arena capto, hoſtem, fugienti ſimilis, ante vicum *Jablonitzam* excipiendum ſtatuit, impedimenta, vt pugnaret expeditius, intra caſtellum intrudit. Vix hæc egerat *Ricsánus*, cum *Hungari*, e montibus ſiluisque proruentes, tamquam cælo depluiſſent, ſublato clamore, infeſtaque acie, in *Morauorum* ordines, nondum, pro eo, ac neceſſe fuit, conſolidatos, incurrunt. Fit atrox prælium, reſiſtuntque illi, pro loci iniquitate, fortiter. Verum, quod *Hungari*, & numero antecellerent *Ricsanianos*, & turbatis ordinibus, per collium decliuia, in *Morauos* illapſi, diuerſis locis, pugnam ſimul inirent tumultuariam, loco primum moueri, mox retrocedere, denique, in apertam effundi fugam, cœpere; manipulis aliquot, caſtello iniectis, qui, & ducem *Ricsánum*, & impedimenta cuſtodirent. Ac, fugæ quidem poteſtas, in tanta graſſatorum multitudine, & nefando ruſticorum maleficio, paucis obtigit. Circumuenti enim, cum ſine ſignis, ſine ducibus, hic atque illic conglomerati fruſtra reluctarentur, infami nece, ritu pecorum, fuſtibus hi, alii dolabris, falcibusque, trucidabantur; donec cædium pertæſi *Hungari*, ad prædandum effunderentur. Fuit ea res, multis ſaluti, vt nemine iam inſectante, ſparſis, per campeſtria, manipulis, in vicinum pinetum, atque hinc in *Morauiam*, nocturnis erroribus, euaderent. Alii, cum intra montium anguſtias, res, cum ruſticis eſſet, per aſperrima montium iuga, neci ſe ſubduxerunt. Iniquius multo, *Ricsánio*, ſuum illud, in *Jabloniczenſi* caſtello, perfugium ceſſit. Cum enim ei defen-

fenſando ſe parat, tecta, ne ignem conciperent, deturbat, obuallatque portas, ab hoſtibus circumſeſſus, tam diu impetitur, dum ſe captiuum dederet, lytro poſtea, an permutatione, redimendus. Hæc tunc, *Morauica* expeditionis, fortuna fuit, exitusque, haud is quidem ſine vici clade. Præterquam enim, quod caſtellum, conuulſis tectis, atque pertuſis, hinc atque illinc, munitionibus, extra modum fœdatum eſt; colono certe, pugna ea, multum adtulit detrimenti. quod iam longum foret (*a*) explicare. Et caſtellum quidem, breui, non conualuit modo; ſed adſurrexit etiam, quam ante fuit, lautius; colonorum autem fortunæ, diu adflictæ iacuerunt, peſſum ituræ penitus, niſi eas heri, *Johannis Lapſanſzky de Korlátkő*, qui heic ſedem habet, prouidentia, bonitasque, inter tot tempeſtates, ſuſtentauiſſet. Nunc, ædes, S. Triadi, dedicata, filii eiusdem, *Ladislai Korlatkői* liberalitate, iſthic erigitur, ea, cum firmitate, tum elegantia, quam iſta regione, haud facile reperias.

5.) *Hluboká*, nomen inde accepit, quod vallem intercurrentem transmittat, *Mijawa* fluuio ſubrutam, ſitque ſitu profundo. Nam, Slauis, *Hluboká*, feminino genere, profundam vallem notat. Vtroque latere, pingui agro circumſeſſus vicus eſt, quem ideo, cum cura excolunt, qui iſthic degunt.

6.) *Oſuſska*, bipartito diuiſus: qua enim occidentalior eſt, dominationi ſubeſt *Korlatkőienſi; Jókőienſi* autem, qua ſitu eleuatiore adſurgit, orientemque proſpicit. Cetera agro, pratisque lætus, quæ *Mijawa* amnis ſubluit

V. Vici Nobilivm.

1.) *Hradiſchta.*
2.) *Kiskowalócz.*
3.) *Pritrſka.*
4.) *Mokry- Hay.*
5.) *Pobudin.*
6.) *Szotina.*
7.) *Koptsán.*
8.) *Wradisctya.*

Ista ergo ſunt, quæ de *Inclyto Comitatu Nitrienſi*, dicere potuimus; cumulatiora daturi, ornatioraque; ſi eadem hic, *Muſis* noſtris, fortuna fuiſſet, qualem expertæ ſunt alibi. Tu hæc, lector! quantulacunque ſunt, æquus accipe, & prouinciæ vna nobiſcum, bene precabere.

a.) Adde, quæ de prælii, occaſione, cunctatione, ac fere imprudentia Ricsanii, retulit Wagnervs, Hiſt. Leopoldi M. Lib. XVIII. p. 754. ſequ.

TABVLA ITINERARIA COMITATVS NITRIENSIS.

I. *In Comitatum* POSONIENSEM.

1. Iter curſoris publici: GALGOCZINO per Tyrnauiam, *Gerentsérum*, *Sárfő*, *Cseklés*, POSÓNIVM. - mill. 8.

2. Iter militare: NITRIA, per *Ujlak*, collino fere itinere, *Vago*, ponte ſublicio, ſuperato, SZEREDINVM. mill. 3.

3. Iter militare ſecundum: ÜRMÉNYO, per apertas ſolitudines *Jattó*, transmiſſo *Vago*, *Kajalinum*, hinc, pone *Galantam*, KIRÁLYFALVAM, &c. - - mill. 6.

4. Iter militare tertium: ex oppido PÖSTÉNY, TYRNAVIAM. - - - - - - mill. 4.

5. Iter militare quartum: ex DOBRÁWODA, ſub montium radicibus, ad arcem & oppidum SZOMOLÁN. - mill. 2.

II. *In Comitatum* TRENTSINIENSEM.

Ujhelino, cis & trans *Vagum*. - - - mill. 1.

III. *In Comitatum* THÚRÓCIENSEM.

Itinere curſoris publici: BAJMÓCZIO *Rudnam*, vicum Thúroczienſem. - - - - - mill. 2.

IV *In Comitatum* BARSCHIENSEM.

1. Iter militare: NAGY-TOPOLCSÁNO, per *Zabokréth*, vel *Nagy-Boſsány*, *Kis-Ugrócz*, OSZLÁNVM. - mill. 3.

2. Iter militare alterum: NITRIA, traiecto ad *Óhaj*, amne *Sitva*, per *Kozárowecz*, S. BENEDICTVM. mill. 4.

3. Iter militare tertium: NITRIA, per colles, KIS-TOPOLCSÁNVM. - - - - - mill. 2.

V. *In Comitatum* COMAROMIENSEM.

1. UJVARINO, aperta planitie, COMAROMIVM. - mill. 2.

2. SELLYA, penes *Vagum*, GVTTAM. - - mill. 2.

FINIS COMITATVS NITRIENSIS.

CO-

COMITATVS HONTENSIS.

PROOEMIVM.

HONTENSEM nunc *Comitatum*, exhibebimus, nulla noſtra culpa, iſthuc retruſum: id quod, ſuo loco, dolenter potius, quam acerbe, queſti ſumus. Ita vero, lacunam, illic importune factam, expleuimus, vt non ſit, cur, ſiue nos ipſos, ſiue lectores noſtros, ceſſationis eius, pœnitere debeat. Nempe, vlciſcendam putauimus, inflictam, operi huic noſtro, luxationem illam, non alio magis facinore, quam ſtudioſa quadam adſiduitate ac diligentia, vti, cum vniuerſim, prouinciæ totius, tum vrbium præcipue metallicarum, hiſtoriam, multo, quam fuiſſet proditura, elaboratiorem, in publica luce, collocaremus. Ce-

teroquin, quia *Comitatus Hontenſis*, bifariam diuiditur; in *Nagy-Hontenſem*, puta, cui tres ſunt *Proceſſus* admenſi; & *Kis-Hontenſem*, qui, tametſi coadunatus eſt priori illi, & quarti *Proceſſus* nomine cenſetur; ſpeciem tamen habet, peculiaris quaſi prouinciolæ: ita, circa deſignationem totius *Comitatus*, verſari conſtituimus; vt primo quidem, *Nagy-Hontenſem*, ſuis circumſcriptum limitibus; *Kis-Hontenſem* tractum poſtea, diurni itineris ſpatio, intra aquilonem & orientem, illinc repreſſum, deſcribamus.

I.

Comitatus Nagy-Hontenſis,

PARS PRIOR,

GENERALIS.

MEMBRVM I.

PHYSICVM,

DE

Natura, Situ & Opportunitatibus

Comitatus Nagy-Hont.

SYNOPSIS.

De nomine *Comitatus*, *variantes doctorum ſententiæ: ab auctore excuſſæ.* §. I.

Quæ ſua ſit opinio, indicatur: Hunt, *Dux Germanus*, S. Stephano *militans*, *ſuum, prouinciæ nomen communicat: id quod docetur ex* Hiſtoria: *ex* Diplomatibus. §. II.

Diuiſio *Comitatus importuna: vnde manarit, auctoris ſententia: quibus limitibus circumcludatur: regionis habitus, montanus fere eſt: colles, vitiferi ſunt plerique: modus fertilitatis diuerſus:* Nagy-Honti, *longitudo, & latitudo.* §. III.

Mon-

Digitized by Google

Montes *Comitatus, limitanei ſunt, & mediterranei: illi,* metallis *grauidati:* Schemnicienſes: Börsönyenſes: Palaſtienſes: Szenohradienſes: Szitna, *mons ſingularis: reliqui.* §. IV.

Fluuii - *Nagy Hontenſium,* Danubius: Granus: Ipóla: Schemnicienſis: Carponenſis: Bakabanyenſis: *riui reliqui.* §. V.

Aquarum *genera alia: Thermæ,* Gyögyenſes: Szántoienſes: *fontes acidi:* Gyögyenſis Felsö - Palojtenſis: Schemnicienſis, *in ſodinarum viſceribus:* fons periodicus, *montis Szitnæ: aquæ medicatæ,* Bakabanyenſes, & Drſenitzenſes: *aquæ,* ſtrumas generantes. §. VI.

Qua ſit fertilitate, regio: res frumentaria: annona reliqua: vineatica: laus vini Hontenſium. §. VII.

Res pecuaria, *quas ob cauſſas, ſit tenuior: pecus cornutum quale? equi: oues: capellæ: porci: aues domeſticæ: res apiaria: piſcationis modus: aucupia, & auium ſilueſtrium, genera: venatus, ferarumque ſpecies: inſolita, ceruorum, & damarum clades: apri, vbi luſtra habeant: lepores: lupi: vulpes, & feles ſilueſtres.* §. VIII.

Metallorum Hontenſium *laus: eruitur,* Aurum & Argentum: Plumbum, *magna, rei metallicæ acceſſione, eliquari cœptum:* ferrum: æs cyprium: foſſilia *reliqua, nondum ſatis cognita:* lapides *pretioſi:* colores *natiui.* §. IX.

Aeris Hontenſium, *ingenium:* montanus, *non vndiquaque ſalubris, ob ſodinarum halitus: adſuetis tamen haud noxius: reliqua regio, vigeſcit aere ſaluberrimo.* §. X.

§. I.

DE nomine *Comitatus Hontenſis,* non vna eſt eruditorum ſententia; opiniones autem variæ. A vico cognomine, *Ipolæ* amni adſito, qui hodieque ſuperat, plerique omnes, vocabuli origines arceſſunt; vnde vero adpellatio illa, vico ipſi *Hont,* adhæſerit, iterum diſſident. Quibus hiſtoriæ fides potior eſt, quam vulgi narrationes, *Kundum, Chundum,* ſeu *Huntum,* vnum ex ſeptem Hungariæ ducibus, caſtra hic olim habuiſſe, aiunt, & in his prætorium, ad arcis ſpeciem, tumultuario opere, excitatum, atque ex ſuo nomine poſtea vocitatum, vt *Huntvár* diceretur. Et de Chundo quidem, diſerte THVRÓCZIVS: *a) Quarti*

De nomine Comitatus, varientes doctorum ſententiæ:

ti Capitanei vocabulum fuerat Cvnd: *cuius filii*, Kusid & Kupan: *qui prope* Nyr *fixere sua castra, ibique post baptismum, monasterium fundauere.* Non possis ex his deliberato statuere, paterne *Cund*; aut, post huius fata, *Kusid*, & *Kupan* filii, oram *Nyr*, occuparint? Si *Cundum*, seu *Hundum*, isthic sedem fortunarum constituisse, credas; vix ille quidem, ad *Ipolam* vsque, cum exercitu suo processit; hoc enim si fecisset, non facile existimarim, regressum fuisse, in *Nyrensem* oram; quippe quum, totam regionem illam, *Zabolch* (*b*) secundus Hungarorum dux, & huius posteri, nempe, genitorio *Csák*, iam tum obtinuerint. Ergo, dubia erit, *Hund-Vári*, a *Cundo*, imo, & ab hoc, *Comitatus Hontensis*, denominatio: maxime, quod peruulgata est eorum, qui de rebus Hungaricis aliquid in litteras retulerunt, opinio, ad amnem (*c*) *Nyr*, & *Cundum*, & filios suos, coluisse. Ita Ladislavs Listivs (*d*)

ab auctore excussa.

Le szálla népével Kvnd *negyedik Nyrben.*

Consediſſe nimirum, in *Nyr*, quartum Hungarorum ducem *Kundum*. Proinde, huc aliorum sententia redit; vico quidem illi, *Comitatus Hontensis* nomen deberi; sed vici ipsius nomenclaturam, non a *Chundo*, seu *Hundo*, verum, a cespite, arcessi oportere: eo quod castrum, cuius rudera hodieque, ad eum vicum superant, *Hant-Vár*, hoc est Hungaris, *arx ceſpiticia*, dicta fuerit; quia cespitem, *Hant*, lingua nostra dicimus. At enim, ne huic quidem etymo adsentiuntur alii: quando cespes quidem, *Hant* vocetur, minime vero, *Hont*; Comitatus autem, nostra hac ætate *Hontensis*; in priscis diplomatibus, vt plurimum, *Huntensis*, scribatur. Nescio tamen, an ob vnius litteræ diuersitatem, deriuatio ea, iure possit reprobari: cum nihil accidat frequentius, quam elementorum, in his istiusmodi denominationibus, mutua inter se permutatio. Sic, olim *Supron*, hodie *Sopron* dicunt. Hæc illi.

§. II.

Qua sua sit opinio, indicaturi: Hunt, *dux Germanus*, S. Stephano *militans, suum prouinciæ nomen communicat: id quod docetur, ex* historia:

Nobis, ne in re quantiuis momenti, dissimulemus quidquam, eorum se probat opinio, qui ab Hvnt duce, non *Hungaro* illo, sed *Germano*; quique ductu S. Stephani, aduersus *Cupan Simigiensem* militabat, & vici nomen repetendum esse, & *Comitatus*. De hoc Thúróczivs: (*e*) *Adierunt etiam istis diebus*, Hvnt & *Páznán*, *qui* S. Stephanum *regem, in flumine* Garam, *gladio, Theutonico more, accinxerunt.* Dissimulat Bonfinivs, (*f*) ritum, ab *Hunte*, & *Páznáno*, gladio præcincti regis Stephani; reliqua, suo more, facunde effingit. *Coacto demum exercitu*, (de adparatu aduersus *Cupan* loquitur) *ad* Garam *amnem castra locat; ibique primum iuuenis Deo deditissimus, defendendæ publicæ salutis necessitate adactus, sibi ensem accinxit.*

a) Chronico Hungar. Parte II. Cap. VI. pag. 32.
b) Inibi, Cap. IV.
c) Vide Mausoleum Regum Hungariæ p. 64.
d) In Regibus Hungariæ, quos carmine vernaculo celebrauit, p. 55. Prodiit liber, ad calcem Martis Hvngarici, Viennæ, MDCLIII. fol.
e) Loco nunc citato, Cap. XIII. p. 34.
f) Decadis II. Lib. I. 173, 10.

cinxit. Duos ibi magiſtros equitum pronunciauit, fide, ac militari diſciplina præſtantes: quorum alter Hvntes, *Páznám alter dictus eſt. Hi Teutones fuiſſe traduntur, qui, cum Chriſtiana fide pollerent, imperante* Geyſa, *in Pannoniam venerant, nobili genere nati: & cum bello ac pace, de Hungaris eſſent bene meriti, principatum inter proceres, apud* Geyſam *tenuerunt; multumque in propaganda* Christi *fide, patrem ac filium, adiuuere.* Confici hinc poteſt, valuiſſe iam tum opibus, ducem Hvnt; quin, niſi audaculus lectori videar, adfirmarim equidem, in poſſeſſione prouinciæ huius, quæ poſtea *Huntenſis*, ex eius nomine cœpit adpellari, *Hunten* tunc fuiſſe. Quod inde ſimul colligas, quia ad *Granum* amnem, & caſtra locata fuerunt, & rex gladio ſuccinctus. Nempe, in agro ſuo, cerimoniam illam, & copiarum luſtrationem, inſtitui voluit *Hunt*; rege, eo minus contraeunte, quo maior ei, in clariſſimi ducis, & fide, & bellica virtute, ſpes, immo fiducia fuit. Quid, quod in tabulis S. Stephani, quibus inſignem dotem, ſacri montis *Pannoniæ* cœnobio adfirmabat, eximia fiat *Paſznán* & *Huntii*, tamquam belli ducum, mentio? *Adſtantibus*, aiunt tabulæ, Poznáno, Cvntio, Orbio, *Domino quoque Dominico Archiepiſcopo, votum voui S. Martino.* Vbi tamen aduertere volo lectorem, *Hundii* nomen, in vulgaribus apographis, vitioſe, cum vocabulo *Cuntii* permutari; ſiue id, ex ſcribarum oſcitantia, ſiue ex legentium inaduertentia, profectum eſt. Alioquin, eſt in *Huntenſium* incolarum manibus, vetuſtum diploma (*g.*) aliud, ex quo, meridiana luce clarius adparet, fuiſſe omnino vicum eum, priſca illa ætate, in *Huntii* ditione. Atque diu omnino, noſtro hoc *Comitatu*, gens *Hunt*, rerum potiebatur, dum in vnam familiam, ſeu adfinitate, ſeu fœdere alio, cum *Páznáni* illa, coaleſceret: vnde poſtea, *Hunt-Páznániorum* orta eſt generatio: cuius frequens in regum diplomatibus, (*b.*) mentio occurrit. Ita vero, & opibus, hac regione, & clientelis, inualuerant, *Hunt-Páznánii*, vt nihil dubitarint poſtea, ipſi Archiepiſcopo Strigonienſi, Lodomerio, graues atque noxii exiſtere. Quam ob rem, cenſura eccleſiaſtica, eo ſunt adacti, vt illata ditionibus eccleſiæ metropolitanæ damna, anno MCCLXXXVII. cogerentur (*i.*) reparare. Tandem, cum fœcundo traduce, gens increuiſſet, diſpertitis, quæ per *Hontenſem*, & *Neogradienſem* prouinciam habuere, hæredibus; nomen *Hunt-Páznániorum*, ſenſim euanuiſſe ferunt: eo quod, ſingula familiæ capita, migrato, auitæ denominationis vocabulo, ab iis vicis adpellari voluerunt, qui ex partitione, anni MCCCII. & III. ſibi iure perenni, obuenerant. Superant tamen, ex horum poſteris apud *Hontenſes*, familiæ, quæ *iure*, quod *ſexus fe-*

ex diplomatibus.

g.) Authenticum exemplar, in archiuo *Archiepiſcopali Strigonienſi*, exſtare accepimus.

b.) Ingens horum numerus exiſtit in *Archiepiſcopali* tabulario, circa res familiæ, & vici *Csitár.*

i.) Inſtrumentum in eam rem ſuperat, in eodem tabulario, a Capitulo Eccleſiæ Strigonienſis, anno, quem adſcripſimus, X. Cal. Sept. conditum: in quo vicum ſuum *Gyorok*, in Comitatu *Nitrienſi* ſitum, ſarciendis, quæ intulerant, damnis, *Archiepiſcopatui* adſcribunt. Capſa D. n. XII.

feminei dicimus, vicos, & prædia *Hunt-Páznániana*, hodieque possident: id quod, cum regum diplomatibus, tum monumentis domesticis aliis, egregie possunt condocere. An vero, ex iisdem istis, *Páznániis* prognati sint, *Pázmanii*, PETRI Cardinalis maiores, alibi *(k.)* expromsimus; vt necesse haud sit, litem instruere denuo. Hactenus, de nomine prouinciæ.

§. III.

Diuiſio Comitatus importuna:

SItum Comitatus, importune definiuerunt, siue primi illi metatores, siue postea, rerum, per prouinciam domini. Nam, cum *Comitatus Hungariæ* reliqui, perpetuo terrarum tractu, vel in longum procurrant, vel in latum diffundantur, suis demum *Processibus*, discriminandi; *Hontensis* iste, ad eum modum designatus est, vt inter *Nagy-Hont*, siue *Hont-Maiorem*, & *Kis-Hont*, siue *Hont-Minorem*, quinque propemodum milliarium regio, *Comitatuum Neogradiensis* a meridie, & *Zoliensis* ab aquilone, intermittatur. Causam, importuni adeo instituti, vix diuinando adsequare. Ego, hinc fluxisse reor: quod, cum gens *Hunt-Páznán*, hac ora potiretur; pars altera, maiorem *Hont*, minorem altera, in potestate habuerit. Manauit inde, atque inualuit pedetentim, disiunctarum prouinciarum adsociatio, non tam collimitio adunata, quam possessorum nominibus, ac voluntate. Ergo, dum sequutis temporibus, *Supremi Comites*, dabantur *Hontensibus*, ex genere *Hunt-Páznán*, lectos fuisse plerumque, satis constat. Hi vero, vt hæredium partem alteram, iam *Kis-Hont* vocatam, sub sua dominatione retinerent, non patiebantur auelli regiunculam, a communi reliquæ prouinciæ *iurisdictione*. Itaque, perpetuo iure, an consuetudine, *Maior*, & *Minor Hont*, vsque in nostram ætatem; tametsi haud sine frequenti animorum dissociatione, cohæserunt. qua de re infra, ex instituto. Vtramque Comitatus regionem, ab oriente quidem *Gömörienſis*, *Heveſſienſis* & *Neogradienſis*; *Barſchienſis*, ab occidente, describunt. Aquilonem, *Neogradienſis* partim, partim *Zolienſis*; meridiem, *Barſchienſis* iterum hic, alibi *Strigonienſis* Comitatus, definiunt. Regio ipsa, montibus passim aspera est, per collimitia in primis, tum & per mediterranea. Qua in *Septentriones* abit, altius adsurgunt montes; mitescunt contra, atque intermissis hic, & illic, campis, & amœnitatis multum, & opportunitatis habent plurimum, qua in *meridiem* sinuantur: si *Danubii* collimitium excipias; vbi, montes iterum, iugosi & vasti, ineunt. Colles, vite, plerisque locis, vestiuntur: reliquum rus, cum pascua arua, tum ager frumentarius, hilari varietate, discriminat. Fertilitatis habitus, ex situum positione æstimandus est. Vbi enim montes dominantur, ager natura sterilior, quin & arctior est, quam qui inædificatis vicis, sufficiat: contra, vbi, vel collinus esse incipit,

vnde manarit, auctoris ſententia:

quibus limitibus circumcludatur:

regionis habitus, montanus fere eſt:

colles, vitiferi ſunt plerique:

modus fertilitatis diuerſus:

(k.) Operis huius, Tomo I. in Historia Vrbis Posonienſis, Cap. V. Artic. VI. num. VII. §. XX. p. 502. in vita PETRI PAZMANY, Archiepiscopi & Cardinalis.

cipit, vel in qualemcunque planitiem deprimi, laxatur magis, fitque ſementi benignior. Ad prouinciæ amplitudinem, quod adtinet, ſic ſatis longe procurrit: *Nagy-Hontenſis* præcipue; nam minorem alteram, ſuo loco definiemus. Nempe, ſi a *Béla-Bánya*, vrbe metallica, metiri incipias, & apud oppidum *Maros*, citeriore, & aduerſa *Visſegrádo*, Danubii ripa poſitum, deſinas, ad nouem propemodum *milliaria*, ab aquilone, in meridiem procurrit. Anguſtior multo latitudo eſt; quippe quæ, a vico *Varsány*, quarta milliaris parte, *Léva* diſiuncto, exorſa, transuerſo in ortum tramite, vsque ad *Kovár*, orientalis collimitii vicum, progreſſa, *quinque milliaria* conficit. quæ poſtea intercapedo, quo profundius in meridiem immergitur regio, magis magisque coit, dum in cuneum deſinat. Dedit ea res imaginationi locum, vt ſitus hos, pyramidis inclinatæ, & a laxa capacique baſi, quam ſub aquilonibus habeat, exſurgentis ſimulacro, animo concipi poſſe exiſtiment, quibus volupe eſt, regionum poſitus, his iſtiusmodi formis, adumbrare. Atque ita eſt omnino, latiſſimus eſt comitatus, qua ad ſeptentriones proſpicit; hinc vero in meridianum ſolem degreſſus, vtroque, orientali & occidentali, ſinuoſo vtrobique latere, quo longius procedit, eo arctius conſtringitur; dum acuta cuſpide, in Danubium, ad *Maroſium* exeat.

Nagy-Honti, *longitudo, & latitudo.*

§. IV.

MOntes *Nagy-Hontenſis Comitatus*, duum ſunt generum, limitanei hi, illi, per mediterranea, vario, & iucundo poſitu, ſparſi. Vtrique, ſed limitanei maxime, metallis grauidati ſunt, AVRO puta, & ARGENTO. quorum, quantam, tot retro ſeculis, copiam, in commune profuderint, ad *Schemnicienſes* aurarias, videbimus. Nunc præcipuos quosque, more noſtro, deſignemus. Principem vero heic locum merentur:

Montes *Comitatus, limitanei ſunt & mediterranei: illi, metallis grauidati:*

I. SCHEMNICIENSES. Horum caput, ad *Béla-Bányam* eſt, vnde progreſſi, premunt ſe inuicem, & hinc *Schemnicium* obſident, illinc, varie propagati, vallibus paſſim, rarius, modica planitie, interſtinguuntur. *Pythagoricæ* litteræ, figuram, eos referre, aiunt. Nam, a *Béla-Banyenſibus*, in ſeptentrionem, ad *Granum* prouecti, terga amni, perpetuo tractu obuertunt, donec, flexo procurſu, *Baka-Banyenſibus* coadunentur, atque apud *Tot-Bakam*, in colles vitiferos, deſinant. Inſigni hoc ambitu, tres metallicas vrbes, *Béla-Bányam*, ſeu *Dilnam*, ſiniſtro; *Baka-Bányam*, ſiue *Pukantzum*, dextro brachio, ipſo denique ſinu, *Schemnicium*, amplexantur: quam ob rem, *Schemnicienſes* libuit adpellare; non, quod toti ad vrbis eius agrum adtineant; ſed quia *Schemnicienſibus* metallis, omnium maxime inclaruerunt. Celſa iis ſunt iuga, calua hic, ſiluoſa alibi; latera paſſim prærupta, & ancipiti petroſoque deſpectu, horrentia; radices contra, iucunde, ac pro eo ſinuatæ, vti id, regionis metalliferæ ingenium, requirit. At, ſuperficies, vbi aprica eſt, neque ſaxis impedi-

Schemnicienſes.

ta, fert, nullum non herbarum, fruticum & radicum genus. Hortum medicum crederes, arte ac induſtria conſitum; ita plerisque locis, dum ſunt tempora, ſilueſtris ac montana *Flora* (*l.*) dominatur, & fragrat. Sunt, qui id metallicis halitibus adtribuant, quibus grauidata humus, luxuriet in herbis protrudendis. quod equidem, adfirmare non auſim, cum ſint, qui aliter ſentiant, atque vſu docti, & herbas illic, & arborum culmina, notabiliter marceſcere, adfirment, vbi ſubtus metallorum ſunt venæ: vnde, hæc iſtiusmodi τεκμήρια, indicio *metallurgis* ſæpius fuiſſe, cum metallicos campos ſub dio, palis deſignarent, MATTHESIVS (*m.*) auctor eſt. Totam eam fœcunditatem, celſo ſitui, ſolo herbis amico, aëri præterea puro, adtribuerim. Accedit, quod raro, ſeu depaſcantur, ſeu conuellantur, per ſublimes hos poſitus, herbæ ac radices; vt poſſint omnino, perpetuo traduce, diſſeminari propagarique. Per ſaltuoſa montium, fungi, omnis generis, naſcuntur. *Tubera*, in his reperta fuerunt; quod non inficior, cum ſint omnino familiaria, metalliferis regionibus. At, de *Zingibere*, per noſtros hos montes, refoſſo, cum ratione dubito, cum id aroma, *Indico*, & cælo, & ſolo, conſuetum, refugiat frigidas regiones. Opes montium *Schemnicienſium* reliquæ, ſubterraneæ ſunt, quas, cum vrbium laudatarum hiſtoriam expromemus, profuſa diligentia, recognoſcendi ſe dabit occaſio. Iſtud ſilendum non eſt, ita paſſim, vbi ſpes erat diuitum venarum, laceratos, immo dilaniatos eſſe montes oræ huius, vt argumentum inde capi poſſit, cum laborioſæ, priſcorum illorum hominum, qui eos primi cauare cœperunt, adſiduitatis, tum vtilitatis etiam, quæ inde, ad vniuerſam gentem, redundauit. Vix eſt enim ſitus, metallo ſcrutando, quomodocunque opportunus; quin, puteorum hic, cuniculorum alibi, indicia oſtentet: quæ, haud quidem tentamina fodinarum; ſed operoſiores ſecturas fuiſſe, egeſti, ex terræ, ac petrarum viſceribus, colles tuberoſi, ſatis condocent. Tametſi vero, vix quidquam intentatum reliquerunt, primi illi, & qui hos excepere, *metallarii*; tamen, in ea ſunt opinione, metallicarum rerum conſulti, vt credant, ſi ætatem mundi, altero tanto ſeculorum ſpatio, prorogaret, arbiter huius vniuerſi DEVS, quanto perſtitit hucusque; numquam tamen defore montibus noſtris, inexhauſtos, auri argentique, theſauros; modo ſint, qui, metalla ſcite perquirere, adſidue, & cum fiducia in cæleſti numine, velint eruere. Quæ eorum opinio, non modo non eſt vana; ſed rationibus etiam nititur, haud reiectaneis. Præterquam enim, quod plerique montium huiatium ſinus, inacceſſi perdurauere hucusque; qui aliquando, & ſera poſt nos ætate, recludi poſſunt cum fœnore: certum eſt, excauatas ſemel venas, lapſu diuturnioris temporis,

l.) Ergo, quibus animus eſt, FLORAM PANNONICAM, laudabili inſtituto, edere; ſi aliunde, hinc certe poſſent ſubſidia comparare, non locupletandæ modo, ſed ornandæ etiam, coronandæque FLORAE ſuæ, idonea.

m.) In SAREPTA ſua, quæ iam non eſt ad manum.

Digitized by Google

poris, & increſcere denuo, *(n.)* & grauidari metallo. Quod iam non eſt noſtrum diſputare. Adſentior potius ænigmati, non neminis, ex me, tamquam, qui ſua opinatione, penitus cognitam habeam *Hungariam*, curioſius aliquando quærentis: *quemnam Comitatuum tota patria, ditiſſimum omnium, exiſtimarem?* Reſponſum meditabar; cum ille procacius ingerit: HONTENSEM, *eo in cenſu haberi oportere: quippe, cuius opes, nulla vnquam atas, conuerſiones nulla, ſint exhauſtura:* quod ita ſane eſt, ſi *Plutonis* hæ regiones, pro lubitu, adiri poſſent, atque inde expromi theſauri, cum ita poſceret neceſſitas. Id vero, quominus fieri poſſit, *Grypborum (o.)* ſiue hi, noſtra ſint peccata; ſiue temporum malignitas alia; cuſtodia intercedit. Sed, ad reliquos montes *auriferos*, pergamus.

II. BÖRSÖNYENSES hi ſunt, a meridie, prouinciam *Hontenſem*, concludentes. Magna horum, & inſignis eſt varietas, ſi vicinos ſimul complecti velimus. Huc enim, perpetuis connexi iugis, referri poterunt, montes *Peröcsényenſes*, *Kemenzenſes*, *Drégelyienſes*, *Marothenſes*, *Szakolaienſes*, alii. Nullus in his, venarum expers eſt; ſed laus *Börsönyienſes*, præcipua: quando longa retro ætate, a gente *Saxonum* metallica, inſigni fructu, & adſiduis operis, excultos, libri metallici non tantum; ſed, quod ad fidem faciendam, momenti habet plurimum, diplomata etiam Regum, & Archiepiſcoporum, nos docuerunt. Illud doleas, quod poſt adtritos veteres incolas, non ſuperent iam, qui in tantis temporum difficultatibus, aut velint, aut poſſint, venas ſcrutari, ob rei familiaris anguſtiam. Certum eſt enim, nihilo deteriores ſecturas, per hæc montium deſerta, inſtrui poſſe, quam ſunt *Schemnicienſium;* ſi eſſent, quibus, ad eruendum, cum voluptate, poteſtas, & ad ſuſtentandas ſpes, impenſæ ſufficerent. Sed, non eſt forte opus tempora accuſare, & hominum inopiam: diuina id prouidentia fieri credimus; vt ne ad vnius ſeculi, explendam cupiditatem, retruſi hi theſauri, penitus exinaniantur; ſed ſuperet aliquid, quod ſcrutari queant, ventura ſecula; & in iſtis, poſteritas forte, his tantis opibus, aut dignior, aut indigentior. Sunt vero montes, quos diximus, ita ſibi innexi, ſeque mutuo amplexantes, vt turgeſcenti foliis roſæ, ex alto deſpicientibus, ſimillimi adpareant, habeantque paſſim eos poſitus, ſinusque, quales oportet eſſe, montium auriferorum. Nihil ergo hic, *Virgula Mercuriali*, *(p.)*

Börsönyenſes:

n.) Conſule in eam rem, JACOBI TOLLII Epiſt. Itiner. IV. p. 102. & adnotationes HENNINII, p. 121. vsque ad p. 129. vbi, fuſe, docte, & cum ratione omnia.

o.) De Gryphis, MELAE locus ſufficiat, de ſitu Orbis, Lib. II. Cap. I. edit. ABR. GRONOVII p. 112. Gryphi, ſæuum, & pertinax ferarum genus, aurum terra penitus egeſtum, mire amant, mireque cuſtodiunt, & ſunt infeſti adtingentibus.

p.) Digna eſt, HENR. CHR. HENNINII Diſſertatio, de VIRGVLA MERCVRIALI, quæ cum adtentione perlegatur, quamque ad TOLLII Epiſtol. Itiner. V. num. LXII. adtexuit p. 217. vsque ad p. 235. Cui adde, ſi lubet, THEOPHILI ALBINI C. ad M. S. eruditum non minus, quam pium tractatum, Germanice ſcriptum, cui titulus, DAS ENTLARVETE IDOLVM DER WÜNSCHEL-RVTHE, vbi, Hiſtoricum, Phyſicum, & Morale, *Virgula Mercurialis*, examen reperias. Prodiit Dresdæ A. MDCCIII. *for. Oct.*

ad indaganda venarum capita, & procurſus, opus eſt: quippe quæ ſingula, ipſe montium ſitus prodit; periti autem *metallurgi*, ſolo obtutu, vltra veroſimilitudinem, cognoſcunt. Medium, montoſæ huius regionis, præcipuus in reliquis, mons inſedit, quem *Magos-Fa*, Hungari adpellant, ex rei ſimilitudine. Nam, vti vocabulum illud, *celſam arborem* ſignificat; ita montis eſt poſitus, reliquis circum, tanta altitudine præcellens, quam quæ nubibus minitari videatur. Celſitatis argumentum, inde capi poteſt, quod cælo ſudo, & requieto aere, *Scepuſienſium* inde, & *Liptouienſium Carpathus*; quin & *albi montes Nitrienſium*, proſpici queant. Maturæ hunc plerumque, & diutinæ poſtea niues obruunt; non ſine circumpoſitæ regiunculæ iniuria. quæ inde, ſerum ver accipit, autumnum præcipitem, hiemes autem, cum præmaturas, tum productas longius. Alioquin, qua montes, in quorum mentione verſamur, radices promittunt viti, fiunt hoſpitales, & vinum fundunt, non quidem ingratum palato; ſed quod ætatis eſt impatiens. Iidem iſti ſitus, & arborum fructiferarum, vbertate gaudent; paſſim, ad nemorum ſpeciem, conſitarum. *Maroſienſes*, eo nomine, haud ſilendos putamus, quibus ſiluas caſtanearum fuiſſe, adoleſcentes, iſthic verſati, meminimus: priſcorum, videlicet, *Hungarorum* diligentia, conſertas. quas iam conuenæ, habere dicuntur negligentius, ignari illius: *ſerimus arbores, poſteritati profuturas.* Porro, *Maroſio*, ab occidente, mons *Zebegeny*, aduerſo *Danubio* obſidet; nulla re magis, quam rigiditate ſua memorandus. Nam, vti verſus mediterranea ſaltuoſus eſt, & ferarum luſtris opportunus; ita, qua *Danubium* deſpicit, petroſis cacuminibus, & turritis ſaxorum articulis, mirum ad modum inhorreſcit, eſtque, præternauigantibus ſtupori. Habuit, iuuenili ætate noſtra, dum hac ſemel iterumque, naui deueheremur, *Anachoretarum*, quos & *Eremitas* vocamus, eo opportuniores receſſus, quo proniores vidimus, naualis itineris ſocios, ad eleemoſinam impertiendam. An vero mons ipſe, *metallicis* ſit accenſendus, non habeo dicere. Fuere hi meridionales *Hontenſium* termini, a natura poſiti. Iam, & hos meminiſſe iuuat, qui ſunt ab oriente, *Neogradienſibus* limitanei. Huc referuntur:

Paláſtienſes: III. PALÁSTIENSES, qui gemino ordine propagati, hic, in ſeptentrionem quadammodo feruntur, ſeque intra *Csábrághienſium* iuga abdunt; illic, in orientem protruſi, perpetuis dorſis, milliaris fere interuallo, vsque ad oppidum *Nyék*, recedunt. Nulla his opportunitas eſt alia, quam quod ſaltuoſi ſunt, & ligni cædui copia, luxurient. Adde, ferarum luſtra, quæ heic & commoda ſunt, & non inania. Poſt hos:

Szenohradienſes: IV. SZENOHRADIENSES ſunt nominandi, prioribus illis, & mole potiores, & iugorum celſitate. Paſſim tamen, in dorſa miteſcunt accliuia; ſed habent etiam petroſa, hic & alibi, horridaque latera. Vniuerſim, ſiluoſi ſunt extra modum, & qua caluities habent, paſcuis idonei. Quod maturius niuibus conteguntur; quæ non raro, extra mo-

modum, & altæ ſunt (*q.*) & diuturnæ; vicinam pone oram, aſperam reddunt, atque rigentem frigore. Qua re fit, vt ager circumſitus, difficilioris ſit ruſticationis, & ſicuti accipiendæ vernæ ſementi, ita meſſibus etiam reddendis, quam reliqua regione, tardioris. In mediterranea recedit:

Szitna, *mons ſingularis*:

V. SZITNA, mons, toto *Comitatu*, celſiſſimus. Poſteaquam enim lentis radicibus, aliquantiſper adſurrexit, adtollitur demum, per articulorum interordinia, ad eam altitudinem, vt montes reliquos, prorſus exæquet; tametſi, e longinquo ſpectantibus, latior adhuc videri poſſit, quam altior. Tunc, contractis lateribus, ad termini modum, glaber & ſiluis nudus, petroſum caput exporrigit, olim, valida arce inſeſſum, nunc ruderibus deforme. quod opportuno loco exponemus. Supra arcem, celſior vertex ſurrigitur, ſaluberrimis, in tanta altitudine, ſcaturiginibus madens. In his vna eſt, cuius aquæ, ſimul a puteo, exili riuulo, demanarunt, intra petræ rimas ſe abdunt, poſteaque, ad vicum *Prencsow*, in apricum emergunt denuo. Eſt, & ante arcis portam, vndoſus fons, cuius latex mire ſapidus eſt. De quo illud poſſis dicere:

Quo plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ.

quo enim auidius bibitur, eo magis, cum ſitim exacuit, tum cibi adpetentiam: niſi eius rei cauſſas, inde fas ſit repetere; quod, qui montis cacumen conſcendunt, & ſitim contrahant, ex itineris labore, & eſuriem, vix demum, niſi liberaliori potione, & adlato qualicunque commeatu, exſatiandi. Admirandæ ea quoque ſcatebra, naturæ eſt, quæ in edito monte, ſub turricula, emanat. Aeſtate, nimirum, ad glaciei modum, gelida eſt, tepet contra, cum maxime bruma riget. Præterquam autem, quod totus fere mons, paſſim ſcaturiginoſus, terrenum habet, pullum, reſolutum ac pingue, quodque manibus tritum, nigrorem infert, carbonum æmulum; ſunt, qui metalla monti tribuant; neque nos, ob *Schemnicienſium* viciniam, negauerimus: vix eſt tamen, qui eorum indagandorum, aut fecerit olim, aut facturus ſit poſtea, periculum. Herbidus eſt, per glabros ſitus, & exſatiandæ *botanicorum* auiditati, nullo non fruticum, radicum, herbarum, & florum genere, luxurians. Quæ eius opportunitas, dum eſt tempeſtiuum, *Schemnicienſes*, cogendi eiusmodi adparatus gratia, iſthuc inuitat. Celſitatis argumentum, inde capias, quod ex campeſtri *Hungaria*, quæ in *Peſtienſi Comitatu*, diffundi in orientem occipit, vna cum *Szanda*, Neogradienſium monte, conſpici; hinc vero, *Buda Peſtumque*, obſeruari poſſint.

reliqui.

VI. RELIQVI prouinciæ montes, multi quidem ii ſunt; ſed, qui nihil habent præcipui, feruntque nomina, vel accepta a vicis, quibus adſident, vel cum iis communicata. Siluæ, cum montanæ illæ, tum nemoroſæ, arborum genere variant. Alunt nempe, qua ad ſeptentrionem vergunt, pinum, abietem, fagum; quæ varietas, &

q.) Anno MDCCIV. Aprili iam adoleſcente, hac proficiſcentibus, ita niuibus omnia infeſſa fuerunt, vt paſſim, operis indiguerimus, quæ iter fecerunt peruium.

in auſtralibus, qui verſus *Danubium* abeunt, obtinet; quercu tamen magis, quam alibi, dominante. Eadem ſunt indole, & mediterraneæ ſiluæ: glandiferæ eæ, & ad ſuſtentanda fodinarum *Schemnicienſium*, opera, inexhauſtorum roborum. quod vtrumque, cum herorum vtilitate, coniunctum eſt.

§. V.

Fluuii *Nagy-Hontenſium*:

POſt montes, *Fluuiorum* habenda ratio eſt. Sunt autem, maiores alii, qui lambunt tantum regionem; alii minores, domi editi, iterumque abſorpti. Singulos, nunc fas eſt deſignare.

Danubius:

I. DANVBIVS, fluminum pater, *Strigonienſis* prouinciæ agrum, vaſto emenſus alueo, infra *Párkánum*, vbi iam territorium *Kövesdenſe* iniit, regionem noſtram, ſiniſtro latere, ſubluere incipit: dum *Kövesdenſes* præteruectus, *Hellenbaenſibus*, inde *Sobienſibus*, adlabatur, atque curſu in orientem reflexo, infra *Maros* oppidum, *Neogradienſibus (r.)* primum adfundatur; mox, diuaricato, infra *Viſſegrádum* alueo, inſulam *Ros* molitus, hinc *Peſtienſium*, *Piliſienſium* regionem illinc, valido vtrobique, ſed illo tamen validiore alueo, ſubluat. Nusquam, tota *Hungaria*, faſtoſius *Danubium* manare obſeruaueris. Præterquam enim, quoad coadunata aquarum mole, eodem alueo concitatius deuehitur, vtrinque montibus obſeſſus, prærupta hic, decliuia alibi, littora habet: vtroque autem margine, etiam vicos adpoſitos. Antequam intra montes inferatur, *Granum* primo, plurium incurſu amnium, egregie vndoſum, accipit; non, quod vulgus geographorum adfirmat, e regione *Strigonii*; ſed ad bis mille paſſus, infra eam, vrbem: id quod adtente, & ſæpius quidem, hac nauigantes, aduertimus. Iſtud certum eſt, ab eius amnis confluente, & fluuium ipſum, & arcem vrbemque, aduerſa ripa poſitam, recens *Iſtro-Grani* nomen tuliſſe. quod, neque BONFINIVS (*s.*) inficiatur.

Granus:

II. GRANVS, amnium alter eſt, qui a vicinis illapſi, non tam rigant, quam ſalutant *Hontenſium Comitatum*. Breui is, apud noſtros, procurſu eſt. Nam, cum a *Barſchienſibus*, ad vicum *Kövesd*, noſtræ huic prouinciæ, vt id honori eius daret, ſe intimauit, præcipiti ac ſtrepero lapſu, ea, quam diximus, regione, in *Danubium* exoneratur. Eius, apud *Gömörienſes* capita, & per *Zolienſem*, atque *Barſchienſem* agrum, curſum, aquarum item naturam, & cum vtilitates, tum damnoſas etiam eluuiones, alibi (*t.*) recenſuimus: hic, exitum adnotauiſſe ſufficiat. Eſt porro, &

Ipóla:

III. IPÓLA, fluuiis *Hontenſium* adnumerandus; eo quod, e *Neogradienſium* finibus egreſſus, noſtræ huic, lentus, pone vicum *Kovár* oc-

r.) De *Neogradienſium*, Danubiali hoc collimitio, recole, quod hoc eodem Tomo IV. Membro Phyſico, §. II. p. 4. 5. diximus. De Peſtienſium autem limite, egimus Tomo III. p. 11. §. VII.

t.) Decade I. Lib. I. p. 25, 28. Adde WERNHERVM, de Admirandis Hungar. Aquis, p. 597. in collectione BONGARSII.

t.) Tomo II. in Hiſtoria Comitat. Zolienſis, Partis I. Membro I. §. IX. num. I. p. 385. Et in Hiſt. Comit. Barſchiens. Tom. IV. P. I. Memb. I. §. IV. p. 160. §.

Digitized by Google

occidentali eius margine adſidentem, adlabitur. Multus nobis de amne hoc apud *Neogradienſes (u.)* ſermo fuit: hic enim, & fontes eius deſignauimus, & alueum, quæque, ſeu commoda pariat regioni, ſeu incommoda. Iam, quo ſit habitu, qua curſum in *Hontenſium* agro teneat, ediſſerendum eſt. Vt pone *Kovár*, mille circiter paſſibus, infra oppidum *Ipoly*, ſeu *Balaſſa Gyarmath*, Comitatui ſe adfudit, ſesqui propemodum milliaris, in occaſum fere hibernum, progreſſu, *Hontenſem*, & *Neogradienſem* prouinciam, mutuo diſcriminat. quæ ſpatia emenſus, inter vicos *Balogh* & *Vecze*, toto iam alueo, in regionem noſtram, illabitur, manatque ſinuoſus, dum ad pontes *Hidvégienſes*, arci *Dréghel* oppoſitos, eluctatus, flexo quomodocunque alueo, oppido *Saág* aduoluitur, rectoque inde tramite, ad vicum *Gyérk*, defertur. Hinc, in ſiniſtram procliuior, *Visk* pagum adluit, iterumque, in dextram inclinatus, lambit vicum *Szék*. Miſſis tandem mæandris, vicis *Szakállos*, *Szalka*, & aliis, in meridiem recedentibus, adrepens, ſupra *Szob*, in arcis *Damas* vicina, *Danubio* mergitur. Vtilior, an nocentior ſit prouinciæ, non eſt pronum diſputatu. Nam, ſi intra ripas fertur, rotandis molis frumentariis, in primis commodus eſt. Atque inſidetur omnino moletrinis pluribus; magno regionis adſitæ, commodo, quod molendi frumenti cauſſa, non ſit, cum rei familiaris iactura, longius excurrendum accolis. At, vbi, ſiue ex diutinis pluuiis, ſiue ex niue dilabente, intumuit, & extra ripas vagus ferri cœpit, late, ſitus depreſſos, ac prata cum primis, inundat, corrumpitque fœniſecia, vel in herba adhuc, vel iam demeſſa, & in aceruos collecta. Quæ demum ſtrages, non eſt anni vnius; ſed propagatur in plures: quando limo ſterili, ita inficit terrenum, vt ſæpe, in annos plures, caluitiebus, hic atque illic, inutile ſit, ac deforme. Poſſet, damnoſæ huic calamitati, ex facili, obuiam iri, ſi perpurgaretur, in annos, ab hæreſcentibus, medio alueo, ſtipidibus, quod, cum nemini in mentem veniat; quidquid amnis ſordium vehit, & ramentorum, ad hos id ſcopulos impingit, hæretque ad eum modum, vt interceptum, repreſſumque aggeribus amnem, crederes. Ergo, reſtagnare oportet aquas, & diffundi eo latius, quo accipiendis lacubus, oportunior eſt humus. Porro, id quoque, inter cauſſas diluuiorum *Ipolæ* retuleris, quod nulla vsquam ſit mola, ad quam non, chelibus, per amnem, transuerſo, in obliquum, tramite depactis, aquæ retententur, & in canales quaſi, a reliquo amne, ſeuulſæ coactæque, incumbentem fluuii molem, reprimant, cogantque extra alueum euagari. Ipſe profluentis latex, vix vnquam eſt limpidus. Nam, ſi intumeſcit, trahit ſecum, nullum non limi ac ſordium genus; ſin, cælo ſicco, ſuas admodum aquas vehat, ſtagnanti, quam mananti ſimilior, propemodum lenteſcit, coloremque refert luridum. Ergo, iis quoque piſcibus hoſpitalis eſt, quibus aquæ placent,

u.) Tomo hocce IV. in Hiſt. Comit. Neogradiens. Parte Gen. Memb. I. §. VII. p. 12.

cent, turbidæ ac reſtagnantes, quod in piſcationis mentione, recolemus. Iam ſilendus non eſt:

IV. Schemniciensis amniculus, idque eo minus, quo maiori conſtant, eius capita, ac primi decurſus. Notum eſt in vulgus, ſiticuloſiore poſitu, & *Schemnicium* eſſe, & ſimul aurarias, quam id eruendorum, iuxta & tractandorum metallorum, commoditas requirit. Ergo, vt aquarum huic inopiæ mederentur, fodinarum præfecti, & ſocietates metallicæ, lacus, per celſas valles, opportuno loco, poſuerunt, aggeribus, qui continerent aquas, obiectis, tantæ omnino molis, quam quæ poteſt eſſe maxima. Huc demum, pluuiales non tantum, ſed niuales etiam aquæ, magno ſtudio, corriuantur, ne cælo forte ſicco, deſint vndæ, in machinas, iuſta menſura, continenter inmittendæ. Pauciores olim, lacus iſtiusmodi fuere; iam, a tribus retro luſtris, plures inſtructi ſunt, ne molis metallicis, vllæ vnquam ſint feriæ. qua in re, ars in primis, atque indefeſſa, Samvelis Mikovinii, Cæſarei, ad metalla *Hungariæ* mathematici laudatiſſimi, cura, inuſitati quiddam elaborauit, annis ſuperioribus. Cum hæc opera, curioſius, ante quinque luſtra, ſpectarem, adfirmatum mihi a præfectis eſt, ſi vnicum eiusmodi lacum, pereſo, quod facile poſſet euenire, ruptoque aggere, difluere contigeret, totam eam regionem, quam interluit, *Schemnicienſis* hic amniculus, & inſtructos in ea vicos, qui & multi ſunt, & copioſi, peſſum ituros. Ergo, adtentiſſime curantur aggeres hi, ne vitium capiant; ſin autem pertinacius depluat cælum, magna ex templo, accolarum, qui metallici fere ſunt omnes, ad editum ſignum, fit concurſatio, vt per ſolitos alueos, delapſi ſubito torrentes, aliorſum deriuentur, ne lacubus, vltra aggerum modum offuſis, rumpantur ſubito, & tantam aquarum vim, lapſu præcipiti, in ſubſitam regionem, inſtar cataclyſmi, diffundant. quod quidem periculum, anno MDCCXXV. ineunte menſe Iunio, nocte iam concubia, & ſpectaui ipſe, & exhorrui. Atque iſtud quidem alterum, ſtuuioli *Schemnicienſis* caput eſt: alterum in ſecturarum intimis viſceribus quærendum. Nempe, ſunt, per ima fodinarum, quod ad *Schemnicium* queremur, lacus ſubterranei. In his exhauriendis, ne ſint moræ metallicis operis, nihil non induſtriæ, ſumtus atque laboris ſesqui retro ſeculo, impenſum eſt; ſed profectum etiam eo vsque, vt ſi non potuerint ſiticuloſa prorſus reddi, aurariarum profunda; tamen, nequiuerunt ad eum modum aquæ inualeſcere, quin locus relinqueretur, metallicum opus, per ſecreta hæc adyta, facientibus. Equorum primo, tunc & hominum adhibebantur miniſteria, quæ antlearum ope, aquas in cuniculos, educerent, effunderentque poſtea in apricum. Diu laborioſum, iuxta & ſumtuoſiſſimum opus, vrgebatur; dum nupero inuento, *Pyraulicæ* machinæ admouerentur, quæ vtraque illa miniſteria, diminuerent, lucrifacerent impenſas. Quod, his hauſtibus aquæ e metallis emanat, ſollicite id, in canales, & per hos, in varias, metallici operis molas, deriuatur. Quidquid ve-

ro demum, ſiue ex ſubdialibus, ſiue ex ſubterraneis illis lacubus, aquæ dimittitur, omne id, poſt ſuperatas machinas, quaſi vacatione donatum, in riuum primo coit tenuem, mox plurium adlapſu torrentium, amniculum efficit, non modo vndoſum, ſed noxium etiam accolis, ſi contingat increſcere. Et hic ænigma obiectatum nobis eſt: *cuiusnam, tota Europa, fluuii, pretioſiſſimos fontes atque alueum exiſtimarem? Tagum* ego cogitabam, atque aurifera huius, capita, alueum, & ripas: cum *Oedipum* me, *Sphinx* illa, reſponſo anticipauit: *Schemnicienſis*, inquit, *amniculus eſt; cuius fontes, triginta mille nummum rhenenſium, annua impenſa, requirunt, ni deficere debeant.* Ex operis metallicis, ſtreperus ac præceps delabitur; at ſimul in regionem libratiorem eluctatus eſt, manat demum placidior, ac forte etiam, quod creditu facile eſt, auriferus. cuius rei, an factum ſit vnquam periculum, non habeo adfirmare. Exundat non raro, etiam ad ſubitos imbres, magno accolarum, qua ſe profudit, intertrimento. Subluit vero, qua curſum tenet, *Domanik*, vicum Zolienſium, *Teszer*, *Egeg*, *Szemered*, alios; dum vltra quatuor milliaria delatus, inter vicos *Gyérk*, & *Visk*, ab *Ipola* hauriatur. Metallicus autem licet ſit amnis, eſt tamen piſcium diues: in quibus, *paſſeres*, & *coracini*, magnitudinis eximiæ, præcipui ſunt. Alit, conchas quoque, non ad cibum, ſed medicinam, ad eam medicæ materiæ claſſem referendas, quam *abſorbentem* vocant medicorum filii. Memorari præterea meretur:

V. Carponensis fluuius, non tam ob aquarum molem, quam quod veterrimæ vrbis *Carpona*, nomen referat. Slaui *Krupinicza*, vocant, *Korpona-Vize*, Hungari. Editur in *Pelsóczienſium* montibus, nominatim ex eo, qui *Riman*; quod *Romanum* ſignificat; vulgo adpellatur. Vrbe cognomine ſalutata, atque relicta *Zolnenſi* prouincia, in *Hontenſem* exit, variisque adlapſus vicis, curſum in meridiem tenet. Præcipui in his ſunt, *Paláſt*, & *Tür*, quos præteruectus, intra oppidum *Saág*, & vicum *Gyerk* (*v.*) ab *Ipola* accipitur. Abundat minuto quidem, ſed haud inſipido piſcium genere, qui diebus eſurialibus, ad fora *Schemnicienſia*, deferuntur. Eſt & Carponenſis:

VI. Bakabanyensis amnis, cum cura deſcribendus. Salit, per vicinos montes, variis e capitibus, quorum illud vndoſum maxime eſt, quod per eam vallem defunditur, quæ iter *Schemnicienſe* transmittit; difficile olim, ſed annis ſuperioribus, ingenti ſumtu, ad omnem commoditatem, adminiſtro *Mikouinio*, inſtructum. Hinc delapſus, ad oppidum *Báth* fertur, dum *Sember*, *Kerèskény*, & *Varsán* præteruectus, & ad *Kis-Kér* vicum, cum *Grani* quodam alueo conſociatus, nomen mutat, diciturque poſtea *Szikincze*. Nempe, vno ſupra *Lévam* milliari, chelium & aggerum obiectu, tantum ex *Grano*, in canalem hunc, aquarum immiſerunt, quantum ad iuſti fluuioli molem, ſatis eſſe putarunt, priſci illi homines. Expers molarum regio, id conſi- Bakabanyenſis:

*) Rectius ita, quam Tomo II. in Hiſtoria *Comitatus Zoliensis* Partis I. Memb. I. §. IX. num. 18. pag. 398. quod haud piget corrigere.

lii ſuggeſſit; quod, ſicuti multi, & laboris fuit, & impenſæ, ita vtilitatis eſt longe maximæ, ſi molas ſpectes, quas ſiticuloſiſſimo etiam cælo, frequentes, & ſine ceſſatione, rotat. Alioquin, vbi exceſſit ripas, damnoſus eſt agris frumentariis atque, pratis in primis; itinerantibus (*x.*) autem fere imperuius, immo exitiabilis. *Kis-Kéro* digreſſus, trium milliarium tractum, emetitur, dum, ſub obtutu quaſi montium *Kéméndenſium*, a *Grano*, ex quo in primis prolectus fuit, poſt liminio reſorbeatur.

riui reliqui. VI. Quod riuorum eſt reſiduum, haud meretur famam. Profecto, ſingulos conſectari, vti moleſtum, ita ſuperuacuum foret. Vix eſt viculus, commode poſitus, quin riuum, aut adlabentem habeat, aut intercurrentem. Plerique tamen, ſi *Csábraghienſem* excipias, temporarii fere ſunt, & torrentium ſimiles. At, quibus perennis eſt aqua, eximie ſunt vtiles, cum ad molas frumentarias impellendas, tum præſtandam piſcationem, minuti illius generis, quod ex *apuis*, *alburnis*, *gobiis*, *percis*, ac reliquis conſtat.

§. VI.

Aquarum, *genera alia:* AQuas fluuiales, minerales nunc excipiant: nam, ne his quidem caret, metallica regio. Promemus ergo *Thermas*, fontes *acidos*, *medicatos*, & *periodicos*.

Thermæ Gyögyenſes: I. Ac THERMAE quidem, gemino loco, haud ſine iucunditate ſcatent. Primas, ager vici *Gyögy* habet; ſed, quod doleas, dum hæc ſcribimus, neglectas prorſus. Antrum eſt nimirum, ſaxo impreſſum, & excauato lacu, ad lauandum factum quomodocunque. Huc, partim ex concameratione, partim ex lateribus ſpecus, calidæ demanant, quæ ſaxeo illo labro acceptæ, ſuaui ſunt calore, ac pro eo, atque eſt morborum indoles, vel mitigandis iis, vel edomandis penitus, perquam idoneæ. Quod ex antro, in apricum effluit, eiusdem eſt efficacitatis; ſed ſine tecto, & cæli iniuriis expoſitum. Frequentantur tamen, non a vulgo tantum; ſed a delicatioribus etiam, cum ſunt lauandi tempora, aut vis morbi, ita poſcit. Alteras, ad vicum SZÁNTÓ, eiusdem, cum prioribus, naturæ ac habitus, ſcatere accepimus. Saxum & hic eſt, ex lapideſcente aqua concretum. Huic, nulla arte, quinimmo negligenter admodum, lauacrum inciſum eſt, vbi calidæ confluant, & lauantes inſidere poſſint. Calent placide, & quod odor prodit, multo grauidantur ſulphure. Sunt, qui iisdem cum morbis conflictati, has, *Gyögyenſibus* illis, multo putent efficatiores ſe deprehendiſſe. quod, inæquali *mineralium mixturæ*, tribuunt. Et hic, partim antri latera, partim exilis quædam concameratio, ſeu foramen, vni laterum impreſſum, laticem calidum exſudat, haud ſine iucundo naturæ luſu. Guttæ nimirum deciduæ, cum cadunt, non ſecus ſcintillare videntur, quam ſi igneæ eſſent. Oſtenti loco id habent

Szántbienſes:

x.) Id funeſto propemodum experimento, anno MDCCXXV. menſe Junio, ipſe ego didici, e thermis *Wiluenſibus*, redux.

bent rudiores; qui autem vltra vulgus ſapiunt, ſulphuri igneum illum colorem, adtribuunt: quod non inficiabor quidem; ſed in ea tamen ſum opinione, vt credam, luci id tribuendum eſſe, cuius radii, ita forte in ſpecum eam illabuntur, vt pellucidas guttas, flammeo illo colore, illuſtrent. Sed hæc alii, & qui præſentes, in rem indagaturi forte ſunt, noſtra pace, diſputent. Fit & huc, frequens ægrorum concurſatio: vt nequeat omnino excuſari eorum tenacitas, qui inſignia hæc naturæ beneficia, cum poſſeſſores viliter tamen contentimque habent. Ergo, optamus omnino, vt *Therme* vtræque, ſi non ad commoditatem lauantium omnem, ſaltem ad eum modum inſtruerentur, ne ab iniuriis aeris, ægri, cogerentur infeſtari. Neque luſerit operam, medicorum aliquis, qui *experimenta* aquarum huiatium, faceret; vt capi inde poſſit documentum, quibus in primis morbis, & quo ordine, quaque temporis menſura, ſint adhibendæ. Neſcio, annon geminas haſce calidas, GEORGIVS WERNHERVS (*y.*) indicare voluerit, dum ſcribit: *Non diſſimiles his ſunt calidæ aliæ, inter* Cremniciam *&* Schemniciam, *quæ ſunt duo præcipua oppida inter montana. Manant ex rupe ſic cauata, vt lauantibus, tectum, & vmbram præbeat.* Certe enim, de *Wihnenſibus*, hæc dici nequeunt; ſed neque ſatis commode, de *Sklenenſibus*: quippe; cum vtrobique, longa retro ætate, ſub tectis lauare, in more poſitum fuerit: niſi forte ſpecum *Sklenenſium* ſudatoriam, voluerit notare. Profecto, in vtrisque his calidis deſcribendis, lapſus eſt: potuitque, ex fama *Gyögy*, & *Szántóienſium* thermarum, error hic enaſci, vt loca, *Schemnicio*, in meridiem reiecta, iſthuc retraheret, vbi præterea, mentio calidarum habenda ei fuit. Hæc obiter.

II. Ad FONTES ACIDOS, quod adtinet, plures horum, regiunculæ natura impertiuit, atque ad eum modum diſtribuit, vt *Proceſſibus* ſingulis, ſuæ eſſent acidulæ, aliæ aliis ſalubriores. Ac *Proceſſus* quidem *Schemnicienſis*, gemina ſcaturigine lætatur. Harum prior, ad eundem vicum, quem calidis celebrari nunc diximus, vbere vena ſcatet. Magna fonti, & longe lateque didita, celebritas eſt, quod non ad ſitim modo reſtinguendam; ſunt enim ſaporis omnino ſuauis; ſed ad medicandum etiam, inſigni efficacitate, valeant: *Spleneticis* in primis, & qui horum ſunt conſobrini, *hypochondriacis*. Recordor adhuc, EMERICVM, Cardinalem e Comitibus CSÁKY, ex iſto fonte, ſemel atque iterum, ac forte ſæpius, plenis plauſtris, adhibito ſimul, exploratæ fidei medico, has *acidulas*, ſibi aduehi curauiſſe. quas demum, non ſecus ad potiones medicatas, adhibebat, quam alii, exoticas quasuis, maximi pretii. Nam, mouent omnino aluum, atque ita perluunt, *vias primas*, vt multam inde ſibi vtilitatem ſpondere queant, qui iis pro medicina vtuntur. Vino, placide miſcentur: quod, de aquarum *mineris*, vino amicis, teſtimonio eſt. Vulgus vici, proximi alterius *Magyarad*, a quo etiam *Magyaradenſes acidulæ* dici ſolent, ad potum eas adhibet, medicinæ ignara. Fons acidularum, in *Proceſſu*

fontes acidi;

Szántóienſis

y.) Eodem illo, quem nunc citauimus, loco p. 598., 31.

Szalatyenſis: *Schemnicienſi* poſterior *Szalatyenſis* eſt, quem incolæ Hungari *Soóviz*, hoc eſt *aquam ſalſam*, ob eximiam forte aciditatem, vel quod quandam in eo ſalſuginem, longo vſu, obſeruauerunt, adpellant; ſiue ea demum a *ſale communi*; ſiue a quocunque genere alio, conciliata fonti eſt, quod medici viderint. Neque *Báthenſis* regiuncula acidulis deſtituitur. Gyögyenſis: *Gyögyenſes* hic ſunt nominandæ, multæ itidem celebritatis, ſed quarum efficacitas, a reliquis diuerſa eſt. Cum enim illæ, ſoluant aluum, hæ adſtringere creduntur, atque ad ciendam veſicam, magis eſſe procliues. Felsö-Palojtenſis: Conſimilis fere naturæ, *Felsö-Palojtenſes*, in *Proceſſu Bozokienſi*, habentur. Ergo, inuitant potatores ad bibendum eo liberalius, quo frequentiori experimento didicerunt, ineſſe latici, tantum fere ſalubritatis, quantum vix potionibus medicatis aliis. Et hi quidem *acidarum* fontes, ſub dio, & vbertim ſcatent; eo tamen infelices, quod ab accolis, negligentius habeantur, quam id tanti beneficii, liberaliter a natura profuſi, exiſtimatio poſceret. quod toties, & alibi queſti ſumus. Schemnicienſis, *in fodinarum viſceribus*: Tollivs (*z.*) & intra aurariarum *Schemnicienſium* viſcera, *acidulas* obſeruauit. Cum enim putei *Xenodochialis* aquas deſcripſiſſet, pergit: *Erat & alia illic* ait, *verum, quæ tuto, & cum voluptate ab operis bibitur*, aquæ acidulæ *ſcaturigo*. Bibiſſe eum ex ſcaturigine hac, inde colligas, quod, cum per aſpera montium, feruente ſole, *Cremnicium* hinc proficiſceretur, *moleſtiſſimus ille tranſitus*, acidularum *ei* Schemnicienſis *fodina*, *deſiderum excitabat*. Credo equidem, temporariam fuiſſe ſcaturiginem, quæ forte deſiit poſtea: nam hodie quidem, *acidulæ* hæ, aut exoleuerunt penitus, aut, ſubterraneo latice alio, quod ex facili accidere in fodinis poteſt, permixtæ, deſciuerunt a priſtino illo ſapore. Iam, quod ad aquas, admirandæ naturæ alias, adtinet; ſunt & harum, non plane nullæ apud *Hontenſes*. *fons periodicus montis* Szitna: *Periodici fontis*, qui æſtate gelidiſſimus eſt, tepidus contra, rigente bruma; in *Szitna* montis deſcriptione, nunc habuimus mentionem. *aquæ medicatæ* Bakabanyenſes, & Drsenicenſes: *Medicatos* fontes, iam indicabimus. Duo ſunt horum, naturæ atque efficacitatis eiusdem. Alter, in *Bakabanyenſi* agro eſt; alter in vici *Drſenicz* territorio; ea vterque virtute, vt ſi bibantur, diu ac frequenter, ſtrumas ſenſim exinaniant, tollantque penitus. Efficacitatem eam, *mineralibus* tribui oportere, nemo non videt; ſed quibus illis? iuxta cum ignariſſimis ſcimus, dum nos docuerint, ad quos hæc iſtiusmodi prodigia examinaſſe, pertinet. Nimirum, medicinam, parauit natura, laticibus illis contrariam, qui per metallicos montes, atque in fodinis ſcatent, & ſtrumas bibentibus ingenerant. *aquæ, ſtrumas generantes.* Nam, & huius indolis aquas, tametſi, quæ illæ ſint, dici nequeat, ſcaturire apud *Hontenſes*, certum eſt. Vniuerſim, habent hoc vitii, minerales aquæ. Diſerte id, ſciteque Agricola, (*a.*) con-

z.) Loco toties citato, p. 161. & 162.

a.) De Natura eorum, quæ effluunt ex terra, Lib. II. p. m 113. edit. Frobenianæ, A. MDXLVI. Vide in eandem ſententiam, Iosiae Simleri, Valleſiæ Deſcriptionem, Lib. I. p. 3. 6. ſequ. vbi Münsterum, diuerſum ſentientem; & Henr. Christ. Henninii, Notar. ad Tolii Epiſtolam Itinerar. VI. p. 246. ſequ. vbi Danielem Heremitam, confutatum leges.

confirmat. *Quæ aquæ ſunt infectæ, venis auri, argenti, plumbi, ſtibii, neruos duros efficere, contrahere, tendere, ſimiliter, artus pituita replere ſolent: ex ipſis vero aliquæ*, gutturoſos *efficiunt*. Reliqua. Ergo:

Quis tumidum guttur miratur in alpibus?

§. VII.

AD fertilitatem regionis, quod adtinet, mirum ea in modum variat. Per montanos enim ſitus, quod & ſupra monuimus, vti ruſticatio vniuerſim omnis, impedita eſt ac difficilis; ita, parci admodum reditus. Salebroſa enim, & ne largiore quidem lætamine, ad feracitatem prouocanda humus, ſementem minus benigne accipit, meſſesque poſtea reddit, pauperes ac macilentas. Accedit, cæli aſperitas intempeſtiua, nimiaque frigora, diutinæ item niues, & hiemes citæ. quæ ſingula, noxia ſunt agricolationi. Regnat vero, agri hæc, atque aeris iniquitas, plaga in primis aquilonari: hoc eſt, ad *Schemnicium*, *Csábrágium*, & *Bodokum*. Videas enim paſſim, ita per ſaxoſa montium, ſuſpendi agros, vt adiri aratro nequeant. Ergo, ligonibus ſubigantur oportet. Qna vero mitiori ſunt poſitu agri, lapidibus, & inutili glarea, impediuntur; vt quoties vertitur humus, toties, exoſſari quaſi debeat, vt efficacius poſſit lætificari. Id mirere, auenam, quæ per hos ſitus, naſcitur, multis modis, ea præſtantiorem eſſe, quam quæ in agris pinguibus educatur: ita, & mole grani pollet, & farre, equis metallicis idoneo. Mitiora, melioraque ſunt omnia, qua regio, in meridiem procurrit, & montes, horridi illi, aut in collinos poſitus ſubſident, aut in planitiem diffunduntur. Ager, nimirum, frumentarius, quod reſoluto terreno eſt, & arationes reddit commodiores, & amicior fit frumento omnis generis. Fert autem, non *ſiliginem* modo, *hordeum*, & *auenam*; verum *triticum* etiam, ſic ſatis nobile, glumæque tenuioris. Eget tamen, & hic, lætamine, quod, vbi adſpergitur liberalius, egregie fœnus reddit ager. Leguminum, eadem, quæ frumenti, ratio eſt. *Piſorum*, quæ per *Bozokienſem* ditionem ferunt, laus eſt præcipua. Sunt, qui non dubitent, *Leutſchouienſibus* æquiparare, quæ tota *Hungaria* in præſtantiſſimis habentur. Eandem hanc meridionalem *Comitatus* oram, colles perpetui inſederunt, vbere vite conueſtiti; ſed, quorum fructus, nimiopere variat. In his, *primæ notæ* vinum, gignunt vineta: *Szúdenſia*, *Pecſenicenſia*, *Winarienſia*, *Morauienſia*, *Nadaſſienſia*, *Prandorffienſia*, ſiue *Tót-Bakaienſia*, promontorii *Plieskienſis* dicti. Ad *ſecundam notam* retuleris, vina *Báthenſia*, *Szelienſia*, & quæ vicini circum colles fundunt. Vltimam notam merentur: *Rakonczienſia*, &, qnæ per *Ipola* oram naſcuntur, ætatis nimirum impatientia. Albula (*b.*) hæc ſunt omnia; & quæ primo loco recenſuimus, eximie generoſa, ſi annus fauit. Cellariis ſane melioribus depoſita,

Qua ſit fertilitate regio:

res frumentaria:

oleracea reliqua:

vinaria:

b.) Qua regio, verſus *Danubium* ſinuatur, *rubella* etiam naſcuntur, ſic ſatis accepta palato; ſed, an cum *Vacienſibus* conferenda, quod volunt aliqui, eſt, cur dubitem.

& caſte habita, in plures annos, durare poſſe, non vno documento addidicere, *Schemnicienſes*, quorum vinariæ tabernæ, vinis hiſce redundare conſueuerunt. Illud ad laudem *Hontenſis* vini pertinet in primis; quod non turgeſcat ſulphure vberiore. Hinc pellucidum eſt, & primis annis, coloris, ex albo virideſcentis: flaueſcit certe rarius, neque patitur feces ſibi ſubduci, aut adſcititio fumo ſulphuris, grauidari. quæ quidem in vino, eximia eſt qualitas, cum ad tuendam valetudinem vniuerſim, tum præcipue, ad caput & pectus non contemerandum. Leuia ſunt certe, vt ſuo merito, a filiis medicorum, inter *diuretica* referantur. Hinc, potatu accidunt iucunda (*c.*) quia ſaporem habent, non eum quidem acidum, ſed mire tamen palatum adficientem. Ergo, & tuto bibuntur, ad menſas (*d.*) potiſſimum; & procliuius ad veſicam feruntur, quam, ſiue ad caput, ſiue ad pedes tentandos. Neſcio autem, qui fiat, vt non tamen deſint, in vrbicis potiſſimum hominibus, quos nodoſa podagra male adfligat: ac hi quidem numeroſiores, quam vinifera regni ora alia. Id vero, an vinis huiatibus, repetendum, vel, ſeu aeri, ſeu natiuitati, ſiue toti vitæ generi, tribuendum ſit, neque negare auſim, neque adfirmare: tametſi exiſtant, qui crimen illud, vino impingant; quaſi quod, *calcinoſum*, per quosdam colles, naſcatur. Forte, intemperies accuſaretur melius. quæ vna ſufficit, ad corrumpendos corporis humores, & morbos ingenerandos. qui demum perpetuo traduce, & prouentu ſemper deteriore, propagantur in poſteros. Ex vinetorum collino, dumoſoque poſitu, nomen vino *Hontenſi* a Germanis inditum eſt, vt *Buſch-Wein*, id eſt, *vinum dumorum*, ſeu intra dumos natum, adpelletur. quo quidem vocabulo, cum ad natales vini reſpexere, priſci illi *Saxones*; tum ad diſcrimen, quod eſt inter *Hontenſia* hæc, & *Poſonienſis* regionis, vina. quæ ob montanos vinearum ſitus, *Gebürger-Weine*, ſeu *montana vina*, dicere conſueuerunt. vt ſuis iſtis, ſalubritatis conciliarent opinionem; & detraherent de laudibus vinorum noſtratium. Atque ita eſt omnino, qui *Hontenſi* huic adſueuit, refugiet vinum noſtras, quaſi eſſet meliori valetudini noxium.

laus vini Hontenſium.

§. VIII.

Res pecuaria, *quas ob cauſſas ea ſit tenuior.*

RES *Hontenſium* pecuaria, exilior eſt, quam id poſſis reri. Nam, in aquilonari quidem ora, vix tantum ali iumentorum poteſt, quantum colendo, difficillimæ ruſticationis, agro, ſatis eſt. Sed, nec meridionalis, & planior ille tractus, habet, quo poſſit gloriari. Cauſſam omnem, in arctiora arua, & parca fœniſecia, coniiciunt incolæ. Enim vero, rus paſcuum, tam eſt paſſim, inter limitaneos vicos, arctum, & ægre pabulationi armentorum domeſticorum, ſufficiat; fœni autem ea penuria, quæ raro hiemes integras, in

c.) Qui vina extera, cum *Hungaricis* nouerunt contendere, ſaporem in *Hontenſi* obſeruaſſe putant, *Rhenano* quam ſimillimum.

d.) Hungaris, ideo *Teſt táplálé borok*, ſiue, vina, *fœtando corpori idonea*, dicuntur.

Digitized by Google

in primis, ſi legio equeſtris vna hibernet, poſſit perdurare. Quam ob rem, nihil hic ex re pecuaria, ad colonum lucri redundat: quando, non eſt, alendis, copioſioribus armentis, idonea regio: vt taceamus, id quoque, quod educari contingit, minutius ſit pecude ea, quæ eſt campeſtri regioni familiaris. *Equi*, a ruſtica plebe, raro, vltra eum numerum, educantur, quam qui eſt agricolationi, & ruſticis vecturis, neceſſarius. Tenue horum eſt ſeminium, neque cum generoſiore illo, quod reliqua *Hungaria* naſcitur, conferendum. Inſtructiora ſunt herilia ſtabula; ſed plerumque adſcito aliunde genere. Nam adhuc, apud nobiles viros, mos ille vetus, & hic obtinet, vt delectentur parhyppis non tantum, ſed equis etiam iugalibus. *Ouium*, rariores ſunt greges; ſilueſtres autem ſtabulationes, quales apud *Zolienſes*, & *Liptouienſes*, vidimus, fere nullæ. Haud tamen deſideraueris pecudem vtiliſſimam, qua eſt eius alendæ opportunitas. Duplex eius genus eſt, *Bohemicum* illud, curto vellere pedibusque, & *Hungaricum*, promiſſa lana, & ſtatura altiore. Nempe, in villis vrbanis partim, partim ruſticis, quas per vicos ſuos heri poſitas habent, ſtabulantur, ſectanturque, ſilueſtria hic, campeſtria alibi, pabula. Ruſticum vulgus, *capellis* paſſim delectatur, quas per dumoſa rura, vel ſegregatim alunt, vel mixtim, cum ouium grege. Vtrique generi, *ouibus*, & *capris* frequens lues infeſta eſt, quam inde contrahunt, quando amnium exundationibus, quæ fere ſunt annuæ, prata corrumpuntur, & fœnum inde cogitur, limo infectum, ac perniciabile. Felicius *porci* proficiunt, maxime, montana in meridiem ora. quippe quæ, glandis prouentu, non alendis tantum ſubus; ſed ſaginandis etiam, præcipue valet. Ceteroquin, inertiæ id ſibi ducunt ruſtici, niſi plures, ex domeſtico grege, ſuccidias, pernas, & id genus, ſalſamentorum, feciſſent. Quo demum adparatu, leuant brumæ neceſſitatem. Nam, & apud huiatem plebem, valet PLAVTI (*e.*) illud:

pecus cornutum, quale?

equi:

oues:

capella:

porci:

Omnibus modis, homines, qui pauperes ſunt miſeri viuunt;

Præſertim, quibus nec quæſtus eſt, nec didicere artem vllam.

Neceſſitate, quiquid eſt domi, id ſat eſt habendum.

Reliqua, rei ruſticæ commoda, tametſi opima haud ſunt, tamen ſileri non debent. *Altilia*, & ruſtici curant, & villici; lautius hi, & copioſiore numero; illi adductius, atque, vt habeant, quo, vel quæſticuli faciant aliquid, vel poſſint hibernantem militem demulcire. Quibus ſe dat occaſio *rei apiariæ*, ſimul, & curate quidem ſtudent; ſed vix fructu alio, quam qui, ad rei familiaris vſus pertinet. Raro enim mel, niſi annus fuerit benigniſſimus, in fora, venale inuehunt. *Piſcationis* modus exiguus eſt. Quem *Danubii* ripæ ſuppeditant, poſſet is ſane fieri copioſior, ſi eſſent, quibus honeſta lucelli cupiditas, retia miniſtraret. Vix vnquam, piſcium huc aliquid, in regionis intima,

aues domeſticæ:

rei apiariæ

piſcationis modus:

e.) RVDENTE, Actu II. Sc. I. ver. I.

tima, deuehitur. Neque eſt, vt liberalius de *Grano* ſpondeas. Breuis eius, quod diximus, per *Comitatus* oram extimam, decurſus, vix quidquam ſufficit. Pluſculum *Ipola* tribuit; ſed accolis tantum. Reliqui amnes, quos memorauimus, minuto illo genere ſcatent, quibus minuti amnes, ſolent hoſpitales eſſe. Montani, & perennes riui, qua non ſunt a mineris infecti, vti eſt *Csábraghienſis*, trutarum ſunt patientes: ſed *piſcinas*, quod, & mirere, & doleas, paucas, ſi non plane nullas, repereris, in regione collina, & paſſim, ad has facta commoditates. Nempe, vetere noſtra conſuetudine, eo, quod ſuapte in nos prodigit natura, quomodocunque vtimur fruimur: at enim, vti bonitatem eius, cura ac ſtudio, nobis magis magisque reddamus propitiam, vix vnquam cogitationem ſuſcipimus: certe, id qui faciunt, non raro, contumelioſo *exoticorum hominum* vocabulo, notantur. quod *Hungaricis* moribus, conuicii modum habet. Piſcantur vero noſtri, qui ea duci volunt occupatione; hi quidem, tenſis & adductis retibus, ſagina alii; hamo, illi fere, quibus prona ſunt ad otiandum tempora. Id in *Ipola*, ex accolarum deſidia, iure damnaris, quod iniquius admittat retia; ob ramoſos truncorum, per medium alueum, obiectus. In iis vicis, qui ſunt in amnium vicinitate poſiti, peculiari ad piſcatum, ſolertia vtuntur ruſtici. Nempe, cum aut ſuſpicio eſt exundationis, aut iam ripas ſupergredi occipiunt fluuii; depreſſa quæque loca, laxo ambitu, circum ſepiunt, & foramina hic atque illis relinquunt, qua, propulſi aquarum mole piſces, illabantur: contra, qua elabi iterum poſſent, ſaginas ſcite obiiciunt, in quas incurrant. Quo capturæ genere, dum aquis diffugientibus, in lacunas deſidet eluuio, plus ſæpe, quam credi poſſit, piſcium intercipiunt. Opportunior paullo *aucupiis*, regio eſt. Præterquam enim, quod ament vitiferos colles, cum turdi, tum alia genera auium; frequentes, ac fœcunde paſſim nidulantur, *perdices*, *attagines*, *ruſticulæ*, *tetraones*, & ſpecies ſilueſtres aliæ. Has demum, cum fert anni commoditas, nobiliores quique, glandibus inſectantur, ac deiiciunt; qui autem aucupia, ex artis præſcripto, & lucri cauſſa faciunt, vel per inſtructas areas tendiculis, vel per deraſas arborum ſummitates, viſcatis calamis, aues intercipiunt. *Phaſiani*, tametſi obſeruentur, in meridionali *Comitatus* plaga, rariores tamen ſunt, quam qui menſas ornare, ne dicam, onerare poſſint. *Ferarum*, non patiens modo, ſed etiam diues, ante hæc duo triaue luſtra fuit regio, ceruorum in primis, ac damarum; ſed quibus, inuſitata ſtrages, adeo, & ſilueſtres, & dumoſos poſitus exinaniuit, vt in *damas* quidem raro, in *ceruos*, vix vnquam, venatores nunc incidant. Clades, a tempeſtatis iniuria, & licentioſa ruſticæ plebis auiditate, anno forte MDCCXXVII. profecta eſt. Euenit, nimirum, præter opinionem, idque adulto menſe *Martio*, vt altiores niues, quas hibernæ procellæ effuderant, flantibus aliquamdiu auſtris, non iam ſenſim diffugere; ſed impetu occiperent colliqueſcere: cum ſubiti atque rigidiſſimi aquilones,

aucupia, & auium ſilueſtrium genera:

venatus ferarumque ſpecies:

inſolita ceruorum & damarum clades:

lones, aquoſas hic niues, reſolutam alibi humum, quin & amnes, gelu, ad eum modum adſtringunt denuo, vt, ferendis hominum veſtigiis par eſſet, increta glacies; ſolis ceruis & damis exitioſa. Cum enim ferarum hoc genus, mitigandi frigoris cauſſa, in curſum effundi ſoleat: nunc quoque, natura monſtrante; eodem ſuo ritu, amoliri nitebatur, redeuntis brumæ moleſtiam; at euentu funeſto. Nam greſſum, in prolixos ſaltus molientes, pertruſa vngulis glacie, hæreſcebant proſtratæ humi animantes; fiebantque lupis primum, mox & paganæ plebi, eo triſtior præda, quo minus pernicitate ſua in conſueta luſtra ſe poterant ſubducere. Accidit vero, vt cum e ſiluis, per tritam viam militarem, integer ceruorum grex, lupos fugiens, in vicum incurreret, & per horrea ac ſtabula, perfugia quæreret; rei nouitate exciti incolæ, fuſtibus hi, bifurcis illi, ferramentis alii, in infelices feras ruebant, cædebantque impune. Indicio hinc, vti erat, capto, glaciales niues perniciei eſſe feris; turmatim in montes, ad nota luſtra, procurrunt, tantamque paſſim, in miſerrimo genere, ſtragem edunt, vt vix eſſet, quo prædam redigerent. Serpſit vicatim maleficium, eo damnoſius, quo nec modum, nec finem, ſanguinolentæ ei cupiditati, ruſtica intemperies, ſciuit aut voluit ponere. Ergo, aliquot dierum ſpatio, infinitus *ceruorum damarum*que numerus, agreſtis hac multitudinis inſania, periit. *Ceruos* demum magnitudinis eximiæ, numo *floreno*, damas minutis aliquot numulis, venundabant, implebantque inſueta hac carnium merce, viliſſima quæque macella, egregii ſcilicet venatores. Illa tunc clades, in *ceruis* & *damis* edita eſt. Quam ſuſpicax coniectatorum diuinatio, neſcio, in quam exercituum ſtragem, infauſto omine detorquebat. Quod tenuiorum ferarum eſt reliquum, non ſecus id ſe habet, *Hontenſium* hac ora, quam apud vicinos. *Apros*, in meridionalibus, qui in *Danubium* deſinunt, montibus, glandiferis præcipue, inerrare ferunt; *vrſos* non item. *Leporum* inexhauſta fœtura eſſe incipit, poſt vetitam venationis licentiam. In primis vero, *luporum* damnoſum genus, non modo per ſaltuoſa montium; ſed dumoſa etiam regionis, turmatim, ſæuiente bruma, graſſatur; quin & vicos ipſos, non raro, contemerat: vt neceſſe ſit, conſociatis venationibus, occurſare nocentiſſimis agminibus. *Vulpes* præterea, & *feles* ſilueſtres, nuſquam non incurrunt in venatorum inſidias; ſi ſint, qui eas tendere, penſi ducant.

apri, vbi luſtra habeant:

lepores:

lupi:

vulpes, & feles ſilueſtres.

§. IX.

METalla, in præcipuis *Hontenſium* opportunitatibus, ſuo quodam iure, cenſenda, ſuperſunt ad memorandum. Diues horum eſt regio, potiſſimum, qua, hinc quidem ad *aquilones*, illinc in *meridiem* vergit. De vtrisque ſitibus, diximus, cum montes recenſeremus: hic *metalla* ipſa ſunt deſignanda. Atque apud *Schemnicienſes*, quidem *Argentum* præcipue, & maritatum huic *Aurum*, dominantur, turgidioribus nunc, nunc iterum exilioribus venis. cuius rei

Metallorum *Hontenſium* laus:

vrgitur aurum & argentum:

rei idonea, in vtramque partem, exempla, in hiſtoria vrbis *Schemnicienſis*, larga manu expromemus. Noſtra hac ætate, anno forte MDCCIX. *Plumbago* detegi cœpit, parciore argento, vberiore contra auro, grauidata. Non erat pretioſiſſimum hoc foſſile, veteribus incognitum; cuius illi tamen præſtantiam, non ignorabant tantum; ſed etiam, ſi venis admixtum, aut quomodocunque hæreſcens, deprehendebant, inter indicia id habuere, ſucceſſus irriti. Proinde, inſignes non raro puteos, & multa depreſſos impenſa, eam vnam ob rem, deſerendas iudicabant, quod ſe infelix, vti rebantur, *plumbago* ingeſſerit. Erroris cauſſam, ſchedæ veteres ac recentes, in eo poſitam fuiſſe meminerunt; quia *antimonii* genus quoddam eſſe putauerunt, quod poſtea, liquando æri admixtum, aurum argentumque popularetur. Damnoſa oppido ignorantia, & quæ tot retro ſeculis, multas millenas nummuum *florenorum* myriades, iactura numquam reparanda, prodegit; quando plumbum, fundendo argento, & auro neceſſarium, magno, apud exteros, mercari cogebantur. (*f.*) Ergo, fata ipſa, tanto diſpendio, indoluiſſe oportet; cum, inuiſum illud *foſſile*, anno, quem diximus, MDCCIX. tudibus, noua arte factis, in pollinem triturari, & fornacibus committi cœpit. quod demum liquatum, plumbum, argento & auro grauidatum, haud ſine obſeruantium ſtupore, atque gaudio, profudit: quippe, triplici compendio, aurum, argentum, & plumbum, egregie ſufficiens. Iſta vero ars, nullo non auro carior, effecit, vt, & nobiliſſimorum metallorum, plus iam lucrifaciant operæ, neque opus ſit, *plumbum*, ad liquanda, & perpurganda æra, aliunde, cum tanta pecuniarum profuſione, in officinas noſtras inuehere. Mihi certe, ex vero videntur ſentire, qui hanc tractandæ *plumbaginis* ſcientiam, inter præcipuas ætatis noſtræ, quæ rei *Hontenſium* metallicæ, factæ ſunt acceſſiones, nihil dubitant recenſere. Ignobiliora metalla reliqua, haud quidem facile, per *Hontenſium* montes, deſideraueris; ſed quorum culturam, aut negligunt noſtri, nobiliora illa ſcrutantes; aut curant eo admodum fini, vti eliquandis igni, venis aliis, ſint vſui. Iſthuc *ferrum* poſſis referre, cuius *minera*, heic atque illic eruitur, non vt metallum inde purum excoquatur; ſed vt fornacibus fuſoriis vtilitatem commodet: nam & hoc, non facilitat modo; ſed etiam lucroſiorem facit, venarum liquationem. *Aes Cyprium*, occurrit rarius, ac fere *plumbagini* tantum adſperſum. Metallis certe *Schemnicienſibus*, infeſtum putatur; ob ſeparationis difficultatem, non quidem inexſuperabilem; at, ſumtuoſiorem tamen, quam quæ impenſam queat reddere, ſine intertrimento.

plumbum, *magna rei metallicæ acceſſione, liquari cœpium:*

ferrum:

æs cypri-um:

f.) Quanta *Plumbi* vis, *Schemnicium*, in annos ſingulos, aduecta olim fuerit, ex Tollii notis *Hemminianis*, didicimus, ad Epiſt. Itiner. V. num. 35. p. 210. Cum enim Tollivs, eadem epiſtola, p. 164. duorum forte mercatorum Sileſiorum, ſoceri & generi, meminiſſet, adnotat, ex Belgicis eiusdem aduerſariis, Henninius: Mercatores illi, CIↃ. IↃC. *centenarios* plumbi, *huc adtulerant, & plerumque, quotannis quater huc veniebant.* Plumbum *illud eſt* Polonicum, *cuius ſinguli* centenarii *continent circiter* vnciam, *aut* ſecunciam *argenti.*

Digitized by Google

mento. Hæc, de metallis *Hontenſium*, quæ poſt *Schemnicienſes*, *Dilnenſes* quoque, & *Bakabanyenſes*; ſed diligentia, infinitis modis, remiſſiore, quomodocunque excolunt. *Foſſilium* reliquorum, & *mineralium*, nondum, quod mirere, ſiue varietas, ſiue præſtantia, in numerato eſt. TOLLIVS (*g.*) *Vitrioli* tantum, & *Salis Petræ* meminit. Ego crediderim, vix vllum *mineralium* genus, defuturum veſtigaturis. *Cinnabaris* non raro, iucundiſſimo naturæ opificio, auri venis maritata, reperitur in ſecturis *Schemnicienſibus*. *Hydrargirum*, peculiari fodina, noſtra ætate, occidentali *Schemnicienſium* plaga, eruebatur; ſed quæ, quia non reſpondebat ſumtibus, iam incultu ſqualet. Sunt paſſim, cum per abdita puteorum, tum per montium aperta, locis ſalebroſis, variæ lapidum, pretioſos æmulantium, ſpecies. Idonei nobis auctores adfirmarunt, in montibus, *Danubio* imminentibus, *granatellos*, ad leuem terræ motum, quem ei ligone forte metallico impreſſeris, vbertim poſſe colligi. Alii prorſus adfirmarunt, per conuallium riuos, eandem hanc gemmam, ab ruſticis venatoribus conquiri; vt habeant, quo fiſtulas ſuas, prædam deiecturi, onerent. quod tamen, vti refero timidius, ita non auſim negare; cum & in *carpatho*, idem fieri non ſum neſcius. Occurrunt per metalla noſtra, etiam natiui *colores*, & terrarum genera varia, non vno loco effoſſa. quæ iam longum foret conſectari. Nuper admodum euenit, vt e fodina *Pacheria*, pinea trabs extraheretur, quæ diuturniore ſitu, & *vitriolicorum ſpirituum* efficacitate, in puram putam, atque ſingularem mineram, permutata, eximium pictoribus colorem ſuffecit.

foſſilia reliqua, nondum ſatis cognita:

lapides pretioſi:

colores natiui.

§. X.

VLtimum eſt, vt aeris *Hontenſis*, mentionem habeamus. Nemo autem facile fuerit, qui de eius varietate, ex diuerſo regionis habitu, indicium haud poſſit capere. Montes nimirum metallici, & hic quidem cuniculis ſubruti, puteis alibi perforati, apertique, quia perpetuis halitibus, quaſi fumant, non vnum vitium, informant aëri; haud id quidem letale, ſed noxium tamen humano corpori. Cum enim non raro, vltra modum offunduntur noxio intus aere (*h.*) fodinæ, procliue eſt, ſuperum quoque aerem, multum inde, per facta in hunc finem *ſpiracula*, *heterogenearum particularum*, concipere. quæ demum late diffuſæ, ſpargunt vitium, in hos potiſſimum, quibus habitus corpuſculi obtigit tenerior. Ergo, fit, vt non metallici tantum homines, & quos ſubterraneæ operæ fatigant; verum hi quoque, qui in aere degunt libero, non

Aeris Hontenſium ingenium:

montanus, non vndique quaque ſalubris; ob fodinarum halitus:

g.) Loco citato, p. 162. fine. Digna lectu eſt diſſertatio Epiſtolica ANDREAE HERRMANNI M. D. quam is, ad JOHANNEM BAPTISTAM GARELLIVM, patrem PII NICOLAI, de Natiuo SALE CATHARTICO, in fodinis Hungariæ recens inuento, dedit. Vbi & de *Vitriolo*, cum *Herren-Grundenſi*, tum *Schemnicienſi*, docte non minus, quam adcurate egit. Prodiit. *forma quadrip.* POSONII, anno MDCCXXI.

h.) Egit de eius natura, GODOFREDVS MOLLER, CAROLI OTTONIS, medicorum, per Hungariam principis, filius, diſſertatione inaugurali, Halæ Saxon. A. MDCCXXX.

raro, morbis tententur, a *minerali* ea contagione profectis. Moleſtus ſim oportet, ſi corruptelas eius omnes, & ſeu languores, ſeu morbos pertinaciores, qui hinc naſcuntur, velim percenſere. Fecere id doctiſſimi quique viri, non tantum; ſed ipſi etiam, montium horum (*i.*) incolæ. Nolim autem opinari quemquam, ita infeſtum valetudini eſſe montium horum aerem, vt nullius prorſus ſit ſalubritatis. Certe, qui ei adſueuerunt, non ſecus eo vigeſcunt, quaſi ſacra nemora, & nobilia tempe, nulla non odorum varietate fragrantia, incolerent, vbi:

adſuetis tamen haud nocius:

Floribus innumeris pingit ſola flatus eoi
Tempeaque exhalant, floribus innumeris.

Sed hi fere ſunt, quibus lautior eſt victus, & cura corporis, vltra communem modum, exquiſitior. Reliquum montium vulgus, ac metallicum præcipue, exſangue eſt pallidumque, & inter vtramque valetudinem, haud raro fluctuans. quam tamen aeris iniuriam, non vino tantum, quod diligenter hauriunt; ſed thermarum etiam vſu, egregie nouerunt eluere. Regio *Comitatus* reſidua, & in planos hic, collinos alibi, nemoroſosque poſitus, verſus meridiem porrecta, tam eſt vegeto, & ſuſtentandæ valetudini idoneo aere, vt, ne conceptiſſimis quidem votis, exoptari queat ſalubrior. Enim vero, niſi, aut intemperie victus, & deprauato quodam morum genere; quod non raro fit apud opulentiores; aut, inedia, & ruſtici operis nimietate, quæ & ipſa corrumpit ſubinde agreſtem vulgum, deprauetur valetudo melior; vigeſcunt, hic nati educatique homines, inſigni, cum virium robore, tum ætatis etiam viuacitate. Feliciter! Atque de his quidem hactenus.

reliqua regio, vigeſcit aere ſalubriſſimo.

MEMBRVM II.
POLITICVM.
De Incolis, & Magiſtratibus Comitatus Nagy-Hontenſis.
SYNOPSIS.

Priſci regionis incolæ alibi indicati: in hodiernis præcipui ſunt Hungari, *auiti moris tenaces: agreſtium indoles:* Slaui, *Hungaris copioſiores, ſeduli ſunt agricolæ: eorum inſtituta ac lingua: amictus: feminarum ingenium:* Germani, *infra memorandi.* §. I.

Reipublicæ adminiſtratio: Supremi Comites, *priſcæ illius ætatis, incogniti: recentiorum nomina.* §. II.

Vi-

i.) Laudatus MOLLERVS, loco nunc citato, Cap. II. & STEPHANVS ANTONIVS KOCHIATSCHI, diſſertatione inaugurali medica, qua de *Metallicorum morbis nonnullis* agit. *Halis*, anno MDCCXXI.

Digitized by Google

Digitized by Google

Vice-Comites: *horum catalogus*: Notariorum *deſignatio.* §. III.
Comitatus inſignia, *cum* Ferdinandi I. *diplomate*, *expromta.* §. IV.
Ratio Congregationum Hontenſium: *coibant olim* Schemnicii: Carponæ *poſtea: hodie*, *fere tantum in oppido* Szebeklib.. §. V.
Nagy-Hontenſis *prouincia*, *qua* Dominia *contineat: dominationes exteræ.* §. VI.

§. I.

PRiſcos incolas *Nagy-Hontenſis* prouinciæ, haud opus eſt recognoſcere. Præſtitum id a nobis eſt, vtraque, *Neogradienſium* hinc, *Barſthienſium* illinc, vicinia; recurretque dicendi, in eam rem, locus, apud *Kis-Hontenſes.* Hodierni deſignandi erunt; ſed compendio tantum; ne, quæ de nationum ſingularum, indole, habitu, moribus ac victu, inculcauimus, frequenter non minus, quam prolixe, *in tramben bis cottam* abeant, iterum ac ſæpius repetita. HVNGARI, genus *Hunniacum* omnino, cum linguæ, tum inſtitutorum patriæ, decore ſunt tenaces. Enim vero, quidquid rituum, quos in puerperiis, nuptiis ac funeribus, vetere conſuetudine, adhibent *Hungari*, eorum omnium, obſeruantiſſimi ſunt *Hontenſes.* In ſingulis tamen, ita verſantur, vt cum patrios mores, ſectari propoſitum ſibi habent, non ſint faſtidioſi, nuperæ illius elegantiæ, quam ſenſim, aligenigenarum imitatio, cœpit inuehere; ſed id etiam, parcius fit ab his, ab illis profuſius. Laus hoſpitalitatis, præcipua in *Hontenſibus* cenſetur. Non eſt diu, cum mos, per *Hungariam* cœpit inualeſcere, tabernas diuerſorias excitandi, quibus itineratores, commode acciperentur: inſtituto, ſi lucri abſit cupiditas, non malo. Hunc, nobilium plerique, adeo ſunt auerſati, vt legem domeſticam perferri rogarent, ne id, magno ſuo dedecore, fiat in poſterum: quippe, quum ea re, occaſio, exercendæ, aduerſus peregrinos, hoſpitalitatis, ſibi ſubducatur. Dum erant tempora, bellis *Turcicis* infeſta, nobilitas fere omnis, cum ex legis præſcripto, tum ſponte ac lubenter, militiam ſequebatur, tenebatque præſidiis, *Szitnam*, *Csábrágum*, *Bozokum*, atque *Drégel*, arces munitas. Ergo, perpetuæ illis, non velitationes tantum; ſed non raro, iuſta etiam prælia intercedebant, cum hoſte graſſabundo: donec reiectis *Turcis*, non tam poſitis, quam ſuſpenſis armis, totos ſe rei familiari, cum cura adminiſtrandæ, traderent. *Nobilium* hoc ingenium fuit. Agreſte *Hungarum* vulgus, quod meridionalem, *Comitatus* plagam incolit, moribus eſt, *Neogradienſium* fere ſupparibus, ea potiſſimum ora, quam *Ipola* intercurrit; lingua, per quosdam vicos, etiam ingratiore: nam inter loquendum, inepte *conſonas* deglutiunt, *vocales* autem, ore, præter rem, male diſtorto, peſſime deprauant. Quia *Slauos*, hic & alibi interſertos iam habent, capiunt ex eorum contubernio, multum indolis non tantum; ſed & ſermo-

Priſci regionis incolæ, alibi indicati:

in hodiernis præcipui ſunt Hungari, *aniti moris tenaces:*

agreſtium indoles:

nis *Slauonici.* quem, quod ex accentus *Hungarici* natura modulantur, ingratum auribus ſonum edunt, & *Slauica* loquentibus, etiam ridiculum. Id in plebe hac ruſtica, dignum commendatione eſt: quod quum teneras vxores ducant, ipſi vltra primam iuuentam prouecti, pulchre eas, cum ad caſti moris, tum ad maritorum obſeruantiam, adſuefaciant. Quod earum obſequium, quibus mens eſt erectior, & lautiores copiæ, ita remunerantur, vt cum ipſi, rudi lacerna, ac crudo fere perone, caligis pinguibus, & cuneato pileo, amiciantur; ſuas iſtas delicias, ita veſtiant, vt non raro, nobili loco natas crederes. Olim, & ipſi hi agreſtes *Hungari*, hoſpitalitatis laude valuerunt; ſed quam fere dedidicere, inter cumulatas hibernantis, & commigrantis, huc & illuc, militis iniurias. Poſt *Hungaros*, natio altera *Slauica* eſt, priore illa multis modis copioſior; &, ſi dicendum quod res eſt, etiam laborioſior. Fit ea diligentia, vt & hic, lucroſiores habeantur ii vici, quos *Slaui*, quam quos Hungari habitant. Colunt, enim agrum frumentarium, eo ſcrupuloſius, quo eſt difficilioris agricolationis. Nam, & arationes inſtituunt adcuratiores, neque parcunt lætamini, ne habeant neceſſum, meſſes accuſare. Sed vineatico etiam cultui, qua ſe dat opportunitas, tam diligenter vacant, quam qui diligentiſſime. Ruſticationis reliquum, pro eo curant, ac ſunt, ruris, quo gaudent, commoditates. Nempe, educant domeſticum pecus, vt ſit, quod partim ſub iuga mittant; partim ad victum, & amictum ſufficiat. Moribus degunt, genti ſuæ familiaribus; at fere per vicos ſingulos, aliter atque aliter informatis. Vtuntur præterea *Slauica* dialecto, multo, quam vici *Zolienſes*, craſſiore; neque tamen adeo inficeta, quam id notauimus in *Kis-Hontenſibus.* Ingerunt autem, moleſtiſſimum, in omni ſermone, *Ponti*: quod gnari ſermonis, loco: *ſcilicet*, aut *Dii meliora!* adhiberi exiſtimant. Neque concinnior eſt vocabuli, *Trpou*, frequentatio, quod ex totius ſermonis indole, *iam iam, nunc*, & huius ſignificatus alia, ſicuti Bohemicum, *Teprw*, denotat. Hinc nomen, cum conuicio coniunctum, vt *Trpácy*, dicantur. Veſtes, *Hungaris*, & *Slauis* eædem ſunt fere: nam vtrisque lacernæ, perones, cuneati e cilicio pilei; hieme pellicea, & id genus chlenæ placent. Colorati panni, in vtroque genere, non niſi ab opimioribus, geſtantur. In *Slauorum* mulieribus, iſtud mirere. quod, cum ſint multæ, in curanda oeconomia, induſtriæ; id quod, haud æque faciunt *Hungaræ*; in obſeruandis maritis, non negligentiores modo; ſed, iuſſis etiam magis ſint refractariæ, atque pronæ in iurgia. quæ, non raro, & cum vicinis, magna contentione, reciprocant. De *Germanis*, qui *Schemnicium*, & oram circumpoſitam, inſederunt, & ſuperant adhuc in *Börsöny*, metallico oppido, ſuis locis dicemus: hic monere neceſſe eſt; vrbicum genus, cultu, victu, ſermone, & toto vitæ actu, multum a pagano illo diſtare. Alioquin, homines ſunt gnaui, & quia ſe dat occaſio, rerum ſuarum, ad inuidiam vsque, ſatagentes. Haud tamen poſſis diſſimulare, hos, quibus montanæ ſe-

Slaui, Hungaris copioſiores, ſeduli ſunt agricolæ:

eorum inſtituta: & lingua:

amictus:

feminarum ingenium:

Germani, *infra memorandi.*

des,

des, ac vici placuere, multum referre pinguis ingenii, vt fere, cum *Rheticarum vallium incolis* (*a.*) conferri poſſe videantur.

§. II.

Reipublicæ adminiſtratio.

REgundæ prouinciæ ratio, plane, ad legum patriarum præſcriptum, hic quoque exacta eſt. Iſtud, a reliquorum Comitatuum conſuetudine abludit; quod, cum terrarum ſpatiis, *Nagy-Hontenſes*, a *Kis-Hontenſibus*, diſcriminentur; bipartito, vtramque prouinciam, tametſi ſub vnius nomine *Comitatus*, adminiſtrari oporteat. Nempe, poſt leges, in eam rem perlatas, coadunata quidem fuit regio vtraque, vt iam vnius *ſupremi Comitis* nutu, regatur; *Vice Comites* tamen adhuc habet duos, qua de re apud *Kis-Hontenſes* agemus fuſius. Pulchrum duxiſſemus, inde a *Hunt-Páſzmániorum* ætate, *ſupremos Comites*, tamquam in tabella quadam, exhibere potuiſſe; at enim, cum eſſet nemo, qui, vetuſta, ſummorum virorum nomina, aut voluiſſet, aut potuiſſet, eruderare; nulla enim in re, magis deſides ſumus *Hungari*, quam in adſerenda maiorum noſtrorum memoria; materies, vti ad exaggerandum gentis decus prona; ita, multæ futura vtilitatis apud poſteros, ſubducta nobis eſt. Ergo, hos nominauiſſe ſuffecerit, qui poſt res *Hungariæ* peſſundatas, prouinciam adminiſtrauerunt. Fuerunt, in iis viri, qui reparandæ in melius temporum felicitati, manus admouerunt opitulatrices; ſed exſtiterunt etiam, qui magnæ, & Comitatui, & vicinis, calamitati fuerunt.

ſupremi Comites, priſca illius ætatis, incogniti:

recentiorum nomina.

NICOLAVS DESSŐFFY, anno MDLXXXIII.

TOBIAS BOSNYÁK, anno MDCXVII.

FRANCISCVS BALASSA, anno MDCXXXIV. ſuo quodam fato, ab ea dignitate deturbatus, iterumque reſtitutus.

STEPHANVS I. KOHÁRI, anno MDCLVIII.

VALENTINVS BALASSA, anno MDCLXIII.

WOLFFGANGVS KOHÁRI, anno MDCLXXXIV.

Hucusque, vaga fuit, *Supremorum Comitum*, dignitas hæc, quam reges, pro eo, impertiebantur digniſſimis quibusque, atque id e re fuit patriæ: dum anno MDCCXL. poſt conſopitam ſeditionem *Rákóczianam.*

STEPHANVS II. KOHÁRI, *vir*, vt cum VELLEIO (*b.*) loquar, *in tantum laudandus, in quantum virtus intelligi poteſt;* iure eam hæreditario, indiniſceretur. Eo, maturrimis fatis, octogenario enim maior fuerat, defuncto.

ANDREAS KOHÁRI, eodem iure, ad gubernandam prouinciam, anno MDCCXXXIV. haud ſine ritu ſolemni, conſcio tamen rege, acceſſit; cui ita moderatur hodieque, vt, ſummorum, & immorum, obſeruantiam, ſibi, atque obſequium, dudum conciliarit. *Feliciter!*

§. III.

a.) Lege de his, quæ laudatus toties HEUNINIVS, congeſſit, ad TOLLII Epiſt. Itinerar. VI. num. II. p. 246.

b.) Ita ille, de L. AEMILIO PAVLLO, Lib. I. Cap. IX. p. m. 68. edit. PETRI BVRMANNI.

§. III.

Vice-Comites: & horum catalogus.

DE Vice-Comitibus, nunc diximus, ex prouinciæ habitu, duos creari adſolere; alterum, qui *Maiori*; alterum, qui *Minori Hont* præſidet. Hic, de illis, ſolliciti ſumus, vt ab obliuione, bonorum virorum nouerca, vindicentur ad poſteros. In his, quæ indagari poterant, hæc ſunt nomina, a duobus fere ſeculis reſidua:

Michael Etrets, A. MDLXV.
Georgius Iákóffy, A. MDLXXII.
Michael Etrets, *iterum* A. MDLXXX.
Johannes Soós, *iunior*, A. MDLXXXIV.
Lazarus Paska, *de Paláſth*, A. MDLXXXVIII.
Franciſcus Doloſi, A. MDXC.
Johannes Soós, A. MDXCI.
Franciſcus Kéri, A. MDXCIX.
Joſephus Paláſti, *de eadem*, A. MDCI.
Emericus Liptaj, A. MDCIII.
Joſephus Paláſti, *iterum*, A. MDCIX.
Franciſcus Bakó, A. MDCXI.
Georgius Horváthi, A. MDCXIX.
Paullus Paláſti, *de eadem*, A. MDCXXVII.
Franciſcus Bakó, *iterum*, A. MDCXXXIV.
Joſephus Paláſti, *iterum*, A. MDCXLI.
Melchior Oſztrolucsky, A. MDCXLVIII.
Johannes Szelény, A. MDCXLIX.
Johannes Bartakowitſch, A. MDCLX.
Paullus Gerhard, A. MDCLXX.
Johannes Szelény, *iterum*, A. MDCLXXIII.
Georgius Gerhard, A. MDCLXXX.
Georgius Dúló, A. MDCLXXXV.
Paullus Madács, A. MDCLXXXVIII.
Franciſcus Paláſti, *de eadem*, A. MDCXCI.
Franciſcus Paláſti, *iterum*, cum
Wolffgango Iánoky, A. MDCXCIII.
Sigismundus Jánoky, A. MDCXCVIII.
Paullus Kajaly, *de eadem*, A. MDCCV.
Raphael Szentiványi, A. MDCCLX.
Stephanus Kelko, A. MDCCXII.
Nicolaus Dwornokowitſch, A. MDCCXVI.

Wolff-

Volffgangus Goſztony, A. MDCCXXX. qui adhuc rebus, inſigni prouincialium adprobatione, potitur. *Feliciter!* Addo, & *Notariorum* quædam nomina, vt adpareat, quam ſimus gentis noſtræ ſtudioſi, vbi ſe dat, eius illuſtrandæ, occaſio. Fuere autem: *Notariorum deſignatio.*

Georgius Soós, A. MDLXXX.
Johannes Rutkay. A. MDLXXXV.
Andreas Rutkay, A. MDCVIII.
Balthaſar Palugyai, A. MDCX.
Matthias Emüdy, aliter *Dedeſſy*, A. MDCXII.
Johannes Barſi, A. MDCXXVIII.
Georgius Emüdy, A. MDCXXXIV.
Jahannes Laſzkary, A. MDCXLVIII.
Franciſcus Libertsy, A. MDCLIV.
Georgius Gerhard, A. MDCLVI.
Michael Tötésy, A. MDCLXIX.
Georgius Díl, A. MDCLXXIII.
Paullus Kajaly, A. MDCLXXXV.
Gabriel Bori, A. MDCCV.
Emericus Foglár, A. MDCCXXIV.
Georgius Baroſs, A. MDCCXXXIII.

Sunt in *Comitatuum* magiſtratibus, & *Iudices Nobilium*, ſingulis prouinciolis, quas *Proceſſus* vocant, ius dicere conſueti; quorum tamen munia, quia diuturna haud ſunt, ac fere in triennia quæuis variant; longum foret, eorum memoriam conſectari. Hæc, quæ dedimus, tamquam e naufragio tabulas, æqui bonique conſulet, lector, rerum patriæ amans, & curioſus.

§. IV.

INſignia *Comitatus*, nemo adumbrarit melius, quam idem illud diploma, quo ea, FERDINANDVS I. Hontenſibus impertiuit: quod quia in manibus noſtris eſt, nihil dubitamus adſcribere: NOS FERDINANDVS, *Diuina fauente clementia, Romanorum, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ, Ramæ, Seruiæ, Galliciæ, Lodomeriæ, Cumaniæ Bulgariæque* REX, *ſemper Auguſtus*, reliqua. *Memoriæ commendamus tenore præſentium, ſignificantes, quibus expedit vniuerſis; Quod Nobis pro feſto Epiphaniarum Domini, proxime præterito, & aliis diebus ſequentibus, in hac Ciuitate Noſtra Poſonienſi, generalem, cum fidelibus Noſtris Dominis Prælatis, Baronibus Nobilibusque, & vniuerſis Statibus ac Ordinibus, Regni Noſtri Hungariæ, conuentum celebran-* *Comitatui inſignia cum* Ferdinandi I. *diplomate expromta.*

Digitized by Google

tibus, inter alia negotia & tractatus, publicam quietem & tranquillitatem, eiusdem regni Noſtri concernentes: iidem ſtatus & Ordines, communi omnium voto, deliberarunt, & Maieſtati Noſtræ humiliter ſupplicarunt. Quod, cum hactenus, in ſingulis Comitatibus dicti Regni Noſtri Hungariæ, & partium ei ſubiectarum, in expeditionibus quarumcunque litterarum, ac aliis quibusque executionibus; ſigillis tantum Vice-Comitum & Iudicum Nobilium, vſi fuiſſent; Dignaremur ſingulis Comitatibus, arma ſiue inſignia, atque ſigillum ſpeciale, clementer dare ac concedere, quibus quilibet Comitatus, tam in ſigillatione litterarum Cauſalium, Adiudicatoriarum, & Executionalium, aliarumque, quarumlibet, de more & conſuetudine, ipſius Regni Noſtri Hungariæ, ex ſede ipſius Comitatus emanandarum; quam etiam expeditionibus contra hoſtem, nec non legationibus & aliis negotiis, pro Inſigniis in maiorem rerum & negotiorum omnium fidem, & efficaciam vti poſſent. Nos rationem habentes ſupplicationis eorundem fidelium noſtrorum Statuum & Ordinum prædicti Regni Noſtri Hungariæ, conſiderantes etiam, ad res bene gerendas & expediendas, non parum momenti accedere, ſi huiusmodi inſignia ac ſigilla cuique Comitatui per nos concederentur: Comitatui Hontenſi hæc *arma ſeu inſignia*; Scutum videlicet rubro colore, in quo catafractum hominis brachium, enſem ſtrictum, ad ſummam ſcuti oram pertingentem tenet; ſupra brachium a dextro ſcuti latere, ſtella, a ſiniſtro vero, noua luna ſtant: *prout hæc in capite ſeu principio præſentium literarum Noſtrarum, pictoris arte, ſuis coloribus depicta ſunt; ex gratia noſtra Regia dedimus & contulimus, hoc modo, & cura, in conſeruatione ac cuſtodia ipſius ſigilli ſemper fideliter obſeruandum; quod ſecundum eorundem fidelium Noſtrorum Statuum ac Ordinum Regni Noſtri, in hac ipſa Diæta, in indicem (c.) aliorum Articulorum redactam, & per Nos gratioſe confirmatam conſtitutionem, ſigillum ipſum, in archa ſiue ladula vna, ſub ſigillis propriis Vice-Comitis, Iudicum & caterorum iuratorum Nobilium conſeruetur, & ex ea non excipiatur, niſi tempore ſedis Iudiciariæ, cum littera aliqua, nomine Comitatus fuerint obſignandæ: quibus etiam litteris ſubſcribant ſe, iidem Vice-Comes, Iudex & Iurati Nobiles, vel ſi qui ex ipſis (d.) ſciunt ſcribere, ſimul cum Notario Comitatus; alioquin littera ipſa, quæ aliter fuerint expeditæ, inuigoroſa cenſeantur: Decernentes, vt idem Comitatus Hontenſis, a modo imposterum huiusmodi inſignibus & armis, non ſolum, in conſignatione litterarum cauſalium, adiudicatoriarum & executionalium e ſede ipſorum iudiciaria, quacunque in re & cauſa, ſedem ſcilicet eiusdem Comitatus concernentem, emanandarum, quas Nos, ratas, & firmas vigoroſasque habentes, per fideles ſubditos Noſtros, obſeruari voluimus; verum etiam in omnibus, tam particularibus, quam etiam generalibus legationibus*

nec

c.) Exſtat tota hæc formula, in eiusdem anni, MDL. Sanctionibus, Art. LXII.

d.) Adeo tunc belli ſtudia viguere, vt rariores, in ipſo equeſtri ordine, fuerint, quibus, vel tantillum cum muſis commercium interceſſiſſet, vt literulas pingere, didiciſſent. Statui hinc poteſt de reliquo populo.

Digitized by Google

nec non expeditionibus Noſtris, & Regni Noſtri Hungariæ, quoties neceſſitas poſtulabit, contra hoſtes comparandis ac ſuſcipiendis, pro ſigno, ſiue vexillo, perpetuis ſemper temporibus, vti poſſit & valeat. In cuius rei memoriam, firmitatemque perpetuam, præſentes litteras Noſtras, ſecreto ſigillo Noſtro, quo vt Rex Hungariæ vtimur, pendente communitas, prædicto COMITATVI HONTENSI, *duximus danda & conferenda; imo damus, & conferimus per præſentes. Datum per manus Reuerendiſſimi in Chriſto Patris Domini Nicolai Oláhy Epiſcopi Agrienſis, Compatris & Conſiliarii, ac in dicto Regno Noſtro Hungariæ, Cancellari Noſtri fidelis Nobis ſincere dilecti, in Arce Noſtra Poſonienſi, Duodecima Menſis Februarii, A. D. MDL. Regnorum Noſtrorum, Romani vigeſimo, reliquorum vero vigeſimo quarto.*

FERDINANDVS m. p.

Nicolaus Oláhus,
Epiſcopus Agrienſis.

Haud nos piguit, inſignes has tabulas, interſeruiſſe; tum, vt *Hontenſium* ius, vtendi inſignibus his ſuis, omni ea, quam diploma deſignauit, occaſione, illuſtrius fieret; tum, vt conſtaret apud lectores, vnde, pleraque omnia, *Comitatuum* ſigilla, ſint arceſſenda. Tametſi enim, non pauci erant in *Comitatibus*, quibus ſua iam tunc inſignia fuerunt; tamen eorum, ſiue impetrandorum, ſiue inſtaurandorum etiam, neceſſitas omnis, ab hac ſanctione profecta eſt omnino. Vt mirum ſit, (*e.*) quomodo potuerit euenire, ſupermanſiſſe *Comitatuum* aliquos, qui regiis inſignibus deſtituti, litteras hodieque, priſco illo ritu, vti in *Maramaroſienſibus*, & *Medio Szólnok*, adparet, conſignare ſoleant. *Hontenſium*, ceteroquin, hæc ſimulacra, partim fortitudinem militarem, partim in rebus, bello & pace, adminiſtrandis, vigilantiam, adumbrauiſſe, certum eſt.

§. V.

COmitiola prouinciæ, non ſecus, quam tota *Hungaria*, ad præſtitutum diem, locumque, coeunt. Vtraque, *Supremo Comite* conſcio, *Vice Comes*, ita promulgat, vt, litteris per ſingulos *Proceſſus* dimiſſis, nobilitas omnis, ac præcipue quidem hi, qui procurandæ reipubl. partem aliquam capiunt, conuocentur. Neque tamen id ſtatis fit temporibus: parent, in tota ea re, neceſſitati. quæ, ſicuti varia ſubinde ingruit; ita non ſinit nos, *Congregationum* iſtiusmodi, ſeu numerum, ſeu tempora, definire. Sunt autem *Generales* aliæ; vt ſuis vocabulis vtamur; *Particulares*, aliæ. Has, ad minoris momenti negotia diſputanda procurandaque; illas, tunc cogunt, cum de eligendis inſtaurandisue magiſtratibus; olim, & de nobilitatis profectione in militiam, *inſurrectionem* vocabant; tum, de ordinandis, ex æquo, tributis; de milite, per hiberna aut æſtiua, *Ratio* Congregationum *Hontenſium*:

e.) Bellum, in cauſſa fuiſſe, reor, quod FERDINANDO, cum ZAPOLITANIS, per eam Hungariæ oram, tunc interceſſit, Comitatibus illis, a Ferdinandi obſequio.

rite diſpertiendo, & quæ ſunt reliqua, in commune conſulendum eſt. Hic, & mandata, ſi quæ adſunt, regis, proferri, & quemadmodum, ſiue poſſint, ſiue debeant, præſentiſſimo honeſtari obſequio, publica omnium conſenſione, deliberari adſueuit. Eſt, præter duo hæc comitiorum genera, tertium quoddam, cui *Sedis Iudiciariæ*, & coalitis vocabulis, *Sedriæ*, nomen eſt. Diximus de eo toties; hic ei fini recognoſcimus, vti doceamus, omne id apud *Hontenſes*, ſumma adcuratione adminiſtrari ſolere, quod per reliquam *Hungariam*, & publica, & priuata lege, ſancitum eſt. Ius, in iſtis conſeſſibus dicitur ſontibus, irrogantur ſupplicia, atque nullum non negotiorum genus, quod dedit litis quidpiam, neque protuit a *Iudice Nobilium* conſopiri, ex iuſto & recto, diſputatur. Cum FERDINANDVS I. rerum potiretur, & regio omnis, *Turcarum* impreſſionibus, infeſta eſſet, *Schemnicium*, vrbs intra montes reducta, congregationes has accipiebat, vt ne paterent hoſtium iniuriis. quæ res, tametſi cum prouincialium coniuncta fuit incommodo; durauit tamen totius ſeculi tractu: dum ſedes comitiorum, publica, anni MDCXL-IX. lege, *Carponam*, liberam ac regiam *Comitatus Zolienſis* vrbem, transferretur. Sanctio illa ſic habet: (*f.*) *Pro commodiori iuris & iuſtitiæ Comitatus Hontenſis adminiſtratione, locus ſedis eiusdem Iudiciariæ, antea in Ciuitate* Schemnicienſi *deputatus, ad ciuitatem* Carponenſem *transfertur; ſalua nihilominus* Comitatus Zolienſis *iurisdictione, & iure quoque eiusdem ciuitatis permanente.* Is demum mos, lege præſcriptus publica, poſt *Budam* captam, euanuit ſenſim: vt iam, hæc iſtiusmodi comitiola, iis locis, *Vice-Comite* deſignante, coeant, quæ, cum capiendæ multitudini, tum nobilitati ſunt opportuna. Ergo, variabat congregationum ſedes, quoties promulgabantur: donec ætate noſtra, prætorium, in oppido *Szebeklib*, communi ſumptu eo fini educetur. Hic, & *Archiuum* inſtructum eſſe, accepimus.

eoibant vr-lim Schemnicii:

Carponæ *poſtea*:

hodie, ſere tantum, in oppido Szebeklib.

§. VI.

Nagy-Hontenſis pro uincia, qua dominia, *continet*:

DItiones, quæ noſtri *Dominia* vocant, opimæ ſunt apud *Nagy-Hontenſes*, & aliæ fructuoſiores aliis. In his cenſentur:

I. DRÉGFLYENSE *Dominii* Archiepiſcopatui Strigonienſi, pluribus retro ſeculis, adſcriptum. quod ad arcis eius mentionem, dicemus.

II. CSÁBRÁGIENSE, &

III. SZITNENSE, vtrumque gentis *Kohariana* hæredium, eximii reditus; eo, quod curate adminiſtratur.

IV. BOZOKIENSE, olim *Præpoſituræ Præmonſtratenſium* titulo, ad eundem ordinem adtinuit. Iam, partem *Collegio Soc.* IESV *Tyrnauienſi*, partem *Seminario B. M. Virginis Szeleptſeniano*, obnoxium eſt.

V. SÁGIENSE, eiusdem *Præmonſtratenſium* familiæ, priſca illa, & bea-

f.) Articulo LXXX. quam ad illuſtradam vrbis *Carponenſis Hiſtoriam*, Tomo II. pag. 472. ſequ. deſcriptam, poſſis addere: quippe illic neglectom.

Digitized by Google

beatiore ætate, cum *Præpoſitura* itidem axiomate, paruit. Nunc, *Tertioratui*, quem vocant, *S. I. in Collegio Neoſolienſi*, adtributum eſt.

VI. VÁMOS-MIKOLAIENSE, haud ita pridem, *Levenſi* ditioni, œconomiæ cauſſa, detractum, & peculiari procuratori, *prouiſorem* vulgo adpellant, traditum. Pertinet ad *maioratum Principum Eſzterházy de Galantha.* Sunt & *Dominationes* exteræ, quæ, per *Comitatum Hontenſem*, vicos ſibi admenſos habent. Huc referimus: *Strigonienſem*; *Nagy-Sallóienſem*; *S. Benedicti de iuxta Gron*; *Levenſem*; *Wiſſegradienſem*; *Bátor-Keſzienſem*; *Divinenſem*; *Kékkóienſem*; *Damaſztenſem*, & *Ziliſienſem.* Horum vicos, tum nominabimus, cum per ſingulos *Proceſſus*, obuii nobis ſunt futuri. Iam, ad cognoſcendam penitus regionem, accedamus. *dominationes extera.*

PARS POSTERIOR
SPECIALIS.
DE
Proceſſibus Comitatus Hontenſis.

PROOEMIVM.

NIuerſim, *Comitatus Hontenſis*, quatuor *Proceſſibus* definitur: *Schemnicienſi*, *Báthenſi*, *Bozokienſi*, & *Kis-Hontenſi.* quorum tres illi, *Nagy-Honto* admenſi ſunt; iſte, a reliquis, per *Neogradienſium* & *Zolienſium*, laxa collimitia, diremtus, ſuis finibus circumſcribitur. Ergo, Nagy-*Hontenſes* primo; tunc Kis-*Hontenſes*, perluſtrabimus.

MEMBRVM I.
De Proceſſu Schemnicienſi.

NTeit reliquos, *Proceſſus Schemnicienſis*, cum terrarum ſpatiis, tum liberarum regiarumque vrbium, quas continet, prærogatiua. Duæ harum ſunt, æque, vti vocamus, *montanæ*, ſeu metallicæ, *Schemnicium* puta, & *Béla-Bánya.* Hinc progreſſa regio, & ab aquilone, in

meridiem, vsque ad *Kemencze* vicum, varie ſinuato tractu, procurrens, quinque milliaria longa paſſim, tranſuerſo tramite, duo lata eſt. Situs habet montoſos, & rariore, heic atque illic, planitie interſtinctos. vnde de natura totius prouinciolæ poſſis colligere. Nimirum, qua ad ſeptentriones vergit, habitatu aſperior eſt; mitior, qua in ſolem meridianum deiicitur. Iſthic *Hungari* colunt; illic *Slaui* potiſſimum; *Germanis* fere intra vrbes concluſis. quos nunc, atque ad *Schemnicium* præcipue, deſcribemus.

SECTIO I.

DE

Liberis Regiis ac Montanis Vrbibus Proceſſus Schemnicienſis.

PROOEMIVM.

DVæ ſunt *Proceſſus* huius *Liberæ Regiæ Montanæque* vrbes. Altera SCHEMNICIVM eſt, quæ nomen impertiuit regiunculæ: altera BÉLA-BÁNYA, Germanis DILN, Slauis BELÁ dicta. Vtramque, quam poterimus, adcuratiſſime, deſignabimus; ſed in primis *Schemnicium:* quippe quod, cum incolarum multitudine, tum metallorum celebritate, non *Béla-Bányam* tantum; ſed *montanas* etiam reliquas, antecellit.

I.

Hiſtoria Liberæ Regiæ ac Montanæ Vrbis Schemnicienſis.

SYNOPSIS.

Vrbis nomen Schemnicium, *recens eſt; vetus* Bánya *fuit; medii aui*, Sebenicia: *priſcum* Bánya *vocabulum*, Ladislai *Cumani diplomate, aſſeritur.* §. I.

Bana, *Slauicæ eſt originis: vna cum metallis* Schemnicienſibus: *quando* Sebnicz, *ſiue* Sebenicz, *vrbs dici cœperit? fabuloſum eius deriuationis etymon.* §. II.

Auctoris,

Digitized by Google

Auctoris, de eo iudicium: quomodo inde Schemnicium *factum ſit? atas vrbis altius, quam par eſt, in ſchedis Schemniczenſium, retruſa.* §. III.

Excutiuntur chartæ eædem, ad fidem hiſtoricam, & chronologiæ. §. IV.

Primi Schemnicii *incolæ* Slaui: *quales illi, diſputatur*: Saxones, *quando huc illapſi? auctoris diſquiſitio: eorum, cum vernis* Slauis, *æmulationes, ac diſſidia: franguntur animis* Slaui, *& vrbe demigrare ſuſcipiunt.* §. V.

Demigrationis eius atas, indagatur: Saxonum, *in* Slauos, *odium inexplicabile: lege publica ſublatum: Regum Hungariæ, in metallarios* Saxones, *propenſio: fata vrbis, ſub* Bela IV. *ex impreſſione tartarica: peſſundatur* Schemnicium, *vna cum metallis.* §. VI.

Difficilis vrbis, iuxta & metallicorum operum inſtauratio: Belæ *regis, in eam rem prouidentia: diploma, quo libertas* Schemnicenſium *redintegrabatur, cur Germanice perſcribi curarit? eius argumentum*, Carponenſi *illi ſuppar: abiit in legem municipalem* Schemnicienſium. §. VII.

Cumulat, patris Belæ *clementiam*, Stephanus *filius*: Ladislaus *Cumanus nepos: ſequutorum regum in* Schemnicienſes *fauor: & metallorum luſtratio: qua hinc in commune promanarit vtilitas*: Caroli I. *erga metalla ſtudium*: Ludouicus I. *vicis donat* Schemnicium: *in his* Béla, *ſeu* Dilna, *cenſebatur.* §. VIII.

Tabulæ ſequutorum regum, quibus Schemnicienſium, *iura adfirmabant*: Huſſitarum *incurſiones, ſub* Sigismundo, *terrent vrbem: peſſundant, quæ mortem* Alberti *excepere, conuerſiones: eius tempeſtatis mala,* Bonfinii *verbis expromuntur: calamitatis* Schemnicienſium *fons,* Simonis Roſgon, *epiſcopi Agrienſis, ab* Eliſabetha, *ad* Polonum, *defectio: inuadit vrbem, ciues exſpoliat & opprimit, tecta exurit: facinoris deſcriptio, ex vrbis tabulario depromta: auxit* Rosgonianæ *impreſſionis ærumnas, terræ motus, longe validiſſimus: eius miſeranda facies.* §. IX.

Palæopoleos, ſiue veteris Schemnicii *ruina, nouæ vrbi, quæ ſuperat hodie, ortus dediſſe perhibent: poſitio, qua fuit vrbs vetus: nouæ alterius molitio, quando cœperit: eius incrementa: ſitus, atque ædificiorum ratio.* §. X.

An fuerit reuera vetus aliquod Schemnicium? *cum ratione diſputatur: auctoris æquanimis ſententia: priſcum illud rudus, vetuſti cuiusdam propugnaculi eſt, non vrbis: eius poſitio, ſcite a* Richtero *deſcripta: cœmeterium adſitum, vrnas habet, & in-*

uſi-

uſitatæ magnitudinis oſſa. §. XI.

Schemnicienſium, *cum præfectis* Saskôii, *& horum iniquitate, concertatio:* Ladislai Zubonyæ *iniuriæ: initum cum ciuibus, prælium, & horum clades:* Ludouici I. *in* Zubonyam *animaduerſio: eo mortuo, increuit* Saskôienſium *effera auiditas:* Petri Köhleri *violentia, & adhibitæ, apud* Sigismundum *regem, fraudes, peſſundant* Schemnicienſes: Ladislai Upory, *ſub* Matthia, *aduerſus,* Schemnicienſes, *irrequies, & damna edita: ſiſtuntur, adhibitis arbitris:* Beatricis *reginæ, aduerſus* Schemnicienſes, *durities: nec quidquam malis* Schemnicienſium *medetur,* Matthiæ, *cum regina, ad vrbem aduentus.* §. XII.

Recrudeſcunt, illatæ Schemnicienſibus *iniuriæ: ciuium apud* Wladislaum, *querelæ ac preces: eius, erga* Schemnicienſes, *ſtudia: cognoſcit, de ciuium iniuriis, per iudices: vicinorum, eam in rem confeſſio: euentu meliore fruſtratur.* §. XIII.

Schemnicienſium, *& inter confertiſſimas calamitates, in eruendis metallis, aſſiduitas: præfectorum curis, & prouidentia, ſuſtentata:* Thurzonum, *de vrbibus metallicis, & harum operis, efficax ſollicitudo:* Fuggarorum, *cum* Thurzonibus *ſtabilita, ope* Hieronymi Balbi, *ſocietas metallica:* Balbi, *ad* Iacobum Fuggarum, *in eam rem, memorabilis epiſtola.* §. XIV.

Ludouici II. *erga metallarios* Schemnicienſes, *benignitas: reprimit* Bernhardi Bohemi, *Cameræ præfecti: iniurias; præcipua, ea occaſione, vrbis* Schemnicienſis, *dignatio: vrbis, temporibus* Ludouici II. *paupertas.* §. XV.

Schemnicii, *poſt* Ludouici II. *occaſum, fata: adhæret, contra* Iohannem, Ferdinando: *huius, in metallarios* Schemnicienſes, *propenſio:* Turcarum *impreſſiones: viriliter propulſatæ a* Schemnicienſibus: *militaria eorum inſtituta: horum ſucceſſus, vrbi, & vicinitati, vtiles:* Turcarum *irrequies, & auiditas, montanis vrbibus moleſta: deſcribitur* Gabelmanni *verſibus: inſigne, bellicæ* Schemnicienſium *virtutis, ſpecimen: benigne a* Ferdinando *acceptum.* §. XVI.

Buda, *a* Solymanno *inſeſſa, pergunt* Schemnicienſes, *& arma tractare, & eruere metalla: fit vrbs, præſidium limitaneum, ob veteris arcis, qualeſcunque munitiones: huius* Capitanei, *quali ſe, vrbicis magiſtratibus, ſacramento obſtrinxerint.* §. XVII.

Schemnicienſium *partes, in monomachiis* Turcicis: Gabelmanni, *in eam rem verſus: contemerantur res* Schemnicienſium, *ſeditione* Bosskaiana: *felicior, tumul-*

tu-

tu Bethleniana, *& vrbs fuit, & metalla: quid ſub* Georgii Rákóczii *irrequiete, euenerit* Schemnicio. §. XVIII.

Tökölianæ *perduellionis mala, vrbi, & ſecturis, illata: an ad* Tökölium *ſponte defecerint vrbes* montanæ? *diſquiritur: depellitur ex metallicis vrbibus* Tököli: Schemnicio *obſides ſecum accipit: fœda eius, de vendendis vrbibus montanis, conſilia: peſtilentia depaſcit* Schemnicium. §. XIX.

Nouæ Tökölianorum, *aduerſus* Schemnicienſes, *iniuriæ: earum occaſio, & auctores*, Iósa, Szepeſy, Bakoſſy, *& facies miſeranda, ex* Tolli *narratione, recognoſcitur:* Iósæ *hiſtoria: reditus ad* Cæſarianos: *dat ſe internecioni: eius rei occaſio.* §. XX.

Redit, poſt captum Filekinum, Tökölius: Schemniciũ *occupat denuo, haud ſine Cæſarianorum clade: rei geſtæ narratio:* Hungarorum, *poſt captam vrbem, moderatio:* Iánokii, *in reformandis muneribus metallicis, præcipitata conſilia: vrbis*, a Cæſarianis, *anno* 1683. *recuperatæ, arumnæ: earum præmium.* §. XXI.

Contemeratur iterum Schemnicii *felicitas, fodinis, aquis ſubterraneis inundatis: quomodo illuuioni ei, tum ſit obuiam itum, quoque ſucceſſu: geminus terræ motus, vrbi noxius, & pro ominoſo habitus:* Schemnicii *poſitio, ad ciendos terræ motus, in primis idonea.* §. XXII.

Turbo Rákóczianus *vrbi incumbit:* Hungarorum, *aduerſus ciues intemperies: terminatur interuentu victoris* Schlickii: *quid ab eo ſit geſtum?* Bertsénii, *contra* Cæſarianos *expeditio, felicis ſucceſſus: cedit fortunæ* Schlikius, *&* montanas, *fugiens, vacuas relinquit:* Hungaris *locum facit, quibus ſe vrbes montanæ, iterum dedere coguntur: & in his* Schemnicium. §. XXIII.

Inualeſcente ſeditione, Hellenbachius Baro, *metallis, & curandæ rei monetariæ, præficitur: æreorum numorum nimietas, turbas, in* Schemnicienſium *metallis dedit:* Hellenbachio *fere exitiales: ſedatur, a militari cohorte, tumultuatio: haud tamen ſine cæde: idque, magno* Hellenbachii *dolore.* §. XXIV.

Illuſtratur Schemnicium, CÆSARIS, *cum* Rákóczio, *pacificatione: eius occaſio, & miſſi vtrinque adminiſtri, ex* Wagnero *recenſentur: res omnis, fuſius ab auctore ediſſeritur: induciarum conciliandarum difficultas; & huius cauſſæ: tolluntur* Cæſaris *æquitate: induciarum leges, a* Cæſarianis *latæ: repudiantur a* Rákóczianis, *ferunturque aliæ: coaleſcunt tandem inducæ.* §. XXV.

Tempus pacificandi, locusque, deſignantur: legatorum

Schemnicium aduentus: conſeſſus mutuus: fit pacificationis ſcopulus: diſſuitur, conatu Cæſaris irrito. §. XXVI.

Mala vrbis, ex dominatione Rákóczianorum, *reliqua:* Hellenbachii, *in iis auerruncandis, prouidentia & auctoritas: eius, ex* Rákócziana *hac ſocietate, infelicitas: peſtilentia, vrbem Cæſari redditam, adfligit:* Ioſepho I. *mortuo,* Carolvs III. *pro Hiſpania dimicans, matri* Eleonoræ, *regnum, &* montanas *commendat: reducis inde benignitate, refouetur* Schemnicium: Thauonathi, *metallorum ſummi præfecti, aſſiduitas, morte interuertitur: cui* B. *a* Sternbach, *multarum laudum vir, ſufficitur a Cæſare: de vita decedit: iam* L. B. Mitrowsky, *rei metallicæ moderatur.* §. XXVII.

Dicendorum porro ſeries: incolæ Schemnicii *hodierni,* Germani, *Slauis potiores: illorum dialectus: morum elegantia,* Richteri *verbis deſcribitur.* §. XXVIII.

Ciues vrbium montanarum, *quo ſint temperamentorum habitu?* Schemnicienſium *indoles moreſque: in peregrinos, prolixa humanitas,* Tollii *verbis & experientia adſtruitur.* §. XXIX.

Familiarum Schemnicienſium *habitus: paucitatis cauſſæ: an in ipſo vitæ genere quærendæ? vetuſta, & recentia, in familiis* Schemnicienſium, *decora: earum, de ſecturis* Schemnicienſium, *inſignia merita; de indole,* Tollii *locus, & laudes:* Rauſcheri *eruditio, admirationi fuit* Tollio: *auctoris, de eo iudicium, & circumpoſita ei encomia: inſignis, docti viri bibliotheca, & commentaria, ab hæredibus, turpiter diſſipantur.* §. XXX.

Incolarum Schemnicienſium, *ordo triplex:* Vrburariorum *præcipuus: quæ horum ſint iura: prærogatiuæ.* §. XXXI.

Vrburariorum *magiſtratus: ſenatus metallici, præſes ac conſeſſores: qui ab eo iura capiant: eius auctoritas: fit inde, ad ſummum,* Montanarum Præfecti, *tribunal, adpellatio.* §. XXXII.

Præfectorum erarii catalogus. §. XXXIII.

Magiſtratus reliqui: ordo Metallicorum: *horum numerus nequit definiri: ingenium ac mores illaudati: fruſtra his obuiam itum, tardiore manupretii diſſolutione: ſunt* Cæſariani *alii, alii* Vrburariorum. §. XXXIV.

Vrbis ædificia, & totus eius habitus, ex Tollio *deſcribuntur: facies Schemnicii,* Tollii *verbis adumbrata: ædium & incolarum numerus, male ab eo definitus.* §. XXXV.

Ædificia vrbis ſacra: B. Mariæ Virginis, *fundatio dubia: auctoris hariolatio: ſit templum parochiale: vertitur in arcem: ceſſat eſſe pa-*

Digitized by Google

parochialis ædes. §. XXXVI.

Arcis eius munitiones, & habitus reliqui. §. XXXVII.

Arx noua, & huius facies: fama eius omnis a conditrice manauit: fuit Barbara Rœſelia, *turpiſſimæ vitæ femina: eius character, a* Richtero *expreſſus: facinora reliqua: exædificat arcem, vti patibulum, loco ſibi inuiſo, dimoueret: fruſtratur honeſta ſepultura.* §. XXXVIII.

Arcis veteris, ſacra inſtituta alia, atque in his ſacellum B. Michaelis Archangeli: *tabulæ fundatoris: earum ſententia, latine, & compendio reddita: quæ inde lux rebus Schemnicienſium adfundatur.* §. XXXIX.

Turris, eadem in arce: & æra campana. §. XL.

Ædes D. Catharinæ *ſacra,* Richteri *verbis deſcribitur: de eius ætate coniectatio: ara priſtinæ fabricæ: nouam ei ſubſtituit* Sternbachius B: *internus & externus adis habitus, quando, & quorum impenſa, inſtauratus:* S. Andreæ *ſacellum, curiæ coædificatum:* B. Virginis *templum ad Niues, cum cœmeterio.* §. XLI.

D. Nicolai *ædicula, veterum* Banyenſium *opus: traditur* Dominicanorum *ordini, inſigni cum ſolemnitate:* Ius Patronatus, *antiquum eſt* Schemnicienſibus: *adfirmatur, ſingulari diplomate, a* Wladislao II. §. XLII.

Dominicanorum *huiatium hiſtoria: incrementa ordinis: contemerantur* Roſgoniana *impreſſione: occaſus cœnobii, ex vrbicis ſchedis, deſcribitur.* §. XLIII.

Fata cœnobii, & ædicula D. Nicolai. *reliqua:* Maria, *Ludouici II. vidua, auguſtum templum, eius loco, exædificat: Xenodochio* S. Eliſabethæ, *diu frequentatum: idem, a* LEOPOLDO M. Societati IESV, *traditur: eſt hodieque eorum ſedes.* §. XLIV.

Ædes publicæ: ærarium regium, & huius prærogatiuæ: ſitus opportunitates: hoſpitia: habuit, hac noſtra ætate, officinam docimaſticam: eius, Richteri *verbis, deſcriptio: ædificium reliquum:* Parſchitius, *monetariam officinam iſthic fuiſſe, perhibet.* §. XLV.

Vrbicum prætorium: quo ſit poſitu: qua ætate exædificatum: ipſa prætorii moles; & huius, in conclauia, partitio: ordo ſenatorius, iuſti & recti tenax: tabula Ptolomæi *Arphaſidis, æquitatis omnis interpres, in atrio ſenaculi ſuſpenſa.* §. XLVI.

Inſignia Schemnicienſium: *aliorum verbis, ac* Richteri *potiſſimum, deſcripta: vſus eorum in gemino ſigillo: minori altero; altero maiori: exprimuntur cera rubra:* Wladislai II. *in eam rem, diploma.* §. XLVII.

Eadem inſignia, ex argento conflata, adſeruantur in prætorio: ſunt metallici *ordinis,*

quaſi palladium *quoddam: malleus & claua: eorum, in ſolemnibus metallariis, oſtentatio: facies qualis: in præcipuis ornamentis habentur a metallicis operis: excidunt eorum vſu: lites, ob eam rem, vrbico magiſtratui intentatæ: ſopiuntur ab oratoribus Cæſaris.* §. XLVIII.

Mœnium, circa vrbem habitus: erronee, a nouo ſcriptore, deſignatur: adcuratius ab Richtero: *muri, ad defenſandum* Schemnicium, *inutiles futuri: portarum præcipua inferior: metallicorum porta alia: teſſeræ hinc eduntur, operis metallariis deſtinatæ: de his* Richterus. §. XLIX.

Sectararum Schemnicienſium *recenſio:* Hodritsenſes *vetuſtiſſimæ:* Hodrits-Bányæ *deſcriptio: ciuium ingenium & copia: eorum licentia, a ſenatu coercita: res* Hodritsenſium *proſperæ, ſenatus partem alteram, habitatum huc proliciunt: mala inde conſequuta:* Tollii, *de* Hodritsio, *mentio.* §. L.

Windſchachti *æraria: earum laus: nominis origo: ſit* Windſchacht, *ſeu,* Piberianus *hic puteus, fodinarum* Schemnicienſium *caput: de eius habitu* Richterus: Tollius. §. LI.

Principis eius fodinæ ductus, ſeu venæ: in his, Xenodochialis *præcipua eſt:* plumbago *iſthic detecta, ingentis vtilitatis: operarum difficultas, per cacos fodinarum anfractus: iam & pyrius puluis, frangendis ſaxis adhibetur: occupatio fabrilium operarum: materiariorum.* §. LII

Fodinarum huiatium machinæ: Auſtriacorum *regum, in his procurandis, prouidentia: putei, & cuniculi, varie impreſſi: horum nomina: altitudo: vſus, ad aerem vegetum inſpirandum: aquas exhauriendas: illuuionum ſubterranearum initia, & incrementa: inſtituta, eis educendis, varia: ſed irrita: equorum miniſteria, intra ſecturarum viſcera, fruſtra adhibita: dum a metallariis* Bohemicis, Saxonibus *poſtea, machinæ hydraulicæ, ſub dio excitarentur.* §. LIII.

Nouum machinarum pyraulicarum genus: Potterus *Anglus, earum auctor: correctior,* Baro de Fiſcher: *harum deſcriptio: plures earum ſunt, ad ſecturam* Windſchachtenſem. §. LIV.

Reditus æraria Piberianæ, *olim ditiſſimi: eorum, ex veteribus ſchedis, ſupputatio: librorum metallicorum, in eandem rem, fides: auraria* Piberianæ *ectypus, magno artificio factus: eius exemplar geminum.* §. LV.

Auraria Schemnicienſium *reliquæ: earum poſitus ac regiones:* Galiſonii *molitio: inſtauratur a* Voikhio: *ſucceſſu, poſt multa pecuniarum damna, vltra modum*

ſe-

felici: de ſectura Röſeliana, *fabella:* Brownii *Angli narratio.* §. LVI.
Priſtinarum ſecturarum nomina: cur ea vindicet ab obliuione auctor: eius, in prolixum hunc catalogum, epilogus. §. LVII.
Ruris Schemnicienſium *reliqui natura: hortorum olim cultus exquiſitiſſimus: eorum illecebræ: ceſſant ſenſim, ſuis de cauſſis: quibus incommodis vrgeatur, territorium* Schemnicienſe: *aquarum ſubdialium inopia: quomodo ei ſuccurendum voluerint, rei metallicæ præſides: ſiluarum pauperies: hiſtoriæ vrbis clauſula.* §. LVIII.

§. I.

SCHEMNICIVM, metallicæ vrbis nomen, recentius eſt, quam id forte exiſtimarit lector, Hungaricæ antiquitatis cupidus. Nam, priſca ætate, *Bana*; ciues, qui vrbem colebant, *Banenſes*, adpellabantur, dum *Sebenicia* primum, *Schemnicium* poſtea, non vulgo tantum, ſed in diplomatibus etiam regum, diceretur. Iuuat, ſingula hæc vocabula, altius expromſiſſe. Et, de *Bana* quidem, veterrimo vrbis nomine, non ſinunt nos dubitare, LADISLAI Cumani (*a.*) tabulæ, quibus CAPELLAM, in honorem *S. Nicolai* a ciuibus conditam, *Fratribus Prædicatoribus*, donabat. Lubet, quando in manibus ſunt, copiam earum facere lectoribus, maxime, cum ignoratæ fuerint, a SIGISMVNDO FERRARIO (*b.*) diligentiſſimo, rerum eius ordinis, *Prouinciæ Hungaricæ*, ſcriptore. Ita vero habent: LADISLAVS, DEI *gratia Rex Hungariæ, vniuerſis præſentes has noſtras litteras inſpecturis, ſalutem & omne bonum. Orthodoxæ fidei fructuoſam dilatationem, cupientes ex animo promouere in ciuitatibus noſtris, & locis regalibus, clauſtrum religioſiorum fundare & conſtituere intendimus & ſtudemus, vt ex eorum ſancta cohabitatione & conuerſatione, ad diuini cultus amplificationem, opportunius corda fidelium inardeſcant. Hinc eſt, quod Frater* Petrus, Prior Prouincialis ordinis Prædicatorum *per Vngariam & Dalmatiam, a nobis poſtulauit humiliter & deuote, vt per Magiſtrutum* Benedictum, *electum Archiepiſcopum Strigonienſem, & ſuum Capitulum, ac Magiſtrum Renaldum Præpoſitum S. Thomæ (c.) Miniſtris & Plebanum de Wana (d.) Diœceſis Strigonienſis, collationem*

Vrbis nomen Schemnicium *recens eſt; vetus* Bánya *fuit; medii aui,* Sebenicia:

priſcum Bányæ *vocabulum.* Ladislai Cumani *diplomate, aſſeritur.*

a.) Aſſeruantur ea, in archiuo vrbis, ſuntque hoc memoriali lemmate, extus inſcriptæ: *Eine Capela zu* Schebnitz, *die zuuor* Bana *geheiſſen, in der Kirche S. Nicolai, den Prediger München übergeben vom König* LADISLAO, Anno 1275.

b.) Libro IV. p. 525. ſequ. Nulla præterea Conuentus huius *Schemnicienſis* mentio, apud JOHANNEM MICHAELEM PIVM BONONIENSEM, quem citat *Pázmány.* Append. II. ad Syn. Strigon. pag. 115. ſequ. Hinc, neque a CARDINALI, neque a SZENTIVANIO, Diſſertatione Paralipom. Catal. XLV. memoratur: niſi lapſos ſingulos putes, quando *Scetinienſem* forte, loco *Schemnicienſis* ſcripſerunt. quod ego, ita factum, non tam opinor, quam credo.

c.) Corrupta eſt lectio; ſubſtitue, loco *Miniſtris*, vocabulum *Mentis*: quippe qui *Præpoſiturem*, habet eius nominis. Vide PAZMANY Append. I. p. 87.

d.) Lege BANA, eo quod ſcriba, W. ſubſtituerit, elemento B. quod fit non raro.

& donationem factam Fratribus Predicatoribus, de Capella in honorem S. Nicolai, *a ciuibus* Banenſibus, *fundata, nullam curam ſeu dotem habitam ſpecialem, de iure Patronatus, quod in eadem capella habuimus, aſſenſum præberemus. Nos quoque ſancto religionis amore ex fide profecto, gratam & ratam habuimus & habemus, collationem & donationem factam Fratribus ordinis nominati, conſentientes* (*e.*) *eisdem, quidquid iuris in his collationibus obtinuimus. Anno Domini MCCLXXV.* Hucuſque diploma.

§. II.

Bana, *Slauica eſt originis:*

HAbes vero hic, erudite lector, primigenium *Schemnicii* vocabulum, *Bana*, vel eius ætatis Germanorum ore, *Wana.* Slauicæ id eſſe, (*f.*) originis, nemo, eius linguæ gnarus, inficiabitur. Notat autem hodieque, metallicas ſubſtructiones, ſeu fodinas, quæ, partim depreſſis puteis cauantur, partim actis cuniculis, per ſubterraneos ductus, varie ſinuantur. Colligas hinc, vltra veri ſimilitudinem, *Slauos* fuiſſe, qui metallicis operis, apud *Schemnicienſes*, exordia dederunt. Atque, ſuperant omnino, cultus eorum veſtigia, in pagorum, qui *Schemnicio* ſunt adſiti, nominibus. quorſum faciunt: *Banka, Steffoltowé*, & veterrimus vrbis vicus, *Hodrits-Bánya.* Antiquato ſenſim *Banæ* vocabulo, nouum, atque id, ſeculo in primis decimo quarto, enatum eſt: quando *Sebnicz*, & non raro *Sebenic*, vrbs dici occepit. Sunt, qui vocem eam, a Germanis *Saxonibus*, arceſſunt: quippe, quorum colonias, diuitum ex metallis redituum fama, iſthuc deduxerat; ſed metuo, an recte ſatis, cum & iſtud nomen, non obſcure, etymon referat *Slauicum.* Eſt enim *Sebe nic*, in ea lingua tantundem, ac ſi dicas: *ſibi nihil*, ſcilicet prodeſſe, aut lucrifacere. Prætexitur origini, lepida narratiuncula, quam, nemo non e vulgo, veram eſſe adfirmat. Aiunt, nimirum, opilionem, paſcua, cum palante grege, vrbis hac regione, ſequutum, cum vallem graminoſam peragrat, in duas lacertas incidiſſe, apricantes eas & ludibundas. Dilapſis, ad opilionis ſtreperum aduentum, beſtiolis, earum ille orcheſtram attentius ſcrutatur, atque ramenta argenti, imitatione fruticum illic enata, nec opinatus, reperit. Obſtupeſcit, ad inſolentem, quam lacertas reliquiſſe autumabat, prædam, locumque rimatus, indicium capit, theſauri ſubterranei. Ergo, lætus, ad ſtabulationes ouiliaque redit, rem, ad metallorum conſultos, defert, loci eius poſitum, liberaliter prodit. Gratam habuere, opilionis hanc operam, metallarii, quodque crederent, turgeſcentes ſubtus argento venas, retegi poſſe, eadem illa regione, puteum deprimunt, & tamdiu huc atque illuc, cauant, dum in venas argenteas, prouentus ditiſſimi, incidunt. Quos, vbi reperere, *lacertas* quidem,

vna cum metallis Schemnicienſibus:

quando Sebnicz, *ſiue* Sebenicz, *vrbs dici caperit?*

fabuloſum eius adpellationis, etymon.

e.) Mallem: *conferentes*: id enim ſecum fert ſenſus formulæ ſolemnis.

f.) Donauere idem ciuitate Hungari: quibus *Bánya*, æque fodinam notat. Hinc *Selmetz-Bánya, Körmöcz-Bánya, Beſzterczе-Bánya, Libét-Bánya*, & reliqua montanarum vrbium, Hungarica nomina.

Digitized by Google

dem, tantarum opum indices, in *telamones* insignium, quæ malleos ostentant metallicos, adsciscunt; nouæ autem, an veteri illi, quæ *Bana* dicebatur, coloniæ, vocabulum *Sebenicz*, inducunt. Hæc, in ore sunt omnium, qui prodigiosis fabulosisue rerum originibus, delectantur.

§. III.

SI quid veri inest relationi, istud fere existimandum fuerit: opilionem eum, *Slauum* fuisse, ex gentis more, hominem simplicem, & apertum, qui, sui oblitus, indicium illud lacertarum, *Saxonibus*, auido generi, detexerit: nullo inde præmio relato, quam, quod dicterio, miserum prosequuti sint; quasi, qui *sibi nihil*, hoc est, *Sebe nic*, ex fortuito illo ac felici casu, lucri pactus sit: vnde postea, loco ei nomen *Sebenic*, ita hæserit, vt excitatam etiam vrbem, eodem insignire, nihil dubitauerint ciues, iuxta & accolæ: dum *Schemnitz* inde fieret, & latina terminatione, *Schemnicium*. Hungaris, *Selmecz*, plenius *Schelmetz-Bánya*, dicitur: Slauis *Stiawnicza*, detorta, vtrobique, sicuti adparet, scriptione, pronunciationeque. Qui aliunde vocabulum arcessunt, & vel viri nomen (*g.*) fuisse aiunt, vel nescio quod (*b.*) acetosum, vocant in subsidium, in lubrico pedem figunt, si non prorsus nugas agunt. Quidquid eius sit; difficile est, vocabulorum eiusmodi origines, eruderare; quando desunt, diplomatum & historiarum, præsidia. Hæc interim, volupe fuit expromere, vt habeat lector, quod seu reiiciat, seu adprobet. Iam, quod ad ortus vrbis, & detecta primum metalla, quæ condendæ vrbi occasionem dedere, adtinet; in retrusam vtraque ætatem, domesticæ *Schemnicienſium* schedæ, reponunt: nempe, ad annum æræ Dionysianæ, DCCXLV. Sic enim vero habent. ALT-SCHEMNITZ, *war Anno DCCXLV. erbaut:* CREMNITZ, *anno DCCLXX.* NEÜSOHL, *anno MCCCXLV. Ist alſo die Stadt* SCHEMNITZ, *die älteſte Berg-Stadt; und zwar älter als* CREMNITZ, *XXV. Jahr; als* NEÜSOHL, *DC. Jahr.* quæ latine sic reddimus: VETVS SCHEMNITZIVM, *anno DCCXLV. conditum est;* CREMNITZIVM, *anno DCCLXX;* NEOSOLIVM, *MCCCXLV. Est igitur* Schemnicium, *montanarum vrbium antiquissima; &* Cremnitzio *quidem XXV.* Neosolio *autem annis DC.* Dicam, quid de ætatis hac supputatione sentiam, idque, more meo, aperte & ex vero.

Auctoris, de eo, iudicium:

quomodo inde Schemnicium *factum sit?*

ætas vrbis, altius, quam par est, in Schemnicienſium *schedis, retruſa.*

§. IV.

SI annalibus Hungarorum fides habenda; sicuti fas est omnino, in tanto exteriorum scriptorum silentio; sub idem illud tempus, cui exordia *Schemnicii* memoratæ nunc schedæ, adtribuunt, ÁLMOS, primus Hungarorum dux, e *Scythia*, in *Daciam*, ingenti cum exercitu venit, positisque illic septem castris, ad *Hungariam*, cis, & vltra Danubium protensam, atque olim, ab ATTILA possessam, armis

Excutiuntur charta eadem, adfidem hiſtoricam, & chronologia.

g.) *Sebenicium* hi effingunt, magnarum, & opum, & per metalla, clientelarum.

b.) Alii *Stewa*, quomodo acetosam herbam *Slaui* vocant, vt esset *Stáwnicza.*

mis vendicandam recuperandamque, animum adiecit. Quo, per ſicarios, ab incolis ſub iugum miſſis, ante expeditionem eam, occiſo, ARPADVS filius, clientelis, inter *Hungaros*, & opibus, in primis valens, deſtinationem exſequitur, atque profligato *Swatoplugo*, citeriore vlterioreque *Hungaria*, potitur. quam, ita partiti ſunt inter ſe, duces ſeptem, vt noſtra quidem hæc ora, quam montanæ vrbes inſident hodie, LEÉLI, ſorte an conſilio, obtingeret. *Quintus* dux LEÉL *eſt nominatus, qui Meſſianos ſcilicet Bohemicos, de partibus Golgathæ expulit, ibique diutius caſtra metatus fuiſſe perhibetur*: verba ſunt THVRÓCZII (*i.*) Et *Golgatha* quidem, *Galgóczium* hodiernum, *Meſſianos*, *Bohemos* Chriſtianos, *Morauos* fuiſſe, ſuo loco (*k.*) docuimus. Iam, & iſtud addimus, totam eam oram, LEÉLEM inſediſſe, quæ eſt, inter *Vagum* & *Ipolam* fluuios; ſede, *Galgóczii* collocata. Quæ dum fiebant, ab anno nimirum DCCXLIV. vsque ad annum DCCL. violenter non minus, quam cum regionis & incolarum calamitate; expuliſſe enim *Meſſianos Bohemos*, ait hiſtoricus; creditu difficile eſt, potuiſſe tunc, adflictiſſimos incolas, de vrbe excitanda, ſaltem cogitationem ſuſcipere, ne dicam, opus ipſum moliri: niſi, exiſtimare, quis velit, ſparſos, per montana tuguria metallicos, metu hoſtium, intra ſiluas, quaſi ad ciuitatis ſocietatem, coiuiſſe; cum conſtet, multarum vrbium arciumque origines, ad iſtiusmodi triſtes occaſiones, referri poſſe. Id vero, ſi perſuadere nobis ſuſtineamus, in eam ſententiam pedibus eundum erit; longe, ante annum DCCXLV. *Bohemos*, ſeu *Morauos*; nam ad hos pertinuit regio; metalla hic fuiſſe ſcrutatos, tanto paſſim operarum numero, vt in ciuitatem coactæ, vrbi, ſic ſatis copioſæ, dare potuerint exordia: id quod, non habeo adfirmare. Pronius fortaſſe fuerit, ſi quid in re dubia ſtatuere velis, *Banæ*, ſiue *Schemnicii* incunabula, ad ſequentis decennii initia, referre. Nam, memorant iidem annales, poſt diſpertitam inter ſe *Hungariam* vtramque, ſexennio requieuiſſe, nouos rerum dominos, dum ad deprædandos *Morauos* hinc, ac *Bohemos*; *Styrios* illinc, & *Carinthios*, effunderentur. Sed, nec ea quidem opinatio, in vado eſt: quando, maluerunt *Hungari*, rapto alibi auro argentoque, & metallis aliis, ditari, quam inſuetas, & incerti fructus operas, aut alere, aut cum moleſtia exercere. Ergo, ſupereſt, vt in feliciora, recentioraque tempora, initia *Schemnicii*, retrahamus. quæ tamen, tunc definiuerimus, vbi, aut diplomata indepti fuerimus, aut hiſtoriarum, probatæ fidei, monumenta alia. Eædem iſtæ, quas expromſimus, difficultates, & *Cremnicii* premunt exordia, ſi ea, in annum DCCLXX. cum *Schemnicienſium* chartis illis, repoſueris: tametſi, requictos fuiſſe *Hungaros*, poſt euaſtatam *Marchiam Longobardicam*, annis propemodum decem, in litteras relatum legas. quas illi tamen ceſſationes, non ad pacis ſtudia, aut percolendam regionem; ſed ad comparandas vires

i.) Chronici Hungar. Parte II. cap. VII. pag. 32.

k.) Hiſtoria Comitatus Nitrienſis, Parte ſpec. Memb. IV. Sect. I. num. VIII. §. II.

Digitized by Google

vires, quibus in vicinos vterentur, conferebant. Denique, de ætate *Neoſolii*, rite conſtituenda, non eſt, vt ſollicitemur: deſignauimus eam, in vrbis *(l.)* hiſtoria; ſuffecerit, excuſauiſſe *Schemnicienſe* monumentum: quippe, quod, non ad primos vrbis ortus; verum ad incrementa forte, quibus, ſub initia LVDOVICI I. hoc eſt poſt annum MCCCXLII. Carolo I. emortualem, inualuit, reſpexiſſe, exiſtimandum eſt. Quidquid, de prima, apud *Hungaros*, metallorum origine dicas, eorum, equidem, antiquiorem in hiſtoria mentionem, non reperio, quam quæ in ætatem S. STEPHANI incidit. In rebus enim *Brzetislai*, apud BALBINVM, *(m.)* de triumphatis in Morauia, *Polonis*, ita lego. *Dum tertio prælio vinceret, ac fortuna vſus, Polonos omnes e Morauia profligauit. quo merito, ab* Udalrico, *Morauiam accepit, ac* Morauiæ dux *eſt ſalutatus. At, cum bellum aduerſus Cæſarem gereret, ea opportunitate, rurſus ſeſe Poloni in Morauiam infuderunt: quos iterum* Brzecislaus, *prælio victos eiecit, captoſque, maximum eorum numerum, (quidam plurima Polonorum millia fuiſſe tradunt) aut patri in Bohemiam miſit, aut* AD METALLA EFFODIENDA, IN HVNGARIAM *vendidit.* En, poſt annum MXXVI. metallorum Hungaricorum inſignem mentionem! Memorat, & bellum, & victoriam, & venditos *Hungaris* Polonos, BONFINIVS; *(n.)* ſed metalla ſilet. *Odalricus*, inquit *filium*, Brzetislaum, *Morauiæ præfecit, quam a Polonis, magna ex parte occupatam, deletis hoſtibus, in ſuam poteſtatem aſſeruit: quin & innumeram Polonorum multitudinem, qui bello capti fuerunt, in Hungariam venundandos miſit.* Ergo, floruere, ſub S. STEPHANO, metalla Hungariæ, iamque mancipia, ad operas, & emi poterant, & adhiberi: ſiue ea, *Stephanus*, primus omnium ſcrutari cœperit; ſiue pater ſuus *Geyza*. Hæc certa ſunt, reliqua habent quidem veroſimilitudinis quidpiam, ſed lubricæ tamen, atque in vtramque partem, ancipitis.

§. V.

SAtis, de dubiis *Schemnicii* originibus, dictum eſto: nunc, in primos eius incolas, indagauiſſe iuuat. *Slauis* eam gloriam adtribui oportere, ne hodierni quidem *Saxones*, qui vrbem colunt, auſint negare. Sed, quibus quæſo *Slauis?* Bifariam nos trahunt coniecturæ. Certum eſt, nempe, priſca illa ætate, hucuſque pertigiſſe *Jazyges Metanaſtas*, quod diximus alibi, *(o.)* *Sarmaticum* genus, ſermonis, qualis poſtea *Slauicus* fuit. Hæc, extra dubitationis aleam ſunt poſita: illud adfirmatu difficile eſt; etiamne, vaga natio, metallis vnquam fuerit operata. quod, ſi liqueret, poſſent, cum omnium

Primi Schemnicii *incolæ* Slaui:

quales illi diſputantur?

l.) Operis Tomo II. p. 411, ſequ. quem adi.

m.) Epitome Rerum Bohemic. Lib. III. cap. I. pag. 163.

n.) Decadis II. Lib. II. p. 193, 30. Tacet DVBRAVIVS quoque de metallis; Polonos tamen, *centuriatim, velut pecora, in Hungariam venditos*, ait. Hiſt. Bohem. Lib. VII., p. 49, 4.

o.) Hiſtoria Comitatus Liptouienſis, Parte Generali, Membro II. §. I. Tomo II. Operis noſtri, p. 546.

vrbium montanarum exortus, tum *Schemnicii* præcipue, altius, & in cana illa tempora, retrudi. Verum, quia res ea, in obſcuro poſita eſt, vix poſſis, ſine aberrationis formidine, quidquam ſtatuere. Proinde, coniecturarum alteram ſequamur, neceſſe eſt, quæ eo nos ducit, vt *Maharenſes*, qui poſtea *Morani* dicti ſunt, fuiſſe opinemur, gentem, ex *Marcomannis Quadisque* poſtea & *Slauis*, coalitam. quæ, vti bello potens fuit, ita valuit omnino artibus, ad vitam, fortiter & commode degendam, adtinentibus. Quis enim dubitarit, cum hac regione late dominarentur, cepiſſe eos, per aſpera montium, venarum, auri & argenti, indicia? Iis vero obſeruatis, procliue ad coniiciendum fuerit, non peperciſſe, ſeu operis, ſeu impenſæ: quando, id vnum agebant, vt poſſent laceſſere vicinos, parcerent nemini. quæ eorum inſtituta, opibus indigebant, & domi partis, & congeſtis aliunde. *Saxones* poſtea, redactis in ordinem *Maharenſibus Slauis*, colendorum metallorum auiditate, huc illectos aiunt, ætatem demigrationis non indicant, qui *Saxonicas* origines, & hic, data opera, adfectant. Sunt, qui a CAROLO M. in exilium huc deportatos credant, poſteaquam ferociſſimam gentem, ſemel iterumque rebellantem, perdomuit. quod tamen, an fieri potuerit, *Abaris*, ſiue *Hungaris*, regionem adhuc, magno Europæ malo, incolentibus, eſt, cur poſſis dubitare. Ergo, tardius immigrarunt, metallorum gratia, *Saxones*, atque tunc forte, cum conſtituto regno, & fidem CHRISTI accepere *Hungari*, & *Germanis*, mutuis commerciis, quin & adfinitatibus, coadunari inceperunt. Id vero, vti nec ſubito factum eſt, nec ea immigrantium copia, quæ condendis, ex more ſuo, vrbibus, ſufficeret, tenuere *Slaui*, metallici illi, priſtinas ſedes, fecereque opus, non induſtrie modo, ſed etiam, inſigni cum fructu; dum inualeſcerent ſenſim, & caput adtollerent *Saxones*. Factum inde eſt, vt non minus perpetuæ, quam acerbæ, vtrique genti, eſſent concertationes. Cultu, opibus, & metallurgices peritia, *Saxones Slauos* anteibant: hi laborum patientia, & pro regionis habitu, victus, & decora quadam morum aſperitate, ſibi placebant; tanquam, qui non adpetebant aliena, domeſticis, quas effodiebant, opibus, contenti. Singula ea, in conuicium vertebantur a *Saxonibus*: quippe qui, *Slauos* huiates, ob ſermonis ſimilitudinem, eundem, cum *Venedis*, populum rebantur, exoſum ſibi, & a *Saxonum* conſociatione, publice latis legibus, dudum excluſum. Ac proceſſit ſane eo vsque, inimica ea contentio, vt in acerbas iniurias palam erumperet. *Slaui*, auitæ ſedis confidentia, atque gentis ſuæ hominum, qui totam circum regionem incolebant, robore multitudineque, animati, *Saxones*, peregre nuper illapſos, depellendos a metallis ſtatuunt, vtque res ex animi ſententia cederet, & clam, & aperta vi, in hoſpites graſſantur. Parum aberat, quin ceſſarent operæ metallicæ, cum *Saxones* quidem *Slauorum*; hi *Saxonum* contubernia, & laborum ſocietatem, cane peius & angue odiſſent. Itaque, rem, ad eum modum compoſitum ibant,

Saxones, *quando huc illapſi? auctoris diſquiſitio:*

eorum, cum vernis Slauis, *æmulationes, ac diſſidia:*

ibant, metallici magiſtratus, vt gens vtraque, & metallorum regiones haberet diſcretas, & operarum ſeiunctas tribus. Valuit ſubitaneum conſilium, ad motos fluctus, quomodocunque componendos; non item, ad conſociandos diſſidentium animos. *Saxones* interim, ne *Slauis* cogerentur ſuccumbere, id dabant operam, vti nouis colonarum acceſſionibus, & domi inualeſcerent, & foris. Dictu difficile eſt, quantopere ea res, animos *Slauorum* fregerit: neque enim iam de principatu, in vrbe, ac metallis, tenendo; ſed de ſalute, de tutandis fortunis, curas ſuſcipiebant. Multi, æmulationis, & quæ ex ea naſcebantur, malorum pertæſi, atque hi, ex primoribus potiſſimum, fremebundi, ex vrbe demigrarunt, traxeruntque poſt ſe, reliquam multitudinem, *Saxonicæ* inſolentiæ, pro gentis ingenio, impatientem.

frangantur animis Slaui, *& vrbe demigrare ſuſcipiunt.*

§. VI.

Demigrationis eius ætas indagatur:

SLauis, ad hunc modum demigrantibus ex ciuitate, rerum, ſoli *Saxones*, potiti ſunt. Id doleas, concertationis huius tempus, neminem nos docere potuiſſe; tametſi rem geſtam, gnariſſimi quique fatorum *Schemnicii*, fide adhibita, narrarint ſæpius. Equidem, ſic reor, in ætatem ANDREAE *Hieroſolymitani*, hoc eſt, ad initia ſeculi decimi tertii, conuerſionem eam, referendam eſſe. Tunc enim, ex nuptiis LVDOVICI, LANDGRAVII Thuringiæ, cum ELISABETHA, regis eius filia, magna *Saxonum*, cum *Hungaris*, conſociatio ſequuta eſt: inuitatæ, huc & illuc, coloniæ, in primis metallorum ſcrutandorum peritæ. quæ, quod ſucceſſus, ad inuidiam vsque *Slauorum*, felices, popularibus nunciabant, noua ſubinde accipiebant, non operarum modo, ſed diuitum etiam familiarum, ſupplementa. Eo vsque autem, *Saxonum*, aduerſus *Slauos*, odium proceſſit, vt nihil dubitarint, ſenatus conſulta edere, quibus a iure capiendæ ciuitatis non ſolum, ſed etiam, ſi iis quoquomodo potirentur, a ciuicorum munerum adminiſtratione, ſeueriſſime arcerentur. Patrum hanc ſanctionem, mira contentione, adcuratione autem, plus quam Lycurgica, poſteri obſeruabant. Enim vero, nec ad viliſſima opificum (*p.*)

Saxonum, in Slauos, *odium inexplicabile!*

p.) Dabo ſeueritatis eius inſignia documenta, quæ, ſicuti pleraquæ omnia, ex publicis tabulis depromta, ſagaciſſimus rerum patriæ ſuæ indagator, JOSEPHVS RICHTERVS, vrburarius Schemnicienſis, non minus doctus, quam induſtrius, nobiſcum communicauit. *Anno* 1551. *die* 12. *Sept. Iſt den Schuſtern zugelaſſen worden, daſs ſie zur Verhütung mehreres Zanks, keinen* WENDEN *in ihre Zeche nehmen ſollen*: ſententia huc redit: *nullum* Slauorum, *ob deuitanda iurgia, ad ſutorum tribum admittendum eſſe in poſterum.* Anno 1554. d. 19. Januarii. *Iſt der Schuſter Zeche, wegen den* Slatky *Schuſters, ſo* Wendiſcher *Nation geweſen, dieſer Beſcheid erfolget: dieweil er* Slatki *von der Zech angenommen, ehe ſie die Freyheit bekommen; ſo ſollen ſie einem ehrſamen Rath ſo viel zu Gefallen thun, und ihn auff Lebezeit gedulden: nachmahls aber ſoll* kein Wende, *zu ewigen Zeiten, in die Zech genommen werden.* Nempe: Szlatkium, *ad contubernium ſutorum admiſſum, retinendum eſſe, dum ei vita ſuffecerit; poſtea vero æternum* Slauum *in eam tribum recipiendum haud eſſe.* Anno 1574. d. 12. Nouemb. *Iſt* Georgen *aus der Au, ſonſt* Gregusſowitz, *weil er Rent und Zins reichlicher giebet, als andere Mit-Bürger, und Bergwerck bauet, doch der Stadt Freyheit nichts benommen, weil er* Windiſcher Art iſt, *vergünſtiget worden, wenn er will, zehen fluck Ban-Wein, auſszuſchenken.* reliqua.

contubernia, fas putabant, *Slauos* admittere. quam, ſolertiſſimæ gentis auerſationem, vsque ad ſeculi decimi ſexti exordia, mordicus tenuere *Saxones;* dum perlata, in Comitiis anni MDCVIII. lege, (*q.*) vna cum *Hungaris*, cum ad iura ciuitatum adeunda, tum ad magiſtratus, alternis adminiſtrandos, idonei iudicarentur. Ceterum, poſt dimiſſos *Slauos*, mirifice adiuuit, res *Saxonum*, regum, erga hoſpites, benignitas: quod cernerent, nihil ad rei publicæ vtilitatem procurandam, atque ditandam in commune regionem, metallicis *Saxonum* operis, inſtitui poſſe lucroſius. Itaque, & priuilegiis donarunt vrbem, & qua ſe dabat occaſio, ornarunt beneficiis aliis. quod quantum ad rem, ſolerter gerendam, &, cum priuatas, tum publicas opes augendas, auctoramenti habeat, non eſt opus recognoſcere. Ita comparata fuerunt, conditæ nuper vrbis, incrementa, cum Andreas II. rerum potiretur. Neque deterius *Schemnicii* res habuere, ſub Belae IV. exordia; dum vix exacto luſtro, immanis illa *Tartarorum* in Hungariam impreſſio, non exercitum modo, regis ductu, ad *Sajonem* occurrentem; ſed gentem fere vniuerſam, peſſundedit. Pertigit, ſanguinolentum genus, vsque ad metalla *Schemnicii*, deleuitque incendio, non vrbem tantum, verum tuguria etiam, & metallicas paſſim machinas. Relatum accepi, a veterum ſchedarum poſſeſſore quodam, non incurioſo, metallicos plerosque, quin & ciuium partem eximiam, per puteos atque cuniculos, abditam, cladem euaſiſſe; iis admodum internecione deletis, quos, nec opinatus hoſtium illapſus, a latebris illis, crudeliter reprehendit. Vnde facile coniicias, quæ *Schemnicii*, & operarum metallicarum, eo triennio, fortuna fuerit, quo barbarus, regionem vniuerſam, populabatur. Nempe, ceſſabat minerarum eruendarum cura; tum hoſtium metu, tum famis malignitate: quippe quæ, ſi annalibus fides ſit habenda, anno MCCXLV. maiorem multo, per *Hungariam*, hominum ſtragem fecerit, quam ipſa *Tartarorum* feritas.

lege publica ſublatum:

regum Hungariæ, in metallarios Saxones, *propenſio:*

fata vrbis, ſub Bela IV. *ex impreſſione tartarica:*

peſſundatur Schemnicium *vna cum metallis.*

§. VII.

Adhæſere demum, & ciuitatis acceſſiones, & metallicæ operæ; ſaltem, procurabantur ſegnius: quando inſtaurandæ vrbi, danda fuit opera, neque exinanitum ciuibus *Schemnicium*, neceſſitati vtrique ſufficiebat. Nam, ita fuit, temporis eius ingenium, vt ſolius vrbicæ multitudinis, non item regii ſimul ærarii, colendorum metallorum, cura atque ſtudium, fuerit propria. Ergo, lentis paſſibus, ad nuperam celebritatem, & vrbi proficiendum fuit, & metallariis. Eas difficultates, vt exſuperare poſſent noſtri, Belae IV. in meliorem eluctantis fortunam, prouidentia, factum eſt. Præmiis, quibus ſolent ornari, noua coloniarum ſupplementa, illecti denuo *Saxones*, agminatim huc immigrabant. quam tamen felicitatem, bellum, cum Ottocaro, iniquiore fortuna adminiſtratum, non

Difficilis vrbis, inuita & metallicorum operum, inſtauratio:

Belæ *regis, in eam rem, prouidentia:*

q.) Articulo XIII. ante Coronationem. quem lege omnino.

Digitized by Google

non interuertit quidem penitus; ſed tamen, maiorem ad modum ſuf-
flaminauit. Hoc, in litteras meretur referri: quod, cum *Hungari* aduerſus *Germanos*, propter FRIDERICI Auſtriaci, iniurias, quas BELAE, & Transdanubianæ *Hungariæ*, iniquiſſimo tempore, atque *Tartaris* adhuc impune graſſantibus, cumulatiſſime intulerat, animo eſſent hoſtili; rex tamen *Hungarus*, inſolito adhuc exemplo, diploma, *Saxonibus* tuendis ornandiſque editum, *Germanice* curarit perſcribendum. quem poſtea morem, plures, e regibus, ſuum fecere. Prima, poſt deſæuientem *Tartaricam* cladem, regis eius benignitas, tunc erga *Schemnicium* emicuit, cum euaſtatas *Hungariæ* vrbes, ac nouis iuribus donatas, omni ſtudio, reſtaurabat. Id enim in primis, facto putabat opus, in reparanda *Schemnicii*, nupera celebritate, & cogendis iterum, ad ſcrutanda metalla, nouis coloniis. Ergo, præter, communem, perſcribendæ libertatis formulam, ad Carponenſis (*r.*) diplomatis modum expreſſam, id peculiaris iuris ciuibus eſt datum; *vt* SAXONES SINT OMNES, *&, qui partim opibus & conſilio, partim, locatis operis, rem metallicam velint ac poſſint aſſiduo iuuare.* Reliqua diplomatis capita, eo redeunt; *vt nusquam iuri ſtarent, quam apud prætorem ciuicum; peregrino loco, in cuſtodiam dari, aut compingi in vincula, nequirent; a tributis & vectigalibus, itinera huc & illuc facientes, perpetuo immunes eſſent; ſiluis, etiam his, quæ regum eſſent, ad ſuſtentandas puteorum & cuniculorum ſubſtructiones, libere vterentur.* reliqua. Hac, BELAE indulgentia, factum eſt, vt non vrbana tantum multitudo, nouis *Saxonum* acceſſionibus, inualeſceret; ſed metalla etiam, maiore, quam factum eſt antea, adcuratione, atque aſſiduitate, veſtigarentur. Hinc, vicorum, ad *Schemnicium* adtinentium, puta, *Hodrits*, *Banka*, ſeu *Schüttersberg*, & *Fuchsloch*, repetenda origo eſt; quippe quos, tunc poſitos fas eſt credere, cum aduentantes, magno numero, colonias, vrbs non caperet amplius. Ceterum, diploma BELAE regium, in leges municipales verſum a ciuibus eſt, tanta obſeruantia, vt neminem, in ciuitatem adgregarint poſtea, niſi *Saxo* eſſet, atque is quidem, haud obrutus (*s.*) ære alieno. Quod ego inſtitutum, eo fine ſanxiſſe reor *Saxones*, vt arcerent decoctores, ab interuertendis metallorum reditibus: prorſus ex ſententia ALEXANDRI SEVERI, qui, *fures a republica, metallica in primis, repellendos, & pauperandos eſſe* dixit. (*t.*) Indigent, enim vero, metallicæ curæ, iis ciuibus, quibus affatim ſuppetat, vnde, cum ipſi, vitam, ſine dolo malo, ſuſtentare, tum in refractarias operas, incertaque & fallentia lucra, procul moleſtia, impenſas queant facere; dum, & damna reparent, & diteſcant iterum, ex benignioribus metallorum venis.

diploma, quo libertas Schemnicii *redintegrabatur*, Germanice *perſcribi curat:*

eius argumentum, Carponenſi *illi ſuppar.*

abiit, in legem municipalem, Schemnicienſium.

Cccc 3 §. VIII.

r.) Exhibuimus illud, Operis Tomo II. in Hiſtoria CARPONAE, §. III. p. 247, ſequ. quod illic recognoſcas.

s.) Sapienter COLOMANNVS, Lib. I. Dec. Cap. IV. *Nullus aduena, ſine fidiuſſore, recipiatur.* quod, ſi obſeruaretur adhuc, minus impoſtorum haberent ciuitates Hungaricæ.

t.) LAMPRIDIVS, Cap. XXII.

§. VIII.

Cumulat, patris Belæ *clementiam*, Stephanus *filius*: Ladislaus Cumanus, *nepos*:

CVmulauit, hanc patris, in *Schemnicienſes* bonitatem, STEPHANVS filius, cum, non ratum modo habebat eius diploma; ſed locupletauit etiam, ex temporis habitu, non vno iure peculiari: plura benignitatis, aduerſus vrbem documenta exhibiturus, niſi mors intempeſta, deſtinationes præuertiſſet. De LADISLAI, Stephano geniti, aduerſus *Schemnicienſes*, voluntate, ſupra (*u.*) diximus, cum in vocabula, quibus olim vrbs nominabatur, indagaſſemus. Nam, ad hanc vsque ætatem Schemnicium, *Ciuitas de Banya*, hoc eſt, ciuitas *metallica*, vocitabatur. Qui hunc ſequuti ſunt reges, nihil, quod ad augendam ornandamque vrbem, adtinere putabant, reſidui fecere. Neque enim infra curas regias poſitum exiſtimabant, ſubinde inuiſere, *Schemnicium*, ſpectare mirarique operas; quin puteorum etiam profunda, inuitantibus, naturæ & artis miraculis, ſubire rimarique. Quæ res, quantum valuerit, ad ciues, metallis vnice operantes, inflammandos, acuendam curam, atque ſtudium, pronum eſt arbitrari. Hinc certe manauit, vt, quod augendis metallorum prouentibus, reges neceſſarium, ſua ipſorum docti experientia, deprehenderant, in tabulas id referrent, redderentque ciues, cum ab iniuriis accolarum tutos, tum alacres etiam, ad durum opus, eo maiore pertinacia faciendum, quo inſigniora, benignitatis regum, erga ſe, documenta capiebant. His rebus fiebat porro, vt & tunc, ſine moleſtia agerent *Schemnicienſes* metallici, cum poſt ANDREAE III. fata, ob plures regni corriuales, male haberet Hungaria. Decennium (*v.*) ea tempeſtas, ſub *Venceslao* Bohemo, & *Ottone* Bauaro, abſtulit, dum, CAROLVS Neapolitanus, rerum potiretur. Mira in eo, poſt *Matthæum* Trentſinienſem, in ordinem redactum, metallorum cura emicuit: quod, cum ex tabulis eius, quas metallicis vrbibus, fere ſingulis, liberaliter indulſit; tum ex decreto ſuo, quod vnicum (*x.*) exſtat, liquido condiſcas. In primis, haberet *Schemnicium*, quod in acceptis referret. LVDOVICO I. ſi intemerata perduraſſet, eius, in ciues, beneficentia. Vicis ille, quos hæreditario iure poſſideret, vrbem donauerat, diplomate, anno MCCCLV. feria ſexta poſt Paſcha, edito. Erant vero: *Gerod*, *Kárlik*, *Sieglsberg*, *Diln*, *Sekken*, & *Kulpah*. Ita eos, regis tabulæ adpellant: hodie: *Grad*, ſeu *Kopanicza*, *Kherling*, *Sieglsberg*, *Sekil*, *Goldbach*, vocitantur. His adde, *Kis-Iblye*, prædium, ad vrbis fines, ſepoſitum, atque nemoribus, pratis, & agro frumentario præditum: *curiam* alii fuiſſe aiunt, peculiari inſtructam iure. quod iam non diſputamus. Illud adnotari meretur, *Dilnam* quoque in *Schemnicienſium* hæredii fuiſſe cenſam: vnde erro-

ſequutorum regum in Schemnicienſes *fauor: & metallorum luſtratio:*

qua hinc in communem promanarit utilitas:

Caroli I. *erga metalla ſtudium:*

Ludouicus I. *vicis donat* Schemnicium:

in his Dilna, *ſeu* Belá, *cenſebatur.*

ris

u.) Recole §. I.

v.) Neſcio, ad hancne, vel ad BELAE IV. ætatem referendum ſit, quod refert in MSC. CHRISTOPHORVS PARSCHITVS: habuiſſe olim, *Schemnicium* officinam monetariam. quæ demum, ob aquæ penuriam *Cremnicium* ſit translata.

x.) Anno MCCCXLII. editum, in Decretis Regum, p. 45, ſequ.

ris conuincitur FRÖLICHIVS, quando montanarum vrbium vetuſtiſſimam ſcribit. *Tyllen*, inquit (*y.*) *oppidum metallis iam exhauſtum eſt, & vetuſtate reliqua vincit.* Non eſt enim ita: quando ſatis conſtat, ſeneſcente adhuc ſeculo decimo quinto, vicum, niſi oppidum mauis dicere, in poteſtate adhuc *Schemnicienſium* fuiſſe. Fidem, præter domeſticas ſchedas, quæ ſunt in vrbis tabulario, CHRISTOPHORVS PARSCHITIVS faciat: *Fuit* Belá (*z.*) *nunc montana ciuitas, Eccleſiæ Schemnicienſis filia, vsque ad annum MCCCCLXVIII. in quo, ex conſenſu Plebani Schebniczienſis (olim enim ita ſcribebatur) & Iudicis, iuratorumque, poſt varias lites & altercationes, ex diſpenſatione plurimorum bonorum virorum, eccleſia* DILNENSIS, *quæ ante filialis* Schemnicienſium *fuit, facta eſt parochialis: ea conditione, vt decimæ, quas antea Plebanus* Schemnicienſis *percepit*, Dilnenſis *iam caperet, & florenos nouem in auro, & termino biennali, Archiepiſcopo ſolueret. Plebanus autem Schebnicienſis, etiam in eiusmodi ſpatio tantum nouem florenos penderet.* Hæc ſub MATTHIA Coruino geſta fuerunt, ſuntque nobis indicio, iam tunc emancipatam fuiſſe *Dilnam*, & in oppidis regalibus, cenſam. qua de re, ſuo loco.

§. IX.

PEculiaria iſta, de quibus diximus, *Schemnicienſium* iura, editis tabulis, certatim adfirmabant ſequuti reges. In præcipuis cenſentur, SIGISMVNDI ea diplomata, quæ anno MCCCCV. & MCCCCXXV. perſcripſit: JOHANNIS Coruini, anno MCCCCXLVII. poſt, MATTHIAE filii, annis MCCCCXLVII. LXXI. LXXIX. WLADISLAI II. MCCCCXCVI. MD. MDVII. LVDOVICI II. MDXX. Et, ad SIGISMVNDI quidem exitum, læta vrbi fuere omnia, ſi incurſiones *Huſſitarum* demas, quæ ſemel iterumque, cum montanas vrbes reliquas, tum *Schemnicium*, in primis, terruerunt. Sed SIGISMVNDO fatis functo, inclinare cœpit vrbis fortuna, & partim vicinorum inuidia laborare, partim vrgeri calamitate alia: dum, ſub ELISABETHA, regis *Alberti* vidua, penitus euerteretur. Res, a capite repetenda eſt. ALBERTO, quod conſtat, vita decedenti, haud contraeunte ELISABETHA, WLADISLAVM Polonum, primores *Hungari*, in regno ſurrogauere; at profecto, præcipitatis, vti adparuit, conſiliis: quando, & reginam, maſculum poſtea enixam, & non paucos optimatum, eius electionis pœnituit. Ergo, in geminam factionem ſciſſa *Hungaria*, pupillum hi, adſcitum peregre regem alii, pertinacibus ſtudiis, ſectabantur. Montanæ vrbes in iis fuere, quæ poſthumum tuebantur, ſiue id ſponte faciebant, ſiue *Giskræ*, quem metalliferæ huic regioni, ELISABETHA præfecerat, imperio. Prolixe, eius tempeſtatis mala BONFINIVS (*a.*) exprimit, ideo hic memoranda, vt *Schemnicii* clades, eo reddatur illu-

Tabula, ſequutorum regum, quibus Schemnicienſium *iura adfirmabant:*

Huſſitarum *incurſiones ſub* Sigismundo, *terrent vrbem:*

peſſumdant quæ mortem Alberti *excepere, conuerſiones:*

eius tempeſtatis mala Bonfinii

y.) In Medulla Geographiæ Practicæ, pag. 357. Prodiit libellus Bartphæ, Anno MDCXXXIX. forma 8.

z.) *Dilna*, nimirum, Hungaris *Bila-Bá-nya*, Slauis ſimpliciter *Belá*, dicitur: haud ſane, a BELA IV. cuius auſpicio, metalla hic cœperint erui, ita adpellata.

a.) Decadis III. Lib. IV. p. 424., 32.

verbis, exponuntur: illuſtrior. *Hinc*, inquit, inaugurationem WLADISLAI meminerat, *inextricabiles totius Hungariæ factiones exortæ ſunt, hinc omnis concordia ſoluta, extemplo inteſtinæ diſcordiæ inceſſere, ſimultates & odia inſtaurantur. Conticuere leges, & conculcata iudicia, prout quemque propria libido tulerit, ita ſe gerere, quisque ſibi iudex eſſe, vim, rapinas, homicidia, paſſim agere, inimicitiæ tunc grauiter exerceri: ille magis iniurius haberi, qui minus poſſe videbatur. Aliena prædia, ſine pudore occupari, violari templorum iura, nulla denique ſacra profanaue poteſtas ſe iniuriis abſtinere*, reliqua. Atque, in primis vltimum iſtud, Schemnicium perſenſit. Fuit, in ELISABETHAE partibus, *Simon Rosgon*, Epiſcopus Agrienſis, vir, vltra quam reris, acer ac militaris; ſed, qui tunc ad *Polonum* defecit cum fratribus, quando id maxime fuit importunum: eius rei cauſſam, in reginam, BONFINIVS (*b.*) reiicit: *Rosgonæ defectionis cauſſa*, Eliſabetha *fuit: quippe quæ*, Simoni, *dum Veſprimienſis erat epiſcopus*, Archiepiſcopatum Strigonienſem *efflagitanti, repulſam dedit*, reſponditque: *Eliſabetha regnante*, SIMONEM *nunquam Archiepiſcopum futurum: contra ille, ſe viuente*, ELISABETHAM *nunquam regnaturam. Archiepiſcopatus igitur reginæ iuſſu*, Dionyſio *datus*. Auxit offenſam, quod *Giskra* (*c.*) Caſſouiæ ſimul præfectus, vicos, ac prædia, *Rosgonæ* gentis, late, per eam Hungariæ oram, ſparſa, vt ægre *Simoni* faceret, identidem incurſabat. Ergo, vt & reginam vlciſceretur, & *Giskræ* vicem referret, *Schemnicium*, Zolienſi eius præfecturæ, tunc accenſum, *Hungarorum*, iuxta & *Polonorum*, valida manu ſtipatus, inuadit, diripit, ac plurimis ciuium contrucidatis, fœde exurit. Adſeruat, funeſtæ cladis mentionem, vrbici tabularii codex memorialis, manu exaratus, his verbis perſcriptam. Anno MCCCCXLII. *venerunt alumni iniquitatis*, Simon, *epiſcopus Agrienſis de genere* Rozgon, & Ladislaus (*d.*) Czech, *filius* Petri Czech de Léva, & *properauerunt* Sebniciam, *quatuor millibus Hungarorum & Polonorum, ſuccenderuntque ciuitatem prædictam totaliter, interfectis quam plurimis ex vtraque parte. Et ſic* Sebnicienſes *dimiſerunt eccleſiam eorum, cum multis bonis, quæ hoſtes receperunt omnimode, cum eccleſiæ rebus, calicibus, crucibus, & reliquiis ſanctorum multis, & clauſtri. Hæc ſunt facta* (*e.*) *anno prædicto, feria quinta poſt Pentecoſtem, & exuſſerunt venerabile Sacramentum Corporis* CHRISTI, *in eccleſiis vtrisque, altariaque fregerunt.* Profecto impie, & vltra belluinam feritatem. Sa-

calamitatis Schemnicienſium *fons.* Simonis Rosgon, *epiſcopi Agrienſis, ab* Eliſabetha, *ad* Polonum *defectio:*

inuadit vrbem, ciues exſpoliat & opprimit, tecta exurit: facinoris deſcriptio, ex tabulario vrbis depromta:

b.) Ibidem p. 422, 47.

c.) De eius, hac iniquitate, inibi pag. 426, 41. *Quoscunque nobiles, pupilli partibus infeſtos, per delatores eſſe cognouerat, igni ferroque laceſſit.* Laudes contra GISKRAE, lege apud BALBINVM, Epit. R. B. Lib. V. c. III. p. 504.

d.) CSECHORVM genus, quod hac tempeſtate floruit, & *Zech* ſiue *Széts* ab Hungaris dici cœpit, tres tunc fratres ornabant: THOMAS, Comoræ; PETRVS Levæ, præfecti; & DIONYSIVS, indulgentia ELISABETHAE, Archiepiſcopatu Strigonienſi donatus. LADISLAVM, Petro fuiſſe genitum, ex fragmento ipſo adparet. Fuit, ceteroquin familia, originis Bohemicæ.

e.) Alii, ad annum MCCCCXLIII. feriam, poſt *Pentecoſten*, ſecundam, cladem hanc referunt; ſed erronee: nos, domeſticum illud monumentum, ſequimur.

Digitized by Google

ſacrilegam ex ſe, impreſſionem, id cum primis exſecrabilem reddidit, quod ciues, ex diei *Dominici* præſcripto, qui tunc *ſacro ſancta Triadi*, feſtus erat, rem diuinam facientes, oppreſſerunt prædatores. Nempe, dislocatis, per ſiluarum luſtra, nocte concubia, inſidiis, tunc demum in vrbem irrupere, cum die iam adulto, ad æris campani ſonitum, ignara periculi multitudo, in ædes ſacras, confluxerat. Non hic ætati, non ſexui parſum eſt. Ergo:

It, clamor cælo, reſonat plangoribus æther.

Qui ſe primo impetui ſubduxerunt, ciues, iuxta & metallici, arma ſubito corripiunt, occurſant globatim hoſtibus, manus conſerunt: dum interim prædabundus miles, publicas priuatasque ædes, ac templa in primis, peruadit, ſpoliat, ac demum, ignibus ſubditis, concremat, prædaque onuſtus, poſt longas cædes, *Lëvam*, vnde venerat, recedit. Inulta, vrbis hæc clades fuit, ciues autem, atque operas, fortunis, & omni eo adparatu, qui erat in veſtigandis metallis neceſſarius, exutos, in eam rerum difficultatem coniecit, vt precario, & quæſito vicatim pane, toto eo anno, vitam tolerare cogerentur. Sed, nondum calamitatis finis: ſequenti enim anno, qui quadrageſimus tertius fuit, ſupra milleſimum quadringenteſimum, quidquid vrbis erat reſiduum, vehementiſſimo terræ motu, concuſſum eſt penitus. In rudus, nempe, deiectæ ſunt ædes, quas, anni ſuperioris incendium, fecerat reſiduas; fodinæ autem, & harum cuniculi puteique, vaſtis hiatibus, fatiſcente etiam petrarum compage, fœde contumulatæ: vt heic quidem duriſſimi colles, depreſſæ alibi planities, ſubito confierent, paſſim autem, nihil.

auxit, Rosgonianæ *impreſſionis, arumnas, terræ motus, longe validiſſimus: eius miſeranda facies.*

Quam chaos & nigro ſqualentia pumice ſaxa
Ferali circum tumulata ruina.

Ita, memoriales, ciuici illius, quod diximus, archiui, tabulæ: *Item, ſequenti anno, feria quinta proxima, ante feſtum Pentecoſtes fuit, terræ motus magnus, ita, vt omnia montana, & plura caſtra, domusque murate, corruerent.* Non potuit, ſicuti facile coniectatu eſt, terræ hic motus, ſine multitudinis ſtrage, accidiſſe: quinimmo, non vrbem modo, ſed incolas ſimul ſepeliuiſſe, viſus eſt.

§. X.

DEletam credidiſſes, funeſtiſſimo, eoque gemino caſu, *Sebeniciam;* niſi, ita in fatis fuiſſet, vt contumulata vrbe veteri, nouæ alteri, quæ perdurat adhuc, initia darentur. Aiunt, *Palæopoleos* ruinas, ſub ipſum terræ motum, per montis præcipitium, in ſubiectam vallem delapſos, tantæ rei, occaſionem miniſtrauiſſe. Nam, edito ſic ſatis poſitu, vetus illud *Schemnicium*, inter *Fauonium*, & *Boream*, inſederat, vt in procliui fuerit, conquaſſatos muros, & horum ſaxa, in vallis ſubſitæ profundum, deturbari. quæ demum ciues, veterem vrbem, funeſtis nuper euentibus, fœdatam, reformidantes, ad nouæ huius condendæ, exordia verterint. Annum, quo

Palæopoleos ſiue veteris Schemnicii, *ruina, noua vrbi, qua ſuperat hodie, ortus dediſſe perhibent: poſitio, qua fuit, vrbs vetus: noua alte-*

rius molitio, quando caperit: molitio ea, ſi quæ tamen credi debeat, cœpit, eundem eſſe volunt, quem terræ motus, inſignem ad poſteros, effecerat, hoc eſt: MCCCCXLIII. Quod, ſi lubeat opinari, tenuia, tanti conatus, principia eſſe oportuit; cum, ob diminutum, iterata clade, ciuium, iuxta & metallicarum operarum, numerum; tum ob calamitoſiſſimi temporis, quo tunc vrgebatur *Hungaria*, difficultatem. Tametſi enim, mortua, anno ſuperiore, *Eliſabetha;* pace cum *Amurathe* inita, egregie eodem anno, WLADISLAVS I. rebus Hungaricis conſuluit; tamen, quia *Juliani Cardinalis* ſuaſu longe importuniſſimo, pax ea reſciſſa, atque perniciabile, aduerſus *Amurathem* bellum, comparatum eſt; in eam calamitatem præcipitauit *Hungariam*, quæ, poſt BELAE IV. acceptam a *Tartaris* cladem, vna omnium, & maxima fuit, & nocentiſſima: quando rege, cum vniuerſo exercitu, ad *Varnam* cæſo, peſſum itura fuerat gens vniuerſa; niſi ab ea clade, *Johannes Coruinus*, meliore fato ſeruatus fuiſſet. quod iam non (*f.*) habeo recognoſcere. Quid-

eius incrementa: quid infelicis tempeſtatis fuerit, vrſere cœpta *Sebenicenſes*, eo fortunatiore ſucceſſu, quo ditiores, in dies, venas retegebant. Itaque, ſubitis incrementis, & tunc adoleſcebat vrbs, cum orbata rege *Hungaria*, hinc cum FRIDERICO, Romanorum imperatore, illinc cum *Turcis*, vario marte, colluctaretur. *Johannes* certe *Coruinus*, qui ad gubernacula regni, ob regis pueri abſentiam, magno *Hungariæ* commodo, ſedebat, nuperæ *Schemnicienſium* cladis admonitus, peculiari ciues diplomate, (*g.*) donauit, eoque, non rata tantum habuit, quæ reges antegreſſi, *Saxonibus* indulſerant; ſed adiecit etiam,

ſitus, atque ædificiorum ratio. quæ præſens *Schemnicii* habitus, poſcere videbatur. Poſuere autem vrbem ciues, longa, ſub *Palæopoli*, & depreſſa, ab occidente æſtiuo, in ſolis ortum, valle. quam excitatis, vtroque latere, ædibus, gemino foro, quod *circulum*, ſuo vocabulo *Saxones* dicunt, ita inſtruxerunt, vt alteri ſuperioris, inferioris alteri, ex ſitus ratione, nomen hæſerit. Solido hic opere, & pro eius ætatis ingenio, atque *Gothica* ædificandi ratione, ſic ſatis eleganti, inſtructas domus videas, vt ſola ſitus iniquitas culpari mereatur: quippe quæ, luxatos hic, ſuſpenſos alibi, ædium ordines, effecit. Fori tamen ſuperioris ſubſtructiones, pulchre ſibi reſpondent, intermittuntque aream, haud quidem anguſtam, ſed in decliue tamen ſenſim deſinentem. Silanum hic veteres, nuper, coloſſum S. S. TRIADIS, ob populum peſte liberatum, poſuere, qui ita vouerant. Relatum accepimus, ab extremo vrbis, ad occaſum, vico, vallem hanc vrbicam, qua regia via deducit, vltra duo ſtadia, perpetuis domibus inædificatam, in ortum procurre-

re:

f.) Lege, triſtiſſimam cladem apud BONFINIVM, Dec. III. Lib. VI. p. 460. ad fin. Cæſus, in eo prælio fuit, *Simon* quoque *Roegon*, nuperæ *Schemnicienſium* cladis, auctor, p. 463, 33. Adeo, non ceſſat, malefactis imminere, vindex numen. Adde, PHILIPPVM CALLIMACHVM, de Reb. Geſtis WLADISLAI, Lib. III. p. 352, 10. IOHANNEM item de THURÓCZ Chron. Parte VIt. Cap. XLII. p. 150. ſequ.

g.) Supra §. IX. eius nobis fuit mentio, quod ſi legiſſe licuiſſet, multa inde, ad illuſtrandum, præſentem *Schemnicii* habitum, depromſiſſemus.

re: dum in officinas desinat, liquandis perpurgandisque metallis, factas. Capi hinc potest argumentum, quanto ambitu, vrbs tota concludatur. Nam, ab imo vallis, per vtriusque montis latera, in cacumina vsque, ædes, nullo ordine sparsæ, ac quasi suspensæ adsurgunt; horrifico, e sublimi spectaculo, quod casæ, atque tuguria istlhæc, alia aliis, ruinam minari videantur. Coloniæ metallicarum operarum, hic inhabitant, non raro confertæ adeo, vt arcto subinde tuguriolo, viceni inquilini, sine vllo morborum contagio, accipiantur. Millenas istiusmodi ædiculas, curiosiores numerauerunt, vix ab aliis, quam a metallicis, pauperrimo hominum genere, insessas. Equidem, cum, spectatam sæpius vrbis faciem, apud animum refingo, ita existimo; si omnis hæc eius moles, perlibrata quadam planitie, excitata, diditaque in longum ac latum, fuisset, nulli vrbium *Hungariæ*, vastitate fuisse concessuram. Montanas sane ciuitates reliquas, & amplitudine anteit, & metallicorum operum copia.

§. XI.

HAec, de noui *Schemnicii* exordio, atque accessionibus, dicenda erant; tametsi non desint, qui ne mentionem quidem *Palæopoleos* ferre possunt. In his, CHRISTOPHORVM PARSCHITZIVM lycæi huiatis, olim moderatorem, retulisse sufficiat. Ita vero ille (*b.*) *In colle vicino* Scharffenberg, *exstructa est specula, ad obseruandas hostium irruptiones. In altero viciniori, qui Boream respicit, visuntur rudera arcis, seu propugnaculi, vbi* Schemnicium vetus *fuisse situm quidam*, sed perperam, *statuunt.* Vtinam adtexuisset, quas habuit, dubitationis rationes, vt iis, cum cura subductis, vel repudiari, vel adfirmari potuisset, peruulgata apud omnes, de *Vetere* ac *Nouo Schemnicio*, fides, an opinatio. Quid, de re tota sentiam, more meo, hoc est, aperte, ac sine iurgio, expromturus, ita reor: si fuit vetus aliquod *Schemnicium*, altius eius occasum retrudi debere, quam est annus seculi decimi quinti XLIII. Tunc vero, *Neapoleos*, quæ superat hodieque, ortus, tanto erunt antiquiores, quanto profundiorem *Palæopoleos* ætatem, atque interitum, statueris. Saltem, illata, *a Simone de Rosgon*, vrbi clades, vix ac ne vix quidem congruit, cum veteris *Schemnicii* habitu; quippe, quum templa, quæ igni exusserunt prædatores sacrilegi, nulla fuerunt, in vetere vrbe: sicuti consultissimi antiquitatum *Schemnicienſium*, fateri haud dubitant. *Vehementi*, inquit, diligentissimus rerum *Schemnicii* compilator, IOSEPHVS RICHTER (*i.*) *dubitationi locus relinquitur, num vnquam ædes sacra in vrbis huius sinu, exstiterit: quum Parochialem, quam nominamus in arce, innocentis nominis, vetere, perpetuo a ciuibus obseruatam*,

An fuerit reuera, vetus aliquod Schemnicium, *cum ratione dispiciatur?*

auctoris aequissimi sententia:

b.) In Historia Comitatuum MSCr.

i.) In MELETEMATE HISTORICO, de Libera Regia Montanaque Ciuitate SCHEMNICIENSI §. XIV. quod is, curis nostris, quas describendæ patriæ adsidue impendimus, docte non minus, quam liberaliter velificaturus, & conscripsit, & insuetato, inter ciues nostros, exemplo, vltro ac lubens, ad nos misit, vt commentaria nostra redderet luculentiora.

tam, luculenter conſtet. Iam, ſi nulla ei vrbi fuit ædes ſacra, nulla etiam, exſpoliari concremarique poterat. Quid? quod, cum *Capella D. Nicolai*, anno MCCLXXV. *Ordini Prædicatorum*, indulgentia LADISLAI CVMANI, per manus traderetur; iam tum in vetere arce, quæ occiduum vrbis collem hodieque inſidet, *Parochialis* eccleſia, honori *B. Virginis* dedicata, ſuperabat. Quod ſi eſt, ſicuti eſt omnino, & nos infra docebimus, veteri, quæ adhuc exſtat, arci, iam tum *Schebnicia* fuit coædificata. Quid vero ruderibus illis faciemus, quæ vulgo *Palæopoleos* nomine inſigniuntur? Nimirum, *Germanica* adpellationis vocabulo, ea tuebimur: vt ſit nobis, *Die Alte Burg*, nam ita vaſtitatem illam, & parietinarum reliquias, *Germani* vocitant. Ergo, arx fuit olim, ſed originis, atque ætatis, incognitæ. quam, ſeu *Tartaricæ* impreſſiones, ſeu bellorum caſus alii, peſſundederunt. Excitatam vero arbitramur, vt eſſet præſidio vrbi, per vallem ſubſitam & montium latera, ſparſim exædificatæ, neque munitæ operibus. Hæc noſtra, de *vetere Schemnicio*, ſententia eſt. quam, ſicuti nemini obtrudimus, ita, non eius adeo ſumus tenaces, quin meliora certioraque promentibus, lubenter concedamus. Ne vero ſitus arcis veterrimæ, ignoretur, imaginem eius in compendio dabimus, laudati nunc RICHTERI verbis, adumbratam: quæ ſic habent: PALAEO SEBNICIA, *etſi in edito commendanda, in mediis fundata rupibus; conuulſa tamen, in conſpectum cadit. In hac vrbe conſtruenda, natura aque ac induſtria, & fortuna contendebant. Inter boream & fauonium exſurgit ſaxum, atque protenditur, cuius reſecto vertici inſedit, quæ nuncupanda eſt* PALAEOPOLIS. *Illa proinde mater magna, eo latere, quo vrbs occidentem conſpicit, rupem greſſui obtulit intemeratam, altero tamen ad orientem mitiore. Vehebat ſecum aquas, & ſcatebat fontibus, ſterilis alioquin ſilex, vt beneficio vrbis maximo prorumperent, ſcatebra ſemper emicante. Hodiedum illi aquis rutilis obſtrepentes viſuntur. Amœnitas loci florida tempe in cacumen retulit, & cum aeris temperie grata, præclarus longe lateque proſpectus ſeſe commendabat. Operoſo labore, arte etiam aduocata, opera munitionesque, pro tempore illo, mirifica ſunt effecta, vt moles magnifice ſurgeret, vrbemque ſepiret. Vallabant eam mœnia & propugnacula, hæcque vallum & foſſa circummuniebat, quæ ex ruinis non obſcure colliguntur.* Hæc ille (*k.*) Vtinam vero, quam longe lateque ſederit, vrbs hæc, ad menſuram deſignauiſſet, vir ſcitiſſimus; vt indicium inde capi poſſet, arciſne potius, quam vrbis rudus ſit dicendum. *Cœmeterium* eidem adſitum fuiſſe, idem meminit, quod, ne hodie quidem ceſſent, furtiuis ſuffoſſionibus ſcrutari, theſaurorum cupidi. Non raro ergo, vrnæ & oſſa, inuſitatæ magnitudinis, effodiuntur. Id ſingulare eſt, quod memorat: vas ſtanneum, a clandeſtinis iſtiuſmodi operis, effoſſum, & ad claros gente *Reüteros*, deportatum fuiſſe. Erat id ſollicite obturatum, cumque diſſolueretur, orificium habebat, cruſta, ex *tarta-*

priſcum illud rudus, vetuſti cuiusdam propugnaculi, veſtigium eſt, non vrbis:

eius poſitio, ſcite a Richtero, *deſcripta:*

cœmeterium adſitum, vrnas habet, & inuſitatæ magnitudinis oſſa.

ro

k) Ibidem, & *paragrapho* eadem, quam excerpſimus,

ro vini enata, probe munitum: vt neque vas conceperit vitium, neque vinum, pluribus ſeculis defoſſum, redditum ſit inſipidum. Singula hæc, indicio ſunt, alienos a fide CHRISTI gentiles, arcem hanc vrbemue, olim coluiſſe. (*l.*) Sed iam, ad vrbis fata, porro memoranda, redeamus.

§. XII.

INueterata odia litesque, vrbi fuerunt, cum præfectis arcis *Saskó* quæ ſupra fanum S. *Crucis*, Grano impendet. Late eius poſſeſſores, montana hac ora, dominabantur, neque poterant, vrbium montanarum, *Schemnicii* cum primis, incrementa, æquo animo tolerare. Ergo, inuidia primum, vrbem onerare; mox & quæſitis obtentibus, inferre iniurias; denique aperta vi, graſſari in ciues, occipiunt. Vetus erat malum, quodque iam tum LVDOVICO I. rerum potiente, ingentes vires ſumſerat, quibus retundendis, cum ſe impares viderent, *Schemnicienſes*, opem a rege implorare cogebantur; quam & tulit ſane, diplomate, anno MCCCLII. *feria VI. poſt Octauas Paſchæ*, perſcripto. Moderabatur tunc arci, LADISLAVS quidam *Zubonya*, (*m.*) homo ferox, & ad laceſſendos vicinos, longo violentiæ vſu, mirifice audax. Prædia ille, vicosque, peculiari iure *Schemnicio*, a regibus adſcriptos, ſuos fecerat. Id, dum ferre nollent ciues, vim vi repellendam ſtatuunt, ad arma conclamant, prædatori occurrunt. Neque ſegnior *Zubonya*, ciues, forte ad vicum *Kherling* (*n.*) excubantes, infeſtis armis inuadit. Pugnabatur vtrinque acriter, & magna virium contentione; ſed iniquiore *Schemnicienſium* fortuna: dum, cædis auctor, data acceptaque clade, receptui ante cani iubet, quam vrbica multitudo, ſuppetias, laborantibus ſuis, ferre poſſet. Collecta, in tumulum, cæſorum cadauera, nomen martio illi campo, fecerunt. Nam hodieque, *Zu den todten Beinen*, hoc eſt: *ad emortua oſſa*, vocitatur, quæ, ſuffoſſorum auiditas, theſauros, in eo tumulo veſtigantium, retexit. Has proinde iniurias, cum apud LVDOVICVM I. pro eo, ac ferebat rei grauitas, ciues quererentur, *Ladislaum* ille, non vrbicis modo poſſeſſionibus, ſed *Saskói* etiam dominatione, deturbauit: *Schemnicienſes*, iure, quo potiti ſunt antea, ſine querela, vti frui iuſſit. Regis hæc ſeueritas, eo tunc valuit, vt placidius, *Zubonyæ* ſucceſſores, cum *Schemnicienſibus* agerent. Eo vero fatis functo, recruduere priſtinæ illæ iniuriæ, eo vsque, vt ne viciniſſimum quidem vrbi rus, ſine cæde, tueri potuerint ciues. Nempe, tempora ingruerant, mutuis rapinis infamia. Haud tamen iuribus ſuis ceſſerunt noſtri: capeſſebant enim ſe-

Schemnicienſium, *cum præfectis* Saskóii, *& horum iniquitate, concertatio;*

Ladislai Zubonyæ, *iniuriæ;*

initum, cum ciuibus prælium, & horum clades;

Ludouici I. *in* Zubonyam *animaduerſio;*

eo mortuo, increuit Saskóienſium *effrena auiditas;*

l.) In huius Cœmeterii vicinia, ſecturam æràriam fuiſſe, inibi, his verbis, legimus: *Ferunt, prope fuiſſe ſecturam aràriam, in qua metallariorum veſtibus, limus adhæſit, qui abraſus, non exiguum auri præbebat, vt ab abradendo, nomen* Schabab, *reſultaret: nobile ſane, ſi qua fama circumfert, comprobaret quoque.* Ego, ex ſepulchrorum vicinitate, & Germanorum vulgato illi prouerbio: *Ein Tuch ins Grab, damit Schabab*, id nominis enatum arbitror.

m.) Fatale, & inuiſum cognomen; *dentatum* enim *Slauis* ſignificat: ac, lacerauit ſane, dentatus ille, res *Schemnicienſium.*

n.) Eius nunc, ne veſtigium quidem ſuperat,

mel atque iterum arma, neque dubitabant, cum adgreſſoribus, digladiari; dum ad incitas redacti, non iam de vindicandis vicis; ſed de vrbe, & circumfuſo ei agro, adſerendis defendendisque, ſolliciti eſſe cogerentur. Itaque, cum vnicum, in precibus, quibus regem fatigarent, præſidium quærunt ciues, eæ vero repetitæ ſæpius, in irritum cadunt: quando non ceſſabat *Saskőienſis* præfectus, *Petrus Köhler*, quæſitis obtentibus, *Sigismundum*, in partibus ſuis retentare; nihil habebant reſidui *Schemnicienſes*, quam vt iteratis, per annorum interualla, *Interceſſionibus*, quas *proteſtationes* (o.) vocamus, vetera ſua iura, coram *Sigismundo* irent adfirmatum. Sed, quam inanis ea fuerit prouidentia, inde poteſt colligi, quod ne tunc quidem tutis eſſe licuerit *Schemnicienſibus*, cum per *Hungariam*, alta pace refouerentur omnia. Præerat *Saskőio*, anno MCCCCLXIX. *Ladislaus Uppory*, vir, ſicuti adparuit, non is quidem iniquus; ſed tamen, vltra omnem modum eorum tenax, quæ ab antegreſſis heris acceperat. Solemne iis, quemadmodum vidimus, fuit, vt, qua ſe dabat occaſio, res *Schemnicienſium* arctiores, ſuas contra, auguſtiores facerent. Quam ille conſuetudinem, oppido prauam, ne permitteret exoleſcere; hic ſiluis, pratis alibi, & agro prohibere, quin & per itinera, ciues infeſtare cœpit. Serpebat malum eo vsque, vt, cum rex MATTHIAS in *Morauiam*, cum exercitu, profectionem compararet, neque ideo, adflictis *Schemnicienſium* rebus, mederi ſubito poſſet, lis omnis, & natæ inde calamitates, a delectis arbitris, conſopiri debuerint. In his fuere, præter montanarum vrbium, CREMNICII, NEOSOLII, *Ujbánya*, *Bakabánya*, & *Dilna* legatos, *Vitus Mühlſtein*, Vetuſolii, *Petrus Choruáth*, Lietavæ præfecti, & *Stanislaus de Koschaticz*. Sententia, mutuo conſenſu adfirmata, ſic habuit: *Daſs die Herren von der Schebnitz und gemein, alle Gerechtigkeit haben ſüllen, in Welden, Wysmath, Eckern, Strewchen, Wegen und Stegen, als ſie die vormahls gehabt habn: und zal* Herr Uppori Laslaw, *nu und zukunfftigen Zeiten niechts handelen noch thuen in keinerley Weyſe.* Quæ latine reddita, ſic erunt: *Dominos de* SCHEBNICIO *& communitatem, omnia iura habere debere, in ſiluis, pratis, agris, dumetis, viis & ſemitis, quibus antea gauiſi ſunt: contra quæ Dominus* LADISLAVS UPPORY, *nunc & futuris temporibus, nihil quidquam agere facereque poſſit, vllo vnquam modo.* Egregie hæc ſanciebantur. BEATRIX (p.) interim regina, vicos, quorum poſſeſſione *Schemnicienſes* pridem exturbarant *Saskőienſes* heri, DAMIANO cuidam, credo *Upporii* ſucceſſori, ſuo quodam iure, donauit. Tunc vero demum, ſpes, recuperandæ ditionis vrbicæ, prorſus intercidit: neque ex diuitibus hærediis ſuperabat quidquam, præter *Kis-Iblye*, diues pratis & agro frumentario, prædium, periturum & id, poſt luſtra decem. Illud miror, quod cum MATTHIAS

Petri Köhleri, *violentia & adhibita apud* Sigismundum *regem fraudes, peſſundant* Schemnicienſes:

Ladislai Uppory, *ſub* Matthia, *aduerſus* Schemnicium *iniquies, & damna edita:*

ſiſtuntur, adhibitis arbitris:

Beatricis *regina aduerſus* Schemnicienſes *duritiei:*

o.) Quinquies id feciſſe miſeros, eius ætatis monumenta, condocent.

p.) Nempe, DOMINAM ſe geſſit Vrbium Montanarum BEATRIX, nuptiarum credo, iure.

THIAS ipſe, atque BEATRIX ſua, anno MCCCCLXXVIII. *Schemnicium*, ac montanas reliquas, adiiſſent, non poſuiſſe modum, ciuicis iſtis calamitatibus: de hoc ad *Schemnicienſes*, regis ac reginæ, aduentu, ABRAHAMVS BAKSAI (*q.*) Ceſſit, MATTHIAS *Auſtriæ*, inquit, *reuocatisque in Hungariam exercitibus, ac vna cum maxima aulicorum manu, reginaque* BEATRICE *ſua, animum recreandi gratia, vrbes locaque præſtantiora, luſtrat, vxorique oſtendit. Ciuitates montanas, vbi educendi e fodinis metallicis, auri & argenti, item molendi, diuidendi, conflandique modum, nunquam antea ipſis viſum, admirantur: in primis* SCHEMNICII, *ciuitate, iuſtitia, fide in ſuum regem, conſtantia, opibus, auctoritate, gloria & dignitate, celebri.* Nempe, ita fortuna ſolet, vt, quos bonis ſuis exſpoliare ſemel cœpit, non ante deſinat nouercari, quam penitus redegerit ad incitas.

nec quidquam mali Schemnicienſium *moderatur* Matthiæ, *cum regina, ad vrbem aduentus.*

§. XIII.

DEſæuiiſſe procellas, quas toties vicinorum maleuolentia, in *Schemnicienſes* effudit, fas erat credere: cum nihil, quod inuideri poſſet, præter retruſa, per ima terræ, metalla, adflictis ciuibus ſupererat; ſed, adeo, poſt MATTHIAE in primis *Coruini*, exceſſum e vita, non ceſſarunt eſſe vrbi graues ac damnoſi, qui id, maiorum inſtitutis, edocti fuerant agitare; vt viſi etiam ſint, eo furere impenſius, quo magis WLADISLAI Poloni, oſcitantia, id ſibi indultum, exiſtimabant. Adflixit ea licentia, ſummos & imos, atque adeo in vindictam animauit, vt non ante ceſſarint, precibus apud regem agere, quam aut ipſe obuiaret furori, aut ſibi permitteret, cum legibus non liceat, priuato quodam belli genere, hoſtes ſuos experiri. Fecit hanc poteſtatem ciuibus WLADISLAVS, anno MDI. qua tamen, vix vſos *Schemnicienſes* putarim: quippe, re foris male geſta, domi, nunquam ſecuritate fruituros. Atque, fuit omnino *Schemnicienſium*, in primis ſtudioſus WLADISLAVS, tum ſuapte, tum rei metallicæ præfectorum conſilio: quibus, nihil, ſeu prius fuit, ſeu antiquius, quam vt, metallicas vrbes, non ſartas modo tectasque, ſed perpetuis etiam incrementis lætas, efficerent. Non poterat, poſt *Roſganianam* eam cladem, qua ſub poſthumo adflictam diximus, ad priſtinæ fortunæ modum vrbs refloreſcere: tametſi, in ea reparanda. IOHANNES, & MATTHIAS, Coruini, nihil fecerint reſidui. Exeunte, nimirum, ſeculo XV. cognitionem inſtituit, WLADISLAVS, omnium earum calamitatum, quibus, ſiue priuatim, a vicinis, ſiue publice, a graſſatoribus, adfecti fuerunt ciues. Ergo, vocari oportuit in quæſtionem, hinc violatores publicæ ſecuritatis, illinc teſtes miſeriarum, quæ maleficentiſſimorum hominum irrequiete, vrbem peſſundederunt. In iudicibus, *Georgius* de *Rádvány* cenſus eſt, vir inſigniter æquus, &, cum opulentus, tum multarum clientelarum. Euictum denique fuit, conſenſione

Recrudeſcunt illata Schemnicienſibus, *iniuria:*

ciuium, apud Wladislaum, *querela, ac preces:*

eius, ergo Schemnicienſes *ſtudia:*

cognoſcit de ciuium iniuriis, per iudices:

4.) In Chronologia Regum Hung. p. 927. Adde BONFINIVM Dec. IV. Lib. V. pag. 600, 27. ſed ſine mentione *Schemnicii.*

one omnium, peſſum iiſſe *Schemnicienſium* rem publicam priuatamque, cum odio & incurſionibus adcolarum, tum hoſtium maleficio. Dabimus *faſſionis* iſtiusmodi fragmentum: *Iudex, & iurati oppidi* Sebechleb, *item ciues de* Dobroniua, Németh Bubaczéky, Szent Antal, Princzfalua, Perg &c. *& quidam inter eos faſſi ſunt, quod* Schemnicii *non ſolum propria priuilegia ciuium, eiusdem ciuitatis; verum etiam priuilegia aliquorum nobilium, ibi in Clauſtro Fratrum Prædicatorum, cauſa tutioris conſeruationis depoſita, combuſta & ignis voragine conſumta extitiſſent*, reliqua. VALENTINVS TREÜTLER, *iuratus ciuis Carponenſis, eodem modo, faſſus eſt; ſcire ſe, quod diſturbia, ac guerra in hoc regno, poſt mortem præfati quondam Domini* ALBERTI *regis, ortæ fuiſſent, & per annos triginta duos, citraque vel vltra continue duraſſent, & ciuitatem adflixiſſent.* Verum enim vero, tardum fuit, inueteratis malis remederi; quando, & omnium, & ſingulorum culpa, non iam ſenſim, ſed præcipitato caſu, in exitium ruebat Hungaria.

vicinorum, eam in rem confeſſio:

euentu meliore fruſtratus.

§. XIV.

HOc, inter tot mala, dignum admiratione eſt, quod eruendorum metallorum curam atque ſtudium, haud migrarint, ſeu ciues, vndiquaque adflicti, ſeu hi, qui ſumtus fodinarum, pro ſua quisque ſorte, ex pacto ſuſtentabat. Nempe, ita reor, præfectos metallici ærarii, id ne fieret, data opera, cauiſſe; qui tunc, vti viri graues, ita rationibus fodinarum penitus innexi fuerunt. Erant vero, exeunte ſeculo decimo quinto, ineunte decimo ſexto, hoc eſt, anno MCCCCXCVIII. vsque ad annum MDIII. *Petrus Scheider*, & *Matthias Tenzler*; poſt hos, vnius forte anni curriculo, *Seifridus*, ſiue *Seuerinus Piesch*; ac tandem anno MDIV. & qui hunc conſequuti ſunt, *Iohannes Thurzo* (*r.*).vir, & principi gratioſus, & cum priuatis opibus, tum publicis clientelis, vltra, quam reris, potens. Horum itaque, cum monitionibus, tum prouidentia, & tunc ſolertiſſime in opus incumbebant noſtri, cum inuidioſius ſecum agerent vicini. Reliquum, ſub WLADISLAO, temporis, ſic ſatis feliciter exegere *Schemnicienſes*. Inualuerant iam apud regem gratia *Thurzones*, ALEXIVS potiſſimum, GEORGIVS, & quem nunc laudauimus, IOHANNES. qui, cum omnes, tum ſinguli, adſcitis in ſocietatem *Fuggaris*, opulentiſſimis mercatoribus; poſtea, Comitum prærogatiua donatis; rem metallicam omnem, & procurabant prudenter, & ſuſtentabant liberaliter. Id vero, & tunc pergebant facere, cum anno MDXVI. viuere deſiiſſet WLADISLAVS. Vt rex impuber, gubernacula regni capeſſiuit, parum aberat, quin *Fuggarorum*, atque *Thurzonum*, metallica hæc ſocietas, diſſueretur. Atque, ſic profecto euenisſet, niſi *Hieronymus Balbus*, (*s.*) *Georgio* Quinqueeccle-

Schemnicienſium, *& inter conſertiſſimas calamitates, in eruendis metallis, adſiduitas: præfectorum prouidentia, & curis ſuſtentata:*

Thurzonum, *de vrbibus metallicis, & harum operis, efficax ſollicitudo:*

Fuggarorum, *cum* Thurzonibus, *ſtabi-*

r.) De IOHANNE hoc THVRZONE, diximus, profeſſa opera, in Hiſtoria Comitatus Aruenſis, ad arcem cognominem §. XXI. quam infra vide, Tomo hoc IV.

s.) De HIERONYMO BALBO, viro laudatiſſimo poſteaque *Piſonienſi Præpoſito*, egimus fuſe curateque, Operis huius T. I. Hiſt. vrbis Piſon. c. V. Art. VII. §. VI. ad X. p. 550.

cleſienſi epiſcopo, ab epiſtolis, regi ab informatione, retentaſſet, iam iam ſeceſſionem facturos, conſolidaſſetque, initum, metallici cultus ac quæſtus cauſſa, ſodalitium. Non piget adſcribere epiſtolam, quam BALBVS, ad *Jacobum Fuggerum*, inſtitorem Auguſtanum, in eam rem dedit, vt conſtet, quibus tunc promachis, & defenſabantur metalla, & qua tractabantur ſollicitudine. Sic autem habet: *Magnifice Domine, Amice honorande! Vetus mihi, cum Dominis* Thurzonibus, *& pluribus officiis, vltro citroque corroborata manet coniunctio. quam credo, D. V. minime eſſe incognitam; nec ipſi, vt puto, inficiabuntur, me, in negotiis, quæ per eos in Hungariæ regno, circa cultum montanarum pertractantur, difficillimis temporibus, vſui & protectioni ſæpe numero fuiſſe, nullumque in ipſis, & promouendis, & honeſtandis, tempus, aut occaſionem prætermiſiſſe. Qui, cum multiplici nexu (t.) tam adfinitatis, quam cognationis ſunt D. V. deuincti, mihi perſuadeo, quæcunque a me in eos ſunt profecta obſequia, eadem quoque D. V. fuiſſe impenſa. Quapropter, licet nulla mihi cum D. V. priuata interceſſerit conſuetudo, & duntaxat ex facie, & breui quodam colloquio, idque ſuperiori biennio habito, ſit mihi nota; tamen, perinde exiſtimo, ac ſi omnis ea neceſſitudo, quæ eſt mihi cum* Dominis Thurzonibus, *cum V. etiam D. mihi interceſſiſſet. Quo minus eandem mirari oportet, ſi nudis & apertis verbis, id litteris ſignificabo, vnde, non parum, his Hungaricis negotiationibus, momenti pendere, cognoſco. Compertum habeo,* D. Alexium Thurzo, *eius eſſe ſententiæ, vt ab ea ſocietate, quam cum aliis ſuis fratribus, & cum D. V. in cultura metallorum habuit, ſe penitus ſeparet, & ſequeſtret: idque, ita ſe habere, certiſſimis mihi conſtat documentis. Quod quidem ſi fuerit, in maximum diſcrimen & difficultates, commercia, quæ D. V. hic in Hungaria gerit, adducentur. Nam, & ſuperioribus annis, inter tot procellas & fluctuationes, quæ ingruerunt, ſi eius opera induſtria & auctoritas, non opitulata fuiſſet, vix hæ res ſalua & integræ hucuſque permanſiſſent. In præſentiarum vero animaduerto,* Sereniſſimo rege LVDOVICO, *Domino meo gratioſiſſimo, pupillarem ætatem agente, quot & quanta pericula, quot motus & varietates, in hoc regno, in dies, magis magisque ſunt erupturæ: quot etiam difficultates, in hac ipſa eruendorum metallorum ratione, ſuperſunt; ad quas arcendas, & propellendas, neminem, ex his fratribus, præter* Dn. Alexium *fore idoneum, qui, & commercium linguæ Hungaricæ callet, & in hac aula, maxime eſt verſatus; ad vnius cuiusque ſtudia etiam & voluntates, facile ſe accommodare poteſt; iamque non parum auctoritatis & gratiæ, apud optimum & potentiſſimum quemque ſibi comparauit. Nec illud in extremis duco: nam Reuerendiſſimus meus (u.)* Quinque-Eccleſienſis, *penes quem eſt hoc tempore ſumma rerum, vbi videbit, hunc ſuum adfinem, & cuius præcipue*

lita, ope Hieronymi Balbi, *ſocietas metallica:*

Balbi, *ad* Iacobum Fuggarum *in eam rem memorabilis epiſtola.*

t.) Meminimus adfinitatem eam, in hiſtoria THVRZONVM, in Comitatu ARVENSI, in arcis cognominis deſcriptione, §. XVII. & §. XXI.

u.) Fuit is, GEORGIVS SZAKMARI, de quo in Hiſtoria Comitatus Baranyenſis, dicendi erit locus; puta, ad Quinqueeccleſias, in catalogo Epiſcoporum, numero XXX.

cauſſa ac contemplatione eam ſuſcepit tutandam, ab hac ſocietate eſſe ſequeſtratum; vel hanc curam penitus abiiciet, vel lentius tepidiusque aget. Quorum vtrumque, quam ſit rebus his periculoſum, D. V. pro ſua ſingulari prouidentia, facile poteſt coniectare. Idcirco, ſententia mea eſt, vt D. V. vnde hac pendet ſocietas, eum ab hac opinione auerteret, & ad priorem conſuetudinem reuocaret. Nec puto, in tanta re eſſe curandum, etiamſi quid extraordinarii, & cum aliquo leui D. V. incommodo, ei foret concedendum: praſtat enim aliquid ſubire moleſtia, quam inſignem adeo negotiationem, in apertum diſcrimen adducere. De his, liberius, pro meo ingenio, D. V. ſcripſi; quæ, ſiue adprobentur, ſiue non, ſciat tamen D. V. ab optimo & ſinceriſſimo amico, & cupido honoris & emolumenti D. V. eſſe profecta: me autem vera & explorata ſcripſiſſe, euentus ipſe monſtrabit. Si quid vero contigerit, vbi D. V. videnr, me ſibi, aut ſuis, poſſe morem gerere, (dummodo id mihi ſignificet) omnem operam & induſtriam, pro mea tenuitate, dabo, vt omne ſinceriſſimi animi, & D. V. deditiſſimi, munus expleam, reque ipſa D. V. experiatur, nihil mihi eſſe optatius, quam eidem plurimum officii, & beneuolentiæ, impertiri. Budæ, die XXVII. Maii, A. MDXVII. Hucusque Balbi epiſtola, ex qua condiſci poteſt, qua tunc, in procuranda re metallica, & conſilio valuerit *Alexius*, & ope; quique, ea tempeſtate fuerint, quorum patrocinio, non minus *Schemnicium* fruebatur, quam vrbes montanæ reliquæ.

§. XV.

Ludouici II. *ergastellarios* Schemnicienſes, *benignitas*:

CEteroquin, fauiſſe Lvdovicvm ipſum, rei metallicæ vniuerſim, non vno id diplomate (*v.*) condiſcas. Præerat, cum imperio, metallis, *Bernhardus Bohemus*, vir, in procurandis reditibus, ſic ſatis ſagax; ſed iis ſocietatibus, (*x.*) quæ in operas ſumtus faciunt, non vndiquaque æquus: quippe, libertati & prærogatiuæ, honeſtiſſimi ordinis, varie inſidiatus. Vetere iure, (*y.*) in *Vrburariorum* poteſtate fuit, cum munera metallurgica alia, tum *Docimaſtæ* (*z.*) in primis, iis mandare, quos, ad id operis, maxime credebant idoneos. Hanc ille poteſtatem, vti ſuam vnice faceret, non alias modo, ſed anno in primis MDXXIV. vehementer elaborauit. Ergo, habito comitiolo, regi eam iniuriam repræſentandam, vrbes montanæ, conſtituunt. Benigne querelam accepit Lvdovicvs, mandauitque *Bohemo*, vti ſe abſtineret impoſterum, ab hoc, alioue, iniuriarum genere. *Mandamus fideli noſtro, egregio* Bernardo Bohemo, *Comiti Cameræ noſtræ moderno, quatenus præattactos ſubditos, prædictarum ciuitatum noſtrarum montanarum:* Schemnicienſis *videlicet*, Cremnicienſis, Biſtricienſis, Bakabanyenſis, Montis Regii, Ujbanyenſis,

reprimit, Bernhardi Bohemi, *Camera præfecti, iniurias*:

& nobis græce Συνίγυς, vocare placet.

v.) Tale eſt, quod anno MDXX. liberaliter perſcripſit.

x.) Germanis, *Die Gewerckſchafft*. Latini, cum Apvlejo, *Cooperatores* forte, dicerent:

y.) Hos *Wald-Burger* adpellant.

z.) Inſigne munus: quippe quod, experiundis igne venis, deſtinatum eſt.

& Bresnenſis, *in electione hominis, ſiue* Probatoris *eorum cuiuscunque, nullo modo impedire debeatis:* verba ſunt litterarum regis. Aduertat lector animum: *Schemnicium*, primo, inter metallicas vrbes, loco, poni: quod ſane, peculiaris dignationis argumentum eſt. Eundem hunc ordinem, ſæpius poſtea reges *(a.)* tenuere, ſi quid peculiaris, perſcribendum, mandandumue, montanis ciuitatibus, volebant; id quod tamen, nihil derogat, de prærogatiua *Cremnicienſium*, quam, priſca obſeruantia, metropolim fecit metallicarum ciuitatum. Alioquin, ea vrbis, iam tum, ætate LVDOVICI, egeſtas fuit, ex *Sáskóienſium* præfectorum iniuriis, vti fas eſt exiſtimare, contracta, vt, neceſſum habuerint ciues, regio *(b.)* ſe diplomate, quod *moratorium* iura patriæ, *Eiſenbrieff* Germani vocant, aduerſus vſurarios tutari.

præcipua, ea occaſione, vrbis Schemnicienſis, *dignatio:*

vrbis, temporibus Ludouici II. *paupertas.*

§. XVI.

LVDOVICO demum, ad *Mohácſum*, cæſo, perculſum quidem fuit *Schemnicium*, ſanguinolentiſſimi hoſtis formidatione; quia tamen, mutua, cum reliquis montanis, conſenſione, FERDINANDI, contra IOHANNEM de *Zápolya*, partes, tempeſtiue amplexum, domeſtici annales meminerunt; tantum abeſt, vt, ſeu ciuitas, ſeu metallicæ operæ, damni quidpiam inde, acciperent; vt potius, nouæ, ex triſti conuerſione illa, & vrbi, & vniuerſo metallicorum ordini, libertatis acceſſiones, enaſcerentur. Si quis enim regum, FERDINANDVS profecto is fuit, qui impenſiſſime curari voluit metalla. Atque exſtant omnino, benignitatis eius, inſignia, erga *Schemnicienſes*, documenta; publice non minus, in ciues vniuerſim omnes; quam priuatim, in hos illosue, edita, quorum operam in eruendis metallis, habuit cognitam. Quo vero, inſignior, regis optimi, aduerſus vrbem, & indefeſſas eius operas, fuit propenſio; eo calamitoſiora, cum *Hungaria* toti, tum *Schemnitio* in primis, tempora incubuerunt. Præterquam enim, quod ciuile, inter vtrumque regem, bellum, diu, magno regionis malo, trahebatur; *Turcæ* profecto, ſanguinolentum genus, vix vnquam, a graſſationibus ceſſabant; in ipſas aurarias has valles perrupturi, niſi validis circum *(c.)* præſidiis, crudeliſſimæ, ac prorſus exitiales impreſſiones, nunc retardatæ, nunc frequenti hoſtium cæde, propulſatæ fuiſſent. Vrbi certe, nullis munitæ operibus, neceſſe fuit, Lacedæmoniorum inſtituta ſequi, hoc eſt, viros, pro muris conſtituere. Ergo, non ciues modo, & fidentiſſimos quosque; ſed reliquam etiam ſubterraneam multitudinem, armis inſtruunt, eaque expedite tractare, ſolerter adſuefaciunt. Atque, ſucceſſit omnino, imperata a neceſſitate, militaris ea exercitatio: quando, ſubacta, refractario in metallis, labore, pubes, nihil ducebat honeſtius,

Schemnicii, *poſt* Ludouici II. *occaſum ſtita: adhaeret contra Iohannem*, Ferdinando:

huius, in metallarios Schemnicienſes, *propenſio:*

Turcarum *impreſſiones:*

viriliter propulſat a Schemnicientibus:

a.) Ita anno MDXLIV. FERDINANDVS I. Prudentibus & circumſpectis Iudicibus & Iuratis ciuibus Ciuitatis noſtræ Schemnicienſis, aliarumque Ciuitatum noſtrarum Montanarum.

b.) Perſcriptum id fuit, anno MDXXVI.

c.) In his aliquandiu fuere: *Rokabánya, Léva, Csábrágh, Carpona, Ekkö, Nógrád, Ipolygyarmath, Szátsény*, reliqua.

militaria eorum inſtituta:

ſtius, quam in vtroque periculorum genere, hic in cæcis ſpecubus, illic apertis campis, vires, iuxta & fortunam experiri. Vtrique autem neceſſitati, vti ciues operæque ſufficerent, alternis ad arma vocabantur. Tripartito, dies totus, metallariis operis deſignatus eſt, partes autem ſingulæ, horis octo definitæ. Igitur, qui demenſum laborem, per fodinas confecere; octo his, e profundo emergentibus, horæ dabantur, quietis, & curandi corporis gratia; quibus labentibus, loricatus quisque, & arma ferens, ad notas ſtationes, abibat. Hæc ita fiebant, dum nihil trepidi imminebat. Sed, vbi a ſpeculatoribus, editis, ex more, indiciis, hoſtem aduentare, aut *Hannibalem ad portas* eſſe, nunciabatur; non hi modo, qui per ſtationarias excubias, in promtu erant; ſed quidquid, ſiue per vrbem, ſiue per abdita fodinarum, corripiendis armis idoneum ſuperabat, confertim id proruebat in hoſtem. Quocirca, vti ad ſubitaneos iſtiusmodi caſus, metallicæ in primis operæ, promtæ ſemper eſſent, paratæque, armati, fodinas ſubibant, manu altera malleum, altera teli aliquod genus gerentes. Et inualuit omnino, per hæc iſtiusmodi tirocinia, militare *Schemnicienſium* inſtitutum, in eum modum, vt non vrbem modo, miles hic domeſticus; ſed viciniam quoque, ab hoſtili impreſſione, tutam, hoſticum contra redderet infeſtum. Neque enim, vlla, hoſti irrequieto, & tunc ab impreſſionibus, ceſſatio fuit, cum pace confocillata, otio vtrinque perfrui decuiſſet. In primis montanis vrbibus, auidum, & auri, & ſanguinis, genus, imminere conſueuerat. Cecinit, ea pericula, Nicolaus Gabelmannus (*d.*) ſcite non minus, quam ex vero. cuius ideo querelas, iuxta & virtutis noſtratium encomia, iuuat recitauiſſe:

horum ſucceſſus, vrbi & vicinitati, vtiles:

Turcarum *irrequies, & auiditas, montanis vrbibus moleſta:*

deſcribitur Gabelmanni *verſibus:*

Eſt locus Hungariæ *in medio, ſub montibus altis*
Carpathi, *in immenſum qui tangit luſtra Getarum*
Hoc in ſeptenæ *quærentes æra metalli*
Vrbes, *atque aliquot diuerſis firma ſuperſunt*
Propugnacula locis: quæ ſe tutantur ab hoſte,
Spemque ſuam. Anfractu valles hinc vndique curuo:
Turcarum dolis, noſtrumque accommodæ ad vſum,
Rara per occultos ducit quoque ſemita calles:
Fauces anguſtæ, inſidiis aditusque maligni:
Vndique ſic dumis ac denſis ſentibus horret.
Hunc inter quoties ſubluſtri noctis in vmbra,
Thraces, inſtructo veniunt bene marte ſilentes,
Per tacitos ſibi rimantes veſtigia lucos.
Sæpe dato, ignari ſunt, retro vertere greſſus,
Tergo: ſic raptis concurrunt vndique telis
Indomiti agricolæ, miſti peditesque equiteſque.

Hæc ita fiebant omnino, capiebantque ex ipſis periculis, noſtri homi-

d.) Monomachiæ Hungaro Turcicæ, Lib. I. p. 1. verſu.

mines, auctoramenta, cum ad retundendos inſultus, tum ad inuadendos, acri impreſſione, hoſtes. Queritur id *Strigonienſis*, ea ætate, *Begus*; quem in ſcenam perducit laudatus Gabelmannvs, (*e.*) inquientem:

Tercenti millibus audent,
Noſtrorum absque metu, patulis occurrere campis.
Atque etiam optatis cedit victoria velox
Auſpiciis. Quoties ad nos ſub nocte ſilenti
Egreſſi ſuperant aditus? mox cæde peracta
Ingenti, reduces referunt ſpolia ampla decusque.

Inſigne, militaris huiusmodi virtutis documentum, *Schemnicienſes* tunc edidere, cum *Zápolitani* graſſatores, *Turcis* coadunati, vallibus auriferis potituri, imminens Grano, *S. Benedicti* cœnobium, occupandum deſtinabant. Simul enim, de conſiliis hoſtium, certiores facti ſunt noſtri, coacta, quingentorum ciuium manu, adſcitisque in ſubſidium *Regiomontanis*, atque *Bakabanyenſibus*, ante ſe, duce *Michaele Steſingero*, ſenatorii ordinis viro, in cœnobium iniecere, quam *Zápolitani*, deſtinata poterant exſequi. Præclarum hoc facinus, ad anni MDXXVIII. tertium, poſt *Paſcha*, diem dominicum, ephemerides referunt *Schemnicienſium*; rectius, ad annum ſequentem reiecerimus, quo, ab exilio ex *Polonia* redux, in campis *Mohácſenſibus*, ſupplex *Solymanno* occurſabat *Iohannes*: tunc enim, velut ſublato ſigno, nouas iterum res, paſſim moliebatur Hungaria. Cœnobium certe, ſtrenue defenſum a *Schemnicienſibus* fuit; ſed neque redditum poſtea aduentanti, cum *Ferdinandi* præſidiis, *Alexio Thurzoni*, ante, quam, digna forti milite præmia, referrent. quæ & ampla accepere, & id apud Ferdinandvm laudis meruere, vt palam, defenſores, immo adſertores vrbium montanarum, haberentur.

inſigne Schemnicienſium bellica virtutis ſpecimen:

benigne a Ferdinando, *acceptum.*

§. XVII.

Bvda demum, dolo malo, e poteſtate *Iſabellæ*, Iohannis viduæ, per *Solymannum*, extorta, & proximis quibusque arcibus, barbarico præſidio communitis, ita ſe perpetuo geſſere *Schemnicienſes*, vt non minus, armorum gloria valerent, quam, indefeſſo, eruendorum metallorum, ſtudio. Ergo, in iis locis vrbs cenſebatur, quæ tunc *confinia*, rectius *limitanea præſidia*, atque munitiones, vocabantur. Dedit ei rei occaſionem, cum bellica *Schemnicienſium* virtus, tum qualecunque veteris arcis perfugium. Huic enim præfectos, ex ſenatorio ordine; *Capitaneos* dicunt, cum præſidio imponebant, ſacramento militari, ita obſtrictos, vt & arcem vrbemque defenſarent, & ſi res poſcerent, arcerent hoſtem ab operibus metallicis. Dabo, iuris iurandi formulam, qua anno MDLXIV. v. Iduum Iunii, interpoſita, *Matthiam Markus*, vrbici magiſtratus, præfectum arcis, creauerunt. Germanice ſic habet: *Ich* Matthias

Buda, a Solymanno *inſeſſa, perpetuo* Schemnicienſes, *& arma tractare, & eruere metalla: ſit vrbs, præſidium limitaneum, ab vrbe arcis, qualecunque munitiones:*

e.) Ibid. p. 2, a. v. 16.

huius capitanei, qualiſe, vrbicis magiſtratibus ſacramento obſtrinxerint:

thias Markus, *gelobe und ſchwöre zu Gott, daſs ich das Schloſs, oder Feſtung, hie auff Schemnicz gelegen, darinnen mich Herr Richter, und Ehrſame Rath zum Hauptmann und Verwalter verordnet haben, treülich bewahren, allen Schaden darinnen, ſo viel mir möglich, verhütten, ſein beſtes befördern, auch daſſelbe ohne Befehl Herrn Richters, und eines Ehrſamen Raths, niemanden weder Freind noch Feind übergeben; auch das Gott gnädiglich verhütten wolle, wo etwa eine Gewalt davor käme, ſolch Schloſs, treülich, ſo lang mein Leben wehret, neben Richter und Rath, und einer ehrbahren Gemeine bewahren will. Als helff mir Gott der Almächtige.* Non credo, ſtrictiori opus fuiſſe formula, ſi *Budam* defenſandam, bonus ille recepiſſet. Reddimus eam latine: *Ego*, Matthias Markus, *ſpondeo atque iuro Deo, quod arcem ſeu fortalitium, hic Schemnicii exiſtens, in quo me D. Iudex & honorandus ſenatus, præfectum atque curatorem conſtituit, fideliter cuſtodiam; damna omnia, quantum eius in me ſitum eſt, præcauebo, atque eius commoda promouebo, neque id, ſine D. Iudicis & honorandi ſenatus iuſſu, cuiquam, hoſtis ſit vel amicus, tradam; quin, ſi, quod Deus auertat, obſidione vrgeri contingeret, eandem arcem, fideliter, dum vita mihi ſuperabit, cum iudice, ſenatu atque honeſta cum communitate, defenſabo. Ita me adiuuet Deus omnipotens.* Hoc ergo, ritu, militare ſacramentum, præfecti arcis *Schemnicienſis*, dicebant. Nam, ita exiſtimo, antegreſſos fuiſſe plures, ſequutosque poſtea, *Markum* hunc, qui eodem iſto munere, fide iurata, defuncti ſunt. In his recenſent ſchædæ veterum memoriales: *Sitelium, Schwabium, Tacznerum, Paullum Rubigallum* patrem, & *Theodorum* filium; vtrumque, palmata toga digniſſimum: quippe qui, & eruditione mirifica valebant, & belli artibus.

§. XVIII.

Schemnicienſium partes, in monomachiis Turcicis:

REtinuere hanc bellicæ virtutis laudem *Schemnicienſes*, non tantum; ſed auxere etiam, rebus, & domi, in tutandis metallis, & foris, aduerſus hoſtes, fortiter geſtis. Inualuerat tunc, ex *Turcarum* nimia vicinitate, militaris ille mos, vt, rebus etiam pacatis, nec contemerata pace, mutuo ſe, noſtri, ac *Turcæ*, ad præſtitutum diem locumque, in monomachias prouocarent. Id, genus pugnæ ſingularis fuit, quod NICOLAVS GABELMANNVS Teuto, anno MDLXXXI. Calendis Maii, ad *Carponam* (*f.*) & ſpectauit ipſe, & carmine heroico, *Patauii* poſtea, celebrauit. Mira hic, *Schemnicienſium* alacritas, eluxit: quippe quos, *Theodorus Rubigallus, Paulli*, viri doctiſſimi filius, in idem certamen, inſigni cum adparatu, ſequutus fuerat. Fas eſt poetam, (*g.*) oppido venuſtum, audire.

Quos miſit ductore ſuo, ſignoque volanti
SCHEMNICIVM, *argenti atque auri generoſa metallo.*

Hos

f.) Dedimus Monomachiæ huius, plenioremhiſtoriam, Tomo Operis II. in CARPONAE deſignatione, §. VI. p. 578, ſequ.

g.) Monomachiæ Hungaro Turcicæ, Lib. II. p. 16. a verſu penultimo.

Hos inter iuuenes, doctique rudesque ſenesque.
Viſendi ſtudio tantum, peditesque equitesque:
Quos inter puro ac fulget carbunculus auro,
Inſignem forma ac generoſo ſanguine clarum,
Te RVBIGALLE! *decora omnem quem pellis obibat*
Candida veſtitu, ne ſis bene cognitus hoſti,
Vidi in equo titubare ſolo, greſſusque ſuperbos
Calce fatigatum in gyro glomerare caballum.
Immixtusque aliis, animum imperterritus, acrem
Addebas ſocium, non inferiora ſecutus.

Durauit, hæc bellicæ virtutis exercitatio in *Schemnicienſibus*, vsque ad ea tempora, dum ciuiles illæ ſeditiones, ſurgente ſeculo XVII. conualeſcere inciperent. *Stephanus Botskai*, primus, anno MDCV. per emiſſarios *Hajdones*, & vrbem adflixit, & perturbauit metallicas operas. *Franciſcus Redei* fuit, qui tumultuantem multitudinem ductitabat, nocentior multo ciuibus futurus, niſi hominis auiditatem, magna pecuniarum vi, mature expleuiſſent. Capta id demum *Nitria* factum eſſe, FRANCISCVS KAZY (*b.*) S. I. auctor eſt. *Nitria*, inquit, *præſidio maiore communita, in auriferas valles infuſus* REDEIVS, *patula alioquin inter montes oppida, facile in poteſtatem redegit, & regii theſauri opibus, factionem validiſſime conſtabiliuit.* Confocillari inde cœpit *Schemnicium*, quando pace *Viennenſi* conſolidata, regioni tranquillitas, metallis, ſuæ ſunt redditæ operæ. Verum, is iam fatorum *Hungariæ* fuerat habitus, vt, tametſi ſecura eſſet ab hoſte extero, haberet domi, quo cum colluctaretur. Procellarum; immo tempeſtates ſæuiſſimæ fuere; officina, *Tranſiluania* fuit; principes ſui, adminiſtri ſolertiſſimi. Nondum enim, tria luſtra, a *Botskaiano* illo tumultu abierant, cum *Gabriel Bethlen*, commoto in FERDINANDVM II. bello, id cum primis dedit operam, vt montanas vrbes, ſub poteſtatem raperet, haberetque poſtea, vnde, & neruum belli pecunias, & arma, procuderet. Quid tunc *Cremnicio*, *Neoſolioque* acciderit, dictum eſt ſuo loco. *Schemnicium*, eo felix exiſtimabatur, quod præſidio vacuum repererunt *Bethleniani*; ciues autem non audebant, armatæ multitudini occurſare; ſaltem nolebant prouocare hoſtem, vti metallis vim adferret, aut igne ferroque ſæuiret in operas. Itaque, vrſere opus, cum publici, tum priuati ciuium metallarii, toto eo tempore, dum *Bethlenius* Hungariæ imperitabat. Eo, pace *Nicklsburgenſi*, intra ſuperioris Hungariæ fines, repreſſo; rediit, cum metallis, in FERDINANDI II. iura, *Schemnicium*, fuitque poſtea eo beatius, quo maiore adcuratione, res metallica, elaborantibus *Auſtriacis*, procurabatur. Et creuiſſent omnino, cum opibus, tum felicitatis acceſſione alia, *Schemnicienſes*; niſi nouus, ex *Tranſiluania* turbo, res eorum conuerruiſſet denuo. *Georgius Rákóczius* erat, qui, cum aduerſus *Cæſarem* mouiſſet, montanas quoque, tamquam

contemnuntur res Schemnicienſium, *ſeditione* Botskaiana:

felicior tumultu Bethleniano *& vrbs fuit, & metalla:*

quid, ſub Georgii Rákóczii

b.) Hiſtoria Regni Hung. Lib. I. p. 47. fine. Prodiit Tyrnauiæ A. MDCCXXXVII. fol.

irrequiete euenerit Schemnicio?

quam indagine concluſas, eo facilius intercepit, quo iuſtior metus ciuium erat, ne, ſi reſiſtere conarentur, damnum in metallis facerent, haud facile reparandum poſtea. Euenit hoc anno MDCXLIV. tanto maiore *Schemnicienſium* malo, quo lucroſius metalla adminiſtrabant *Rákóczíani:* quippe, id vnice agentes, vti, obnoxiam ſibi fortunam, vectigalem rebus ſuis, nouercantem metallicis, facerent.

§. XIX.

Tökölianæ perduellionis mala vrbi & ſectatoribus illata: an ad Tökölium, *ſponte defecerint vrbes montanæ, diſquiritur:*

ET hucusque quidem, mitius, cum *Schemnicio* agebatur, ſi *Tökölianæ* ſeditionis iniurias, prioribus illis, conferas. Neſcio, an in eam fortunam, ſua ſe culpa, cum vrbes montanæ reliquæ, tum præcipue *Schemnicium*, induerit. Id profecto, nihil dubitat adfirmare WAGNERVS *(i.) Aurifera vallis incolæ, omnium, qui in Hungaria ſunt, ſectariorum callidiſſimi, ac peruicaciſſimi, clarum ſucceſſibus* Tökölium, *ad ſe inuitant. Victoriam facilem, theſauros maximos, oſtentant; facturos ſe omnia, recipiunt.* Id ſi eſt, male fortunis ſuis conſuluere metallici. Crediderim equidem, nihil inuitatione opus fuiſſe apud *Tökölium*, propagandæ firmandæque perduellionis, longe omnium auidiſſimum: quippe qui, non ignorarit, quantam, rebus ſuis conciliaturus eſſet acceſſionem, ſi *Botskaii*, *Bethlenii*, & *Rákóczii* exempla ſequutus, ſuas, cum metallis, faceret montanas vrbes. Certe, ſi inuitatus huc acceſſiſſet *Tökölius*, vix direpturum fuiſſe *Schemnicium* putauerimus. quod feciſſe tamen, ipſe WAGNERUS, inibi memorat: SCHEMNICIVM, *Cremnicium, aperta nimirum oppida, ſuapte ad direptionem patebant. Iſthac victoria, vires ſeditioſorum, ac ſpiritus, immane, quantum auxit. Spolia adepti ſunt ampliſſima; cuſi auri nummos*, centum octoginta mille, *quos in perduellionis ſuccum velut, & ſanguinem verterunt.* Mirere, nihil, ſeu clancularię defectionis *Schemnicienſium*, ſeu ſpoliorum, quæ detracta vrbibus fuerint, PARSCHITZIVM in litteras retuliſſe; tametſi, *Schemnicii* ea tempeſtate vixerit. Nude is rem geſtam *(k.)* memorat: *Anno* MDCLXXVIII. EMERICI TÖKÖLI, & *Chriſtophori Bohaim, Francicarum copiarum præfecti, virtute circumuenta (Schemnicia) herbam porrexit.* Atque *(l.)* alibi: *Perſtitit*, inquit, TÖKÖLIVS *cum* Bohaim, *in propoſito, & quaſi corripiente inundatione, Patiſſum amnem penetrans, Sároſienſem, Scepuſienſem, Liptouienſem, Aruenſem, Thúróczienſem, Threntſinienſem, Nitrienſem Comitatum interuectus, Vulcano conſumtis oppidis*, Teutoprona & Priuidia, *in oras Barſchienſis, Zolienſis, & Hontenſis Comitatus, penetrauit. Vetuſolium, Neoſolium, Cremnicium*, Schemnicium, *ciuitates montanas, ſuis præſidiis firmauit.* Prima hæc in montanas vrbes, *Tökölii* fuit impreſſio, *Wurmii*, eximii *Cæſarianorum* ducis virtute repreſſa. *Wurmius*, vti habet WAGNERVS, *(m.)* *vt*

depellitur ex metallicis vrbibus:

i.) Libro VIII. p. 557.
k.) In Hiſtoria Comitatuum Hungariæ, manu exarata, p. 238.
l.) In Tabella Hungariæ p. 195.
m.) Inibi p. 558.

vt hanc opulentiæ venam, (montanas ſcilicet) *eriperet, comparato mediocri exercitu, in ipſo vallium aditu incidit in ſeditioſos. Pugnatur vtrinque ardore maximo; pugna multis horis ancipiti: dum noua, quæ Germano aduenerant, auxilia, victoriam denique firmarent.* Tökölius, *perpetua fuga, ſub Neoſolii mœnia, euaſit.* Non diſſimulat Hungarorum cladem PARSCHITZIVS, victoriam extenuat. *Plura,* inquit, *tentaturus,* Tököli, *niſi ad pagum* Neü-Heü, *in Comitatu Barſchienſi, ſparſas eorum vires, generalis Wurm, Düneuald, & Carolus Pálffy, diſſipaſſent.* Addit, *Schemnicienſium* calamitatem: *His ita infeliciter geſtis,* Tökölius *cum* Bohaim, *adſcito ſibi* EMERICO BALASSA, *& ciuibus Schemnicienſibus*: Michaele Reütero, Tobia Schneider, Iohanne Zwittinger, *Senatoribus:* Matthia Kayſer, Ferdinando Wenger, Iohanne Schader, *vrburariis, lento gradu, præſidia ex montanis ciuitatibus deducens, ad partes ſuperioris Hungariæ ſe recepit, & nihil niſi triſte, ac miſerabile onus, adflictis incolis impoſuit. Tum demum in deditos ſæuitum:* Carpona, *per tribunum* Dünnewald *direpta, montanis ciuitatibus, præſidiis firmatis.* Nempe, in obſequio *Tökölius* habebat *Balaſſam,* Germanis, extra omnem modum, infeſtum; ciues autem, obſidum loco, ſecum abduxit, vt redux cum tot pignoribus, eo promtius, a *Schemnitienſibus,* ac quaſi iure quodam poſtliminii, redditis vadibus, reciperetur. Profecto autem, nihil hac *Tökölii,* ſiue demigratione, ſiue fuga, montanis vrbibus accidere potuit opportunius. Conſilia is animo cœperat agitare, metallicarum ciuitatum, *Turcis* vendendarum, vt eo pretio, commotum bellum, poſſet ſuſtentare. Aperte id, tametſi timidius, WAGNERVS adfirmat. *Vt horum hominum,* (factionis Tökölianæ,) *fidem agnoſcas, quo cum* Strigonienſi, *de induciis, tempore, cum* Budenſi Baſſa, *de vendendis montanis egere: nempe, vt eſſet, vnde illam Tartarorum & Polonorum colluuiem ſuſtentarent. Niſi forte, vt placabiliorem haberent aulam, metum facere voluere: fore, vt barbari, illas vallium auriferarum ſubſtructiones, damno irreparabili corrumpant.* Ego, ſi quid ſubeſt veri, iſthuc molitionem eam reor adtinuiſſe; vt GEORGIO SZÉCSÉNIO, Strigonienſi Archiepiſcopo, *Cæſaris* tunc, apud *Tökölium,* conciliandarum induciarum cauſſa, legato, ſollicitudinem incuteret, operis admaturandi. Annum ſequentem, peſtilentia, qua vix vnquam virulentior, ex oriente, in Europam ſe inſinuauerat, cum *Hungaria* reliqua, *Schemnicium,* eo vsque, depopulata eſt, vt parum abfuerit, quin operas metallicas interuerterit.

Schemnicio, *obſides ſecum asciſcit:*

fœda eius, de vendendis vrbibus montanis, conſilia:

peſtilentia, depaſcit Schemnicium.

§. XX.

VRbem, gemina hac calamitate, fœdatam, tertia, ſi non ſæuior, nihilo certe mitior, conſequuta eſt. Repreſſus, in Hungariam ſuperiorem, *Tökölius,* non deſiit, per emiſſarias ſuorum alas, montes auriferos, infeſtare, vt ne animo fractum crederent, qui eos inſidebant, *Germani.* quæ eius irrequies, maxima *Schemni-*

Nota Tökölianorum, *aduerſus* Schemnicienſes, *iniuria:*

mnicio mala accelerauit. Oppugnabant, *Cæſariani* duces, *Emerici Balaſſæ* arcem *Diuiniam*, in Zolienſium collimitio, apud *Neogradienſes*, poſitam. Ergo, vt ſuos, periculo eximeret *Balaſſa*, inſigni *Tökölianorum* manu ſtipatus, magnis itineribus, ex ſuperiore Hungaria, iſthuc properat; verum, conatu irrito: eo, quod arcem prius interceptam, per exploratores, didicerat, quam ipſe, viarum difficultate impeditus, ferre poterat ſuppetias. Ne ergo, inanis eſſet profectio, miles autem, ex feſtinato itinere laſſus, pretium aliquod operæ faceret, *Patrem Ioſam*, & *Paullum Szepeſſi*, cum *Bakoſſio* tribuno, in montanas Hontenſis prouinciæ vrbes, prædatum immiſit. *Capto Diuinio, peruenit Balaſſæ militia die XXII. Aprilis, in montanas ciuitates, in Comitatu Hontenſi ſitas, cuius ope*, Schemnicium, *maiori ex parte direptum, Regia Camera, cum multis præclaris ædificiis, ac templo inferiori exuſto; inſignes theſauri in prædam acti, non ſine cæde, & ſanguine ciuium.* Hæc αὐτόπτης PARSCHITZIVS. (*n.*) Addit alibi: (*o.*) *In qua laniena & direptione, multa auri, & argenti infecti pondera, ſignati quoque multa millia, ciuibus eripuerunt. Currum publicum, qui forte fortuna,* Cremnicium, *argentum & aurum, ad cudendam monetam deuecturus erat, ex* Camera Regia, *manu ſuorum immiſſa, ſurripuerunt. Tota die, a hora VIII. matutina, vsque ad veſpertinam V. graſſati, cum ſatis cædium & prædæ feciſſent, lento gradu, nemine inſequente,* Pilsnam *vsque penetrarunt: vbi, inter partes diſtributa rapina, ad ſuos redierunt.* Triſti huic vrbis cladi, ſua ipſius nece, *Pater Ioſa*, non multo poſt, parentauit: *quando arrogantiæ ſuæ ac perfidiæ*, verbis PARSCHITZII vtor, *Uihelini, prope Patakinum, ad Bodroghum flumen, pœnas condignas luit, iuxta dictum:* qui gladium acceperit, gladio peribit. Vos autem non ſic! *dicit ad diſcipulos ſuos diuina veritas.* Iuuat, idem IOSAE facinus, verbis TOLLII (*p.*) docti itineratoris, vt luculentior ſit narratio, recognouiſſe; quippe qui, anno MDCLXXXVII. iſthic verſatus, rem omnem, ex viuentium, qui damna paſſi ſunt, ſermonibus, condidicit, atque cum ſua demum ἐπιμέλεια ad illuſtrem KNIPHAVSENIVM ſuum, exaggeratius, ac latine magis, perſcripſit.

„ Multum, *inquit*, ſanguinis iſtius crumenarii, PATER ipſis IOSVA,
„ nobilis ille Hungarorum rebellium dux, ante annos pauculos, de-
„ traxit. Hic enim, explorato die, quo *Cæſareum* argentum ſolet
„ *Cremnicium*, ad monetam deuehi, cuius tanta forte copia, ad mil-
„ le ducentas, trecentasque marcas, congeſta erat, per cognitas ſi-
„ bi ſemitas, aut, ab huius conſilii auctoribus & fautoribus, com-
„ monſtratas, cum ſexcentis, aut amplius, militibus, repente aduo-
„ lauit, & perterritis, ac in fugam diſſipatis *Cæſarianis* procuratori-
„ bus, non modo, argentum id omne, abſtulit; ſed & omnes CÆ-
„ SARIS officinas, & ipſorum ciuium ædes facultatesque, incendit ac
„ di-

earum occaſio, & auctores: Ioſa, Szepeſſi, Bakoſſi:

& facies miſeranda:

ex TOLLII narratione, recognoſcitur:

n.) In Tabella Regni Hung. ad annum MDCLXXX. p. 197.

o.) In Hiſtoria Comitat. Hung. loci cit. pag. 239.

p.) Epiſtola Itineraria V. p. 156.

diripuit. ad quas, facilem aditum, panicus ipſi *Cæſarianorum* terror patefecerat. Potuerat illud damnum facile auerti, ſi ruſtico, aduentum hoſtium nuncianti, fides habita fuiſſet; at hic quidem, miſerrimus mortalium, quod res ea videbatur incredibilis, & ad perturbandos oppidanos conficta, in carcerem coniectus, mox aufugientibus *Cæſarianis*, vna cum carcere, incendio abſumtus eſt; eripiente illis, miſeri hominis memoriam, qui & mentem eripuerat, terrore. Nam, ſi ea integra ipſis conſtitiſſet, quod nec diffiteri, iam ipſi auſint, repelli facile PATER IOSVA, potuerat, adnitentibus præſertim præſidiariis, quinquaginta militibus: quorum dux, vt virum fortem decuit, in vetus caſtellum, ſe ſubduxerat, permiſſa hoſtibus, impune cuncta diripiendi, facultate. Sed nec argento *Cæſareo*, quod in alterum, ſeu nouum caſtellum iam perlatum erat; vllum fuiſſet periculum, niſi id ipſum ad Cæſaream metallifodinam retuliſſent, in cuius latebras, nonnulli rei metallicæ præfecti, reculas ſuas abdiderant: ſed hoc fruſtra; prodentibus eas, ipſis, quibus vtebantur, operis. Ita ille, cum præda incolumis abiit, triſtemque, plurimis ſui, & *Curuczonum* (*q.*) nominis memoriam reliquit. Hucusque TOLLIVS. Fuit IOSA, ſacri cuiusdam ordinis, deſertor, ac poſtea prædator eximius. qua ille virtute, id meruit, vt inter præcipuos *Tökölii* duces, adſciſceretur. Atque edidit omnino bellicæ virtutis, & prudenter excogitatorum ſtratagematum, non pauca documenta: dum deſerti ordinis, an cauſſæ, quam propugnabat, pœnitentia ductus, in partes *Cæſaris* tranſiret. Meminit rem, cum interitu hominis coniunctam, WAGNERVS. (*r.*) *Memoria dignum eſt*, Patris Ioſuæ, *quem diximus, transfugium; ſi transfugere dicendus eſt, quem perduellionis pœnitet. Quam, non in ſpeciem transfugiſſet, facto generoſo magis & militari, quam Chriſtiano, comprobauit. Multis inſidiis* (Tökölianorum) *exagitatur, demum in tenui villa, ab ſceleratis cinctus, inuitatus ad defectionem, mori, quam peierare, maluit. Ad nitrati pulueris cadum, ſua manu admoto igne, ſe ſuosque, in auras euibrat.* Nouam ille, in metallicas vrbes, impreſſionem moliebatur, vt ſequuturo, cum iuſto exercitu, *Tökölio*, vadum a-

Ioſæ *hiſtoria:*

reditus ad Cæſarianos:

dat ſe in-ternecioni: eius rei occaſio.

pe-

q.) Addit de *Curuczonum* etymo: *Rebelles* Curuzze, *uno alio per* Hungariam *nomine vocantur; indita ſibi ipſis a cruce, appellatione; qua, iniuſte ſe, a Cæſarianis, omni cruciatuum & perſecutionum diritate adſci, denotare voluerunt.* Ita eſt, a *cruce*, conuitioſum vocabulum, traxit originem; ſed non ab ea, quam ſomniat TOLLIVS; verum, qua ſe promiſcua, & effera plebis multitudo, ſub WLADISLAO Polono, anno MDXIV. in *Terras* profectura, inaugurato, ſignauerat. qua de re, prolixe egimus, Tomo III. operis huius, in *Hiſt. vrbis Peſtienſis*, cap. I. §. XI. ſequ. p. 49. Neque meliora ſunt, quæ de vocabuli *Labancz*, quo *Cæſarianos* contumelioſe adpellabant, origine adtexit; quando a temeratæ multoties datæ fidei, exemplo, ex hiſtoria *Labanis*, & *Iacobi*, petitum eſſe, adfirmat. Non eſt ita! Latinum malim credere conuitium id, a *Participio* LABANS, arceſſendum, quo, ſorte fortuna, *Latinus* nonnemo e *Hungaris*, ita *Curuczonum* aduerſarios, vocitarit: quaſi qui *Labantes* eſſent, ab amore & fide, patriæ debita. quem animi habitum, *vulgi variare* Labantia *corda*, VIRGILIVS dixit, Aened. XII. 223. & IVSTINVS Lib. XIV. c. I. 13. *Labantium animos deterruit.* & in auctoribus paſſim.

r.) Libro VIII. p. 561.

periret. *Torquebat enim auriferarum vallium iactura* Tökölium. *Patrem ergo*, Ioſuam *quendam*, *ab deſerto clauſtro*, *per conuicium*, *ita vulgo adpellatum*, *præmittit*; *ipſe*, *toto cum exercitu*, *ſequitur*. *Capta*, *ad Szerentſinum ſtatione*, *repreſſit* Ioſuam *Leslæus*: *eluſis inſidiis*, *periculoſa irruptione*, *vtiliſſimas valles*, *liberauit*. Atque, infelix expeditio hæc, vel neceſſitatem impoſuit *Ioſæ*, vel occaſionem miniſtrauit, vti, a *Tökölii* partibus deficeret. quod erant, qui, ob acceptam cladem, in inuidiam adductum, iniquius apud Tökölium, exagitarent, obiectarentque, nunc ignauiæ, nunc ſubleſtæ fidei, crimen. Inſuetus obtrectationum *Ioſa*: quippe qui, præclaris ſuis facinoribus, penitus ſuum fecerat *Tökölium*; repente nunc alienatum, deſerit, & ad *Cæſarianos* transfugit: ſcelerum pœnas, quas iam meminimus, ſua quadam nemeſi, ſibi acceleraturus. Hæc, de malefico homine, dicenda erant, vt documento ſint *Schemnicienſibus*, non euaſiſſe inultum, ſuum illum graſſatorem.

§. XXI.

Redit, poſt captum Filekinum, Tökölius:

NOndum, inflictum vrbi vulnus, in cicatricem coiuerat; cum nouas ei plagas infligunt *Tököliani*. Peſſime *Cæſarianos* habuit, negligentius cuſtoditam vrbem, patuiſſe prædatorio illi agmini. Proinde, id ne eueniret in poſterum, immiſſo quantouis præſidio, præfectura autem, protribuno *Comiti Traunio* commendata, vrbem ſecuram præſtare voluerunt duces; ſed, quod ſomnolentius, quam res poſcebat, inuigilatum vrbi eſt, a præfecto non minus, quam gregario milite, noua iterum procella, res Schemnicienſium adflixit. Ceperat, Turcarum copiis auctus, Filekinum, *Tökölius*, atque miſere concerptum, in triſte rudus præcipitauerat. Quibus rebus factum, vt *Filekino*, tamquam montanarum vrbium repagulo, violenter reuulſo, in noua pericula, vrbes & operæ metallicæ, vocarentur. Aderant enim præcurſores *Tökölii*, opinione celerius, ac, quaquauorſum infuſi, *Neoſolium* hi, *Cremnicium* illi, alii *Schemnicium*, hiante cupiditate, inuadunt, & occupant. Et *Cremnicium* quidem, ac *Neoſolium*, ſine cæde, ſub poteſtatem rapiebatur; *Schemnicio* ſoli, cruenta accidit, triſtis ea conuerſio. Narrabo rem geſtam verbis Parschitzii. Anno MDCLXXXII. inquit ille, *metu & terrore perculſum* Schemnicium, *poſteaquam* Filekinum *expugnatum*, *expilatum*, *& euerſum fuiſſet*, *ſubmiſit ſe iterum* Tökölii *partibus*; *vbi inter* Tökölianos *&* Cæſarianos, *conflictus*, *in monte ciuitatis*, *ad ſpeculam nouiter exſtructam*, *in parte ſeptentrionali*, *qua iter patet Cremnicium*, *ac Hodricſium verſus*, *acerrimus inſtitutus*, *in quo Comes a* Travn, *glande ictus*, *occubuit*; Pater Katonſzky, *gladio percuſſus*, *interiit*; *triginta e gregario milite*, *miſſilibus obruti*; *ceteris*, *turris ſeu propugnaculum*, *perfugio extitit*. Cladis eius culpam, *Traunio*, quædam eius ætatis ſchedæ, quin & vulgi ſermones, impingunt; quippe qui, cum, aut virilis quidpiam facinoris edere, aut de tradenda

Schemnicium *occupat denuo*; *haud ſine* Cæſarianorum *cade*:

rei geſtæ narratio:

da vrbe, æquis legibus, paciſci potuiſſet, ſi hoſtem anteuertiſſet maturius, & e valle S. *Crucis*, per anguſtiſſimos calles emergentem, pro eo, ac virtus militaris ferebat, retardaſſet. Verum, ea fuiſſe cunctatione, aiunt; *Traunium*; vt, cum de hoſtium impreſſione creberrime nunciaretur, iamque ad arma conuolarent ciues; operæ, per cuniculos & puteos, paſſim ſe abderent; a neſcio, quo oblectamenti genere, (ſpurios amores, turpis cuiusdam feminæ fuiſſe, adfirmatum nobis eſt) diuelli ſe ante paſſus haud ſit, quam *Tököliani*, capta, in monte, qui vrbi ab aquilone impendet, ſtatione, ſeſe oſtentarent. Tunc vero demum, correptis armis, enititur & ipſe in montem, & collatis ſignis, hoſtem adoritur, conſerit pugnam, ſic ſatis acriter, dum glande plumbea deiectus, & victoriam, & vrbem inermem, hoſtibus relinqueret. Vrbe potiti *Hungari*, præter morem, humaniter ſe geſſerunt, & accepto militari donatiuo, largo eo, & multis ciuium detrimentis conſtante, ſatis habuerunt, *Tökölio* vrbem adſeruiſſe. Itaque, prodiere ex latibulis metallici, & bene ſperare iuſſi, ad ſuas quisque operas, ne damnoſa eſſet ceſſatio, dimiſſi ſunt. Venit mox *Neoſolio*, quod iam penitus reformauerat, *Sigismundus Jánoky*, metallis, a *Tökölio* præfectus. Atque geſſit ſe omnino *Cammergraffium*; eo imprudens, quod depulſis, impetu magis, quam conſilio, alienigenis, quidquid, in procuratione metallorum fuit muneris, omne id ciuibus, religione *Euangelicis*, adtribuit; reſtituit ſcholas ac templa, neque ceſſauit ante, ſeu *Tökölii* mandata, ſeu inquietorum hominum ſuggeſtiones, ipſo actu exſequi, quam vrbi, & metallorum adminiſtrationi, nouam vbique faciem, induceret. quæ res, vti non caruit inuidia, ita ſemina iecit, duraturarum poſtea, inter ciues, ſimultatum. Annus integer abiit, inter has viciſſitudines, quas, commeantes, vltro citroque, *Hungarorum* manipuli, & his exſecrabiles reddidere, quos antea, mirum in modum delectauerant. Poſt liberatam demum, anno MDCLXXXIII. obſidione *Viennam*, fuſos ad *Parcanum* Turcas, atque *Strigonio* recuperato, in *Cæſaris* poteſtatem conceſſit *Schemnicium*; noua iterum mala, paſſurum. Vt enim *Cæſariani*, & horum fœderati, *Poloni*, immigrauerunt in vrbem, dici nequit, quam licentioſe adminiſtrata fuerint omnia. Ac fuit ſane opus, precibus fatigare LEOPOLDVM, vt, niſi perdita velit *Schemnicienſium* metalla, modum poneret militari ſuorum cupiditati. quod & ita euenit. Nam, miles quidem *Cæſarianus*, in bellum, exacta hieme, trahebatur; abiit ad ſuos *Polonus*; ciues, & metallorum præfecti, in vitam quaſi ſunt reuocati. Id, longarum ærumnarum pretii retulere, vt, non metallorum modo prouentibus, repararent, iterata toties damna; ſed in gratiam ſimul *Cæſaris*, penitus ſe intimarent denuo: maxime, quod ditiſſimi, in annos ſingulos, ex fodinis *Schemnicienſium* fiebant reditus, vtiles in commune, ac vnice tunc neceſſarii.

Hungarorum, *poſt captam vrbem, moderatio*:

Iánokii, *in reformandis muneribus metallicis, præcipitata conſilia*:

vrbis, a Cæſarianis, *anno* 1683. *recuperata, eramna*:

tarum præmium.

§. XXII.

Contemerata-tur iterum, Schemnicii *felicitas.*

ERgo, ad eum modum, res *Schemnicii* comparatæ tunc fuerunt, vt feliciores vix poſſis animo concipere; ſi temporum eam reparationem, perpetuitas fuiſſet conſequuta. Verum, ita in fatis fuit, vt ſaturnia hæc ætas, nouis iterum calamitatibus, interpolaretur. Nempe, cum maxime florerent metalla, & factas impenſas, redderent geminato cum fœnore; aquæ ſubterraneæ, iis potiſſimum fodinarum regionibus eruperunt, quæ diuitibus venis præcipue luxuriabant. Factum, ea re eſt, vt plerorumque puteorum, *Windſchachti* in primis, profunda, aquis inundarentur, nulla poſtea arte, exantlandis. Tametſi enim dederunt operam, cum vniuerſim *vrburarii* omnes, tum maxime omnium Caesar, vti exhauſta illuuione ea, metallicis iterum operis, locus fieret: tamen, adeo diligentia ea profectum haud eſt; vt irritatam credidiſſes abyſſum, ad eluuiones profundendas; ita ſubinde aquarum moles, & tunc increſcebat, cum maximopere, in iis diminuendis, feruebat opus. Condebantur nihilominus machinæ hydraulicæ, tum foris, & in aprico, tum per opportuna fodinarum. quarum illas, inductæ, ſub dio aquæ, impellebant; has, manuariæ operæ, magna circumcolentium moleſtia, exactæ, promouebant. Quam ob rem, ſumtus fieri oportuit, non vno modo, quam erant metallici prouentus, maiores. Atque, euenisſet ſane, vt neceſſitate magis, quam voluntate colentium, deſereretur hic atque illic opus: niſi nouæ ſubinde, & in ſpem melioris ſucceſſus, occeptæ cauationes, ex rei metallicæ peritorum conſilio, mature fuiſſent inſtitutæ. quæ vna deſtinatio, effecit breui, vt, ſi non ſuppares prioribus, haud tamen damnoſi iterum fierent reditus. Diu poſtea, his, ſiue, intertrimentis, ſiue renaſcentibus commodis, conſtabat metallorum *Schemnicienſium*, coniuncta cum fortuna ciuium, procuratio, dum in orbem quaſi redeuntibus calamitatibus, miſeriarum vna, protruderet aliam. Geminus terræ motus, oppido vehemens ac noxius, partim nunciare videbatur ventura, partim adfirmare, præſentia mala. Alter, in anni MDCXXXIX. diem XXIV. Septembris, inter primam & ſecundam noctis horam; alter in annum MDCXCII. diem XXI. Ianuarii, ſub crepuſculum matutinum, incidit. Prona, ad hariolandum, plebs, nunc cauatis longe lateque, fodinarum ſuffoſſionibus, ruinam, quæ non vno loco accidit; nunc, totius vrbis ſuæ interitum, male ſanis auguriis, ominabatur. Neutrum quidem accidit: nam, & fodinæ perſiſtunt adhuc, multo, quam tunc erant, laxius porrectæ; & ſuperat vrbs, ſuſpenſis hinc, depreſſis alibi ſitibus, ſolida non minus, quam ſpectabilis. Quid? quod idem terror, montanis reliquis incuſſus, nihil portenderit aliud, quam quod eſt naturæ conueniens, nempe: ventos, per montium concaua, ſubito præfocatos, cum erumpere in apertum aerem nequiuiſſent, hoc, quidquid erat, metus edidiſſe. Atque, mirum ſane videri poſſit,

fodinis, aquis ſubterraneis, inundatis:

quomodo, illuuioni ei, itum ſit obuiam? quoque ſucceſſu:

geminus terræ motus, vrbs noxius, & pro ominoſo habitus:

ſit, non eſſe, hæc iſtiusmodi omina, familiariora *Schemnicienſibus:* quando, non vrbis modo poſitio, ſubruta prorſus eſt ac percauata; ſed tota etiam vicinia, exeſa intus, & hic puteis ac cuniculis, perforata; illic laxis fornicibus, hians & ſuſpenſa. qui ſubterranei ſitus, vti facile, ſeu illapſos foris ventos concipiunt, ſeu ex profundo, quod fit, in altum eliſos, tenaciter concludunt; ita, ciendis terræ motibus, & concutiendæ eius ſuperficiei, vnice ſunt idonei. Hinc vulgi ſermones & metus: *fore olim, vt vacuum ſubtus* Schemnicium, *aut labaſcentibus ſuſtentaculis, ſuapte deſidat, aut, editis terræ motibus, conquaſſetur.* Ad hos ego: *quid ſi cœlum ruat?*

Schemnicii *poſitio, ad ciendos terræ motus, in primis idonea.*

§. XXIII.

SEd, demus id vulgi opinionibus, non poſſe non, his eiusmodi oſtentis portendi quidpiam ſiniſtri, atque infelicis euentus; iſtud forte fuerit, quod poſt initia ſeculi decimi octaui, hoc eſt, anno MDCCIII. *Rákóczianus* ille turbo, qui totam commouit Hungariam, *Schemnicio* ſimul incubuit. Bipartito, graſſatores illi, in valles has metallicas, ſeneſcente iam Septembri, ſe infuderant. Agmen dextrum, ex *Gömörienſium* confinio, per eam vallem, quam *Granus* perfluit, illapſum, *Neoſolium* occupauit, & *Cremnicium*; ſiniſtrum, a *Neogradienſibus*, in *Hontenſium* prouinciam emergens, *Carpona*, Zolienſium ciuitate, male habita, *Schemnicium*, auariſſima diripiendi eius cupiditate illectum, in verba *Rákóczii*, iurare coegit. Hinc demum, lerna malorum conſequuta eſt, vix vlla oratione explicabilis. Præterquam enim, quod inermis multitudo, hic in arma ciuium, ſeueriſſimis minis extorta, ſe induit; certe, pannoſi quique, mollius, & ad luxum, ex raptis inſtitorum mercibus, ſe ſe veſtiuerunt: vt grandem pecuniarum vim, ærario regio non minus, quam ciuibus, detractam, ſileamus. Atque tuliſſent iniurias, oppido varias & graues, patienter, ſi ab vnis præcurſoribus fuiſſent illatæ; ſed, cum demigrantibus his, ſuccederent alii; hoſque iterum alii exciperent, multo, quam antegreſſi fuere, rapinarum auidiores; intolerabiles, vrbanæ multitudini, quin exſecrabiles fuere habiti. Illud veſani furoris fuit, quod veſtem germanicam, ſed ne petaſum quidem, ferre voluerint; quaſi earum culpa, in inſaniam fuiſſent acti. Ergo, ſi quos peregrine amictos, ſi non Hungarice pileatos, ſi calceatos videbant aliter, quam ſuæ fuerunt chlenæ, galeri & perones, omni illum conuitii genere proſcindebant, quin verberibus, atque nece intentata, ad circumſpiciendas latebras, cogebant. Seſqui menſis, inter iſtas calamitates, abiit, dum a *Schlikio*, ad *Lévam* deprehenſi, noui iſti, nec rogati patriæ liberatores, cæduntur, diſſipantur. Tunc demum *Léva* recuperata, *Bátóniam*, inde *Carponam*, *Schlikius* exercitum duxit, ingruere enim *Schemnicio*, ante noluit, quam deceſſiſſe ex metallis, inuiſum genus, per ſpeculatores addidicit; ne intra valles concluſi, & in deſperationem acti, fodinarum ſubſtructiones corrumperent, vrbem

Turbo Rákóczianus, *vrbi incumbit:*

Hungarorum, *aduerſus ciues, intemperies:*

terminatur aduentu victoris Schlikii:

bem exurerent. Mox, intellecta hoſtium fuga, ſenſim *Schemnicio* adpropinquauit, recepit in fidem ciues, metalla, ſine ceſſatione, ac ſecure, curare iuſſit. Habet, & victoriæ illius, & recuperati *Schemnicii* mentionem, WAGNERVS: (*s.*) *Tumultuario cum agmine* Schlikius, *Poſonium* (nam ex Auſtria ſuperiore euocatus, veniebat) *indeque* Lévam *profectus*, OCSKAIVM, *rebellium ductorem, anguſta, quibus transeundum erat, obſidentem, leui certamine profligat*; Lévam, *cum multiplici præda, tormentis ſignisque, capit*, Schemnicium *properat*. Quieturos, a temere commoto bello, *Hungaros* credidiſſes, quod ex primo, his oris inito conflictu, victi abierunt; ſed res aliter cecidit. quod neque WAGNERVS diſſimulat. *Auriferam in vallem euecti* Schlikiani, *ab ſexcentis primum perduellibus, incurſantur; tum* Bercsénio, *cum exercitu ſuperueniente, numero impares*, Veteroſolium, *ſe pugnantes, cum machinis, recipiunt*. Aliter paullo res ſe habuit. *Schemnicio*, nimirum, non tam properate, quam prouide, intercepto, *Neoſolium* eripiendum hoſti ſuperabat. Huc ergo profectus *Schlikius*, valle *Nereſznica*, quæ anguſto & impedito itinere, *Dobroniwa*, *Vetuſolium* ducit, nemine reluctante, ſuperata, ſtationem *Vetuſolii*, die XIV. Nouembris figit; ipſe *Neoſolium*, cum DC. equitibus, die, D. LEOPOLDO ſacro, præpoſtero vſus conſilio, accedens, locum *Bercsénio* fecit, obſidendi, quem *Vetuſolii* reliquerat, tantilli exercitus. Audita, nimirum, *Otskaii*, ad *Lévam*, clade, feſtinatis itineribus, ad *Loſonczinum*, cum ſuis peruenerat *Bertsénius*; vt inde, tamquam ex ſpecula, obſeruaret, quorſum inuaſurus eſſet *Schlikius*. Simul vero, *Carponam*, atque *Schemnicium* occupatum, *Vetuſolium* autem, cum omni inſtrumento bellico, inſeſſum ab eo cognouit, per pylas *Fórészenſes*, itinere vſus difficillimo, ad *Detwam*, opimum *Zolienſium* vicum, cum exercitu emerſit, atque cæſis excubatoribus, ad oppugnandum *Vetuſolium*, duobus inde milliaribus ſeiunctum, deproperauit. Huc, vt acceſſit, cum pars, caſtra, in *Léſzkocenſi* agro metatur, ipſe, cum expeditiſſimis quibusque, ducibus, *Otskaio* & *Berthótio*, Cæſarianos, extra mœnia, infeſtis ſignis occurſantes, adoritur, intra vrbem repellit, & quamplurimis cæſis, ſuburbium aquilonare, in quod ſe pars fugientium coniecerat, exurit, vrbem arcemque circumſidet. qui demum nuncius, *Schlikium*, opipare tunc *Neoſolii* conuiuantem, in fugam coniecit, montanas vrbes, *Cæſariano* milite exinanitas, ad recipiendos iterum *Hungaros*, adegit. (*t.*) Quid enim agerent, cum inſolente, ex hac qualicunque victoria, hoſte? Ne ergo, in deteriorem fortunam ſe induerent, cum montanæ vrbes reliquæ, tum *Schemnicienſes* quoque, legatos ad *Bertsénium*, in caſtra *Vetuſolienſia* mittunt, ſecuritatem vrbibus & metallis implorant, atque impetrant. Pars, eius legationis, ad diem XVIII. & XIX. obitæ, fueram, vt pernoſce-

quid ab eo ſit geſtum?

Bertsénii, contra Cæſarianos, expeditio, felices ſucceſſus:

redit fortuna Schlikius, & montanas, fugiens, vacuas reliquit:

Hungaris, locum facit: quibus ſe vrbes montanæ iterum dedere coguntur:

s.) Libro VIII. p 749.

t.) Memorauimus expeditionem, Tomo II. in Hiſtoria *Vetuſolii*. §. VI. p. 468. Et in Hiſtoria NEOSOLII, ibidem §. XIII. p. 429. quam tamen hic, quantum eius ad SCHEMNICIVM adtinet, recognoſcendam voluimus, vt conſtet ſibi rerum, ea tempeſtate geſtarum, ordo.

noſcerem, quid in commoto eo tumultu, ineſſet, quorſum vergeret, & a quibus hominibus ſuſtentaretur: vt adeo, non audita, neque lecta, ſed oculis vſurpata, referam. Legatorum, quos diximus, *Schemnicienſes*, vltimi fuere, acrius ideo a *Bertsénio* obiurgati; dum ad audientiam admiſſi, lenius acciperentur. Fuere autem, quantum recordor, præter metallorum præfectos, *Johannes Godofredus Lib. Baro ab Hellenbach*, *Reüterus*, & e ciuium ordine aliqui. Hic primum, vrbes montanas, *Hellenbachio* regundas, commendauit *Bertsénius*, dum ei plena a *Rákóczio* mandata adferrentur; laudabili, in ea rerum perturbatione, inſtituto; ne diffugientibus *Cæſarianis* præfectis, ceſſarent operæ metallicæ. Ita tunc, ſub poteſtatem *Rákóczii*, denuo recidit *Schemnicium*, ita prouiſum eſt ſecturis.

& in his, Schemnicium.

§. XXIV.

ARmis poſtea, & factione, tota *Hungaria* propagata, nihil æque *Rákóczius* curabat, quam vt ſibi montanas, & in his, regios theſauros, adſereret, alendæ, quam concitauerat, ſeditioni, perquam neceſſarios. *Hellenbachio*, certe ſumma vrbium montanarum, metallorum, atque monetæ *Cremnicienſis*, quam ei anticipato adſignarat *Bertsénius*, præfectura, ab ipſo *Rákóczio* adfirmata, honos *Cammergraffii*, ab omnibus habitus eſt. Atque, vtile omnino vallibus auriferis, futurum erat inſtitutum; niſi eo abuſi fuiſſent *Hungari:* id quod, ad *Cremnicium*, (*a.*) queſti ſumus, vix tamen ſatis, pro calamitatis magnitudine. Nempe, cum facinoribus ſuis, curam ac ſtudium liberandæ patriæ obtendebant, duces ſeditionis, *auream* reuera *libertatem*, *æneam* fecere: quando, tantum ex ære numuum procuſum eſt, quantum vix mente poſſit concipi. Adflauit cacoethes illud, immo fœdauit *Schemnicium*. Metallici enim, foſſores illi, vti ærumnoſum ex periculoſiſſimis operis; ita, ſi detur, temere & effrenate licentioſum genus: facta, per tumultum, conſpiratione, æreos iſtos numos, reſpuunt & diris deuouent; argento ſe, & auro operari, metallis ſcilicet nobiliſſimis; his ſibi manu pretium ſolui oportere, vna omnes, globatim ad ſigna concurſantes, conclamant annonam laxiorem, æquiores præfectos, frementes iam, depoſcunt; ſeditioſis vocibus, minas addunt: calamitatibus ſe ſuis, nece vnius alteriusue, finem facturos; id ni licuerit, deſerturos metalla, quin immo, ſubſtructiones ipſas, quoquo poſſint modo, euallaturos. *Hellenbachium*, ea ſeditione, & adminiſtros ſuos, peti, nihil diſſimulabant ſeditioſi. Ille proinde, bona verba dare, rogare, monere, hortari, quin frumento etiam, carne, & pannis præbitis, mitigare; officium vti pergerent facere; non defuturam monetam auream atque argenteam; curæ ſibi fore rem annonariam; modo illi curarent operas, vel modicæ ceſſationis impatientes. Quibus illi vocibus, adeo non poterant deliniri, vt in

Inualeſcente ſeditione, Hellenbachius Baro, *metallis, & curandæ rei monetariæ, præficitur:*

æreorum numorum, nimietas, turbas, in Schemnicienſium *metallariis, dedit:*

Hellenbachio, *ſere exitiales:*

a.) In vrbis eius Hiſtoria, Tomo hoc IV. §. VIII.

rabiem actos credidiſſes. (*v.*) Quid ergo ageret, ancipiti hoc tumultu circumuentus *Hellenbachius*. Mittit ad *Rákóczium* celeres nuncios, periculum, ex ſeditione, nunciat. Nec mora, *Neümanno* centurioni, mandata dantur, iret cum delecta cohorte in ſeditioſos, & ſi nequiret aliter, vi, metallicam eam turbam, compeſceret. Vt *Windſchachtum* venit, terret, capitalibus ſuppliciis coniurationis auctores; reliquæ multitudini, nullas non cruces, interminatur. Tunc vero demum, non iam de manus pretio, non de annona; ſed de vita, de ſalute, rem ſibi eſſe aduertentes metallici, anteuertendos minarum auctores, magno fremitu, clamore incondito, vociferantur; facinus moliri occipiunt; *ſclopos*, in monitoris cohortem, exonerant. Neque ſegnior *Neümannus*, fiſtulas & ipſe manuarias, in ſeditioſorum cateruam, primum quidem ad ſpeciem tantum fartas; mox, vbi nihil proficiebat, glandibus etiam oneratas, diſplodi iubet. Cadunt aliqui; ſauciantur non plane nulli, reliqui, qua quemque ſors ducebat, præcipites diffugiunt: vix ac ne vix quidem poſtea, ſaltem ægerrime, ad ſolitas operas, reuocati. Doluit *Hellenbachio*, funeſtus ille caſus: quippe quo, id apud metallicam plebem obtinuit, vt cum patrem ante vocarent, nihil iam dubitarint, tyrannum dicere; tametſi, vti vir fuit, æqui iuſtique obſeruantiſſimus, non tam ex ſuo ingenio, quam ſeueriſſimis *Rákóczii* mandatis, cædes ea patrata fuerit. Adfirmatum mihi eſt, ab his, qui familiarius circa *Hellenbachium* verſabantur; numquam, vel recordari potuiſſe funeſti caſus, ſine exquiſitiſſimo animi dolore. Tantum eſt, iniquis, iniquiorum conſiliis, ſe feciſſe obnoxium.

ſedatur, a militari cohorte, tumultuatio:

haud tamen; ſine cade:

idque, magno Hellenbachii dolore.

§. XXV.

Illuſtratur Schemnicium, Cæſaris, cum Râkóczio, pacificatione:

ISTud, quod iam dicemus, hac ipſa tempeſtate, illuſtrauit *Schemnicium*. Diſtentus bello Gallico CAESAR, ſedatam, quoquo modo poſſet, Hungariam cupiebat. Diu, fruſtra occipiebantur omnia, dum, poſt *Höchſtätenſem* fœderatorum, quam de *Gallis* reportauerant, victoriam, induciis locum dedit *Rákóczius*; ſiue, vt reuera pacem redderet, perturbatæ a ſe *Hungariæ*; ſiue, vti ex euentu conſtitit poſtea, pacis hac cauponatione, tempus traheret, factionis, magis magisque conſolidandæ, gratia. Ita WAGNERVS: (*x.*) *Poſt Höchſtädiam victoriam, rediit aliquid modeſtiæ Hungaris, induciæque, ab extremo Septembri, ad quintam decimam Octobris, conuenere, quo tempore de pacificatione ageretur.* SCHEMNICIVM, *congreſſui deſignatum eſt. Ab Cæſare* Coharius *Comes*, Seillerus *procancellarius*, Sigismundus Comes Lambergius, Collocenſis Antiſtes, & Szirmayus *protonotarius*;

ſius occaſio, & miſſi vtrinque admiſſi ex Wagnero recenſentur:

*v.) Quadraginta mille metretas ex ſuis granariis, in operas metallicas, ea rerum difficultate, profudiſſe HELLENBACHIVM; vt bubulæ immenſam vim, & plenos pannorum fornices, taceamus. Quam viri prouidentiam, conſeruandis fœcturis impenſam, clementer poſtea CAROLVS Imperator, non accepit modo; ſed frumentum etiam illud, repræſentato ære, *Hellenbachio*, rependit.

x.) Libro VIII. p. 760.

tarius ; a male contentis, *Bertsénius & Karolyus ; ab Anglo-Batauis, Stepneyus , adfuere. Cæſareis, prater veniam, conditiones ſane opimas, & Vngaræ nationi probabiles ferentibus ; illi immodica, & relatu indigna, poſtulare ; pertinaciter inſiſtere extremis , medium rationemque nullam admittere.* Hæc, in compendio *Wagnerus.* Nobis, rem omnem fuſius expromſiſſe placet ; ſiue, vt illuſtrius reddamus *Schemnicium ;* ſiue, ne ignorare ſinamus poſteritatem, quam male, laruati iſti patriæ liberatores, reiecta tunc pace, conſuluerint *Hungariæ.* Diu, a *Stephano Szirmayo,* & *Paullo Okolicſanio*, elaborabatur, vt , æquis legibus, coaleſcerent tandem inducíæ. Sed fruſtra erat diligentiſſimorum conciliatorum, in abeundo & redeundo, adſiduitas. Nolebat, nempe, *Rákóczius*, conſentire in inducias, niſi *Heiſtero* , qui exercitui Cæſariano, cum imperio præerat, a militari hoc magiſtratu, depulſo ; quod vir ille, præterquam id leges belli ferrent, durus & ſæuus in captiuos, ingens ſibi & inexplicabile odium, apud gentem vniuerſam, collegerit. Neque diffiteri poterant Cæſariani, Manilia imperia *Heiſteri ;* inde tamen, caloris eius ac ſeueritatis peti excuſationem poſſe, autumabant: quod rem ſibi, non cum iuſto hoſte ; ſed cum ſeditioſa, atque rebelli multitudine ; neque id tam ex artis militaris præſcripto, quam, pro iniquiſſimæ Hungarorum cauſſæ habitu, colluctandum eſſe. Acerba accuſatio ea viſa eſt , non *Rákóczio* tantum ; verum, genti etiam vniuerſæ. Ergo , abſtinendum volunt, *rebellium , & perduellionis* vocabulis ; ſi quid culpæ ſibi poſſit tribui , ex eius indole, more Gallorum, *Malecontenti* vocitarentur. Ceſſit, & huic pertinaciæ *Cæſar*, ne ſaluberrima, reconciliandæ pacandæque *Hungariæ*, conſilia, in voculis iſtiusmodi interuerterentur ; ſapientiſſime ratus, ceſſaturas voces probroſas, ſimul offenſæ mutuæ, æqua pace, terminarentur : ergo, datum Rákóczianis, *malecontentorum* nomen eſt. Tum demum, induciarum leges, a *Cæſare* perferendas , audituros ſe recogniturosque, ſpondent *Hungari.* quæ huc redibant: *Trimeſtres, easque, ad regnum vniuerſim pertinentes, concedi a Cæſare ; eo trimeſtri, ne cis-Danubianæ Hungariæ, ne agro, qui Vagum, Morauamque circumiacet, vim pedemque inferrent , male contenti ; circum obſeſſas vrbes, vno circum milliari, abſiſtant ; fas porro ſit Germano , rerum hominumque , quanta videretur , præſidia, arcibus ſuis inferre.* Putaſſes, nihil contraituros Hungaros ; maxime, quod non iam *Colocenſis* antiſtes , neque *Szirmay*, aut *Okolitſani ;* ſed vt rem ſerio, a Cæſare agi, crederent ; *Bruyncxius* , diuturnus Hollandorum, apud aulam orator , pactorum eam adumbrationem , ad *Rákóczium*, tempeſtiue pertulerit : quod tamen aliter euenit. *Rákóczius* enim, & *Bertsénius* , cum tribulibus , quantulacunque fortunæ, qua vſi fuerant hucusque, indulgentia ebrii ; *Gallicis* præterea ſubſidiis ſuperbi ; quodque res Cæſaris, in *Italia* atque *Germania*, nutare, cognitum habebant ; conditiones ferunt intolerabiles : *Heiſterus & Rabutinius, regni finibus abſunto :* Rákóczio *Tranſiluaniæ* prin-

res omnis, fuſius, ab auctore, differitur :

inducias rum conciliandarum difficultas ; & huius cauſſa :

tollantur ; Cæſaris *æquitate :*

inducia rum leges , a Cæſarianis *latæ :*

repudiantur a Rákóczianis, *ferunturque alia :*

principatus, poſtliminio redditor; Germanus miles, oppidis omnibus, & Ieſuitæ, deportantor. Sueciæ, Poloniæque reges, vindices horum pactorum adſertoresque ſunto. reliqua. Ergo, nequiuit aliter euenire, quam, vt *Hungarorum* querelis, quas ad Cæſarem referret, onuſtus, cetera inanis, Viennam rediret *Bruyningxius*. Atque, euanuiſſet omnino induciarum ſpes omnis, niſi noua eam Cæſaris, in *Hungaros*, & *Rákóczium* ipſum, benignitas, ſuſtentaſſet. Cum enim, nunc *Szétsény*, nunc *Szirmayus*, quandoque *Viſa*, Neſteralbenſis epiſcopus atque Præpoſitus Quinqueeccleſienſis, *Okolitſanius* item, *Hungaris*, neque ingrati, neque ſuſpecti, vltro citroque, ſine ceſſatione, cum nouis ſubinde mandatis, commigrarent; *Rákóczium* hi, *Bertsénium* illi, ingeſta victoriæ *Höchſtädtenſis* formidine, ad acceptandas inducias leges, tandem inducunt. Iam conceſſerat *Rákóczius*, dum, ſiue ſuapte ingenio, ſiue ſuggeſtione ſequacium (*y*.) de formula, qua velit, in tota ea pacificatione, & ſcriptis, & ſermonibus adpellari, coorta diſputatio eſt. *Ducem Male-contentorum* nominandum, aulæ Viennenſi, ſatis ad dignitatem, ſi quæ inerat, viſum eſt. Reſpuit ſenatus illud conſultum *Rákóczius;* non quod nollet gregis ſui dux haberi; ſed quod ſe iam tum *Principem Tranſiluaniæ* gereret: quæ ideo vocabula, in titulis ſuis referri, vnice cupiebat; id niſi facerent *Cæſariani*, malle ſe, induciarum pactiones reſcindere, quam de iure ſuo quidquam detrahere. Eliſum tamen, & iſtud ſufflamen eſt: quando, ea moderatione fuit Leopoldvs, vt nihil dubitarit, concedere id tantiſper hominis faſtui, cum, aut ad ſanitatem reuocaretur, aut, ex legibus, ineundæ pacis, alia dignitatis prærogatiua exſatiaretur.

coaleſcunt tandem inducia.

§. XXVI.

Tempus pacificandi,

INde, *September* induciis datus eſt; quod tamen tempus, quia arctius viſum fuit *Cæſarianis*, quam, vt tantæ molitioni ſufficere poſſe crederetur, terminum, vſque in medium *Octobrem*, prorogare, mutuo conſenſu, placuit. Nondum vero, de congreſſus loco, inter paciſcentes conuenerat. Caesar, Botskaianæ pacificationis exemplo monitus, *Viennam* deſignabat; mediatores *Angli*, ac *Batani*, Piſonium nominabant, vt in patrio ſolo, ſaluti patriæ conſuleretur: neutrum placuit *Rákóczianis;* ſiue, quod legatis ſuis metuerent, ſi abeſſent longius; ſiue, quod in re tam exili, penes ſe decernendi poteſtatem eſſe debere, arrogantius exiſtimarent. Ergo, Schemnicivm, ex *Hungarorum* voluntate, neque reluctante *Cæſare*, congreſſui deſtinatum eſt. Huc demum, properatis itineribus, *Bruyningxius* primum, *Batauus* orator, tum & *Stepneyus*, Anglicus apud Auguſtum legatus; ille III. hic pridie *Nonas Octobres*, *Schemnicium* acceſſere: ea pompa accepti, quæ tantis mediatoribus digna haberetur. Aderant enim iam tum *Schemnicii*, cum poteſtate paciſcendi, *Ni-*

locusque deſignatur: legatorum Schemnicium, *aduentus:*

y.) Motam eam controuerſiam, diſputatamque fuiſſe, in ipſo pacificatorum conſeſſu, volunt alii; nos anticipato incidiſſe, accepimus, credimusque.

Nicolaus Bertsénius, homo vafer, ac peſſimi propoſiti tenax; *Alexander Károly*, mitiori vir ingenio, tametſi bellicoſus, & gentis ſuæ ſtudioſiſſimus; *Sigismundus Jánoky*, Rákóczii Cancellarius, & *Paullus Ráday*, tunc a ſecretis ſtatus. Dies aliquot *abiere*, mutua inter conuiuia, ac ſermones blanditiarum plenos, dum *Cæſariani* legati, *Piſonii*, litteras ſalui conductus opperientes, *Schemnicium* poterant aduenire. quas, vbi, adminiſtro *Paullo Okolitſanio*, ad VII. *Idus Octobris*, indepti ſunt, quatriduo poſt, tenuere & ipſi *Schemnicium*; omni ea honoris ſignificatione accepti, quæ *Cæſaris* legatos, ſummo iure condecuit. Fuere autem, *Georgius Szétsény*, Archiepiſcopus Colocenſis, *Stephanus Kohári*, *Seillerus* Baro, procancellarius, *Lambergus* Comes, *Stephanus Szirmay* Baro & protonotarius. Altero, poſt aduentum die, cum de plena paciſcendi poteſtate, *Rákóczianos*; & hi *Cæſarianos*, feciſſent certiores, in comitium itum eſt. Primi fuere legati *Cæſaris*, qui, habita ad conſeſſores, ſcita oratione, æquiſſimas leges, quibus conciliari pax debeat, libere expromunt. Protrudunt, & *Rákóczíani*, reiectas toties conditiones, vti extra omnem modum inſolentes, ita, eo vnice comparatas, ne paci locus daretur. Legislatores credidiſſes, haud vero pacificatores. In hos ergo ſcopulos, totum illud, ac tanto conatu, ſuſceptum pacificationis negotium impegit, fecitque, breui poſt, naufragium. Tametſi enim, nihil reſidui fecerunt, cum mediatores ipſi, tum legati *Cæſaris*, vti ab rigidis hiſce poſtulatis, ad æquiora conſilia, *Hungaros*, reuocarent; tamen, ea fuit *Bertsénii* durities, vt nullis ſe, vel legum, vel æquitatis rationibus, emolliri pateretur. Dum hæc aguntur *Schemnicii*, adeſt *Emerici Tökölii* emiſſarius, qui redacta in fiſcum bona ſua, cum centum mille imperialium reditibus, acrius repeteret: quippe, quod ea, minori natu *Rákóczii* filio, tamquam ſuo, ex priuigno nepoti, iure hæreditario, adtribuerit. Atque ſuſtentata omnino a *Bertsénio* fuit, aliquantiſper, importuni hominis rogatio; quam tamen *Cæſariani*, ne audiere quidem, *Anglo* autem *Batani*, prorſus reiecere; eo quod, non *Tökölium*; ſed *Rákóczium*, Cæſari reconciliandum, pacandamque *Hungariam*, ſuſcepiſſent. Protracta, ad eum modum, vltra *Calendas Nouembris*, pacificatio, nec quidquam elaborantibus *Cæſarianis*, atque *Anglo-Batauis*, in nouarum offenſarum occaſionem, magno ſuo malo, verſa ab *Hungaris* eſt. Quid ergo agerent legati? VIII. *Iduum Nouembris*, relicto ſibi ipſi *Bertsénio*, quinto poſt die, re infecta, incolumes tamen, *Piſonium* redeunt, atque *Viennam* delati, rem inauſpicato geſtam, ad Cæſarem referunt: dum interim *Rákóczius*, vti palam teſtaretur, quantum ſibi, tribulibusque ſpiritus eſſet, XII. Nouembris *Ujvarinum*, obſedit, poſteaque, proditione intercepit. Iſta tunc *Schemnicii*, euentu, vti vidimus, ſiniſtro, atque *Hungariæ*, prorſus perniciabili, adminiſtrata ſunt.

conſeſſus mutuus:

fit pacificationis ſcopulus:

diſſuitur, conatu Cæſaris irrito.

§. XXVII.

Mala vrbis ex dominatione Rákócziano-rum, *reliqua*: Heilenbachii, *in iis auerruncandis, prouidentia & auctoritas*:

QVadriennium poſtea abiit, cum *Rákóczio*, ad *Trentſinium* profligato, *Schemnicium*, ex hoſtium poteſtate, potuit vindicari. Iliada ſcribi oporteret, ſi mala ea vellemus recolere, cum quibus, *Rákóczianis* dominantibus, conflictandum vrbi fuit: ne peſſundaretur penitus, *Hellenbachii* prouidentia, & qua, apud *Rákóczium* in primis valuit, auctoritas, effecere. Enim vero, tumultu, quem deſcripſimus, factus cautior, nihil curauit adtentius, quam ne fodinarum ſubſtructiones, & quæ huc adtinent, machinæ contemerarentur; continuarentur, deſtinatis locis, operæ, neque admitteretur quidquam, vnde metalla detrimenti aliquid poſſent capere: eo poſtea infelix, quod, diffugientibus *Hungaris*, atque *Löffelholtzio*, exercitum, ab irrita *Ujvarini* obſidione, adulto iam anni MDCCVIII. auctumno, in montanas vrbes ducente, *Rákóczium* ſequi fuit coactus. Abſentis enim ſubſtantia, quam per cœcos fornices abdiderat incautus, reperta & in fiſcum relata eſt. quæ res, diuitis antea viri fortunas, adeo adtriuit, vt, ab reduce, numquam poſtea potuerint reparari; tametſi, & adtento ad rem, & in prædia ſua, reſtituto. Vrbs interim, &, cum Cæſaris, tum ciuium metalla, dum ea iterum reuiſeret *Ludouicus Albertus L. B. de Tauonath*, ſummus montanarum præfectus, quaſi ſibi ipſis poſtliminio reddita, pulchre, & ex animi ſententia, refloreſcebant: atque profeciſſent omnino in melius, niſi peſtilentiæ vehementia, quæ annum MDCCX. fœdauit, & ciues numero diminuiſſet, & adfixiſſet metallicas operas: vltra *ſex mille* enim cadauera numerata fuiſſe, accepimus. quod ſane, non potuit non, vti vaſtiſſimis ſubſtructionibus, ita ſecturis etiam metallicis, damnoſum eſſe: quando pauciores ſuperabant, qui; ſeu redintegrarent cuniculos, puteosque; ſeu venas ſcrutarentur. Sic erant res *Schemnicienſium*, cum nondum vniuerſim pacata *Hungaria*, Iosephi I. indulgentiſſimi Cæſaris & regis, præmatura mors, nouas, & toto regno, & in metallis, conuerſiones, portendere videbatur. Ac recidiſſent omnino in nupera damna, niſi Eleonorae, cariſſimæ genitrici ſuæ, Carolvs III. tunc pro *Hiſpania* dimicans, regna ſua, & in his *Hungariam*, gubernanda, egregio vſus inſtituto, credidiſſet. Exſtant, benignitatis eius, aduerſus montanas vrbes, non vna monumenta, quibus, & ab iniuriis ſecuras, & de fauore, adfuturi proxime regis filii, certas eſſe voluit. Is, vt ab *Hiſpanis* rediit, iamque Romanorum Imperator ſalutatus, ſceptra *Hungariæ*, anno MDCCXII. capeſſiuit, montanarum ciuitatum, & *Schemnicii* præcipue, adfirmata eſt perpetuitas. Præterquam enim, quod ratos habuit Eleonorae, actus auguſtales omnes, quibus, metallis tempeſtiue prouiderat; id dedit operam, vt, & priſtina iura confirmarentur *vrburariis*, & nouis auctoramentis prouocarentur, ad fodinas, ſcrupuloſius, eoque maiore adcuratione percolendas, quo exſtantiora fuerunt damna,

viri, ex Rákócziana *hac ſocietate, infelicitas*:

peſtilentia contagium, vrbem, Cæſari *reddítam, adfligit*:

Ioſepho I. *mortuo*, Carolvs III. *pro Hiſpania dimicans, matri* Eleonorae, *regnum, & montanas vrbes commendat*:

reducis inde benignitate, refouetur Schemnicium:

mna, quibus regium ærarium, *Rákócziana* illa tempeſtas, adflixerat. Obſecundauit æquiſſimis mandatis, præfectus *Tauonathius*, breuique ad eum modum reparauit omnia, vt haud difficulter, iniuriarum, quas paſſi fuerunt metallici, potuerint dememineſſe. Hæc agentem adſidue, mors ſuſtulit, ſenio, & rei bene adminiſtratæ, laudibus, grauem. quæ, ne detrimenti quidpiam *Schemnicio* adferret; venere ad vrbem delegati a CAESARE, *commiſſarii*, ea inſtructi poteſtate, vti metallorum habitum, procurationem, operas omnes, & horum præfectos, quam poſſent, adcuratiſſime pernoſcerent; explorarent penitus, quemadmodum augeri in maius poſſint reditus; quidque in tota eorum adminiſtratione, deſideratum fuerit hactenus, quid ſtatuendum poſtea? Magna ea res, contentione agebatur diutius; ſed vix alio fructu, quam quod intellexerit CAESAR, curandis metallis, nouum iterum dari oportere præfectum. qui, & ipſe, gnarus amansque eſſet metallurgices, & *vrburarios* ſciret, ad eandem diligentiam accendere, accenſis, cum ratione, & ſine iniuria, moderari. Ergo, *Ioſephus Andreas Wenczel, L. B. de Sternbach*, ex Tyroli, a metallis ſuis excitus, in eam prouinciam mittitur, exſequitur iuſſa, atque toto eo tempore, dum magiſtratui huic præeſt, eum ſe præſtat, quo, nec CAESAR habere poterat diligentiorem, neque *vrburarii* meliorem optare. Illud aduerſum eſt ab adtentioribus, vix alias vnquam; ſiue in excolendis veteribus ærariis, ſiue in nouis perſcrutandis, feruentius elaborauiſſe, indefeſſum alioquin *vrburariorum* ordinem: ita ille nouerat, hos, redituum ſpe oſtentata, illos, muneris iniecta neceſſitate, eo, quo volebat, inflectere. Sed, inuiderunt, ſolertiſſimum virum, fata, rei noſtratium metallicæ: quando, morbis, ex laborum, quos vltra, quam debuiſſet, ſubibat, nimietate, contractis, florentiſſima ætate, vitam, cum morte commutauit. Verum enim vero, quæ fuit CAESARIS prouidentia, iacturam ille, viri optimi, ita refecit, vt habeat *Schemnicium*, cur in ſinum ſibi gaudeat. Miſſo enim, *Iohanne Nepomuceno, L. B. a Mitrovszky*, primum *Commiſſario*, dein, ſummo rei metallicæ præfecto, nihil non fecit, quod ad recreandas operas, confirmandos in ardore ſcrutandi, *vrburarios*, augendos fodinarum prouentus, continendos in officio, & omnes, & ſingulos, ſiue opus eſſe videbatur, ſiue neceſſum. *Feliciter!*

Tauonathii metallorum ſummi præfecti, adſiduitas, morte interuertitur:

cui, B. ab Sternbach multorum laudum vir, ſuffici-tur a Cæſare:

de vita de-cedit:

Iam, L. B. Mitrovsky rei metalli-cæ moderatur.

§. XXVIII.

FAta hucusque vrbis ediſſeruimus. Iam poſtea, incolas, metallorum rationes, atque adminiſtrationem, publica item priuataque ædificia, videre iuuabit. De priſcis *Schemnicii* incolis, & horum diſſidiis, ſupra (z.) egimus: de hodiernis ergo dicendum ſuperat. Sunt, nimirum *Germani* hodieque, & *Slaui*, ſed illi his, multis modis potiores. Lingua Germanorum, ad *Saxonica* dialecti elegantiam, proxime accederet, niſi aduenarum, ex *Auſtria*,

Dicendum porro, ſuperat:

Incolæ Schemnicii hodierni. Germani, Slauis potiores: illo-

z.) Paragrapho V. & VI.

rum dialectus: *ſtria*, atque *Tyroli*, ſubinde immigrantium, conſuetudine atque imitatione, admiſiſſet iam pridem quidpiam, alienum a Saxonici oris lepore. Præterquam enim, quod vulgus, moduletur quaſi pronunciationem; truncat ſubinde vocabula, dicitque: *Vate*, *Mutte*, pro *Vater*, *Mutter*; vt phraſes integras, *Schemnicienſibus* proprias, & ex ſe illepidas, & ingratas auribus peregrinorum, taceamus. At, qui loco nobiliore ſunt nati, atque educati liberalius, culto vtuntur ſermone, neque abhorrente a venuſtate *Saxonica*; ſi accentus diuerſitatem excipias, apud feminas potiſſimum delicatiores. Alia omnia ſunt in eorum dictione, qui Germaniam inuiſerunt; ſiue enim ſcribendum ſit, ſiue ſermocinandum, ſciunt illi comte non minus, quam exaggerate, id, quod res poſcit, expromere. Linguæ hanc elegantiam, decori mores ornant, tuetur liberalis, & facta ad laborum patientiam, indoles. Pulchre eos pinxit RICHTERVS noſter. (*a.*) *Oſtentationi, emto vultui, & fallacibus blanditiis, locum non relinquunt, qui omnes mentem ſeueram & ſtudia, in ardua & difficillima antra, adamantinam duritiem, & curas prouidas alias, defixa tenent & conuerſa. Mores, in tanta diuerſitate inhabitantium, recte tamen regioni reſpondent. Omnibus enim concatenati incumbunt labores, nec niſi deſudantes*

morum elegantia; Richteri verbis, deſcribitur:

præmia certa manent.

Manſueſcunt his ærumnis feroces, & indomiti, humanique, comite facundia, redduntur. Hinc enaſcitur, prona, in hoſpites creberrimos, voluntas, & in reliquos, frontis pariter, & animi caſtigati, collecta modeſtia. Non angit, aut adficit eos deſiderium eorum, quæ foris aguntur, quorum eſt a lare incipere, vbi fama communis diſcurrit confertque, meditari, differere, communicare, dubitare, lugere, ſperare, delectari. Curæ metallicæ, cum iis hoſpitantur & pernoctant. Atque his, non aliis ſermonibus, nouorum cupidos, erudire ſolent; cum ipſis, indefeſſos eſſe conueniat, quibus ex opere redeuntibus, domi demum, noua negotia parantur. Enarrantes, perpetim percipere licet, de periculis, ſpe ſolatrice, venis ſaxi duriſſimi, in partem ſciſſis, interueniis, dæmonibus metallicis, omen addentibus, ſexcentis aliis. Mouerunt hæc ingenia, vt horum, ex quibus admiratio ipſos inceſſit, panegyricum conſcriberent. Ex hac item indole, obſtetricantibus mentis conceptibus, varie metallici adficiuntur, & permouentur; læti, ſubtriſtes, ſolliciti & anxii, numquam non, tamquam ex antro Triphonis egreſſi, palleſcentes, ipſa tandem macie conſumendi. Obſeruarunt alii, noſtrorum plurimos, tamquam ſui oblitos, ceruice inclinata, incedere emproſthonos, quaſi apud ſe, de crypto-porticu quadam, aſſidue agerent, ſaxaque imminentia, etiam ſub dio, deuitare conarentur. Ex aſuetudinis hæc ſunt imperio profecta, quod læſos ſe, & ſaucios ab iis ſæpe factos, reminiſcuntur. Atque hoc in argumento, inuidia & obtrectatio, laudis famam rodere ſueta, ad ſaliuam ſuam remittenda eſt. quæ, cum montanas lacerarint alias, noctesque diutinas, aut eſſeda ſplendida ſomnians,

a.) In MSCto. Meletemate §. XXIII.

ſomnians, iis adſinxit; hoc quoque loco, licentia ſolutos, & tantum non pampineis coronatos frondibus, comminiſcitur & confingit; non tamen niſi cum Tragelupho, notabit. Halitibus autem venenoſis, & herculeis laboribus exeſos, quando vitiginei latices confouent, longe oportet eſſe ab iis, qui otio diffluunt, ſub vite late ſuccreſcente, dulcedine faſcinati, thyrſos & anacaum geſtantes. Hæc ille, docte non minus, quam ex vero. quæ iam recognoſcemus.

§. XXIX.

Ciues, vrbium montanarum, quo ſint temperamento-rum habitu?

DIximus alibi, diuerſe, montanarum vrbium ciues, naturam efformauiſſe: vnde non poteſt non, diuerſa corporis, & ingeniorum promanare temperatura. CREMNICIENSIBVS, (abſit iniuria dictis) *ſanguineo-phlegmaticum* eſt temperamentum. *Sanguineo-Melancholicum*, NEOSOLIENSIBVS; *Cholerico-ſanguineum*, SCHEMNICIENSIBVS. Quid habitus iſtiusmodi, in mores inuehant mortalium, ſciunt, quibus datum eſt, ad ingenia hominum, moresque, impenſius & pro vniuscuiuſque habitu, adtendere. Nihil opus eſt, *Cremnicienſium*, & *Neoſolienſium* reminiſci. *Schemnicienſibus*, ex hac naturæ temperatione, ingenium obtigit, erectum, & ad res arduas, non occipiendas tantum; ſed exſequendas etiam, ſuſtentandasque, factum. Hinc eſt, vt facile, haud tamen ſine ratione, in ſpem, immo confidentiam veniant, exiſtimationis diuitiarum, & nullius non opportunitatis vitæ. Quem illi inſtinctum, egregie, in colendis metallis, & ſequuntur, & ipſo actu, exprimunt. A ſpe certe, optimorum ſucceſſuum, ne tum quidem deiiciuntur, cum maxime iratum habent *Plutum*, atque venas exinanitas. Tunc vero, ad depellendam triſtitiam, amant ſe mutuo ſolari, & a conuictibus lætis, atque feſtiuis ſermonibus, præſidia quærere. Addunt, & lætitiæ patrem *Bacchum*; nunc per triclinia domi, nunc, per hortenſes ſeceſſus foris, prouti ſunt anni rationes, mutuo, non læte tantum ac hilariter; ſed laute etiam atque adparate, conuiuentes. Erat, dum reſpondebant metalla, vt, non vnis menſis, in vrbe, iuxta & ſuburbano, diſcumberetur: audirentur, quaſi alternis certantes, cornicines, tibiæ, fides ac tympana. Ergo, reſonabant, felices tunc valles, & ſuſpenſa hinc atque illinc viridaria, non vno ſymphoniacorum concentu, an ſtrepitu. Mira hæc res videbatur peregrinis, ac ſimilis fere, ſeculo illi ſaturnino. Nam, hos quidem in primis, non oppipare tantum, ſed & prolixa cum beneuolentiæ teſtificatione, certatim, & quaſi inſtitutis repotiis, accipiebant. Audiendus eſt TOLLIVS *(b.)* qui comem hanc *Schemnicienſium* elegantiam, fuſe prædicat. *Huic voluptati*, (quam ex ſpectata oeconomia metallica hauſerat) *ſucceſſit alia, quæ non tam ferculorum, quamquam ea & hoc, & ſequenti die, lautiſſima menſæ illata; quam ipſa præbentium lata comique prolixitate, plurimum placuit.* Atque iterum: *Egreſſum e fodina, & his ſpoliis* (dona fuere metallica, quibus

Schemnicienſium *indoles moresque*

in peregrinos, prolixa humanitas: Tollii *verbis & experientia, adſtruitur.*

b.) Epiſt. Itineraria V. p. 160.

bus honeſtatus fuerat) *exſultantem, alio latitiæ genere exhilarare, conati ſunt, quibus id ab diſpenſatore* GLANSCHINKIO negotium datum fuere. *Prandium enim lautiſſimum adpoſitum eſt; nec deerat latitiæ dator Bacchus: ſed multo illud adparatius, & exquiſitius fuit, quo me* GLAVSCHIKIVS, *poſtridie domi ſuæ excepit: vt mirarer ipſe, tantas, in his montanis oppidis, inueniri lautitias. Multis tamen partibus, magis animum viri humaniſſimi candidiſſimum, & in omnem elegantis, & minime fucatæ comitatis demonſtrationem effuſiſſimum.* Eſt hoc omnino, in laudibus *Schemnicienſium*, hodieque referendum, quod nullo non exquiſitæ humanitatis genere, peregre aduenientes, perſequantur. Nam, euenit frequenter, cum pace ſua fruitur *Hungaria*, vt ex transmarinis etiam regionibus, *Anglia*, *Suecia*, *Dania*, ne quid *Germaniam* memorem, accedant ad vrbes montanas, docti & metallurgiæ cupidi viatores. In quibus, ſiue erudiendis, ſiue, læto lautoque conuictu comiter accipiendis, nihil *Schemnicienſes* faciunt reſidui: addunt, non vnius generis metallorum fragmenta, vt & domi habeant olim, quo *Schemnicienſium* beneuolentiam, ſibi in memoriam poſſint reuocare. quæ ſingula, quod ita ſe habeant, fidem ego, & gratum animum, omnium, qui vnquam adiere *Schemnicium*, peregrinorum, obteſtari nihil dubito. Laudat poſtea TOLLIVS, cum vniuerſim, omnium rei metallicæ præfectorum, tum aliorum quoque. RAVSCHERI puta, STEPHANI PILLARIKII, Lutheranorum paſtoris, & fratris ſui ANDREAE; item GRVBERI, montium præfecti; SEIDSII, auri ſeparatoris; HELLENBACHII, tum medicinæ doctoris; REÜTERI, & aliorum propenſam erga ſe voluntatem. *Itaque, vix*, pergit ille, (*c.*) *ac ne vix quidem diuelli ab amicis & Schemnicio diſcedere poteram, ita me illorum prolixa humanitas, & indagandarum in fodinis rerum, dulcedo, ineſcarat.*

§. XXX.

Familiarum Schemnicienſium *habitus:*

SIc ergo ſunt *Schemnicienſium* ingenia facta, ſcilicet, ad omne decoris & honeſtatis, ſtudium. Paucæ ſunt, in familiis, quæ auorum atauorumue nominibus poſſint gloriari; communi vrbium *Hungaricarum* fato. Neque tamen ideo, nouos homines, indiſcrete omnes, poſſis dicere: quippe quos; aut illati in *Hungariam*, ab exteris, tituli meritaque, pridem nobilitarunt; aut, editi, intra has valles, præclari actus, vetuſtiſſimis quibusque familiis, pares fecerunt. Paucitatis huius cauſſas, facile eſt expromſiſſe. Nempe, priſcis *Saxonibus*, qui primi eruere, his oris, metalla inſtituerant, ſenſim, ſub peregrino cælo, emorientibus, tametſi ſuperabant hæredes; tamen, quod regio, cum hoſtium, tum ciuium irrequiete, perpetuo fluctuabat; vel ad ſuos, calamitatum inſueti, poſtliminio, demigrabant; vel ſuccumbebant malis, antequam genus, validiori traduce poterant propagare. Tunc vero, eueniebat non raro, vt migrantibus his, ſuccederent alii, memoriam anteceſſorum, nouis iſtius-

paucitatis cauſſa:

Inibi p. 169.

ſtiusmodi coloniis, obliterantes. Ergo, non potuerunt inualeſcere familiæ; ſaltem, ante deficiebant, quam, ſeu ſuis ipſorum incrementis, ſeu adſcitis adfinitatibus confirmarentur. Neſcio, an aures dandæ ſint, eorum ſuſurris, qui, breuem hanc metallicarum familiarum ætatem, in ipſo vitæ genere, & quærunt, & inueniſſe putant. Aiunt nimirum; ſicuti diuitias, ex metallorum reditibus partas, fluxas eſſe, raroque in tertium hæredem deriuari, perdurareque; ita, familias ipſas, tunc intermori, cum ſpem de ſe faciunt, longæ olim ſeræque poſteritatis. quod iam non diſputo. Enimuero, nunquam *Schemnicienſibus*, & inter has conuerſiones, ad noſtram vsque ætatem, defuere nomina, quæ, & vrbi decus, & metallis, præcipua quædam incrementa, ornamentaque conciliarint. Meruere per ſæpe, vt, vel in aulæ familiaribus referrentur a Cæſaribus; vel in nobilium, quin & magnatum numero, cenſerentur; vel torque donarentur: & hi quidem obeundis legationibus, illi arduis quibusque rebus adminiſtrandis, admouerentur. Referemus vetuſta ea nomina, a tribus retro ſeculis, in noſtram vsque ætatem, celebrata. In his ſuo merito cenſueris: *Georgium Cerendel*, *Erasmum Reſelium*, *Iohannem Prennerum*, *Iohannem & Michaëlem Salios*, *Michaelem Sicelium*, *Paullum Rubigallum*, regium, anno MDCX. legatum, filium ſuum *Theodorum*, *Hieronymum Moldnerum*, *Quirinum Slaherum*, *Cunzium*, *Conradum Schallium*, *Sigismundum Weltzerum*, *Nadleros*, *Lorberos*, *Rittmülleros*, *Fichteros*, *Friſchouiczios*, *Baueros*, *Keyſeros*, *Reüteros*, *Ehrenreüteros*, *Hainrichios*, *Limpachios*, *Wengeros*, *Lanſeeos*, *Hohenbergeros*, *Armbruſteros*, *Ujfaluſſos*, *Jánokios*, *Schmideggios*, *Zwittingeros*, reliquos. Quanta horum, cum omnium, tum ſingulorum, de æratiis *Schemnicienſibus*, fuerint merita, difficile creditu eſt. Enim vero, ſub idem tempus, idque ſine ceſſatione, *Septuaginta*, vt Reüterii & Sicelii; *Nonaginta & centum*, vt Moldneri, Slaheri; *ducentas* item, & *plures* ſecturas, ingentibus impenſis, excolebant. Quot nomina, tot fere ſocietates metallicæ, adunabantur, quibus ſua fuere *Tabularia*, quas Germani *Schreibſtuben* vocant. In quibus, præcipuam hodieque merentur famam: *Prenneriana*, *Saliana*, *Schalleriana*, *Weltzeriana*, *Oederiana*, *Rubigalliana*, *Cunziana*, *Sicelianaque*. Vtinam eſſent adhuc, qui, hæc tanta nomina, atque molitiones, & vellent, & poſſent, cum fructu æmulari! His, ob vrbariorum iura, quæ tenuere, *Comitem Montecuculi*, *Barones Rottalios*, & *Hellenbachios*, hodie *Spielenbergios*, tamquam præcipua quædam, ætatis noſtræ, decora, accenſueris. Atque, hi quidem, in primoribus ſunt habiti, qui, cum metallurgices ſcientia, meliorum litterarum ſtudia, laudatiſſimo connubio, ſociabant. De horum, & his ſimilium indole, accipiendus eſt TOLLIVS (*d.*) *Ingenia incolarum*, inquit, *ad omnem humanitatem proclinia, plurimaque, optimis artibus & litteris exculta: inter quæ, primis auſpiciis, viſus mihi eſt, Doctor Medicus* HELLENBACHIVS, *qui argenti*

an, in ipſo vitæ genere, quarenda?

vetuſta, & recentia, in familiis Schemnicienſium, *decora:*

earum, de ſecturis Schemnicienſium, *inſignia merita:*

de indole, TOLLII *locus & laudes.*

d.) Epiſtola toties citata, p. 152.

Rauſcheri eruditio.

genti mineras oſtendit mihi longe ditiſſimas : Porro Iohannis Christophori Ravscheri, *Iuris vtriusque Licentiati, & Ciuitati a ſecretis, viri ad omnem comitatem facti, inexſpectata & elegantiſſima eruditio, plurimum voluptatis, ob ſtudiorum adtulit ſimilitudinem.* Nempe, in morem, priſca, & ſuperiore ætate abierat, apud *Schemnicienſes*, vt peregre, adoleſcentiam ſuam mitterent, cum ad bonarum litterarum mercatus; tum, ad pernoſcenda *Germaniæ* metalla, & referenda inde, liquandi, ſecernendi, atque fundendi compendia. Ergo, numquam eruditis caruit *Schemnicium.* quod & ipſum Tollivm, in admirationem rapuit. *Proximus* huic, Glanschinckivm intelligit; *bene de me promeritis, ac inſigni humanitate,* Ravschervs *fuit, qui plurimis me electiſſimisque metallicis auri argentique fruſtulis, aliisque, foſſilibus rarioribus, non modo domi ſuæ, cum eum inuiſerem, donauit; ſed & in diuerſorium meum aliquam multa adtulit, ac doctis vtrobique, & omni humaniorum litterarum ſale conditis ſermonibus refecit, dicam, an eruditiorem dimiſit? Vidi certe, quod me in his oris, minime viſurum putaram, multa, ad multos ſcriptores, veteres & recentiores, docta manu, adnotata: & in his, ad* Thomasivm, de Plagio litterario, *& ad* Placcii, de ſcriptis adeſpotis, *non contemnendam acceſſionem: tum &,* Chorographicam Regni Hvngariæ *tabulam; multo etiam, quam quæ prius ab eo correcta, &* Viennæ *ab* Hartvngio *vulgata eſt, emendatiorem. Scripſi, ea de re, ad amicos Batauos: nec dubito, quin, vti promittebat vir ille eruditiſſimus, ſua, cum illis, additamenta, communicaturus ſit: indigna certe, quæ publica luce diutius careant.* Hæc ille. Nempe:

admirationi fuit Tollio:

Habitarunt Dii quoque ſiluas.

auctoris, de eo, iudicium: & circumpoſita ei encomia:

Profecto ita eſt, fuit Ravscherus, ad miraculum vsque doctus, quique ætatem omnem, poſt publici muneris procurationem, in meliores litteras, reditus autem, in optimos quosque libros, impendit. Quia enim, *ſine impedimento*; ſicuti inquit ille, hoc eſt, cœlebs vixit; *Muſas* in contubernium, non modo, ſine offenſæ metu *(e.)* admiſit; ſed ita etiam percoluit, vt dubium fecerit, ipſene, *Muſis*, an *Muſæ* digniores fuerint Ravschero? Reliquit bibliothecam, non tam numero inſignem, quam ſelectiſſimis, ex omni diſciplinarum genere, auctoribus refertam. ad quorum ille margines, notas adſcribebat, vti eruditiſſimas, ita lectionis exaggeratiſſimæ. Hoc nequeo dedolere, quod in hæredes inciderit, librarius ille theſaurus, & doctiſſima eius, quæ in litteras retulerat, multiiugæ eruditionis, commentaria; vti alienos ab eruditione, ita incurioſos tantorum cimeliorum. Ergo, libri quidem, varie per hæredes ſparſi, prorſus fere euanuerunt; quæ autem manu ſua exarauerat,

inſignis, docti viri, bibliotheca, & commentaria, ab hæredibus turpiter diſſipantur.

(f.)

e.) Eminuero, ſolent non raro, graues eſſe maritis, eruditorum vxores, ſi, & ipſi adſidui ſunt in ſtudiis, & impenſam in libros faciant, quam pro mulierum voluntate, liberaliorem. Huc facit Ivvenalis illud: *nihil hæc ſi nolet, emetur,* Sat. VI., 213. lege totam.

(*f.*) vel negligenter habita, computruerunt, vel certe concerpta, & ad fœda miniſteria, proh facinus! reiecta ſunt. Ite nunc MVSAE, & ſi quis vobis ſenſus ineſt, deplorate veſtrum! nos certe, ſine crimine, nequiuimus ſilere, virum æterna dignum memoria. Vtinam nobis fata plures indulgeant RAVSCHEROS!

§. XXXI.

Incolarum Schemnicienſium, ordo triplex:

HAec, de primoribus. Reliqua *Schemnicienſium* multitudo, trifariam diſpeſci conſueuit: nempe; in *Vrburarios*, *Ciues*, & *operas* metallicas. De ciuium ordine, non eſt quod maximopere dicamus, opificiis illi diſtinentur, & mercaturæ ſtudiis; more vrbibus omnibus familiari. VRBVRARIORVM (*g.*) præcipua eſt exiſtimatio, eoque ſubinde amplior, quo maiore induſtria, dexteritate, atque impenſa, percolendis metallis nauant operam. Peculiaria his ſunt iura, quæ a priſcis regibus acceperunt, atque tuentur hucusque, ea obſeruantia & adcuratione, quæ poteſt eſſe maxima. Ac poſcebat ſane res, vti arduo labori, & in commune vtili, operantibus; non ſecura modo fierent omnia, ſed immunitatibus etiam præmunirentur, quas nemo, niſi nefarius eſſe velit, poſſit conuellere. Admittuntur ad ſpectatiſſimum ordinem, omnes, quibus volupe eſt, terræ viſcera rimari, & cum ſpei, tum impenſæ, facere periculum: ſed certis tamen legibus, quas codex habet iuris (*h.*) aurarii. Placet CL. RICHTERI noſtri, de VRBVRARIIS, commentatiuncula, quam ideo adtexemus, ſed in compendio. *Nomen vrbariorum*, inquit, *etſi noſtris non plane ſit peculiare; in primis tamen apud* Schemnicienſes *viget, atque ita eſt comparatum, vt cum alibi fuerit ignotum in montanis noſtris, latina quoque ciuitate ſit donatum. Ipſis Vrburariis, curata ſint oportet omnia: quippe qui, in eruendis metallis, ſingula, ad ſtrictiſſimas leges examinare, & ex earum præſcripto, exſequi coguntur. Venas eruere, vel in deſertas denuo inquirere, aut* Καινοτομίας *inchoare, nemini permiſſum eſt, niſi qui nomen ſuum apud præfectum profeſſi ſunt. quas deinde palis ſub dio defoſſis, in areas dimetiuntur*, (*i.*) *& quotannis præfecto indicandas, repetunt; ſecus in poſ-*

Vrburariorum præcipuus qua horum fine ira:

f.) Venerunt, fato meliore, fragmenta quædam, in manus noſtras: ex quibus argumentum cepimus, inuſitatæ eruditionis, atque indefeſſi ſtudii. quod toties, & miramur, & ſuſpicimus, quoties, in oculos nobis incurrit, ſcitiſſima, quam poſſidemus, viri icon. Fuit is, præter ſedentariæ vitæ modum, obeſus; vultu nihil non referrens, quod, de animi habitu, teſtaretur.

g.) De origine vocis, diximus quædam in Hiſtoria Vrbis Cremnicienſis, ad §. IX.

h.) Germanice: DIE BERG-ORDNVNG. Quem quod MAXIMILIANVS Imperator, & Hungariæ Rex, inſtaurauit; hodie, DIE NEÜE, aut MAXIMILIANISCHE BERG-ORDNVNG, adpellant, *mit der Cremnitzeriſchen und Schemnitzeriſchen Erläuterung*. Codex hic, ſeu CORPVS IVRIS METALLICI, anno MDLXXI. publica regis auctoritate, introductus eſt: cum antea, partim regum diplomatibus, partim adprobata conſuetudine, res metallica adminiſtraretur.

i.) Tum vero, apud metallicos Migiſtratus, ſcriptione teſtatum fit, quibus areis palisque ditionem ſuam deſignarint, muniuerintque. quod quidem inſtrumentum, ſolemni voce adpellant, *Die Friſtung*, ſeu *Das Friſtungs-Zettl.*

Digitized by Google

ſeſſione haud perſtituri; omneque, quod inde eruitur æs, pro metallo agrapho notatur. Quamprimum vero, ex metallis, certi continuatique fiebant reditus, reges, certam aliquam eorum partem, ſuo iure, in ærarium inferri mandabant, quod tributi genus VRBVRAE, *& qui id pendebant,* VRBVRARII *dicti ſunt. Et primitus quidem, ærario, ſeptima pars metalli inferebatur; vnde & lucrum Cameræ dicebatur* VRbura: *hodie, pars admodum viceſima, Cameræ cedit. Editis porro ſanctionibus, atque ſuſceptis votis procuratum eſt, vt erga Archiepiſcopum Strigonienſem, aliquod exſtaret certi ponderis documentum, quod* PISETVM *dictum volebant. Atque ſic, cum vrbura,* Piſetarii *etiam innotuerunt.* De quibus egimus alibi. (*k.*) Pergit laudatus RICHTERVS: *Vrburariorum inſtituta, atque rei metallicæ tractandæ ratio, ad præſcriptum iuris exigitur, quod a* MAXIMILIANO II. *ſancitum, nomine tanti principis hodieque condecoratur. Alioquin, iidem vrburarii plures prærogatiuas obtinuerunt, atque in iis, peculiare ius oenopolii, quod eis Auguſtiſſimus pater patriæ, benigniſſimo (l.) diplomate adfirmauit. Ceterum, quo quis, ex Vrburariis plures in metalla ſumtus facit, eo maior ipſi habetur honor & dignatio. Præterquam enim, quod a magiſtratibus metallicis, cum res poſcit, in conſilium adhibeantur, coeunt & in vrbico prætorio, ibique honoratioribus ſubſelliis accepti, conſulunt in commune.* Ita RICHTERVS. Neque eſt omittendum; *Vrburarios* non opus habere, vt iura ciuitatis capeſſant, poſſunt enim, ſine iis potiri ſua libertate: tametſi non pauci ſint; quibus, cum ciuica illa, & *vrburaria* hæc prærogatiua, communis eſt.

prærogatiua.

§. XXXII.

Vrburariorum *magiſtratus:*

PORRO, ſui, *Vrburariis*, magiſtratus ſunt metallici, qui lites eorum cognoſcunt, diſputant, & ex priuatis ſuis legibus, curatiſſime dirimunt; adtendunt ſecturis, & qui in his fiunt, metallariis laboribus; ne quid, ſeu oſcitantiæ ſubrepat, ſeu doli mali; contra, pro eo adminiſtrentur omnia, atque id legum vigor, in regem fides, & nudum, erga publica commoda, ſtudium, depoſcit. Si alibi enim, in ſocietate humana rite moderanda, adcuratio requiritur, & coniuncta cum fide ſedulitas; in rei metallicæ adminiſtratione, id, cum primis fieri, non opus modo eſt, ſed & neceſſe. Moderatur *iudicio* hic *metallico*, præfectus metallariorum, idque cum imperio, & adſcriptis ſibi conſeſſoribus. Hos, ſummus ærarii montani præſes deligit, quem admodum, pro rerum habitu, plures paucioresue, ad cauſſas metallicas, diſputandas, res ipſa videtur poſcere. Viros autem oportet, vti gnaros rerum, quæ ad metalla, ſecturas, & harum omnis generis operas, ſubterraneas eas, aut ſubdiales, adti-

ſenatus metallici, præſes & conſeſſores:

k.) In Hiſtoria Vrbis Cremnicienſis §. VI.

l.) Id Germani, DIE NEUE WEIN-ORDNVNG vocant. Cœpit vero nouum illud inſtitutum A. MDCCXVIII. die X. Iunii. quod eo iam obſeruatur ſtrictius, quo plus *Vrburariorum* intereſt, ne lucroſa hæc prærogatiua, aut lædatur, aut vertatur in abuſum.

tinent; ita, tenaces recti iuſtique, & quibus volupe eſt, iura metallica, tueri, & cum omnium, tum ſingulorum commodis, atque incolumitati, ex æquo fauere. Capiunt autem, a montano hoc ſenatu, iura ſua omnes, qui, quoquomodo coniunctas habent rationes cum publica, aut priuata metallorum procuratione. Ergo, ſiue in his cenſeantur, qui muneris aliquid apud fecturas adminiſtrant; ſiue in honeſtiſſimo *Vrburariorum* ſint ordine; ſiue opus in metallis faciant; hinc omnes pendere, neceſſe eſt. Adparet hinc, laborioſum iſthic eſſe, prætoris munus; quando, vix abit momentum temporis, quin, emergant, in tot millenis operis, & horum moderatoribus, lites, aliæ aliis grauiores; omnes tamen ita comparatæ, quibus audiendis, & aurem facilem, & adtentum animum, prætorem decet præbere. Si cauſſæ ſint exiles, neque trahentes momenti quidpiam, penes prætorem eſt, ex arena eas cognoſcere, diſputareque; ſin habeant aliquid, quod, aut indagandum eſt ſagacius, aut vehat aliquid peſſimi criminis, vel prorſus legibus, idque cum exſtanti aliorum iniuria, contraeat; vel metallicas rationes atque operas, perturbet; tum vero demum, in totius ſenatus metallici conſeſſum, res deferri, & illic diiudicari, conſueuit. Neque autem ſubreptitium eſt iudicii genus; ſed, cum a MAXIMILIANO Imperatore ac rege, ſicuti diximus, ſaluberrimis legibus circumſcriptum; ita, noſtra ætate, publica anni MDCCXXIII. ſanctione, adfirmatum. quæ ſic habet: *(m.) Judicia Montaniſtica, ſecundum priuatas eorum leges, vltra ſeculum ſtabilitas, in ſuo eſſe manebunt.* Qua ſane lege, non modo ratum habetur *Maximilianeum* illud *Corpus Iuris Metallici*; ſed, & totius, quod ad illius præſcriptum, inſtructum eſt, iudicii forma, & quæ ei obnoxia ſunt, cauſſarum momenta. Qui hic, aut detractum de iure ſuo quidpiam; aut cauſſam ſuam, non pro eo diſcuſſam iudicatamque, quemadmodum id, leges metallicæ ferrent, quiritari ſuſtinent: his, *Adpellatio* conceſſa eſt, ad ſublimius illud tribunal, vbi ſupremus *Montanarum* præfectus, ſeu *Camergraffius*, cum reliquo ſenatu, cauſſas recognoſcit, atque ius dicit. Magna, apud omnes, iudicii huius reuerentia eſt, neque minor in diiudicandis cauſſarum momentis, adcuratio atque ſeueritas. Quod vtrumque fieri neceſſe eſt; quando iudicii huius ſententia, neque adpellari aliorſum poteſt, neque reformari a quoquam: idque ex iuris *(m.)* metallici dictamine. Atque, excelſi huius tribunalis gloria, *Schemnicienſium* fere propria eſt; eo, quod ſupremi ærarii metallici præfecti, iſthic potiſſimum, ſedes ſuas, æquiſſimis de cauſſis poſuerint.

qui ab eo iura capiant?

eius auctoritas:

ſit hinc ad ſummum Montanarum Præfecti tribunal, adpellatio.

§. XXXIII.

MEntio hæc, quam habuimus, ærarii metallici præfectorum, quin & ipſa muneris dignatio, neceſſitatem nobis imponit,

Præfectorum ærarii catalogus.

m.) Articulo CVIII.

n.) Neüe Berg-Ordnung, Art. XXXVII. §. II.

nit, vti nomina eorum recolamus, quorum memoria, partim in publicis libris, partim tabulis, aut chartis aliis, hodieque perſcripta legitur. Fuere autem:

Anno: 1478. *Georgius Cerndelius*, Germanis *Körndl.*
1483. *Johannes Dettelbacher*
1493. *Petrus Schaider*, Cremnicii æque ac Schemnicii.
1497. *Erasmus Reſelius.*
1498. *Petrus Schaider*, iterum, & *Matthias Tentzler.*
1503. *Seiffriedus Pieſch*, qui & *Seuerinus* dicitur.
1504. *Iohannes Thurzo*, generalis Camerarius.
1520. *Vitus Öder.*
1524. *Bernhardus Bohemus.*
1529. *Iohannes Dubrawiczky*, generalis Camerarius.
1536. *Bernhardus Bohemus*, iterato.
1537. *Petrus Matthæus* de *Gin*, Camerarius generalis.
1540. *Petrus Hilteprant.*
1542. *Thaddæus Bartfelder.*
1543. *Hans Scharberger.*
1557. *Wolffgangus Roll.*
1560. *Nicolaus Kreüsl.*
1565. *Paullus Hartmann.*
1567. *Georgius Ritſchard.*
1579. *Wilhelmus Scheyerſtuhl.*
1589. *Georgius Egger.*
1596. *Laurentius Rottendorffer*, legatus & Commiſſarius regius.
1597. *Dauid Hagen.*
1599. *Laurentius Sommer.*
1600. *Chriſtophorus* de *Rappach*, Dynaſta in Prunn.
1608. *Matthias a Pœnſtein*, Camerarius ſupremus.
1626. *Iohannes* a *Wendenſtein.*
1633. *Gabriel* L. B. de *Ditrichſtein* & *Rabenſtein.*
1634. *Iohannes Schock*, Cremnicii & Schemnicii pro-Camerarius.
1649. *Vlricus Adamus Poppel*, Dynaſta de Lobkowitz, legatus Conſilii Aulici.
1650. *Georgius Andreas a Sonnau*, Baro de Reicheesbach, Conſil. Aulicus & Ciuitatum Montanarum Inſpector. *Wenceslaus Steiffenegger*, qui ſub Inſpectore a *Sonnau*, rem metallicam, tamquam Camerarius moderabatur.
1658. *Iohannes Conradus a Richthauſen*, dynaſta de *Chaos*, Monetarius per Auſtriam ſupremus & hæreditarius, Conſiliarius Aulicus & Camerarius.
1663. *Iohannes Andreas Ioannelli*, Baro de *Telvana*, dynaſta in S. Peter & Stein, Conſiliarius Aulicus.
1671. *Andreas Vichter*, Baro de Grub, Conſil. Aulicus.

Anno

Digitized by Google

Anno: 1693. *Ludouicus Albertus*, Lib. B. de *Thauonath*, Consil. Aul. Montanarum supremus Camerarius.

1723. *Iosephus Andreas Wentzel*, Lib. B. de *Sternbach*, Consil. Aul. Camerarius supremus.

1735. *Iohannes Nepomucenus*, Lib. B. de *Mitrowszky*, inter Consil. Cameræ Cassouiensis primus, Cameræ Aul. Consil. & Montanarum Director, fit anno,

1738. Camerarius supremus. FELICITER! & insigni cum accessione, largorum ex metallis prouentuum.

§. XXXIV.

Magistratus reliqui:

PRæfecti hi fuerunt, totius rei metallicæ: magistratus reliqui, iidem fere sunt, quos *Cremnicii* enumerauimus. Curiosius singulos, cum suis administris, & operarum partitione, haud tamen sine aberratione, TOLLIVS, (*o.*) designauit germanice; latine reddidit HENNINIVS, (*p.*) errores auctoris sui erroribus cumulaturus. quos iam non moramur. Metallicorum ordo, in scenam nunc producendus fuerit. Magnus horum est numerus, quique, quod pro venarum, ditiore pauperioreue habitu, subinde variat, certo definiri haud potest. TOLLIVS, suo tempore, quo *Schemnicii* diuersatus est, *bis mille centum quadraginta quinque*, operas recensuit, quæ, per octo horarum spatia distributæ, intra & extra fodinas, opus faciebant. At, plures sunt omnino hodie, pro fecturarum amplitudine. Nisi me fallit memoria, cum vltimum ærarias *Schemnicienses* recognoscerem, de *sex mille* operis, relatum accepi. Indigenæ hi sunt plerique omnes, ac *Germani* quidem potiores, pauciores *Slaui*. *Sternbachius* ante hæc tria lustra, integras popularium suorum colonias, e *Tyroli*, huc deduxerat: quod crederet, adsiduum magis genus illud futurum; eo quod adsuetum sit viuere parce ac continenter. quæ eum tamen spes fefellit, quando aeris, & victus Hungarici insueti, emortui sunt sensim; qui autem superarunt, nostrorum hominum ingenium moresque sequuti, desciuerunt ab indole *Tyrolensi*. Nam, est hoc omnino damnandum, in metallicis huiatibus, quod cum vitam degant, ex se duram, & ancipitis plenam periculi; quæque exigua, in refractario operosoque labore, manupretia habeant; tamen, extra omnem modum feri sint, & in nullum non licentiæ ac lasciuiæ genus effusi, cum est eis, a difficillimo opere, feriatio. Tunc enim, quod hebdomadario sudore parauere, ad vnius diei, immo paucarum horarum festiuitatem, non secus profundunt, ac si hostium manubia, *Baccho* & *Veneri*, consecrarent, atque, turpi eo ritu prodigerent. Nimirum, vbi dominicus, aut festus dies alius, illuxit, curatis quomodocunque sacris, post macilentum prandium, in vinarias tabernas, cum vxoribus atque liberis; cœlibes cum deliciolis suis; agminatim, commigrant. Hic demum, alii aliis solertius, vinarios vrceos exi-

ordo Metallicorum:

horum numerus, neque definiri:

ingenium ac mores laudati:

o.) Itineraria Epist. V. p. 159.

p.) In Adnotationibus ad eandem Epistolam, numero 25. p. 207.

naniunt, ſeque tam diu, inter clamores & cantus obſcenos, ingurgitant, dum, a ſana mente deiecti, vel acti etiam in furorem, iurgari primum, mox & in verbera prouolare; alii, ſi ita per magiſtratus liceat, in orcheſtram proſilire, incipiant. Hæc eorum oblectamenta, ſi quis, ab ordine ſuo alienus, contemerare, aut litigantes, mutuo reconciliare ſuſcipiat; næ ille mihi, præmia refert, a pugnis fuſtibusque profecta, ac non raro, in liuidos tumores, quin cruorem etiam, atque vulnera, deſinentia. Abeunt demum, immo trahuntur in hoſpitia, vino onuſti; haud tamen ante, quam hora eos depellat, ad cuius ſonitum, tabernas vinarias, ex magiſtratuum præſcripto, claudi oportet: reliquum hebdomadis, inter eſuriales propemodum ferias, exacturi (*q.*) quando, id iis dies vnus abſtulit, quod, tolerando eo commodius, aſperrimo labori, in plures alios, cum parſimonia erat diſpertiendum. Neſcio, annon hinc arceſſendum ſit conſilium illud, quo haud ita pridem, operarum manupretia, antehac, in ſingulas hebdomadas pendi ſolita, in longiora interualla, prorogata ſint: vt adſueſceret forte, imprudens ac prodiga multitudo, ad rem adductius tutandam, adtendere. At enim vero, nec quidquam, tarda hac diſſolutione, profectum eſt hactenus, ſiue ad parſimoniam, ſiue ad caſtigatiores operarum mores; quin aduerſum eſt etiam, multo, quam antea, rei ſuæ familiaris, euaſiſſe incurioſiores: quando, quod ſibi negauit crumena; præſtructa id, vltra, quam ſint ſoluendo, fide, per tabernas & macella, promere adſueuerunt. qua re fit, vt vix vnquam ſuo, alieno autem ære, propemodum ſemper, vitam inopem trudant. Sed, quibus erectior mens obtigit, quique norunt ſecum habitare, & accepti datique rationes, curatius ſubducere, viuunt ſic ſatis commode, atque ſine exſtanti querela. Alioquin, omnis hæc metallicorum turba, bifariam diuiditur: vt alii quidem *Cæſarianis*, alii, *vrburariorum* ſecturis, operentur; vtrique tamen, iisdem legibus contineantur. quas quidem commemorare, ſuperuacaneum ducimus.

fruſtra his obuiam itum, tardiore manupretii diſſolutione:

ſunt Cæſariani *alii, alii* Vrburariorum.

§. XXXV.

Vrbis ædificia, & totus eius habitus:

VIdimus *Schemnicii* incolas, nunc eſt, vt vrbem ipſam, & huius ſacra profanaque ædificia, fora, vicos, atque mœnia portasque, deſignemus. Et vrbis quidem poſitum, ſupra (*r.*) deſcripſimus, cum *palæopoleos* occaſum, exortus contra vrbis nouæ, non tam ex noſtra, quam aliorum ſententia, meminiſſemus. Nunc, quid TOLLIVS (*s.*) de eo adnotauerit, retexuiſſe ſufficiat. SCHEMNICIVM *ipſum*, inquit, *quod adtinet, præaltis illud montibus, incingitur, inæqualique ſitu, nunc valles occupat, nunc montium radicibus ſenſim adſurgit: modicum oppidum, & pro incolarum numero, ſatis opulentum, ſuppeditantibus metalli fodinis, quæ hic plurimæ, & quidem ar-*

ex Tollio *deſcribuntur:*

q.) Queſti ſumus, de hac metallicorum iniquitate, in operis Prodromo, ad *Thermas Vihnenſes*, Membro III. §. V. p. 149.

r.) Vide §. X. Hiſt. vrbis *Schemnicienſis.*

s.) Loco toties citato, p. 156.

argenti quædam prædiuites, reditus haud contemnendos, ſuis poſſeſſoribus, in primis autem CAESARI. Si HOMERVM, iſthuc adduci contingat, næ ille mihi, carmen, quod in *Erytraam*, aſperam & montoſam, dixit, de *Schemnicio* occinet: *)

O ſacra multorum largitrix terra bonorum!
Quam tu plana aliis & parte æqualis ab omni;
Aſpera contra aliis.

Nempe, nihil prohibet, ſitus aſperitas, quominus, diuites ex metallis, reditus largiatur *Schemnicium*; ideoque, ita habetur ab his, qui iſthinc locupletantur, tamquam amœna ac perlibrata planitie conſediſſet: cum contra, extra modum aſperam credant alii, & qui non veniunt, in metallicorum prouentuum, ſocietatem. Ceterum, recte habet TOLLIVS, quod modicum oppidum adpellat, ſi, vel *Hagam Comitum*, aut vrbes *Batauorum*, alias, reminiſcatur: nam, illinc ad *Hungariam* noſtram accedentibus, non poſſunt non, quæ nobis grandia ſunt copioſaque, tenuia videri, minusque digna, quæ oculos aduertant. Certe, ſi explicare poſſet ædificia, auguſtiorem multo obtutum præberet *Schemnicium*, quam qui eſt, per vallium concauſa retruſus: tunc enim, & fora latiora fierent, & plateæ ampliores, ſi ſuis ſingulæ tramitibus, & iuſtis interordiniis, interſtinguerentur. Nunc, quia, quod vrbis eſt præcipuum, valle repoſitum iacet, profunda ea & inæquali; vici autem reliqui, nullo fere ordine, per montium latera, huc & illuc prorepunt; vix quidquam in oculos incurrit, quod vrbem, maximopere commendare queat, huic potiſſimum,

Qui mores hominum multorum vidit & vrbes (t.)

facies Schemnicii, Richteri *vrbis adumbrata*

RICHTERVS noſter, vt imaginem vrbis, lectorum animis, eo efficacius imprimeret, arborem ramoſam æmulari ait, atque his verbis adumbrat: *Non inepte plateæ omnes, ſub arboris imagine, animo offeruntur, ita, vt a porta illa nouiſſima, quæ & inferioris (u.) nomine gaudet, hincque procurrens circulus inferior, & ſuperior, & hunc premens vicus (v.) rubei fontis, ſtirpem, ad vsque cacumen referre poſſit. Brachia dextra, colles, a felibus, (x.) lapicidinis, metallicique quondam Csilikii, mutuantes, occupant: a quibus, vna ſerie, via noua, ad palæopolin vsque protenditur. Ramos hinc ſiniſtros imitantur vici; recentior (y.) quique hunc excipit, ab hoſpitio, quod olim fuit, carnificis dictus, PP. Ieſuitarum, item, & cœmeterio. Prope hunt, porta eſt metallicorum, a qua porro colles, ab equis & fringillis nomen adſumentes, ad metallariam Paradiſiacam, procedunt. Inter hos, ex parte altera, vallis viperarum, cruſtulariorum, vicusque Dominorum intercedit. Reliquos, ſine nume-*

*) HERODOTVS, in vita HOMERI, p. 562. b. edit. IACOBI GRONOVII, A. MDCCXV. Lugd. Batauór. fol.

t.) HORATIVS, de Arte Poetica, verſu 142.

u.) Das untere Thor.

v.) Die Rothe Brunner, Mohrer oder Teich-Gaſſe.

x.) *Germanis*: Der Katzen-Hübel, Steinbrüche, Csiliker-Gaſſe, der Nette Weg, *dicuntur*.

y.) Vulgaria his nomina ſunt: *Die Neüe, und Heucker, die Ieſuiter und Frauenberger Gaſſe: Das Rößl, bis an das Paradeiſs; und unterhalb der Fruckenbuſch, Natter-Grund, die Peleſchen- und Herren-Gaſſe*; item, *die Roſen-Gaſſe*, quæ a tergo domus *Hellenbachiana* init.

ro, angiportus, recenſere, opera pretium non eſt: nam, & aures tantum onerant, & inuitis leguntur oculis; nec eos noſſe iuuat. Elegantia his fere nulla eſt, vel exigua, planitiesque, fere in foro, & circulis, quos nominauimus, tantum eaque circumciſa. Reliquæ plateæ, aliquot horarum itinere, ab vrbe dirimuntur, acceſſumque arduum & iniquum, habent. Coniicias, ex tanto vicorum procurſu, foro item gemino, copioſiorem, cum ædium, tum incolarum numerum, *Schemnicii* eſſe oportere, quam eum TOLLIVS definiuit. Ita vero, ex eius ore, commentator ſuus HENNINIVS (z.) ad eum locum, quem nunc retulimus: SCHEMNICII, *quingentæ admodum ædes ſunt, & incolæ, circiter ter mille: ſi illos addas, qui ad Cameram adtinent Cæſarianam; illi vocant* den Cammerhof. *Ita quidem accepi ab ipſo* TOLLIO. Parca hæc admodum ſupputatio eſt. Nam, ſi quingentis ædibus colitur ciuitas; & vero ædium ſingulæ, ſex tantum inquilinis habitarentur, ſubducto capitum numero, tria illa millia emergerent; cum conſtet, & nos ſupra (*a.*) memorauimus, arcto ſæpe tuguriolo, vicenos inquilinos accipi ſolere. Quid vero opinabimur, de herilibus illis ædibus, quas, ætate *Tollii*, prædiuites familiæ, cum numeroſa domeſticorum, & vernarum turba, incolebant? quid de vulgaribus ciuium ſedentariorum ædibus? quæ & ipſæ, eo magis ſcatent habitatoribus, quo opificia curant vtiliora, magisque neceſſaria. Atque, dememinit omnino ſui ipſius TOLLIVS: quippe qui, ſolas operas metallicas, ita, eadem iſta epiſtola (*b.*) ſupputauerat; vt earum numerum, *duum millium, centum & quadraginta quinque*, ſtatueret. Id ſi eſt; vrburariorum, & ciuici ordinis hominum multitudo, ad *octingentos, quinquaginta quinque*, reducenda erit: quod extra modum abſonum eſt, & alienum a vero. Aduertiſſet modo animum oculosque, itinerator TOLLIVS, ad nundinarum, quæ ſingulis diebus *Saturni* concelebrantur, frequentiam; tria fere illa millia, per forum verſari, mercarique commeatum, in futuram hebdomadam, ex facili aduertiſſet. Nempe, non poterat noſter, multitudinem vrbicam, obſeruare omnem: quando geminum eſt omnino SCHEMNICIVM; *ſuperficiarium* alterum, quodque ſub dio ſitum eſt, & in oculos incurrit; alterum *ſubterraneum;* per puteos ſcilicet, & cauatos, huc & illuc, ſecturarum cuniculos, intra terræ viſcera, longe lateque protenſum. Vtrumque, refertum inquilinis eſt, iſtud metallicis operis, & harum magiſtris; ſuperficiarium illud, triplici habitatorum genere, quod ſupra deſignauimus. Ergo, pars vrbem colunt, pars metalla fatigant, per cæcos aurariarum receſſus, a reliquæ turbæ conſpectu, remoti. Qui hinc, poſt ſtata horarum, quibus in opus incumbendum eſt, interualla, in apricum prorepunt, properato ad caſas ſuas abeunt, corpora curaturi, dum metallarii tigilli ſonitus, ad operas eos iterum concieat. Itaque, arctiora his ſunt otii tempora, quam vt ea, pro-

adium, & incolarum numerus, male a Tollio *definitus:*

fe-

z.) In Adnotationibus ad Epiſtol. Itiner. V. numero XXII. p. 207.

a.) Hiſtoriæ Vrbis, §. X.

b.) Vide, p. 160. & noſtram hanc commentatiunculam, loco nunc dicto.

feſtis in primis diebus, in complendis compitis, deterant. Hæc ideo ediſſerenda fuerunt, ne aurem *Tolliana* relationi, lectores commodent. Ego ita reor, *Schemnicium*, poſt *Piſonium*, *Budam*, & *Debreczinum*, frequentiſſimas ciuitates, in copioſiſſimis *Hungariæ* vrbibus, ſuo iure cenſendum eſſe.

§. XXXVI.

Aedificia vrbis ſacra:

VRbis veſtigio, atque anfractibus vicorum deſignatis, res ipſa poſcit, vt publica nunc ædificia, perluſtremus. Sacra ea ſunt, & profana. In illis templa, principio ſtatim commemoranda ſunt, vt ſuus honor ſacris habeatur. Antiquiſſimum omnium eſt, quod arce veteri continetur, & B. VIRGINI MARIAE, a conditoribus, dedicatum fuit. quorum tamen ætatem atque nomina, dudum vetuſtas, obliterauit. Factus hinc opinationibus, in diuerſa abeuntibus, locus eſt; vt *Templariis* hi, illi ordini *monachorum* alii, fundati eductique templi gloriam, adtribuerent. At enim, neutri ſibi conſtant: quum, de *Templariis* (*c.*) quidem, quibus nullas non ruinas, ac vetuſta ædificia, vulgus adſcribit, ſub iudice lis ſit, etiamne coluerint olim in *Hungaria*; alios autem *monachos*, præter *Dominicanos*, ignorauit priſca illa ætas. Proinde, in obſcuro relinquamus oportet, veterrimi templi origines, quando, & diplomatum nos deficiunt monimenta, neque ſuppetunt hiſtoriarum teſtimonia. Equidem, ſi hariolari auſim, ex iis, quæ hucusque, de vrbe commentati ſumus; eandem conditæ ædis ſacræ ætatem adtribuerim, quæ *Banjæ*, ſiue *Sebenicio*, exortus dedit. Nimirum, opus eſſe credo, *Saxonum*, ſub ANDREA Hieroſolymitano, ad colenda metalla excitorum. Nam, ita, & religio ipſa poſcebat, & pietas *Saxonum*, vt qui vrbem ponerent, non relinquerent, a ſacrorum procuratione, vacuam. quæ ipſa prouidentia, non potuit non, diuiti coloniæ illi, neceſſitatem, excitandæ ædis ſacræ, imponere. Id, ſicuti vltra veriſimilitudinem queas coniicere; ita conſtare inde poteſt, eccur eductam ædem, B. V. MARIAE ſacram nuncuparint: nempe, vti PATRONAE HVNGARIAE, & coloniam ſuam, penitus inſinuarent, & propitiam redderent venis, quas ſcrutabantur, metallicis. Vt vero *Slauis*, quos ante *Saxonum* aduentum, metallis iſthic operatos fuiſſe diximus, templi origines adſcribam, induci nequeo: quod, & auguſtior ædes ea fuit, quam pro *Slauorum*, eius tempeſtatis, indole; neque tantæ opes, genti, laborioſæ quidem, ſed egenæ tamen, ſuperabant tunc, vt de condendo templo, vel cogitationem, ne dicam molitionem, potuiſſet ſuſcipere. Hæc ita coniicimus, haud omnino ſine ratione; ſed non ea confidentia, vti opinionem hanc noſtram, velimus cuiquam obtrudere. Aede iam conſtituta, & rite dedicata, honor ei, *Parochiæ*

B. Mariæ Virginis: fundatio dubia:

auctoris hariolatio:

ſit templum parochiale:

c.) Neque moramur ſenatus Schemnicienſis chartam, anno MDXXXVI. prætore THADAEO *Bartfolder* perſcriptam, quæ ſic habet: *Es iſt männiglich zu wiſſen, daſs Kloſter hier in unſerer Stadt gelegen, das vor Zeiten wie man ſaget, die Templarer - - - gebauet ſollen haben.* Formulæ certe: *wie man ſaget*; ſicuti fertur: *gebauet haben ſollen*; ædificare potuiſſe: rem omnem in dubitationem coniiciunt.

Banyenſis, cum *Plebano*, adtributus eſt. Meminit axiomatis eius, quin & *Plebani Banyenſis* RENALDI, iam tum ad annum MCCLXXV. LADISLAI *Cumani* diploma, quod initio exhibuimus. Is vero, nusquam eo munere tunc fungi potuit, quam, ad B. V. MARIAE ædem hanc: eo quod *capellam D. Nicolai*, ſicuti dicemus infra, ipſus ille, ſolemni ritu, decernente ita magiſtratu, in manus familiæ *Dominicanorum* tradidit. Atque, perdurauit hæc templi prærogatiua diutius. Exſtant enim paſſim, decimi quinti ſeculi, *Plebanorum (d.)* nomina, in æde hac myſteria facientium. Tandem, ingraueſcentibus Hungariæ malis; atque *Huſſitarum* primo, *Turcarum* poſtea, graſſationibus, etiam montanos hos receſſus, fatigantibus, templum, & circumductæ huic munitiones, ſenſim, in acropolin vrbis, commutatum eſt: eo quod non ſuperabat, toto ciuitatis poſitu, locus ad eam rem, opportunior, quique, rebus trepidis, perfugio eſſe poſſet vrbicæ multitudini. Damnat tamen, & ex vero quidem, ſitum templi, & ad defenſandum, importunitatem, RICHTERVS noſter. *Hæret*, inquit, *hoc templum, in ſinu vrbis, valli cliuoſæ & reductæ ſuperſtructum, vt nec ſpeciem acropoleos idoneam præbeat, & propter altitudinem montium impendentium, nimbo glandium, & iniuriis omnibus, exponatur.* Hæc ita ſunt omnino. De ipſa templi, in arcem conuerſione & ceſſatione dignitatis parochialis, ſic habet. *Poſteaquam ſeculo integro, patriam bello ardentem, terrores cædesque, totam conficerent*, Schemnicium *ciuitas, hoſpitium calamitatis facta fuit: quo malo, vt rerum ſuarum ſatageret, de refugio ſollicita, ædem hanc ſacram, quod commodior, atque magis munitus locus non reperiretur, pro aſphalismate delectam conſtituit, & quoad eius fieri potuit, vallauit. Tunc primum pro arce, pro veteri vero nonniſi ſeculi XVI. ſexageſimo quarto (e.) reputabatur. Hac eadem cauſſa fuit, quod ſenſim templum illud magnifice excitatum, negligeretur ad vltimum, in conclauia, tabulata, & concamerationes conuerſum, quo quidem iniquiore ſtatu, hodieque comparet. Intercidit itaque, parochialis etiam dignitas, adiique, ad D. Catharinam conferebatur. Quando id fieri cœperit, lapis mnemonicus, ſtructura innexus, hisque litteris inciſus, iudicium refert.* IN * DEM * GERICHT * LORENCZ * KRAYZL * IST * DAS * GEBAWT * WORDEN. * I. * S. * I. * S. Hucusque noſter.

vertitur in arcem:

ceſſat eſſe parochialis ædes.

§. XXXVII.

Arcis eius munitiones & habitus reliquus:

IAm arcem ipſam, atque hodiernum eius habitum, fas eſt, vti deſignemus adcuratius. Mœnia, quæ eam circumcludunt, portam habent vnicam, turri, quæ tota vrbe princeps facile eſt, ſubſtructam. Eius faſtigia commune horologium nobilitat. Peribolum autem, choro tibicinum, locum præbet, ſtatis diei temporibus, ſym-

d.) Sic pacificatoriæ quædam ſchedæ: *In dem Haus des Ehrwürdigen Herrn Pfarrers derſelben Zeit*, Peter Creüſche, *und Herrn* Greger *Prediger.*

e.) Recole heic §. XVI. vbi præfecti arcis, & quam edidit, iuris iurandi formulam, meminimus.

ſymphonia, ad ſacros modulos facta, ciuium pietatem accendentium. Nam, & mane, & prouecta in meridiem luce, quin & ingruente crepuſculo veſpertino, concentus edunt, ſuaues non minus, quam ciendæ religioni idoneos. quod vnum laudaueris in hominum iſto genere: quippe, diuiniſſimo muſices beneficio, plerumque, nefandis modis abutentium. Atque, huius ego corruptelæ, iuſtum oppido metum, priſcos illos, & multarum opum *Saxones Schemnicienſes*, retentaſſe reor, quominus voluerint, inter ciuica miniſteria, cornicines olim adſciſcere. Recens eſt enim, eorum alendorum inſtitutum, quodque anno demum MDLXX. decimo quinto Calendas Apriles, vti eſt in vrbicis ſchedis, cœperit. Portæ ipſi, poſt detritos characteres alios, annus MDC. præfixus eſt, inſtauratæ arcis monitor, cum vulgata illa, munitarum vrbium, ſententia: FELIX CIVITAS, QVAE TEMPORE PACIS COGITAT DE BELLO. Ingreſſis in arcem, poſt valuarum portæ cardines, cippus obiicitur, effigiem monachi referens, regulam *Dominici* ſequuti. Præter caducas, & exeſas vetuſtate litteras, vota mortui circum ſuperant: FOECVNDISSIMA VITIS, CLARIOR AVRORA, PRO NOBIS IVGITER ORA. Aera, & cognitio vberior, deficiunt. Capiunt non pauci, ex hoc monimento, indicium, monachos olim arcem, templumque coluiſſe; ſiue ii demum *Templariſtæ* fuerint, ſiue ordinis alterius. Sed fruſtra ſunt; priſca enim ætate, quod anguſtius habitarint, ad *Capellam D. Nicolai Dominicani*, ad ædem B. V. MARIAE ſacram, ſepulchra ſua habuiſſe, non vno documento conſtat. Aduerſo valuis, parieti ædis ſacræ, marmor inſtructum viſitur, emortuale id quidem, & memoriæ GEORGII CERNDELII, ſicuti inciſa, circum inſcriptio loquitur, ab hæredibus ſuis poſitum. Scutum in eo prominet, ita exſculptum, vt caput collotenus reſciſſum, criſpum illud, & defluentibus quaſi, iterumque emergentibus, liliis conſpicuum, oſtentet. Inſignia fuiſſe CERNDELII, nemo non videt; vbi demeſſum quidem barbaricum caput, (*f.*) bellicæ fortitudinis, ſimulacrum fuerit; ſicuti circumducta, & emergentia in obtutum capitis lilia, adminiſtratæ cum laude florentis reipublicæ, erunt indicia. Ac fuit omnino, cum viueret CERNDELIVS, decus atque ornamentum vrbis *Schemnicienſis*; nam, & quæſturam ærarii ſacri, & præfecturam metallicæ rei, magna, cum omnium, tum in primis, MATTHIAE regis, adprobatione, diutius adminiſtrauit. In laudibus eius, ſummas tenuiſſe, numinis reuerentiam, & quæ hinc manauit, profuſam piamque liberalitatem, exſtantes adhuc in ciuico archiuo, teſtamenti eius tabulæ, palam profitentur. Ergo, dandum id eſt meritis viri, vt ſuum iſtud monumentum ſpectandum, gratæ poſteritati exhibeatur. quod tale eſt:

Su-

f.) Ex chartis eius ætatis conſtat, capitis hoc ſimulacro, ita delectatum fuiſſe CERNDELIVM, vt ex magni ponderis argento, id fundi curarit. quod demum cimelion, *Cerudelio*, e viuis ſublato, in gazophilacium MATTHIAE Coruini, conceſſit.

Superat, aliud quoque marmor, vilius id quidem, ac nigricans, & porphyrio illi vicinum. Epitaphium fuiſſe, GEORGIO RENATO poſitum, characterum reliquiæ teſtantur. Parochus is, iam tum anno MCCCCLXVII. *Schemnicienſium* fuit, anno demum MDXVI. vti conſtat ex marmore, vita functus. Sub portæ apſide, inuſitatæ magnitudinis os, intrantibus ſpectandum ſe obiicit, tres pedes geometricos longum, ac pro ea portione, eximie craſſum. Qui genti ſuæ *Saxonicæ*, inter *Schemnicienſes*, blandiuntur, *Germani* cuiusdam *Typhœi (g.)* tibiam fuiſſe ominantur. Ego luſus naturæ, vel ſi hos mihi negarit quisquam, *ante diluuianas* reliquias, cum celeberrimo SCHEVCHTZERO, eſſe putauerim. Neque enim inſolens eſt apud noſtros, hæc iſtiusmodi prodigia eruderari. Cum anno MDCCXXXVII. menſe Auguſto, puteus metallicus, ſuis dudum ruderibus coobrutus, in valle *Kizowa*, recluderetur, perpurgareturque, ſceleton, in eo repertum eſt, hodiernis, multis modis & grandius, & admirabilius. Coniecturam de mole, inde capias, quod vnicus dens molaris, quem hodieque poſſidet RICHTERVS noſter, ad trutinam adpenſus, quinque *ſemi vnciarum* pondus dederit. Sed hæc obiter. Aliquot ab hinc paſſibus, ad propugnaculorum vnum, Gemoniæ ſunt ſcalæ, Romanorum forte imitatione, iſthic poſitæ, qui in monte *Auentino*, ad templum *Iunonis*, ſuas illas, tot celebratas ſcriptoribus, poſuerant. *Germani* funeſtum, & gemitibus torturæ infamem locum, vt contumeliam eleuarent, *Regnum Cælorum* adpellant: rati, homines maleficos, iſthic, ad beatitatem cæli indipiſcendam, cruciatibus præparari: niſi potius, infernalium dolorum præguſtum, contraria ea denominatione, notare voluerint. Huc, & hos compingere in carceres moris eſt, qui ſe ſceleribus contaminarunt, cum præterea abominandis, tum iniuriis aduerſus humanam ſocietatem. qualia quidem exempla, pronum eſſet commemorare, niſi alienarum turpitudinum abominationem, in litteras referre, probroſum duceremus. Sunt, intra mœnia, & oſſium apothecæ, cryptæ emortuales, olim, in

g.) DE TYPHOEO, inuſitatæ molis gigante, OVIDIVS Metamorphoſeos V. ver. 321. ſequ. Vide interpretes, ad eum locum, & citatum illic ſcriptorum agmen, qui rebellis huius gigantis, meminere.

in mortalitatis lenimentum, fere ad luxum excitatæ; ſed quas temporum iniuriæ, atque edax rerum tempus, dudum, aut conuulſit in rudus, aut contumulauit. Armamentarium, quod adhuc ſuperat, ceſtras, clauas, bitumine, ac ſulphure illitas pilas, ſagittarum confertos faſces, ſiue, veteris *Hungarorum* armaturæ reliquias, ſiue *Tartaricæ* immanitatis, monumenta oſtentant hodieque. Reliqua inermia ſunt, neque tam famam tuentur, quam alunt vulgi exiſtimationem, ex maiorum ſermonibus, de Pergamo hac domeſtica, rudibus ingeniis ſuggeſtam. Hæc de *vetere* arce illa.

§. XXXVIII.

ARcium alteram, vt ne eam, huc delati, ſileamus, *nouam* adpellant, ob molem, recentiore ætate, ſubſtructam. De ea RICHTERVS: *ſpectat hæc ad orientem, & in colle exſurgit, partem ſaltem arduo, qui nec profundis montium munitur, nec ſaxoſis ſcopulis riget. Muri in quadri formam ſurriguntur, eodemque tecto conueſtiuntur. Spatium internum, quatuor tabulata, leui diſcrimine patentia, complent, & tandem ſub tecto, æs campanum, vices ſubit horologii, ictuſque vigilis, ad numerum excipit, & late, per ſubſitam vrbem, & montanas caſas, exaudiſur. Adeo exiguæ molitiones, totam ſubſtructionem abſoluerunt, caſtelli, nec turriti, nec montani, nec contra hoſtes ſepti; neque id vnquam, aggeres, (h.) foſſæ, vallum, ac reliqua munimenta, circumiuerunt. Ex ſpecula iſta, proſpectare tempeſtatem futuram licet, non amoliri.* Ita eſt, ſpeculam potius dixeris, longiuſcule, per montanam regionem proſpicientem, quam caſtrum, hoſti arcendo, aut defenſandæ vrbi, idoneum. Neque tamen negarim, poſſe ad eum modum communiri adhuc, vt propugnari queat; niſi qualemcunque poſitionis opportunitatem, ſiticuloſus collis, inutilem redderet. Caret enim puteo, neque deprimendi eius commoditatem præſtat, collis ſuperne glaber, intus ſalebroſus, an plane petris increſus. Præcipuam, quantæuis moli, famam conciliat, eius conditrix: non ea quidem *Minerua*, quæ *Athenas* condidiſſe perhibetur; ſed, ſi vulgi narrationibus credimus, ſui generis ac ſexus, opprobrium, BARBARA ROESELIA, nobili ac honeſto loco nata. Patrem, *Erasmum Rœſelium*, habuit, multarum, & opum, & dignitatum virum: quippe qui, non præfectura modo ærarii, ab WLADISLAO II. honeſtatus fuit; ſed ſuis etiam ſecturis, ad inuidiam vsque diuitibus, tantum copiarum coaceruauerat, quantum vix capere poſſe videbatur, priuati hominis fortuna. Eo, rebus humanis, anno MDXX. vti habent teſtamenti tabulæ, exempto, filius *Laurentius*, & huius ſoror, *Barbara*, opimam hæreditatem adiere: ille, ætate prouectior; hæc adhuc impuber. Et *Laurentio* quidem, breuis admodum, poſt parentis fata, vitæ vſura fuit. Ergo, fit *Barbara*; cum auri & argenti, ſignati ac rudis, cuius immenſa pene vis, per retru-

Arx noua, & huius facies:

fama eius omnis, a conditrice manauit:

fuit Barbara Rœſelia, *turpiſſima vita femina:*

h.) Equidem, cum anno MDCCXXVI. menſe Auguſto, heic verſarer, veſtigia notaui aggerum, ad architectonices militaris regulas, circumductorum; ſed quos, depreſſere dudum, ſiue tempeſtatum iniuriæ, ſiue temporis diuturnitas.

Digitized by Google

ſos fornices, congeſta habebatur; tum ærariarum quoque, opimos, ea tempeſtate prouentus, reddentium, ex aſſe hæres. Tunc vero ſuæ ſpontis adoleſcentula, cum vti neſciret, diuiti adeo hæreditate, licentioſius ea cœpit abuti. Nempe: (*i.*)

Effodiuntur opes irritamenta malorum.

eius charactera Richtero expreſſus:

Richtervs, perditiſſimos, laſciuientis puellæ, mores, ita pinxit: *Adfluebat ad eam luxuries, illabebatur libido, ad quæ ſe in dies expediebat. Vitiorum inde colluuies, laſciui vultus, oculi, noua cupiditati inhærentes, luxus famoſus & explicatiſſimus, perque varia illecebrarum ſtudia raptatus animus, in inſaniam impulerunt, inter perpetua Cereris, Bacchi & Veneris certamina, occallatam.* Satis, ad peſſimam vitam famamque! *Quartillam* dixiſſes Petronii Arbitri (*k.*) adeo, libidinoſiſſima femina, excuſſo diligenter rationis imperio, in omnem ruebat turpitudinem, rata, tunc ſe, opibus, ſexu atque ætate ſua, optime vti, cum profuſiſſime, ac per omnia voluptatum genera, laſciuiret. Accedebat, forma venuſta, & corporis robur, vltra feminæ modum, virile, ac ferendæ muliebris patientiæ, in primis idoneum. Ergo, locum hic reperit, quod ille (*l.*) de *Romanis* moribus, queſtus eſt:

Rara eſt adeo concordia formæ,
Atque pudicitiæ: ſanctos licet horrida mores,
Tradiderit domus, (m.) at veteres imitata Sabinas.

Atque ita omnino ſolet:

Lis eſt cum forma magna pudicitia.

facinora reliqua:

in primis, ſi & occaſio cum licentia, & fomenta prauarum cupiditatum, ſuppetant. Ferunt, admonitam ab amicis, vti turpitudini quidem, nuntium integre mitteret; prodigalitati autem ſenſim modum poneret; reſpondiſſe ferocius: *forma dum licet vtendum eſſe*; opum autem, tum ſibi, &, quod ſectabatur, nequiſſimo vitæ generi, defutura inſtrumenta; cum pretioſiſſimus annulus, quem digito geſtabat, atque in *Granum*, qua rapidiſſimus ferebatur, conſulto iniecerat, emerſurus eſt iterum ex gurgite illo, & ad cimelia ſua rediturus. Hoc vero ita eueniſſe omnino aiunt, quando, illatus in culinam, ex eo amne, & pro more ad elixandum ſectus piſcis, deglutitum forte fortuna, annulum, inuitis feminæ manibus reddidit. Poterat id, niſi res tota vulgi ſit commentum, admonere femellam reſipiſcentiæ, & parſimoniæ: quod tamen, adeo non euenit; vt noua inde auctoramenta ceperit, monſtrum horrendum, ad id, quod ex opibus ſuperabat, eo inſolentius prodigendum, quo moleſtius ferri a ſuis, aduertebat. Catellum Melitæis conſimilem, in deliciis habere ſolita, non ſecus blan-

i.) P. Ovidivs Metamorphoſeon, Lib. I. ℣. 140.

k.) Vtinam, lucem adſpexiſſet numquam, ſcriptor, ſi dictionem ſpectes, latiniſſimus; ſpureiſſimus contra, ſi turpitudinum, quas eleganti, atque facto ad rerum habitum, ſtilo expreſſit. Fœdiſſimos *Quartillæ*, nefandosque actus, in plura poſt XVI. capita, congeſſit, edente Burmanno, p. 56. ſequ. *Hunc tu Romane caueto!*

l.) Ivvenalis, Satyra X. Lib. IV ℣. 297.

m.) Talem fuiſſe domum *Roſeliam*, relatum accepimus.

Digitized by Google

blande curauiſſe fertur, quam matres conſueuere, tenellos infantes. Non ergo ſtragulis ſericeis, non offulis delicatioribus pepercit : adtribuit etiam ſua miniſteria, quæ ſaginatam exquiſite beſtiolam, quam ſollicitiſſime, nutricarentur: cum contra, in homines egenos, pannoſos & laborantes inedia, cote quauis fuerit durior. Ergo, horum imprecatione, mortem caninam, tantarum alumnus deliciarum, catellus obit ſubito. quem illa, magni pretii torque ornatum, & ad tumbam molliſſime in puluillis compoſitum, delibutum vnguentis, ac redimitum floribus, funebri, per ſuos, pompa, efferendum curauit: cuius poſtea ſepulchrum, ſaltationibus dæmonum infame redditum fuiſſe, hodieque pertinaciſſime vulgus adfirmat; neque opinionem eam, facile his eliſeris, qui ſemel imbiberunt. Facinorum, quæ infelix mulier edidit, iſtud fuiſſet optimum, quod arcem, de qua loquimur, a fundamentis, ſua impenſa condidit; niſi & illud, irrequieta ſcelerum conſcientia, ſuggeſſiſſet, contaminauiſſetque poſtea. Patibulum aprico eo colle, quem nunc arx inſidet, poſuerant *Schemnicienſes*, vt in obtutu eſſet, vrbicæ multitudini, arceretque, a ſcelerum concupiſcentia, maleficos. Huius, non veſpertinæ tantum, ſole occidente; ſed nocturnæ etiam, luna illuſtri, vmbræ, in ædes feminæ, & parata ad luxum conclauia, pertingebant. Moleſtius id, neque ſine terrore ferebat, deſperata mulier; in primis, ſi onuſtum pendulis cadaueribus, lignum infame, ſeu interdiu in oculos incurrebat, ſeu noctu vmbras ſpargebat. Proinde, longis vſa precibus, id apud vrbis magiſtratus obtinuiſſe perhibetur, vt delato, aliorſum infelici ligno, arcem eidem illi monti, liceret ſibi inædificare. Atque, ſurrexit omnino moles, ſolide quidem, ſed, quam pro re, anguſtius excitata. quæ, ſicuti diximus, non tam arcis modum habet, quam ſpeculæ. Voto potita *Barbara*, perrexit laſciuire, & nouarum libidinum illecebris, cum ſeipſam depaſcere, tum exſatiare, nequitiæ ſuæ miniſtros, atque conſortes: dum vrgente nemeſi diuina, diſſipatis tandem opibus, in rem anguſtam primum, mox in omnium rerum inopiam, denique in morbos, & ſexcentas cruces alias, præcipitaret. Suis ergo maleficiis circumuenta, tandem, anno MDLXXV. XV. Calendas Septembres, vitam, quam peſſime prodegerat, cum morte commutauit. Schedæ eius ætatis ſuperant, quibus perſcriptum eſt; cum efferretur cadauer, in emortuali maiorum crypta, ex more, condendum, exortam ſubito procellam, imbrem, ſpiſſa grandine, mixtum, tanto impetu in exſequiatores effudiſſe, vt, abiecta cadaueris deportandi cura, tumbam, in platea deſerere, & quo quemque ſors ducebat, ſeruandæ vitæ cauſſa, diffugere cogerentur. Adeo, quam cani illi ſuo, ſepulturam, inſolenter adparauerat; ipſa, non reperit. Ergo, tametſi:

exadificat arcem, vt patibulum loco, ſibi inuiſo, dimoueret:

fruſtratur honeſta ſepultura.

Eſſe aliquos manes, & ſubterranea regna,
Et contum & ſtygio ranas in gurgite nigras,
Ac vna tranſire vadum, tot millia cymba,

Nec pueri credunt, niſi qui nondum ære lauantur;
Sed tu vera puta!

Ita nos IVVENALI (*n.*) interprete, infelix monet femina. cuius, ſi non dediſſemus hiſtoriam, grande feciſſe diſpendium crederemur ab his, qui hæc iſtiusmodi monſtra, plurimum, ad terrendas mortalium mentes, habere momenti, haud ſine ratione, exiſtimant.

§. XXXIX.

Arcis veteris ſacra inſtituta alia, atque in his ſacellum B. Michaelis Archangeli:

NVnc, arce noua degreſſi, in veterem redeamus denuo, vt, quod illic religionum ſuperabat olim, ex priſcis monumentis, expromamus. Sacellum, ædi B. V. MARIAE coædificauerant *Schemnicienſes*, MICHAELI ARCHANGELO dedicatum, locupletatumque poſtea, ea dote, quæ alendo myſtæ, ſuffectura credebatur. Suppetunt, in eam rem, non vulgares tabulæ, quas ideo, vti, ex eius ætatis ingenio, conſcriptæ ſunt, nihil dubitamus exhibere. Habent ve-

tabula fundatoris:

ro ad hunc modum: ANNO DOMINI *Milleſimo Quadringenteſimo ſeptuageſimo octauo, in dem Gericht des nahmhafften und weyzen Mannes* Iohannes Reſch, *und in Kegenwurtigkeit Nicolai Schweingrätl, Gilg Hartlob, Paul Mathes, Pauli Kronſtinll, Valtein Schmid, Iohanni Prodatz, Petri Richter, Andres Hyllprant, Iacob Ornolt, Gilg Steyrer, und Matthes, geſchworner Purger, hat der Erber und furſichtig Man Herr* Niclos Zygenpacher, *dy Zeit ein Mittwoner in der* Neuſtad, *dy Kornmüel an der Stanprück zu nagſt oben der ſtaynen Huttn gepauet und gelegen, von dem Herrn Giorig Korndl unſerem Mittwohner, und dy tzeit Kuniglichr Komrgrof unſer Stad, um Gulden ſiebenhundert verkauffet und ym dy mit brayten Gulden an alle Abgane, gantz und gar hat betzalet. Dornoch hat der vor genante* Herr Tzygenpachr *mehr gekaufft und loſen machen, ein Meltzhaus und Preyhaus zu nagſt dem Stollen gemauert ober der Stanbrück gelegen, und der Kornmüel, und hat auch dartzu ein Haus und Gartn, under de Rebrin gelegn gekaufft, und hat dornoch Gottes ere und ſeiner Eldern ſelen und ſeligkeit betrachtet zue meren. Und hat dy vorgenante Kornmüel, Meltzhaus, Preuhaus Haus und Gartn miteinander zue dem Altar* des Hayligen ſand Michaelis des Ertzengels *in der Cappelin und Freithoff der Pfarkyrchen unſer Frauen gepauet, geben und geſchaffn, welche Altar er auch mit altertuchern Mesſgewant Kellich und Mesſtpuch und auch mit einer Thaffl tzyrlich hat begabet, alzo das ein Prieſter den man dy Stifftung, und Pfrimpt und Altar wurd vorleihen, zol von den tzynſn und zuſtentn, dy von dem vorgemeltetem Erben Kornmüel Meltzhaus Preyhaus, und von dem anderd Haus und Gartn gevalln und kumen jerlich zol ein auskumen und genigen haben, vor den vorgenanten zelen zu pieten und auf den genanten altar* ſand Michaelis *Meſſ leſn, und hat einen Erbrn Man* Herrn Urielem *zum erſtn der vor genantten Stifftung und Pfrimt einen Ehlichen altariſten gemacht,*

n.) Satyra II. Lib. I. V. 149.

macht, geordnet, und geſtifftet, und hat uns gepetn, das wir dy Manung und Ordnung der obgemelteten Stifftung und Pfrimt ſolten von beſſerer Sicherhait und Gedächtnus wiln yn unſer Stadpuch laſſn ſchreibn. Dornoch hat Er den Richter und den gantzn Roth zu ſollichn tzeitn der vorgenanten Stifftung und Pfrint geordnet und gemacht Ehliche Patronen und Vorleichen zu ewigen tzeiten, nach ihrn freyen muet und willn, noch abgang eines Altariſten einen andrn Erbern Priſter wider tzu vorleichn. Welche zolche ordnung iſt geſchehen an dem Iahr des Herrn und in dem Gericht alz oben ſteet geſchriben. Sententia tabularum, vt eam compendio & latine demus, huc redit. Sub prætura prudentis viri *Johannis Reſch*, atque in præſentia totius ſenatorii ordinis, quorum deſignata illic ſunt nomina, honeſtum virum, eumque ciuem vrbis nouæ, *Nicolaum Zygenpacher*, molam ad pontem lapideum inædificatam, ſeptingentis florenis, ab egregio viro *Georgio Cerndelio*, ærarii metallici præfecto, repræſentato in integrum ære, coemiſſe; ædificaſſe præterea polentariam & cereuiſiariam domum, ſeu officinam, condidiſſeque alias quoque ædes, horto eis addito: ſingula, eo fine, vt ſacello, quod in cœmeterio parochialis *templi B. V.* MARIAE, cum altari exædificatum *S. Michaeli Archangelo* dedicauerat, ſuus dari alique poſſit ſacerdos, qui in *remedium*, ſuæ & parentum ſuorum, *animæ*, ſacram ibi rem facere, & eorum cauſſa, preces ad Deum fundere teneretur. Primum ergo illhuc myſtam *Vrielem*, introduxiſſe, qui nouo hoc munere diligenter fungeretur, atque ex molæ, polentariæ, cereuiſiariæque officinæ, domo item, & horto illis addito, annuis reditibus, liberaliter ſuſtentaretur. Cuius rei procurationem, ius *patronatus*, & *collationis* vocant, magiſtratui, ita adtribuerit, vt pro ſua voluntate ac lubitu, beneficium illud, perpetuo adminiſtrarent. Multa hinc, ad illuſtranda, de *Schemnicio*, commentaria noſtra, poſſis eruere. In his ſunt: fuiſſe, adhuc MATTHIAE Coruini temporibus, ius *Eccleſiæ Parochialis*, ædi huic B. V. MARIAE, diſcretum, ab æde ea, ſacellum *S. Michaelis Archangeli*, longa, poſt templi exordia, ætate, poſitum, tum demum intercidiſſe, cum *parochialis ædis* prærogatiua, ex temporum, quæ inierant, iniuria, ſenſim exoleuit: partem ciuitatis aliquam, eadem illa ætate, *vrbem nouam*, vocitatam fuiſſe, non quod vetus illa, de qua ſupra diſputauimus, locum ei denominationi fecerit; ſed, quod, poſt acceptam cladem *Rozgonianam*, deſolatum *Schemnicium*, nouis platearum acceſſionibus locupletatum fuerit; quam ideo vrbis regionem, *nouæ* vocabulo *ciuitatis*, vulgo adpellarint. *reliqua.*

earum ſententia, latine, & compendio reddita:

qua inde lux, rebus Schemnicienſium, *affunditur.*

§. XL.

ARcem veterem, hæ olim ædes ſacræ, inſidebant. Iam, neque iſtud ſilendum eſt: adſtructam arci eidem turrim, æra campana habere, quibus, & ſtatæ adeundorum ſacrorum horæ, & exercitia pietatis precumque alia, edito pulſu, moris eſt indicare.

Turris eadem in arce, & æra campana habet.

care. · Tria horum, longo retro tempore, iſthic pependere. quæ ſingula ætatis referunt indicia. Vetuſtiſſimum horum, molis eſt mediocris, atque circulo ſuperiore, hac *inſcriptione*, characteris gothici, inſignitum: ANNO DOMINI MILLESIMO CCCCLXX. † O REX. GLORIE. VENI. CVM. PACE. AMEN. Medius, ſuſpenſi de cruce ſeruatoris generis humani, expreſſam icona, habet; ſicuti, infimus circum margo, opificis nomen, & ſolemnia quædam verba: HEC CAMPANA. FVSA. EST. PER. MAGISTRVM PETRVM. IESVS. MARIA. SVM. CAMPANA. DEI. SEPTEMBRIS. FVSA. CALENDAS. Pium illud, pro pace votum, fata Hungariæ loquitur, bellis, quæ MATTHIAS faciebat, Bohemicis, exhauſtæ. Anno certe, MCCCCLXX. cum diadema Bohemicum, mortuo GEORGIO *de* PODEBRAGY, auidius aucupatur; *Turcæ*, regis hac abſentia illecti, *Sabacſum* (o.) aduerſa, contra *Syrmienſem* agrum, *Sani* ripa, eduxere; vt locus eſſet, vnde regionem quoties luberet, poſſent inceſſare. Alterum æs campanum, decennio poſt fuſum fuiſſe, annus MCCCCLXXX. & triplicia inſignia, moli non plane grandi, impreſſa, indicio ſunt. Atque inſignia quidem, *Georgii* & *Sigismundi* CERNDELIORVM fratrum; tertium *Johannis Reſchii* memoriam, ſummorum, ea ætate, virorum, commendare autumant, quibus noti ſunt illius tempeſtatis primores: quippe, quorum liberalitate, hoc, quidquid eſt, beneficii, in rempublicam ſit collatum. Vltimum, annus MDX. duobus illis, addidiſſe fertur, metallicarum præcipue operarum impenſa, efformatum. Annis durabat octoginta, cum ex vehementiore pulſu, rimas cœpit agere. Ergo, eorundem ſumtu, ſed addito copioſiore metallo, vt grandius fieret æs campanum, & ſonorum magis, anno MDXCI. conflandum fuit denuo. qua ſua beneficentia, id tunc meruere metallici, vt quoties, ſuorum funera deducerent, gratuito idem, ad funeſtum ritum pulſaretur. quæ quidem pulſatio, *der Haüer-Puls*, dicebatur. Verum, & ipſam hanc molem, vitiatam ſenſim, & ex fiſſuris, quas acceperat, raucum quid & ingratum reſonantem, reformari anno MDCCXXXI. oportuit; eo ſucceſſu, vt iam, facta, cum reliquis compulſatione, ad numeros quaſi videatur reſonare.

§. XLI.

Aedes, D. Catharinæ *ſacra:*

POſt arcis illud templum, & coædificatum ei S. MICHAELIS ſacellum, ædes D. CATHARINAE ſacra, memoranda eſt. Adſurgit ea, loco aperto, & ſecreto a domibus vrbicis, factaque eſt ex veterum more, ea ſubſtructione, quæ ſatis prodat, non eſſe nuperos templi exortus. Audiendus, de eo eſt RICHTERVS. *Refert*, inquit, *architectonicen barbaricorum temporum, figuræ multilateræ irregularis, reliquis in ciuitate, nulli, nitore & elegantia ſecundum. Præcipua vrbis parte accipitur, loco liberiore, neque adibus adſtructis præpedito, inſtructum: in foro nempe, quod circulum dicunt, conſpicuum.*

Richteri *verbis deſcribitur:*

Di-

o.) BONFINIVS, Decade IV. Lib. II. pag. 562, 21.

Dignitate certe & ſumtibus, reliqua, multum antecellit. Colitur vt templum parochiale, quem honorem, tunc accepit, cum arx vetus, ædem B. V. Mariae, *aboleuit. Ciues certe, vt ciuicum ſuſpiciunt.* De prima, conditæ molis ætate, nihil poſſis ſtatuere, quando monumenta priſca, quæ eam poſſent indicare, bellorum & incendiorum iniuria, dudum interciderunt. Schedæ interim veteres, iam tum ad annum MCCCCXLV. myſtæ, quem *Altariſtam* vocabant, meminerunt, cui *Petro Krayſelio* de *Leugouia* (putarim *Leutſchouiam* intelligi oportere) nomen. Vnde colligas, longa annorum ſerie, ante *Rozgonianam* cladem, ac forte Sigismvndi temporibus, ædem fuiſſe poſitam. Præcipua aræ, quam primi conditores inædificauerant, exiſtimatio, noſtra adhuc ætate, habebatur. Erat nempe, ſua quadam vrbis regione, ramoſa in primis, & miræ celſitatis, tilia; quam, quod extra modum late amœneque frondeſceret, atque vmbras præberet, multorum oblectamentorum, *elegantem tiliam*, pro ipſius rei habitu, vulgus adpellauit. Credunt, ſeculis pluribus ſuperauiſſe, iucundam lætamque arborem, cum ſeneſcentem iam, & pullulantem lentius, ſuccidendam cenſerent, ſeu magiſtratus vrbici, ſeu eccleſiæ fundatores, vt materiam præberet, altari, & quæ ad id pertinuere, ſimulacris ornamentisque aliis, ſcite exſculpendis. Atque excreuit omnino, altaris eius molitio, in eximiam altitudinem, habuitque alas, vermiculati inſigniter operis, vtroque latere, late exporrectas: medium D. Catharinae ſtatua, affabre facta, obtinuit: neque tamen, peregrini quidquam ligni, adhibitum ad opus eſt, quam quod, ſpecioſiſſima tilia illa, ſuppeditauerat. Alioquin, quod ara, vniuerſim tota, multo inueſtita auro reſplendeſcebat, obtutum præbuit, vti magnificum, ita venerationis præcipuæ, ſtetitque tribus propemodum ſeculis: dum exeſa vetuſtate materia, vitium, per compages, facere, atque minari ruinam inciperet. Tunc vero, Iosephvs Andreas Wenczel, L. B. a Sternbach, quem in ærarii præfectis laudauimus, vti ſuæ apud *Schemnicienſes*, pietatis monimentum exſtaret ad poſteros, conſcio magiſtratu vrbis, ad quem *ius patronatus* eccleſiæ adtinet, ara veteri ſublata, nouam ſubſtituit, pretioſam non minus, & obryzo coruſcam; quam, ex hodierno ritu, ad omnem elegantiam elaboratam. Intra ædem, ex ſe, ſic ſatis capacem, chorus, gemina contignatione, quod non facile aduertas alibi, vtroque latere, vt locus ſit multitudini, adſurgit. Tectum, quod inde a priſca illa ætate, totum ſcandulis, materia igni concipiendo vnice idonea, inueſtiebatur, anno MDCLVI. ære cyprio permutatum eſt. Ciuium ea munificentia fuit: quippe qui, decem mille ducenta & quinquaginta æris cyprii pondo, in opus illud, vltro lubentesque, ac quaſi certantes beneficentia, contulerant. Liberalitatem eam, ad VII. *Iduum Februarii*, anni eiusdem, libri memoriales, ſeu *protocolla*, referunt. Sexennio poſt, deleto, intus & extus, tectorio vetere, nouum induxere magiſtratus. Tunc, & geminata illa in ſublime ſubſellia, inſtructa fuiſſe templo, exi-

de eius ætate, coniectatio:

ara priſtina fabricae

nouam ei ſubſtituit, Sternbachius B.

internus, & externus ædis habitus, quando, & quorum impenſa, inſtauratus:

exiſtimarim: materiata enim ſunt recentius, quam pro vetuſtate, ſubſtructionis reliquæ. Sunt, qui adfirmant, iisdem operis, πρόναος, ædi reliquæ, præſtructum fuiſſe, vt frequentioris concionis fieret capacior. Inſignia certe vrbis, tunc ſunt, templo præfixa, vt notarent, ciuium in reſtauratam ædem, ſingularia ſua iura. Ita ſe D. CATHARINAE ædes habet. Minoris alterius, quæ eſt in vicinia, S. ANDREAE dedicata, RICHTERVS meminit, his verbis: *Non procul ab eo*, (S. Catharinæ fano) *vicinum* D. ANDREAE *receſſit, quod anguſtis metis definitur, nec in ſublime faſtigium exit, humile id, & coarctatum. Initia ei eadem, quæ & curiæ fuerunt deſtinata; cuius tamen partem potiorem ſibi vendicat, ingreſſumque in prytaneum indicat.* Elegans profecto, & pium inſtitutum, vt non ſenatus modo, per ſacrarium, in βουλευτήριον, ingreſſus, officii recordaretur; ſed ii etiam, qui huc, ſiue fontes, ſiue teſtes, ſiue iuſtitiæ imploratores, aut arceſſuntur a magiſtratu, aut rebus vrgentibus, accedunt ſupplices; reuerentia numinis percellantur ante, quam ſe ſtiterint iudicibus. Huic fini DICAE ſimulacrum, cum ſolita monitione, SVVM CVIQVE, iſthic, priſci illi homines, poſuere. *Condocuit pia antiquitas*, ait noſter, *metu numinis, caſtisque precibus, æquabilem pœnarum, præmiorumque diſtributionem procurari. Incaleſcant ad focos ſacros, ſupplicesque fiant prius, oportet, ſancta iuſtitiæ penetralia, ſubituri. Nam ſine* Euſebia, *friget* Themis. Eſt, & exſequiis dicata ædes, quam B. VIRGINIS *in monte*, ſeu *ad niues*, nomine dedicatam, atque Romanæ illius imitatione, ita vocatam accepimus. Inſedit loco, in orientem, edito, habetque vicinum cœmeterium, cryptis emortualibus, & poſitis paſſim epitaphiis, inſtructum. Diutius, incultu ſqualuit: forte, ob inuiſam, eius ætatis hominibus, mortalitatis recordationem: dum anno, ſexti decimi ſeculi, *ſexageſimo quarto*, turri primum, ſolido educta opere, honeſtaretur; atque tribus fere luſtris poſtea, hoc eſt MDLXX. & amplior redderetur, & ſacris ornatibus inſtructior.

S. Andreæ *ſacellum curiæ coædificatum:*

B. Virginis *ad niues templum, cum cœmeterio.*

§. XLII.

VLtimum, in templis *Schemnicienſium*, D. NICOLAI ſacellum, variis, & illud fatis exercitum, recognoſcendum eſt. Fuit illud, veterum *Banyenſium* opus, augendæ pietatis ciuium gratia, publico ſumtu, forte, BELA IV. rerum potiente, eductum; poſteaque, familiæ S. DOMINICI, editis, a LADISLAO Cumano, & magiſtratu ciuico tabulis, anno MCCLXXV. ſolemni ritu traditum. Et regium quidem diploma, in ipſo, commentationis huius exordio, cum in vrbis denominatione eruderanda verſaremur, in rem noſtram vertimus: iam tabulæ ciuicæ, vt res omnis fiat luculentior, recitandæ ſunt, quæ ſic habent: *Nos* Halmannus, *iudex, & duodecim iurati, vniuerſique ciues* Banenſes, *ſignificamus omnibus, præſentes litteras inſpicientibus, quod cum feria ſexta, infra octauas Epiphaniarum, in eccleſia parochiali, in honorem videlicet* B. VIRGINIS *de* BANA, *fratres*

D. Nicolai *adicula, veterum* Banyenſium *opus:*

traditur Dominicanorum *ordini, inſigni cum ſolemnitate:*

tres de ordine Prædicatorum, quos Frater PETRVS, *Prior Prouincialis eorundem, ad hoc ſpecialiter deſtinauerat, & Capellam* S. NICOLAI *de* BANA, *quam ex donatione bonæ memoriæ Domini* STEPHANI *Regis, iure patronatus, & noſtro iure ædificationis poſſidebamus, Magiſtro* RENALDO, *Plebano de eadem ciuitate, iure conſecrationis, nominatæ eccleſiæ annexam reſtituentes; facta reſtitutione, in eodem loco, ad petitionem & inſtantiam noſtram, & Fratrum Prædicatorum, ius, quod in præfata Capella habebat, ablato almutio (p.) de capite, tradendo ad manus fratrum & dicendo:* Inueſtio Vos ex nunc Capella B. NICOLAI, quam vobis dono & confero perpetuo poſſidendam. *Nos quoque, quidquid in ea Capella iuris habebamus, ſicuti prius, ita & nunc, donamus, dedimus & contulimus ipſis, conſentientes & approbantes donationem & collationem Magiſtri Plebani ſupra dicti. In cuius rei teſtimonium, duximus ſigillum noſtrum præſentibus apponendum. Datum in* BANA, *Anno Domini Milleſimo, Ducenteſimo Septuageſimo quinto.* Confici hinc poteſt, nullos, ante iſtam ætatem, monachos, *Banam*, ſiue *Sebeniciam*, coluiſſe: cum, parochi quidem ædis B. V. MARIAE, qui ſacellum *D. Nicolai*, fratribus *Dominicanis*, per manus tradidit, diſerta; nulla contra, *Templariſtarum*, quos in arcem veterem, inuita antiquitate, intrudunt aliqui, fiat in tabulis hiſce mentio. quæ tamen haud præteriiſſet ſenatum, ſi quid aliquando, ſeu in arce, ſeu ad *D. Nicolaum*, iuris habuiſſent, rerum tunc domini, *Templarii*. Quid? quod *ius patronatus*, iam tum, ſub STEPHANO V. *Banenſibus* adtributum fuerit; ex cuius indultu, poteſtatem ſimul, tradendæ fratribus *Capellæ*, obtinuerant, vſique ſunt ea, nemine contraeunte. Ac manſit omnino, intemerata prærogatiua illa, *Schemnicienſibus*: quippe quam, ſequuti reges, diligenter adfirmabant ciuibus, quoties id vſus poſcebat. Præſto eſt, diplomatis iſtiusmodi, quod WLADISLAVS II. anno MDXV. perſcripſit ἀντίγραφον: quod ideo, opportune heic intertexi poſſe, exiſtimamus. Nos WLADISLAVS &c. *habentes conſiderationem, ad fidelitatem, & fidelia ſeruitia fidelium noſtrorum, iudicis & iuratorum, ceterorumque ciuium ciuitatis noſtræ* SCHEMNICIENSIS, *quæ iidem ſacræ inprimis regni huius Coronæ, deinde etiam maieſtati noſtræ, pro locorum & temporum diuerſitate exhibuerunt: cum ex eo, tum vero, quia ipſa ciuitas, ius conferendi beneficia, videlicet, Plebaniam, Altariam, Capellarum & hoſpitalium rectoratum, in eccleſia parochiali & ciuitate ipſorum prædicta exiſtentium, ab antiquo, prædeceſſores ipſorum habuiſſe, ſeque ipſos in præſentiarum habere aſſerunt. Idem ius, eisdem, Iudici, Iuratis & ceteris ciuibus, prædictæ ciuitatis noſtræ* Schemnicienſis, *modernis ſcilicet, & futuris, ipſorumque hæredibus, & poſteritatibus vniuerſis, pro maiori eorundem quiete & pace, renouandum*

Ius Patronatus *antiquum eſt Schemnicienſibus:*

adfirmatur ſingulari diplomate, a Wladislao II.

p.) ALMVCIVM, ALMVCIA, AVMVCIA, amiculum eſt, ſeu amictus, quo ſacri viri, Canonici & Monachi, caput humeroſque tegebant. Vide Gloſſarium CAROLI DV FRESNE, edit. Pariſienſis, A. MDCCXXXIII. Tomo I. p. 325. Ergo, nudato capite, vt traditionis ritus ſolemnior fieret, cerimoniam illam, RENALDVS peregit.

ac denuo conferendum duximus; atque eisdem, de noſtræ regiæ poteſtatis plenitudine, annuendum & concedendum; vt ipſi, quemadmodum antea, ita & deinceps, quotieſcunque huiusmodi beneficia legitime vacare contigerit, toties ad eadem, idoneas perſonas eligere, ac illi, cuius intereſt, præſentare valeant ac poſſint. Ita tamen, quod idem iudex, & ceteri prædicti, eorumque ſucceſſores, ac hæredes, hoc prætextu, de bonis & iuribus huiusmodi beneficiorum, vltra quam patronos decet, ſeſe intromittere, vel de his aliquid adimere, non præſumant, alioquin a iure patronatus huiusmodi ſeſe decidiſſe, nouerint ipſo facto. reliqua. Ita WLADISLAVS, priſcorum regum indulgentiam, confirmauit.

§. XLIII.

Dominicanorum *huiatium hiſtoria:*

SEd, redeamus ad *Dominicanos.* Arctius ii primum, ac, tamquam in priuatis ædibus, vitam degebant: ſatis tunc habentes, quod ſurgentem (*q.*) nuper in *Hungaria* ordinem, hac, qualicunque

incrementa ordinis:

acceſſione, potuerunt locupletauiſſe. Increuit nihilominus eorum inſtitutum, ſucceſſu ſic ſatis felici, atque eam, apud ciues non tantum, ſed & primores, auctoritatem ſenſim obtinuit, vt nihil dubitarint, turbulentiſſimis illis temporibus, quæ LVDOVICI I. mortem excepere, priuilegia ſua, *fratribus* credere, & in cœnobio eorum, tamquam *loco authentico*, reponere; ne, ſeu graſſatoribus *Huſſitis* prædæ eſſent, ſeu flammis poſſent contemerari. Valuit, ea deſtinatio, ad *Varnenſem* vsque cladem; at, vbi poſt hanc, nouus iterum turbo, res *Hungaricas* commiſcuit; non poterat non, eadem illa tempeſtas, *Schemnicium* quoque conuerrere. Calamitas nempe fuit, a *Rosgono*, Agriæ epiſcopo, vrbi, ſicuti diximus (*r.*) ſupra, anno MCCCCXLII. iniquiſſime inflicta. Tunc vero, cœnobium non ſolum; ſed templum etiam *D. Nicolai*, exuſtum flammis eſt, &, quod maxime doleas, quidquid huc illatum fuerat diplomatum, eodem illo incendio, hauſtum. Ergo, peſſum tunc iuit cœnobium, poſteaquam annis circiter CLXXXVII. a primis exordiis, floruiſſet. Damna certe, quæ ex crudeliſſima ea impreſſione, acceperant fratres, non modo non potuerunt reparare, ſed præcipitabant ſubinde in fortunam iniquiorem. His rebus fiebat, vt agros ac vineas, quibus locupletati iam fuerant, non vnius liberalitate; partim pignori cogerentur opponere; partim permittere vſurariis: dum exhauſtis opibus, emorerentur hi, iſti demigrarent aliorſum. Occaſum hunc cœnobii, ad annum MCCCCLXXXIX. memoriales vrbis ſchedæ, reponunt. Ex his, inter eiusdem anni actus, iſtud relatum accepimus: *Inſtrumentum compoſitionis factum eſt, inter Plebanum Sebnitienſem, & Fratres Prædicatores ibidem, coram* PETRO RANZANO, *Epiſcopo Lucerino.* Vnde, non

contemerantur Roſgoniana *impreſſione:*

occaſus cœnobii: ex vrbicis ſchedis, deſcribitur.

4.) De primo, DOMINICANORVM in Hungariam aduentu, legeſis F. SIGISMVNDI FERRARII de Rebus Hungaricæ Prouinciæ Ordinis, Partis I. Cap. II. & III. p. 23. ſequ. vbi is, in ANDREAE Hieroſolymitani tempora, ad annum MCCXXI. refertur. Ergo, annis poſtea LIV. *Schemnicium* ordinem eum admiſit.

r.) Hiſtoriæ vrbis §. LX.

Digitized by Google

non ſine ratione arguas, adſentiente *Ranzano (s.)* demigrationis tunc conſilia agitauiſſe *Dominicanos*, rerum ſuarum, quæ ſuperabant adhuc, curæ, Parocho ciuico, certis quibusdam legibus, forte permiſſa. Nam eædem illæ ſchedæ, iſtud porro meminerunt. *Solch Cloſter haben die* Brüder Ordinis Dominici, *eine lange Zeit, mit alle ſeiner Zugehörung, inne gehabt, biſs ſo lang daſſelbe in Abnehmen iſt kommen: haben auch die Aëcker, Felder und Weingarten zum meiſten Theil verſetzet, und verkaufft; Zu einzigen abgeſtorben, weggezogen, und zuletzt ſolch Cloſter gantz öde gelaſſen.* Ea nos verba, ſic reddimus: *Diu, cœnobium iſtud, cum vniuerſa ditione* Fratres Ordinis Dominici, *poſſederunt; dum id cœpiſſet decreſcere: tunc enim, agris frumentariis, aruis atque vineis, partim pignori datis, partim venditis, his emortuis, demigrantibus illis, cœnobium inane reliquerunt.* Poſſes heic in eam adduci ſententiam, ignauius rerum ſuarum fategiſſe *Dominici* hos fratres; quando, præter morem ſacrarum familiarum, fundos, haud dubitarunt abalienare: idque, ſub rege MATTHIA Coruino. qui, tametſi perpetuis bellis diſtinebatur; tamen, ſacrorum huiusmodi inſtitutorum, & ipſe ſtudioſus erat, &, vti ſuo exemplo idem facerent alii, diligenter procurabat. Quomodocunque res geſta, aut in procurando cœnobio, error admiſſus eſt; vrbis profecto tabularium, & vicinæ nobilitatis priuilegia, ſecum, ad interitum traxere, infelices fratres: non tam id quidem ſua culpa, quam, ſeu fatorum inuidia, ſeu *Roſgonii*, quem nunc meminimus, inſigni illo maleficio. Indagauit, in hæc Schemnicienſium damna, WLADISLAVS II. vt ea farcire poſſet. Itaque, viros delegauit, recti verique ſtudioſos, qui, cum de vrbis iniuriis aliis; tum de tabularii hac iactura, penitus cognoſcerent. quod iam, in eius ætate regis, (*t.*) expromſimus.

§. XLIV.

POſt hæc tempora, annis plus XLII. in vaſtitate, & cœnobium hæſit, & facellum, priſci adhuc operis, hoc eſt, arcte poſitum, iam vero etiam ruina deforme: dum MARIA, vidua LVDOVICI Mohacſienſis, iam *Belgio* præfecta, ſed poſſeſſor tamen vrbium montanarum, amplum heic & ſplendidum templum, quale nunc colitur, ſuo ſumtu, in facelli locum reponeret. Exædificatæ ſacræ ædis molem, anno MDXXXII. adtribuunt veteres ſchedæ. quæ, vt rei diuinæ faciundæ locum daret, frequentareturque cum celebritate; magiſtratuum prouidentia, ſed regina, ſicuti fas eſt credere, benigne conſentiente; alumni *Xenodochii S. Eliſabethæ*, anno MDXXXVI. iſthuc translati fuiſſe memorantur. Stetit, hoc habitu templum, aluitque, ex publicæ pietatis prouentu, plebem illam inopem ægramque: dum anno MDCLXXI. LEOPOLDI M. beneficentia, *Societati* IESV,

Fata cœnobii, & aedicula D. Nicolai, *reliqua*: Maria, *Ludouici II. vidua, angußum templum, eius loco, ex aedificat*: *Xenodochio* S. Eliſabethæ, *quam diu frequẽtatum*: *idem a* Leopoldo M.

s.) Fuit is, toto triennio, apud MATTHIAM, legatus FERDINANDI regis. De eo BONFINIVS, Dec. IV. Lib. VIII. p. 647, 13. | Dixit MATTHIAE CORVINO, orationem funebrem. Ibid. p. 653, 2. *t.*) Supra §. XIII.

Societati Iesu traditur:

sv, vt ſedem iſthic poneret, donatione, ſingulari diplomate perſcripta, traderetur. Vix dum, pro ſocietatis elegantia, inſtaurata fuit ædes ſacra, cum tumultuantium maleficio, ductu autem *Patris Joſæ*, anno MDCLXXX. decimo *Calendas Maii*, cum ærario regio, & eximia vrbis parte, facibus nefarie ſubiectis, exuritur. At enim, quo maior poſitæ heic *Societatis* Iesv ſedis, calamitas fuit; eo inſigniora euergetarum, in nuperos hoſpites, munificentia exſtitit. Præterquam enim, quod templum, neceſſario tecto, faſtigiatum opportune fuit; non vna, in annos ſingulos, *Reſidentiæ*, ſicuti vocant, facta eſt acceſſio: cum hi quidem, incommoda, quibus vrgebantur ſocii, maſcule auerruncabant; illi, non templum minus, quam ipſam eorum ſedem, auguſtiorem nitebantur reddere. Aeterna ideo futura eſt apud gratos ſocios, Sternbachii, quem toties laudauimus, memoria: quippe qui, & ædem ſacram, eximiis anathematis ornauit; & nauiter effecit, vt, quæ arctius habitauit hucusque, capaci laxaque domo, quam a poſſeſſoribus *Sailerianam* vocabant, acciperetur. De ſacris ædibus hactenus.

eſt hodieque eorum ſedes.

§. XLV.

Ædes publicæ: ærarium regium, & huius prærogatiua:

NVnc res ipſa poſcit, vt publicarum ædium, mentionem habeamus, quam poſſumus, adcuratiſſimam. Princeps harum eſt, deſtinata regio ærario domus, *Cameram*, cum vulgo, dicimus; non quod, ſeu poſitu, ſeu ſubſtructionum mole atque elegantia, reliquas maximopere antecellat; ſed quia ſedes eſt, cum imperii metallici, tum procurationis earum rerum, quæ ſunt, ad accipienda, fundenda, diſcriminandaque metalla, neceſſariæ. Proinde,

Tantum alias inter caput extulit ædes
Quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi.

ſitus: opportunitates, hoſpitia:

Inſedere, extremo, inferioris fori, quod & *circulum*, Saxonum more vocant, collimitio, atque ita ſunt eductæ, vt non ærarii tantum præſidem, anteriore ædium parte; ſed præcipuos etiam rei metallicæ præfectos, & horum miniſteria, qua interius vergit, commode poſſint accipere. Hic, & ſanctiori ſenatui cogendo habendoque, inſigne ſenaculum deſignatum eſt. Quæ vltra ſunt, hoſpitiis metallicorum, pro dignitate munerum, honeſtantur. Alter enim ædium ordo, ab amplis gradibus præcipue ſpectabilis, ab ærarii quæſtore colitur; alter hinc, *rationariam*, ſiue tabularium dati accepti, cum ſuo præfecto, complectitur. Vtriusque munus, & honoratiſſimum eſt, & arduarum curarum. Ad eos, nimirum, pertinet, ſub præſide ſuo, de re metallica conſultare adſiduo, quodque ad eius incrementa pertinere, cum ratione, exiſtimant, prouidere præfinireque. In primis, nobilis illa, & maximi ſumtus, *Piberiana* ſectura, eorum curis ac prouidentiæ, commendata eſt. Præterea, quidquid grauis, excocti & conflati æris, ex omnium fodinarum reditibus, ſtatis temporibus, huc infertur, in eorum id rationes venire, ab iis, fide exqui-

quiſitiſſima adminiſtrari, diſpenſarique oportet. Sed, & *vrburas*, metallicum illud tributi genus, iidem iſti, in acceptis referunt. Quam ob rem, in præcipua ſunt, poſt *Cameræ præfectum*, dignatione, quique ſubinde, ſi quid per vrbes montanas reliquas munerum, indulgente rege, inſtaurandum ſit, id cum poteſtate, peragunt. Proxime ab horum tabulariis, *Docimaſtes* metallorum inhabitat. Eximium, & hoc, in metallicis, munus eſt: quippe quod, eius ſit partium; cum in minerarum indolem, quibus quamque pretioſis metallis ſint grauidatæ, indagare; tum aurum, argento maritatum, curate ſecernere. Vltima ædium pars, adtentiſſimis iſtis operis, hucusque officinam præbuit: *Scheid-Gaden*, Germani vocant; ſed quæ hinc, anno MDCCXXXVIII. *Cremnicium*, translatæ ſunt conſulto. Quid vero id fuerit operarum, RICHTERVS docuit. *Poſtica pars ædium*, inquit, *officinæ docimaſtæ inſeruit; in cuius vſtrina, argentum auro grauidum, igne perpurgatur, mox vero in globulos agitatum, aqua ſecretoria, quam* regis *&* fortem *dicunt, adfuſa, ſpectaculo iucundo & admirando, diſſoluitur, vt more ſimplicis aquæ liqueſcat, & in vitreas ampullas, arena feruenti impoſitas, infundatur. Ita ſenſim aurum in fundo, colore nigricante reſidet, argento ſupernatante. Ample vero & prouide ſubſtructio adſurgit, & in id ſpatii extenditur, vt cum olim montes diuitias ſuas, largius profunderent, anno puta MDCLXXVII. & ſecutis, frequentius, ac fere in ſingulas hebdomades, tria millia librarum numulariarum argenti illata acceperit, vno eodemque labore ſecernenda.* Poſtea, experiundarum venarum meminit noſter: *Quæ experiendæ venæ fornaculæ, prope, largioribus ignibus micant, commolitaque ſaxa torrent, & ex iis, argentum ad pondus examinandum, eliciunt, per artificem in hac arte, temperantur.* Docimaſtam *dicunt, non vltimi nominis, nec auctoritatis. Ad huius enim nutum & arbitrium, vrburarii adtendunt, quando in excoquendis metallis, operam nauant, qui venas eorum ex antris expromtas, prius igni explorandas, lanci ſubiicit, quam ad arariam officinam deferendæ impune committuntur.* Ergo, geminum docimaſtarum munus eſt: potius illius, qui aurum ab argento, diſcriminat, & a Germanis, *Gold-Scheider* adpellatur: & ſequius iſtud, cuius eſt venarum experiri naturam. quem ideo *Probirer* vocauerunt: ſed vtrumque tamen, præcipuis muneribus, accenſendum. Reliquas concamerationes, quæ per depreſſa ædium, & multæ ſunt, & laxæ, horrea dixeris earum rerum, quas eruendis, protrahendis, triturandis, & explorandis metallis, neceſſarias poſſis exiſtimare. Neſcio, an credendum ſit, monetariam hic olim officinam floruiſſe. Adfirmat (*u.*) hoc PARSCHITIVS. *Hic olim, magna vis pecuniæ cudebatur, ex auro & argento, quod huc, ex circum adiacentibus fodinis adferebatur; ſed propter defectum aquæ, poſtea Cremnicium eſt translata. Tanta enim heic loci eſt penuria aquæ, vt vix ſufficiat pro vſu domeſtico, verſandis molis frumentariis, & in officinis rotis*

habuit, noſtra hac ætate, officinam docimaſticam: *eius,* Richteri *verbis deſcriptio:*

adificii reliquum:

Parſchitzius, *monetariam officinam ibhic fuiſſe, perhibet.*

u.) In Hiſtoria Comitatuum, manu exarata. quam nominamus ſæpius.

rotis agendis. De aquarum inopia, certum eſt: id quod norunt, qui aliquando *Schemnicium* viderunt; ſed, numi nobis viſi ſunt nunquam, quos huiates formulæ monetariæ procudiſſent: niſi forte iis id temporibus fiebat, quæ *Cremnicienſis Cameræ* exordia anteceſſerunt. quod diſputatu ſuperuacuum eſt.

§. XLVI.

Vrbicum prætorium:

quo ſit poſitu:

qua ætate exædificatum:

AErario regio, vrbicum prætorium, in publicis ædibus ſuccedat. quod ideo ſilendum haud eſt, quia, quemadmodum metalis inde, ita hinc ciuibus, adtenditur. Sedet vero, lateri circuli inferioris interſerta, in ædis D. CATHARINAE obtutu fere orientali, atque *oratorii* A. C. ciuium proxima vicinia. Conditæ molis ortus, ad annum MCCCCXLVIII. referri video, ſchedis ciuici tabularii, ſi rite ſunt exſcriptæ, id conteſtantibus. Neque contrairem, publicæ huic fidei, niſi emendandus eſſet, definitus ille annorum numerus; ob BEATRICIS, viduæ *Coruini*, memoratam benignitatem. *Anno MCCCCXCVIII.* inquiunt chartæ, *mandat* BEATRIX, Petro Schaider, *Camerario ſuo, de dato Viennæ XX. Auguſti, ne impediat Schemnicienſes domum illam, quam ipſe pro Curia, ciuitas autem pro Capella adificanda, accipere voluit, in ædificationem dictæ Capellæ adhibere.* Si enim, annorum rationes ſubducas, MATTHIAS, octennio ante mortuus eſt; *Beatrix* autem, poſt deductum *Albam regalem*, funus, vix vnquam *Viennam* rediit: ſaltem, anno MCCCCXCVIII. cum imperio, illic agere non potuit; quin immo, a ſpe nuptiarum WLADISLAI, publica comitiorum ſanctione *(v.)* deturbata, iam tum, anno MCCCCXCVII. regno exceſſit. Ergo, transponendi erunt numeri, & pro anno XCVIII. adſciſcendus LXXXIX. qui mortem *Matthiæ* prægreſſus eſt. Interim, ex iisdem, quas aduocauimus, chartis, id condiſcas, eodem tempore, atque in vnius veſtigio domus, & facellum *S. Annæ* conditum fuiſſe, & prætorium; vt magiſtratus votis, ſimul & voluntati *Schaideri*, ſatisfieret. Atque, arctius omnino coædificata ædes *S. Annæ*, curiam cogit, vt iuſtam cum ea ſpeciem referat. Ducentis, & quod excurrit, annis, faciem retinuit eandem, quam ei conditores induerant. quæ, cum temporis diuturnitate, deformaretur, ætate noſtra, anno nimirum, MDCCXXXI. inſtaurata eſt denuo; adſtructa autem turris, nouo ornata faſtigio; cuius, colophoni, ex ære in rotundum, pro more, cauato, nomina eius temporis ſenatorum, indita accepimus, vt memoria inſtauratorum poſteris commendaretur. Pone turris pedem, modius viſitur, in ſaxum impreſſus, & ſex pedum pertica; vt eſſent, in vendendo emendoque, quoddam quaſi menſurarum exemplar. Ipſa prætorii moles, tribus adſurgit contignationibus, quas ita, priſci illi homines diſpertiuere, vt infimam quidem, grammatophilacium accipiat; ſu-

ipſa prætorii moles, & huius in conclauia, partitio:

pre-

v.) Expromſimus rem omnem, TOMO operis III. in Hiſtoria vrbis BVDENSIS, Periodo I. §. XXVIII. p. 235. ſequ. quorſum lectores ablegamus.

premam, quæſtor vrbicus, cum ſuis miniſteriis, impleat. Huc, publicæ pecuniæ, & dati acceptique rationes, inferuntur; quin & ſub haſta venduntur, ciuium, qui ſiue decoxere, ſiue ex temporum difficultate, peſſum iuerunt, reſiduæ fortunæ. In medio ſenaculum eſt, cultus mediocris, quod anno MDCCXXXVII. renouatum fuiſſe, anni eius adſcriptum indicium loquitur; cum vetuſta epigraphe: HVETE DICH, TREV IST SELCZAM. quæ ianuæ ſuperſcripta eſt. Senatus, peculiaribus officiis diſtinctus, ac præter morem reliquarum montanarum, ita diſtributus eſt; vt prætor quidem, ſiue *iudex*, in moderanda repub. primas partes, ſecundas *quæſtor:* tertias, *Hodricſianæ* plateæ cenſor; quartas *montium magiſter*, iure metallico (*x.*) eo munere donatus, obtineat: reliquus ſenatorum ordo, octo viris cenſetur; duodecim collegium vniuerſum. Eſt muneribus ſingulis, quæ meminimus, ſua quædam moleſtia: ſed vix vlli, ſeu cumulatior, ſeu periculoſior, quam *cenſori Hodricſenſi;* vt acciderit ideo ſæpius, defugiſſe id muneris, cordatiſſimos quosque ſenatorum, ob *Hodricſenſium*, inſolentiam, ac refractarios mores. de quibus, in ſuburbanis dicendi erit locus. Alioquin, eligendorum magiſtratuum, eadem hic ratio eſt, quam apud *Cremnicienſes* retulimus; ſi cerimoniarum nonnihil demſeris. quod tamen, vix quidquam momenti habet. Iſtud ſingulare eſt, quod ſuum *Schemnicienſes*, ius municipale, longo retro annorum lapſu, ex vſu, & per experimenta varia, concinnatum, adprobatumque habeant. Sunt præterea, *Schemnicienſes* magiſtratus, communium Hungariæ legum tenaciſſimi. RICHTERVS: *Ante pulpitum dicographorum, explicatus codex vetuſtiſſimus, ſenatui patet, altioris omnino indaginis, & auctoritatis maioris, quam id ex obtutu nudo, poſſis exiſtimare: priſco vtique more & inſtituto, cuius veſtigia in iure noſtro municipali (y.) poſita videas.* Ergo, nemini hic, ſed omnium minime, conſularibus, & reliquis ſenatorii ordinis viris, contra recti honeſtique rationes, impune peccare licet: quin pro eo, ac merentur, hi exauctoratione, ære illi, alii denique, vita fortunisque, mulctentur. cuius quidem ſeueritatis, & multa olim, & laudabilia edita ſunt exempla; vt habeat ſane, quod imitetur, quodque caueat, ſtudioſa virtutis poſteritas. Pergit noſter: *In laterum ſenaculi vno, tabula obiicitur, quæ felices, & defixas in reipublicæ ſalutem, curas arguat. Qui enim pro ea excubarunt, primores, ſtabilitam præclaris legibus, quas* IVRA *ſua* MVNICIPALIA *nominarunt, vrbem ſibi creditam, honeſtis quoque moribus, & ornatu reliquo, qui ad claritudinem eius ſpectabat, talemque redditam eſſe volebant, vt egregii ciues, ſuis virtutibus fruerentur. Ergo, ſancitas ei fini leges, anno MDLXXV.* prætore Iohanne Salio, *iſthic ſuſpenderunt.* Sanctiori, de quo diximus hucusque, ſenatui, XXIV. viri ſuccenturiantur; penes quos, annua eſt magiſtratuum, ex priuilegiorum præſcripto, inſtauratio. Externum ſenatum alibi adpel-

ordo ſenatorius:

iuſti & recti tenax:

x.) Vide, MAXIMILIANI Corpus Iuris Metallici, Artic. I. §. IV.

y.) Schemnitzer Stadt-Gericht. §. VII.

pellant, qui ex præcipuis ciuibus deligi ſolet; ex quibus poſtea, ſi vſus ferat, in interiorem quoque illum, quem XII. viris definiunt, communibus ciuicæ multitudinis ſuffragiis, digniſſimi quique adſciſcuntur. Ceterum, in buleuterii atrio, præter gladium, ſcelerum in nefariis vindicem, tabula viſitur, ſenatoriæ æquitatis ac iuſtitiæ, facunda interpres; ſicuti paſſim obuia, ita heic non ſilenda. Habet autem, & legitur in hunc modum:

Tabula Ptolomæi Arphaſidis, *æquitatis omnis interpres, in atrio ſenaculi ſuſpenſa.*

PTOLOMAEI ARPHASIDIS, AEGYPTIORVM REGIS TABVLA.

NVNQVAM MAGNIFECI DIVITEM TYRANNVM;
NEC ODIO HABVI PAVPEREM IVSTVM.
NVNQVAM IVRIS DICENDI TEMPVS PAVPERI DISTVLI;
NEC LARGITIONIBVS ADDVCTVS DIVITI PEPERCI.
NVNQVAM FECI GRATIAM ALICVI FAVORE CAPTVS;
NEC IRATVS POENAM INFLIXI.
NVNQVAM PERMISI MALVM IMPVNITVM;
NEC BONVM IRREMVNERATVM.
NVNQVAM CAVSSAM LIQVIDO IVSTAM ALTERI TRACTANDAM COMMISI;
NEC OBSCVRAM SOLVS DECREVI.
NVNQVAM IVS NEGAVI PETENTI;
NEC MISERICORDIAM MEAM MERENTI.
NVNQVAM QVEMQVAM IRATVS MVLCTAVI;
NEC DONA LAETVS MAGNIFICE PROMISI.
NVNQVAM TEMERE GESTIEBAM IN PROSPERITATE;
NEC IN ADVERSIS ANIMVM DESPONDI.
NVNQVAM ODIO INCITATVS DAMNVM ALICVI INTVLI;
NEC REM TVRPEM OB AVARITIAM COMMISI.
NVNQVAM ADVLANTIVM AMORE CAPIEBAR;
NEC AVRES DETRECTANTIBVS PRAEBVI.
SEMPER OPTABAM A BONIS DILIGI;
VT ME METVERENT MALI.
ET BREVITER: FAVEBAM PAVPERIBVS,
ET EXTRANEIS FAVORE CARENTIBVS.
POSTREMO, QVOD OMNIVM EST MAXIMVM:
FVI DILECTVS A DIIS MVLTA POTENTIBVS.

En tabulam! auro cedroque pretioſiorem: quam, non in prætoriis modo publicis; ſed in priuatorum etiam ædibus; immo penitiſſimo in

in pectore, omnium eorum expreſſam legi obſeruarique cupimus, quibus, pars aliqua, adminiſtrandæ reipublicæ demandata eſt: quique vitam, in ſocietate humana, cupiunt degere, a data acceptaque noxa alienam.

§. XLVII.

Inſignia Schemnicienſium:

NEque, pro more noſtro, inſignia ciuitatis, ſilenda iam ſunt. A primis inde *Schemnicii* originibus, arceſſi ea oportere, ſub ipſa commentationis huius exordia, monuimus. Nunc iſtud addendum putamus, rudiora primitus fuiſſe: quippe quæ, gemino tantum ferramento, malleo puta, & claua metallica, decuſſatæ crucis ſpeciem referentibus, conſtabant, telemonum vice, duabus viperis, ita ſimulacra incingentibus, vt, obuerſis ſuperne capitibus, mutuo ſe contuerentur, caudis, ad ima inſignium, defluentibus. quod quali ſit fabulæ tribuendum, ſupra indicauimus. Poſteaquam vero mœnibus circumdari, & portis præmuniri vrbs cœpit, ipſa quoque inſignia, auguſtiorem faciem accepere. Inde, enim vero, præcipuarum per *Hungariam* vrbium lemmata ſunt arceſſenda: *Agrienſis* nimirum, *Alba-Regalenſis*, *Budenſis*, *Comaromienſis*, *Gincienſis*, *Peſtienſis*, *Poſonienſis*, *Sempronienſis*, & *Strigonienſis*; quod munitionibus pluribus retro ſeculis, circumcluſæ fuerint. Singulis, certæ portæ iſtiusmodi, aliter atque aliter deſignatæ, pro inſigniis ſunt. De *Schemnicienſibus*, ita ſcitus & nuperus (z.) ſcriptor: SCHEMNICIVM, *præcipuis Montanarum decoribus adnumeranda, originem ſui, mœnia prima, ſuper monte exſtructa, prominentibus hinc atque inde ad latera portæ, qua ligonibus, qua malleis, inſigne ſibi glorioſum effecerat.* Multo RICHTERVS noſter, luculentius: *Inſignia ciuitatis*, inquit, *turrim primis ornatam inſertamque mœniis, complectuntur. Portæ ipſi, montibus inſidenti, & cataractæ inſtructæ, dextro lateri rutrum, ſiniſtro, ligo metallicus, infigitur. Qua porro turris adſurgit, hinc claua, illic malleus metallicus, cum manubriis, adhæreſcunt. Ad elegantiam, telamones viperæ, exertas linguas in decuſſem nectentes, litteræque S. ſubſternentes, accedunt.* Addit ſimulacrorum interpretamentum: *Turris, Germanorum morem & conſuetudinem interpretatur: quibus deductas colonias, & poſitas vrbes, mœniis atque portis communire, ſoleinne fuit. Lacertæ, anguium genus, omen vrbis, atque inuentoris nomen indicant. Non ergo ſunt fibri*, Piberianæ *argentariæ, ſiue vigiles, ſiue præcones; quod volunt aliqui: id certe, cum ex porrectis linguis, tum ex cuſpidatis caudis coniicias.* Reliqua, quæ nouellus auctor habet, in eandem hanc rem, ideo ſilenda haud ſunt, quod opinationi illi, de vetere vrbe, terræ motu concuſſa, velificantur. *Vetus hoc vrbis munimentum erat, anno iam MCCXLIV. vt e tabulis antiquis eruitur, adificatum. Adpellationem illi opilio quidam*, Sebenicz, *eo in loco, dum gregem paſceret, diuitem auri venam, fortuito deprehendens, impoſuiſſe fertur. Accidit autem, vt anno MCCCCXLI. inopino terræ motu, a-*

aliorum vrbis:

ac Richteri *potiſſimum, deſcripta:*

z.) Cereographiæ Hungaricæ, p. 183.

des veteris huius vrbis, euerterentur: quare ad humiliorem ſe locum tranſtulere incolæ, nouumque Schemnicium, *tumultuario primum opere in valle exſtruxere; cui ſubinde, ſemper magisque exculto, binæ arces, totidem in rupibus, quarum vna orientem, altera meridiem ſpectat, propugnaculorum in vicem, adiectæ ſunt.* Non vacat, ſingula hæc ſub incudem vocare; quando, quid de vetere, nouaque vrbe, ſtatuamus, prolixe ſatis, ac modeſte, ſupra diſputauimus. quorſum lectores conſulto dimittimus. Hæc, quæ deſcripſimus, inſignium ſimulacra, ſigillis quoque expreſſa habent *Schemnicienſes.* Duo horum ſunt, minus alterum, ſolis ferramentis inſculptum. Huius vſus tunc eſt, cum negotiis minutioribus, fidem ſcripto adfirmari oportet. Alterum formæ auguſtioris, ſicuti lemmata vniuerſim omnia refert; ita, vetere ritu, tum a magiſtratibus adhiberi ſolet, cum rebus grauioribus, & fides præſtruenda eſt, & auctoritas: alioquin, vtrique fides ex æquo habetur. Exprimuntur autem cera rubra. qui ſane mos, non antiquus modo eſt, ſed etiam, regum tabulis, inter *Schemnicienſium* prærogatiuas relatus. Suffecerit, vel vnius WLADISLAI indulgentiam, cum eximia ciuium laude coniunctam, iſthic recoluiſſe. Fragmentum diplomatis ſic legitur: WLADISLAVS, reliqua. *Conſiderantes multifariam gratæ fidelitatis puritatem, ac integræ deuotionis conſtantiam, ciuium populorumque & inhabitatorum ciuitatis noſtræ* Schemnicienſis, *quam ipſi, primum ſacræ huius regni noſtræ Coronæ, ac deinde Maieſtati noſtræ, ab initio vsque felicis aſſumtionis noſtræ, ad regimen huius regni noſtri Hungariæ, in omnibus rebus noſtris proſperis ſcilicet & aduerſis, cum ſumma ſemper conſtantia exhibuerunt,* &c. *Volentes itaque eos propterea, velut bene meritos regiæ munificentiæ dono amplius honorari, vt ſicut hactenus, ſic & de cætero ſincerioris fidei zelo, & feruoris promtitudine coaleſcant, ipſis, & ipſorum poſteris, hanc ſpecialis noſtræ gratiæ prærogatiuam, dandam duximus, & concedendam; ipſisque annuimus per præſentes, vt iidem a modo, perpetuis temporibus vniuerſis, ſigillo eorum ciuitatis præfatæ, quo ad præſens vtuntur, vniuerſas litteras, quacunque de cauſſa, in eorum medio emanandas, cera rubei coloris, inſtar aliarum ciuitatum Montanarum, quæ modo ſimili, in ſigillis rubea cera vtuntur, ſigillare valeant, huiusmodi ſigillo, in cera ipſa, quibus cum litteris ipſorum appenſo, perinde ac præciſe, ſicut in litteris, ſeu ſigillo aliarum ciuitatum noſtrarum, colore ſimili, in ſigillis vtentium, vigor & fides adhibeatur, & adhiberi debeat. cetera.* Hactenus WLADISLAI tabulæ.

vſus eorum in gemino ſigillo: minori altero:

altero maiori:

exprimuntur cera rubra: Wladislai II. *in eam rem diploma.*

§. XLVIII.

Eadem inſignia, *ex argento conflata adſeruantur in prætorio: ſunt* metallici *ordinis, quaſi* palla-

SAtis, de inſignium vrbis prærogatiua. Neque vero, ſolis ea ſimulacris, quæ ſigilla referunt, abſoluitur; & iſtud ad dignationem eorum adtinet, quod, ex puro aridoque aliquot librarum argento, iam tum ſuperioribus ſeculis conflata, tam adtenta in prætorio vigilantia adſeruantur, quam quæ poteſt eſſe adtentiſſima. *Palladium* metallici ordinis crederes, tanta iis vulgo habetur veneratio.

Ru-

Rudi olim erant fabrica, neque tam decore valebant, quam ponde- dium *quoddam*:
re. quod antiquitatem ſane arguit. Sunt autem malleus, cum fer- *malleus &*
ramento metallico, vtraque ſeorſim fuſa, ac bene manubriata. Ve- *clava*:
teri more, ſigna ea, in primis ad decus, celebritatemque metallici
collegii adtinuerunt. Nam, quoties anniuerſaria, aut geniales ſuos *eorum, in*
dies obibant, depromebantur ritu ſolemni ex curia, & magna de- *ſolemnibus*
mum lætitiæ ſignificatione, tamquam inſignia auitæ metallariorum *metallariis,*
libertatis, circumferebantur. Non ergo, publicas choreas, non an- *oſtensatio:*
nuos ludos alios, rite concelebrari poſſe exiſtimabant, mortalium ob-
ſtinatiſſimi; niſi ab his ſignis, & dignitatem acciperent præſidiaque,
& hilaritatis auctoramenta. Diu, licentioſi eius moris obſeruatio, fre-
quentabatur: ipſa certe ſigna, ita his vſibus fuere adtrita, vt refor-
mari debuerint ſpecioſius, ne quid de priſtina exiſtimatione viderentur
amiſiſſe. Schedæ, quæ ſuperant, in tabulario ciuico, ad annum id
MDXXXVIII. (*a.*) referunt. Tunc, & nouis inſcriptionibus deco-
rata ſunt ſacra hæc cimelia: vt MALLEVS quidem iſta hodieque
referat: GOTT MIT VNS. TRAV SCHAV WEM. hoc eſt: *Deus no-
biſcum. Fide, ſed cui, vide!* Adduntur his, memoriales litteræ:
DI. HM. NR. MICHAEL LEBESTER, quæ primores forte, aut ſenatus,
aut ordinis metallici indicant. FERRAMENTVM contra hæc habet:
VERBVM DOMINI MANET IN AETERNVM. WER GOTT VERTRAVT, DER
WOHL GEBAVT. GVT MACHT MVTH, MVTH BRINGT ARMVTH. WO DER
PFENNIG WENDT, DASELBST AVCH DIE LIEB ENDT. 1538. Quorum
ſenſus huc redit: *Optime in Deo confidi: Opes præſidentiam, hanc au-
tem paupertatem parere: deficiente pecunia, defficere caritatem.* Ad-
ſcribenda hæc putauimus, ne non ſatis honorauiſſe credamur, *Palla-
dium* iſtud metallicorum. Ceterum, ne ignoret lector, quæ ſit inſi- *facies qua-*
gnium, de quibus agimus, facies, en! æri inciſam, repræſentamus: *lis:*

MALLEVS, inſtrumentum eſt, quo claua, ſeu FERRAMENTVM metalli-
cum, duriſſima cuſpide exacutum, adigi ſolet in venas petroſas, vt
fruſtratim inde metallum, cote maritatum, elidatur. Sunt ergo, ma-
xime neceſſaria, in eruendis metallis, inſtrumenta: quæ ideo non mo-
do magni fiunt a metallicis, ſed referuntur etiam, in iis ornamen-
tis, quibus, cum ordinis ſui decus, tum relaxandi animi poteſtas,
contineantur. Paucis, quod *Mercurio Caduceus*, id *Pluti* hiſce filiis,
malleus ſuus cum ferramento eſt. Rem totam ita expromſit noſter: *in præcipu-*

a.) His nimirum verbis: Anno 1538. ſub iudicatu prudentis circumſpecti viri, VALENTINI MARKVSCH, ante feſtum Pentecoſtes: *Schlägel und Eiſen den Häuren zum Tanz gebräſchig verneüert*; *zum Lohn*, *fl.* 7. 41. *den.* Poſt feſtum Trinitatis. *Schlägel und Eiſen vergaldet*, *fl.* 7. 27. *den.* Schlägel, *malleum*; Eiſen, *clauam metallicam*, ſignificat.

is ornamentis, habebatur a metallicis operis:

Ornamenta hæc metallica, quæ plurimum foſſoribus decoris adferre viſa ſunt, hi in firmiſſimis & ſanctiſſimis teſtimoniis recenſuerunt, quæ præcipuam ſibi libertatem adferrent & vindicarent. Exhibita vero promto ſenatu obtinuerunt, quoties hæc ſtata ſacra repoſterent, vel remiſſiores animi, delectis diebus, vt moleſtiæ obliterarentur, a labore præduro & periculoſo, ad leuamentum & oblectationem, reuocarentur. Tunc enim choros agitabant, ducebantque choreas, chorago, his ſignis, decuſſatim manu præuſatis, hilariter præſiliente. Sed cum morem hunc licentia conſequeretur ac fœdaret, rariore permiſſa feſtiuitate, coercitus primum, poſtea obliuione ſenſim obſcuratus, adeo euanuit, vt vix veſtigia eius ſuperarent: dum incerta ac ſinuoſa narratione excitati poſteri, acrius, in priſtinam illam prærogatiuam inquirerent. Simultates primum; ficta,

excidunt eorum vſu:

& inanis fama parauit, obtendens: choragum olim quendam, ſaltantibus præludentem, pecus forte obuium, malleo metallico petitum, ſubmouiſſe: quem profanum errorem, ſuppreſſis choreis, ademtúque cimeliis,

lites, ob eam rem vrbico magiſtratui intentata:

cohors luerit infauſta ſaltatorum. Siue fabula id ſit, ſiue res omnino indecore geſta, certum eſt, expergefactos poſt ſeculi interuallum, metallicos, multum vrbicis magiſtratibus, ob cimelia hæc, moleſtiæ conſciuiſſe: quando, mota controuerſia, iurene, aut iniuria, adſeruandorum ſignorum poteſtatem ſibi arrogarit ſenatus? tantis animorum motibus, per plura luſtra, litem agebant, vt non raro, ad tumultum res ſpectare videretur. Incentor, rixoſæ multitudinis, *Rupertus* quidam *Matelsberger*, cuniculorum non inſolers præfectus fuiſſe perhibetur. Haud tamen iure ſuo ceſſit magiſtratus, quod metallica illa inſtrumenta, ſimulacra eſſent, priſcorum vrbis inſignium, quæ multis retro ſeculis, reges optimi, ciuitati præſcripſerint adfirmarintque: vnde, & iſtud conſequi oportuerit; non ad operas metallicas; ſed ad vrbis ſenatum, cimeliorum iſtorum curam, vnice atque ſummo iure adtinere. Nec quidquam tamen profecere magiſtratus; quinimmo, exacuebatur ſubinde, litigioſæ turbæ furor, eo vsque, vt nihil dubitarit interminari; adflore aliquando opportunitatem, cum ſua ſibi ſigna, quoquo demum modo, poſſint adſerere.

ſopiuntur ab oratoribus Cæſaris.

Ergo, dirimenda lis fuit, coram oratoribus Cæſaris, qui anno MDCXLVIII. recognoſcendarum forte ſecturarum cauſſa, ad vrbem, iuſſi acceſſerant. Stetit cauſſa ſenatus, lis autem ita ſopita eſt; vt choreæ quidem, tamquam omnis licentiæ, atque impotentis libidinis nocentiſſimæ illecebræ, abrogarentur penitus; ſignis, ad anniuerſaria ſacra, cum religione honeſtanda, metallicis vti, integrum eſſet; eorum autem adſeruandorum cura, penes vrbicos magiſtratus, perpetuo ac ſine controuerſia, perduraret. Feruebat, quod fit, ritus hic diutius; dum ſiue hominum, ſiue temporum culpa, tepeſcere iterum. Ergo, habuit hoc *Sternbachius* ſibi quam commendatiſſimum, vt inſtauraretur denuo cerimonia, quod & ita euenit anno MDCXXXI. ſex Calendas Junii. Tunc enim metallicæ hæ teſſeræ, propalam metallariorum collegio præferri cœperunt, dum religioſa proceſſio inſtituebatur. Sed de his ſatis. §. XLIX.

§. XLIX.

EX insignium, quem expromsimus, habitu, de mœnium robore, quibus vrbem incinctam esse oporteat, posses argumentum quodammodo capere; sed vix est quidquam, quod hic mereatur existimationem. De his, laudatus nunc, nouus ille insignium designator. *Bina* inquit *arces, totidem in rupibus, quarum vna orientem, altera meridiem spectat, propugnaculorum in vicem adiecta sunt. Ipsi montes argenti atque auri feraces, mœniorum obeunt officium; ea vero ex parte, qua vallis aditum in vrbem facit, muri solidi in altum vsque montem, cum domibus adscendentes, tuentur.* Verum, neque arces in rupibus sunt positæ, quod diximus; neque mœnium vicem, montes vrbi impendentes, præstant omnino. Ita enim ab occidente, aquilone & oriente circum eminent; vt non tam defensandæ, quam infestandæ vrbi sint idonei. Ac procliue sane foret, vel solo lapidum, seu iactu, seu rotatu, de summis montium cacuminibus, & fora vrbis, & compita, extra modum infestare. Non diffitetur, situum illam malignitatem RICHTERVS. *Montes* circa vrbem, *sine lege, varius paralleli, procurrunt, neque eam incingunt iugis continentibus. Qui latera vrbis stringunt & coercent, hostes in insidiis, non nostros reddunt securiores. Neque tamen munimentis ciues se tenent aliis. qui si primam impressionem incursionemque retuderunt acrius, in perpetuo metu versentur oportet. Profecto ciuitas inaccessa non est, neque ab obsidionis periculis libera. Ergo, patet omnibus, eam ad deditionem, ingesto terrore, sollicitantibus.* Ita est omnino. Vt iniurii sint in ciuium fidem ac constantiam, qui rebellionis inde crimen, inermibus nihil dubitant impingere; quod cum resistere nequeunt hosti, properare cogantur deditionem. Quid? quod haud sunt laude sua fraudandi *Schemnicienses:* quippe quorum bellicam virtutem, in recensendis vrbis fatis, suspeximus. Neque eam silet noster. *Pristinis*, inquit, *turbulentissimisque annis, muros Spartanorum & consilia imitati sunt Schemnicienses. Cum enim vrbs hos haberet ciues, qui spiritu fiduciaque animati, nulla remissione torpida effeminarentur, hos in vicem substituit mœniorum.* Nempe, quod ciuibus, loci opportunitas negauit, id sibi virtute ibant adfirmatum. Pergit ille: *Mœnia pro ciuitate, nec sulco, vt aiunt, notata fuerunt; porta tamen plures, quam Thebarum, vel ostia Nili recluduntur: non in circuitu collocatæ, sed quam longe lateque vrbs patet, dispositæ, militarem, vt plurimum viam insident, inter domos quoque intermediæ, iisque implicitæ & innexæ. Harum claustra, pauciorum ingressum remorantur; quando plures, per diuerticula, anfractus & semitas, vrbem subire nouerunt.* Nimirum, non sunt *Schemnicienſium* hæ portæ, sicut consueuit alias, muris atque propugnaculis commissæ: nam id, neque situum ratio patitur, neque sparsa sine ordine, per montium latera, ciuica ædificia. Quin, si id quoque elaboraretur; vix quidquam commodita-

Mœnium, circa vrbem habitus?

erronee, a nouo scriptore, designatur?

adcuratius ab Richtero?

muri, ad defensum

dum Schemnicium, *inutiles futuri:*

tis ad vrbem defenſandam, inde redundaret. Ita de murorum illa mole, quam tumultu *Tököliano*, eduxerant ciues, RICHTERVS ſenſit: *Murus, qui ab arce recentiore, per transuerſam vrbem productus, ſeculi decimi ſeptimi, anno octogeſimo, impenſis plusquam XL. M. nummum, manantibus in dies latius malis grauiſſimis oppoſitus fuit, quatuor pluribus ſeſe offert portis; ſpe vero conditorum ad irritum cadente. Obfirmanda his curis via erat, obexque ponendus velitibus; vt ærarium regium, quod Cameram dicimus, in quo ſalus tunc reipublicæ verſabatur, tutum præſtaretur. quæ tamen prouidentia acrius prouocauit hoſtem, vt anno eodem in prædam deſtinaret omnia, atque per deuios & obliquos tramites, turmas in vrbem infunderet. Agmina hæc erant* Tököliana, *quæ ducibus Patre* IOSA *altero, altero* Bakoſs *tribuno, ex accepta ad Diuinum clade, furore percita, vrbem flammis ac ferro ſunt populata: neque prius finem cædium fecere, quam diligenter expilata, & euerſa Camera. Præda ex fortunis ciuium crudeliſſime capta, templis, tubæ præcinente, deſtinata opera, ignes* (*b.*) *immiſſi.* Adeo, fruſtra ſunt, muniendi *Schemnicii*, curæ atque impenſæ! neque enim, vti *Roma*, ſeptem colles; ſed geminatum eorum numerum, incingat oportet, vrbs, varie per montium anfractus, ſuſpenſa. In portis præcipua eſt, cui a poſitu, *inferioris*, & ab itinere, quod educit, *Carponenſis* nomen eſt: non quod mole ſit præ reliquis, eximia; ſed quod ex *D. Eliſabethæ* ſacello, in munimentum tunc conuerſa, cum inermem vrbem, aduerſus hoſtium impreſſiones, delubrorum etiam obiectu, defenſari oportuit. Qui cœnobiorum vbique inuenire videntur ſibi veſtigia, odæum ſacrarum fuiſſe virginum, ad regulam *D. Eliſabethæ* vitam degentium, autumant. quod tamen non eſt ita. Præterquam enim, quod arctior, priſci illius inſtituti fundus, quam pro cœnobii, etiam mediocris, opportunitate fuit; non vno conſtat indicio, *Xenodochium* hic ſtetiſſe, a S. ELISABETHA, filia *Andreæ Hieroſolymitani*, poſitum, atque ex eius ingenio temporis, ita dotatum, vt alendis egenis, ſic ſatis commode ſufficeret. Diuæ hanc pietatem æmulati *Schemnicienſes*, non vna, reditus ptochodochii, acceſſione, locupletauerunt. quæ ſingula, non vacat nunc (*c.*) recognoſcere. Annus, ſacelli in propugnaculum commutati, MDLXXIV. fuiſſe perhibetur. Nempe, dedecebat, ſolos *Carthaginenſes*, re vndiquaque trepida, a delubris, defenſandæ reipublicæ præſidia petere: *Schemnicienſes* quoque, hanc ſibi, propriam feciſſe prouidentiam, oportuit. Eſt & metallicorum

portarum præcipua inferior:

por-

b.) Expromſimus nequam id ſacinus, ſupra, §. XIX.

c.) Adhuc ſuperant hæ in archiuo vrbis tabulæ, quibus Xenodochio, D. ELISABETHAE dos adtribuebatur. Et anno quidem MCCCCXXXIII. hæc perſcripta reperias: *Unter dem Gericht* Heanrichs Frank, *und der beſwornen Purger* Hans Pebel, Hans Rerulwanſy, Hans Gmodler, Chriſtel Koler, Hans Metis-Konig, Hans Haubner, Stephan Hoyer, Klug Nicl, Clesl Pogel, Albrecht Bud, Jekel Schuſter, Mert Dund, *hat der Erbar man* Clesl Pogl geben zum Spital &c. Atque iterum de *Sigismundi Korndelit*, Georgii fratris, liberalitate, ad annum MCCCCLXXXI. iſta in litteras referuntur: *Daſs er dem Spital zu* S. Eliſabeth *zu einer Pfrind*, viet hundert Komr Gulden, *eine Meſs und Altariſten zu unterhalten, geſtiffiet.* vt plura taceamus.

Digitized by Google

porta memoranda, quam illi, editiore in vrbis pomœrio, anno MDCLXXXI. ſua impenſa, eduxere. Refert ſubſtructionis eius indicium, Germanice expreſſum: DER GANTZEN LÖBLICHEN BRÜDERSCHAFFT THOR. Huc nimirum, ſi res poſcat, ad arma, toti illi ordini, concurſandum eſt; vt hinc demum, in ſuos diuiſi manipulos, per ſtationes, ritu militari queant dimitti. Alioquin, cum, & vrbi, & metallis pax eſt, ſacræ hinc teſſeræ, per vniuerſam vrbem, ſtatis horarum vicibus, eduntur, ad exciendas a quiete, operas metallicas. Quid rei ſit, RICHTERVS nos condoceat: *Sub apice portæ huius, tigillus bipedalis tranſuerſarius, vtrinſecus de funiculis ſuſpenſus, liberiori aeri comittitur. Leue adparet lignum, ad arduum tamen munus adplicatum: idem enim, quod æs campanum, ciendo ſacro cœtui, quin & amplius, lignum iſtud, metallicis præſtat. Cum enim malleo ligneo, ictibus ad numerum & modulos pulſatur, & preces, metallariæ multitudini indicit & laborem. Non ſine voluptate ſpectaris, poſt dictum, per vrbis anfractus, pulſati ligni ſonitum, turmatim, ex omnibus paſſim caſis atque ædibus, operas prorepere, demumque, per ſuas, vbi faciendum opus eſt, ſtationes, diſcurſare. Hinc præfecti fodinarum & cuniculorum; præſides illinc & foſſores, operariique, ad operas etiam extra ordinem conceſſas, intenti, ingeſtores, vectiarii, & tyronum condenſata caterua, ſubito, & antequam reris, in ſuos quisque ordines, alacriter abeunt. Neque deſunt officio, hydraulicarum machinarum rectores, quorum dexteræ curæ, argentariæ potiſſimum ſunt concreditæ; ne quid impedimenti ponatur laborantibus operis, ſed vt locus, quem occupant, aſſidue, & cum fructu terebretur. Adcurrunt alii ad pabones, ſub aream putei, ſaxa limumque deuecturi, quæ hinc per puteum extracta, excutiunt & egerunt excuſſores. Hæc ſub dio fiunt. Idem lignum, pulſatum ad puteos, qua per machinas ſcanſorias ad ſubterranea deſcenditur, ſonoro tinnitu, per adyta fodinarum ſe diffundente, in cauernis opus facientes, efficaciter admonet, vti inter ancipitia pericula, præſentiſſimam mortem meditentur, & propitium ſibi numen, flexo poplite, & ſublatis in cælum manibus, exorent. Hoc in opere & formidoloſo in labore, id genus hominum deſudat.* Hæc, de operarum conuocandarum ritu.

metallicorum porta alia:

teſſeræ hinc eduntur, operis metallariis, deſtinatæ: de his Richterus.

§. L.

IAm rei dignitas poſcit, vt, cum *Montanæ ciuitatis* prærogatiua, ſummo ſuo iure, glorietur *Schemnicium*; de metallis eius, quemadmodum ad noſtram vsque ætatem pertigere, id adferamus, quod neceſſe eſt: nam, ſi quæ poſſent eruderari, ſcribere inſtituerемus, in eam vaſtitatem abirent commentaria, quibus condendis, ne plurium quidem virorum ætas ſuffectura eſſet. Ac de primis quidem metallicorum, in agro hoc *Schemnicienſi*, ſecturis, & ad quam eæ, ſeu poſſint, ſeu debeant, ætatem referri, ſub ipſa ſcriptionis huius (*d.*) exor-

Sectararum Schemnicienſium recenſio:

d.) Supra §. §. III. & IV.

exordia diſputauimus. Nunc diligentiſſimi RICHTERI narrationem, plane ſequemur; quodque eloquentiæ minus capax eſt ſcribendi hoc genus, vtemur venia optimi viri, libertate ea, vt alia quædam eius verbis adductius, laxius alia, & noſtro ſtilo, ſingula autem quemadmodum ſuggeſta ſunt nobis, ex vero, quam curatiſſime expromamus. Loca mundi huius ſubterranei antiquiſſima, inquit ille, in montanis, palæopoli obiectis, reperiuntur, quæ per plagam heſperiam, ſtadiis octo, ad vicum vsque *Hodrich-Bánya*, & porro, lacerata ſubtus, euulſa, toſta & direpta viſcera vendunt & oculis ſubiiciunt. Primas hic mineras, metallo turgidas, fuiſſe detectas, numerus cumulorum, puteorum, cuniculorumque, maximus, quorum nomina dudum obliterauit vetuſtas, certiſſimo ſunt indicio; nec vllum metallicorum collegium, inde ab vltima ætate, præfertur huic, quod plateam illam frequentauit. Hinc factum eſt, vt cum verticum iſtorum, & vallium metallicarum, vtilitatem iuxta & amœnitatem exiſtimarent, primi illi operarii, *paradiſi*, *auerni*, & *regni calorum* nominibus, eos nihil debitarint inſignire. Monet nos vici *Hodrich-Bánya* mentio, vt de eo, dicamus iſthic nonnihil. Eſt nempe vetuſtiſſimarum, vrbis platearum facile præcipua, a frequente olim populo, laborioſo eo, ſed indomito ac feroci, inſeſſa. Operarum patientiſſimi, docte & perite, non ipſi modo fodinas excauabant; ſed liberos quoque ſuos, a teneris vnguiculis, ad metallicum iſtud opus, adſuefaciebant. Duriſſimis his ſtudiis exerciti, cum res ſuæ ex animi ſententia ſuccederent, validam coadunarunt ſocietatem, trium millium numerum facile excedentem. cuius rei, luculenta, in montibus vicum circumſidentibus, depreſſi paſſim putei, atque deſerti pridem cuniculi, teſtimonia præbent. Creuit, ex hoc operarum numero, populi licentia, ad eum modum, vt & puellarum greges, ſecernendis metallis operantes, corriperet. Notauit, laſciuiam illam ſenatus, & innumeras fere ancillas, ab abacis, ad quos æra diſcriminabant, ſeuero edicto, depulit; ne ſceleribus, quem impudicæ illæ, magna morum, in reliquis operis, corruptela, fecerant, locus ſuperaret. Infremuit, ad eam ſeueritatem, metallica turba, atque perrexiſſet omnino, frena mordere, niſi triennio poſt, anno nimirum MDLXXII. peſtilentia coercita, ad reſipiſcentiam fuiſſet adlecta. At enim, facile reparata fuit, ſexcentorum forte ciuium iactura, quando ſecundis *Hodrichenſium* rebus, inuitata ſenatus pars altera, iſthic ſedes poſuit. Quinimmo, poteſtatis hæc acceſſio, nouis iterum moliminibus, in plebe ac primoribus, occaſionem præbuiſſe fertur. Luxuriantes enim rebus ſecundis, atque numero & auctoritate inſigniter aucti, non in omne tantum flagitiorum genus propalam & impune ruebant; ſed cum *Schemnicio* ſimul, de principatu ac prærogatiuis, inſano auſu, haud ſine acerbitate, diſputabant. Quia enim *Hodrichenſium* plerique, vetere ſuo inſtituto, iura ciuitatis apud *Schemnicienſes* capiebant; nihil dubitarunt, prætoriam dignitatem, cuius ſedes in vr-

Hodritſenſes *vetuſtiſſima*:

Hodrits-Bányæ, *deſcriptio*:

ciuium ingenium, & copia:

eorum licentia, a ſenatu, coercita:

res Hodritſenſium *proſpera, ſenatus partem alteram, habitatum huc proiiciunt: mala inde conſequuta*:

be

be fuit perpetuo, non iam conſilio, ſed furente impetu, ſibi adrogare; ſaltem id ex ea contentione referre, vt magiſtratus ille, alternis, a *Schemnicienſibus*, & *Hodrichenſibus*, adminiſtraretur. Repulſam, vti æquum fuit, paſſi, pernicioſa conſpiratione mutuo animati, ſeditionem in commune commouent, *Schemnicienſes* armati laceſſunt, ac nullo non maleficio, proterue fatigant. Ergo, ne inulti a fide deficerent, resque *Schemnicienſium* impune adflictarent; ad arma conclamant ciues, *Hodrichenſes*, ſublatis ſignis inuadunt, reluctari auſos obtruncant, reliquos capiunt, & qua carceribus, qua ſuppliciis, male mulctant. Auctores certe ſeditionis, ad publicas ciuitatis numellas, gladio percuſſos accepimus: mille ſexcenti, ſacramento dicto, maleficii crimen diluebant: reliquæ multitudini, quæ in partem ſeditionis venerat, ius ciuitatis derogatum, neque ante redditum poſteris fuit, quam nefandi facinoris memoriam, diuturnior ætas obliteraret. Iam ad paucitatem redacti *Hodrichenſes*, cum fortuna, ingenium ſimul mutarunt. Ad eosdem hos ſuburbanos montanoſque vicos, præter *Hodrich-Bányam*, *Banka* etiam, ſeu *Schüttersberg*, *Steffeltowa* item, & *Fuchsloch*, adtinent, ad meridiem & occidentem, hi quidem octo, quatuor fere alii, extra vrbem ſtadiis extruſi. Vidit *Hodrichium* (*d.*) TOLLIVS quoque, neque ſine laudatione, dimiſit. *Medio*, inquit, *itinere*, (Zernowiczio proficiſcebatur Schemnicium) HODERICH, *tabernis tribus diſtinctam officinam Cæſaream fuſoriam perluſtraui: vbi varia metalli genera, prout argenti ditia erant, vt VIII. X. XII. XVI. & plurium vnciarum, in ſingulos centenarios, ſuis digeſta locis; cetera apprime bene diſpoſita erant. Hic multa, quæ ad argenti foſſilis fuſionem pertinebant, didici, nonnullisque fruſtris donatus ſum, ſic ſatis ditibus; ita, vt e centenario mineræ, elicerentur ſeptuaginta argenti puri, ſemunciæ:* reliqua.

Tollii, *de Hodriſio, mentio.*

§. LI.

SEd, ad caput metallorum *Schemnicienſium* veniamus. Iſtud vero illud eſt, quod *Windſchacht*, & *Ober-Pieber-Stoln* adpellant, celebratiſſima apud exteros nomina, atque eædem illæ ſecturæ, quæ, ſeu vaſtitate operum, ſeu venarum opulentia, longa retro ætate, facile toto orbe Europæo, ſuo quodam merito, in præcipuis habebantur. Domi certe, non vno elogio, iam pridem honeſtatam accepimus fodinarum principem: quando, nunc quidem, fœcunda reliquarum parens, atque reparatrix difficilliorum patriæ temporum; nunc iterum felicitatis Hungaricæ columen, & inexhauſtus Pannonicæ opulentiæ theſaurus, ſalutabatur. Neque hæc glorioſius, quam reuera ſunt, dicta fuiſſe, res ipſa, & veteres ſurgentis ſeculi XVII. *relationes* (*e.*) *metallicæ*, ſatis condocent. WINDSCHACHTI nomen, a re ipſa, ſiue *puteo ſpiritali*, quo aer liberior ad profun-

Wind-ſchachti *erariæ:*

earum laus:

nominis origo:

d.) Epiſtola Itineraria V. p. 155.
e.) Germani *Berg-Berichte* vocant. Tales | fuere, annorum, MDCLII. & ſequentium, anni item MDCXXII. ac poſtea.

da ſecturarum immittebatur, fodinæ hæſit. Sed, vnde *Piberiani* cuniculi adpellatio manarit, eſt quædam ſententiarum varietas. Vulgus, a caſtore, quem *Biber* Germani dicunt, haud ignoto amnibus Hungariæ amphibio, id vocabuli arceſſunt: quaſi iſthic, præter animantis morem, in ſpecu ſua deprehenſus, ſcrutandorum eodem loco metallorum, fauſti nominis indicium, præbuerit. At enim, non eſt opus, per ſiticuloſos montes iſtos, inuſitatum hoc animal quærere, & repetere ab eo exordia denominationis, ærariæ vndiquaque celebratiſſimæ. Viri induſtria fuit, quæ & ortus dedit fodinæ huiati, & votiuum, quod refert hodieque, nomen impertiuit. Conſtat enim vero, ex memorialibus metallici tabularii libris, anno MCCCCXCVII. *Georgium* quendam *Biberum* floruiſſe, vnum ex eorum ciuium numero, qui in eruendis metallis, præcipuam operam nauauerunt. Suæ illi, iam tum molituræ iſthic fuerunt, quibus duriſſimæ venæ in farinam commolebantur: vt, ſi non primus operum horum conditor, (*f.*) auctor tamen in maius, exiſtimandus, & ad familiam illam accenſendus ſit, ad cuius laudem pertinet, tantarum molium architectura. Increſcentibus ſenſim operis, in eam vaſtitatem, putei & cuniculi huiates, ad ſeculi XVI. medium, excauabantur, vt maioris iam ſocietatis ſumtu indigerent, quam qui hucusque, ex priuatorum impenſa, fiebat. Ergo, fit *Biberiana* hæc fodina, operum, totius agri *Schemnicienſis*, caput; quod Germani, *Haupt Handl* adpellant. quam quidem prærogatiuæ acceſſionem, ad annum ſeculi ſeptimi decimi ſecularem, commentaria rerum metallicarum, referunt. Inciderant inde tempora, bellis ciuilibus partim; partim Turcicis, infeſta; vt neceſſe fuerit, machinas, ſub dio inſtructas, puteorum item aditus, & poſitas paſſim operarum ædiculas, muro circumcingere. qua re factum eſt, vt ad vrbiculæ modum excoleretur *Windſchachti*, hæc regio. Ita noſter: *Cultu ſuo loci regio regis, ciuitatem exprimit atque imitatur; partem eius murus amplectitur; aditus vero, propugnacula communiuerunt. Hinc circumiecti montes, ædibus conſeruntur humilioribus, facile trecentis. Intus, machinæ exiſtimationem merentur, ſingulari varioque artificio ſurgentes; nec non buleuterium. quorum iſtud, ſanctiore conſilio, cui iam principes comitesque præſederunt, illuſtre redditum eſt: quippe, cum iſthic ſingularum hebdomadum, die altero, opera, mutuis conſiliis nauatur, ne quo damno res metallica adficiatur. Religiones excipit ſacellum, modicum id quidem; ſed in quod tamen, magnus quotidie numerus confluit, auerruncandis vitæ & fortunarum periculis, numen deprecaturus. Nouiſſime, maior ſacrorum acceſſit*

ſit Windſchacht, *ſeu* Piberianus *hic puteus, fodinarum* Schemnicienſium, *caput:*

de eius habitu, Richterus:

f.) Tutiſſime colligunt, *inquit* RICHTERVS, qui noua cum vrbe, BIBERIANVM cuniculum, cœpiſſe autumant. Nomen ſane BIBERI catalogo antiquiori non exprimitur; & cum tenuia eius eſſent initia, in largiores ſumtus, quos tamen cultus annoſior requiſiuiſſet, nonniſi ſeculi XVI. medio abiit. quo etiam, de profunda latitudine, & puteis deprimendis, conſilia cœpta ſunt.

ceſſit auctoritas, ab ordinis S. HIERONYMI *(g.) myſtis, ciuitatem noſtram ingreſſis, & inde in hoſce montes translatis. quæ quidem familia*, Sternbachiano *nomini, iuxta & pio ac religioſo officio, grata adſcribit, quod euocata ſit; prouidentiæ, quod ſedes fixas indepta; liberalitati item, quod aucta ſit ac promota. Atque, ne luxata obſcuretur dignitas, mercatus quoque hebdomadanus iſthic loci celebratur, eo frequentior; quod via regia hac tranſit, neque ab illatis mercibus, aut cenſus, aut portorium penditur; numi contra ex diſtributo in operas manupretio, affatim vulgo ad mercandum ſuppetunt.* Hic eſt hodiernus *Windſchachti* habitus, cuius ſane incrementa omnia, a metallorum vbertate pendere, propalam eſt. Delectatus extra modum eſt, ſua iſthic, per biduum, diuerſatione, doctiſſimus TOLLIVS *(h.)* Tollius. *Hæc* ait, *vti me, tametſi minime iam noua, adficiebant;* (de experiundarum venarum artificio huiate, locutus fuerat) *ita mirifice admirabilis delectabat, vniuerſa operis metallici oeconomia, cuius non minore, nec minus indiligenti diſciplina, quam cuiuſuis oppidi, continebatur adminiſtratio procuratione ciuilis: quin & muris, & vallis munita, ædificii vniuerſi tutela, oppiduli quandam ſpeciem, præferebat, feruebantque cuncta frequentia operarum, ſuo cuiusque operi, intentarum.* Addit, opipari conuictus oblectamenta: *Huic voluptati ſucceſſit alia, quæ non tam ferculorum copia; quanquam ea, & hoc, & ſequenti die, lautiſſima menſæ illata, quam ipſa præbentium læta comique prolixitate, plurimum placuit.* Meminit poſtea bellaria metallica: *Quod autem animi me magis, quam corporis duci viderant illecebris, in triclinio oſtentata ſena foſſilis argenti, trinum, & amplius pedum altitudine, duum latitudine, fragmina; primitiæ ſcilicet, vti mos fert metallicus, cuiusque, prout repertæ erant, venæ, ad oſtentationem diuinæ benignitatis, iſthuc congeſtæ.* De his hactenus.

§. LII.

VEnarum huius argentariæ, duæ potiores, a *Pibero*, vt & *Xenodochio*, quod diximus, nomen accepere. Ad harum felicitatem, proxime accedunt, quarum altera, ab impreſſis ſignis, *(i.) Siegelsberg;* altera, a ſeptem feminis, *Sieben Weiber;* ſiue *Thereſiæ Schachter-Gang*, adpellantur. quas demum omnes commiſſas & maritatas, vox ſola *Windſchacht*, ſeu *Piberſtolln*, complectitur. Palmam hucusque, *Xenodochialis* vena obtinuit, quæ ſtupendo naturæ luſu & beneficio, a communi æris ingenio recedens, quo profundius ſeptentrionem ſubit, ciuitatemque ſubtus conſalutat, eo ma-

Principis eius fodinæ ductus, ſeu venæ:

in his Xenodochialis *præcipua eſt:*

g.) Adtributam iſthic Cæſaris & Regis CAROLI VI. indulgentia, nouo huic ordini, anno MDCCXXXIV. die XXVI. Julii, ſedem fuiſſe eo recordamur efficaciu s, quod eiusdem anni ac die conſeſſu, benigniſſimo diplomate ſuo, opus hoc noſtrum, CÆSAR, *Cancellaria Hungaricæ* miniſterio, liberaliter præmuniuit.

h.) Loco citato, p. 160.

i.) Ferunt, venas vltra modum diuites, ex hac erutas ſectura, culeis diligenter obſignatis, ad excoquendum deportatas, ei nomini occaſionem dediſſe.

magis in *plumbaginem* & *cinnabarim*, auro grauidatam, abit, largissimoque eam ſinu, terebrantibus ſufficit. Hæc, præ ceteris, ærarium locupletat, penuriæque fodinarum reliquarum opitulatur. Accedit, quod plumbum, liquandis fundendisque metallis, vnice neceſſarium, affatim iam, nouo quaſi quodam munificentiæ genere, ſuppeditat pretioſiſſimis illis operis. Latuit domeſticus iſte promus condus, inde a prima fodinarum, apud *Schemnicienſes*, origine, conſultiſſimos quosque metallurgiæ: vt oportuerit omnino, ſumtu inſano, ab exteris, plumbum, ad hos vſus, inuehi: dum anno demum MDCCIX. tundendo lauandoque, *Saturnina* hæ diuitiæ, retegerentur. Certe, priſci illi homines, quibus ſolemne fuit, obuiis admodum naturæ iſtiusmodi opibus vti fruique; quoties in huius indolis venas incidebant, ſpe melioris ſucceſſus abiecta, migrabant operas. Adeo, & heic notare poſſis, diuinæ prouidentiæ, exſtantiſſima veſtigia. Noluit omnino benigniſſimum numen, vni ætati, theſauros omnes referare; tametſi manibus pedibusque tererentur: ſeruandus erat, ferè poſteritati adparatus aliquis, qui non repararet modo temporum difficultatem; ſed acueret etiam, laborioſam adſiduitatem metallurgorum. Atque eſt ſane difficilis, per cœcos anfractus iſtos, operarum ratio: quippe quorum noctes perpetuas, lucernis ſumtuoſis non minus, quam longe numeroſiſſimis, illuſtrari oporteat. *Quingenta centum pondo; centenarios* vulgo dicunt; quandoque his etiam plura, in annos ſingulos, excocti ſeui, in lychnos iſtiusmodi, impendi oportere accepimus. Ad has ergo ſubterraneas, & erraticas ſtellas, edomantur venæ, ita huc & illuc diuaricatæ, vt labyrinthum crederes, mille erroribus implexum, neque, niſi *Ariadnes* admoto filo, ſuperandum. Ante noſtram hanc, quam viuimus, ætatem, nudo ferro, hoc eſt, adactis in petras, malleorum impulſu, cuneis, venæ metallorum elidebantur: quod, vti laboris plurimum, ita minus habebat periculi; ſed neque tantundem fructus. Hodie, vt operarum compendia, ſimul & redituum fierent acceſſiones, pulueris pyrii fartus adhibetur, lapicidarum credo imitatione. Nempe, vbi duriores ſunt per cauos, rectos, obliquos, transuerſos, ſtratosque tramites, venæ, quam quæ ferramentis poſſint euinci, terebrantur petræ, tum vero impreſſa cauataque foramina, ſulphurato puluere, non ſecus, quam in ſclopis facere moris eſt, ſolidiſſime farciuntur. Id, vbi ex artis præſcripto confecere metallici, funem incendiarium, eius molis, adſperſo pulueri, eminus admouent, quantam ſuffecturam putant procurando incendio, dum ipſi in tutos ſe receſſus occulere potuerint. Mox, vbi flammas concepit inſtructum opificium, editur ſubito fragor, tanta vehementia, vt incubantes meatibus illis, montes ac petras, momento collapſuras crederes. quod & fit non raro, cum eliſis ſaxorum hic, alibi trabum fulcris, ſupera moles, cum impetu deruit, & non operas tantum obruit, triſti ſpectaculo; ſed metallicos etiam ductus, ad eum modum offundit, vt laborioſiſſima opus ſit

plumbago *iſthic detecta, ingentis vtilitatis:*

operarum difficultas, per cœcos fodinarum anfractus:

iam & pyrius pulvis, frangendis ſaxis adhibetur:

ſit veſtigatione, dum retegi poſſint denuo, & admittendis operis reddi idonei. Adfirmatum nobis eſt, tantum, in hos vſus, pulueris pyrii, annis ſingulis inſumi, quantum vix acerrimis bellis turcicis: quod iam non recognoſcimus. Iſtud profecto ita eſt; cauationes huiusmodi, copioſas adeo operas fabriles ſibi depoſcere, vt vix *Ilua* olim (*k.*) *occupatio fabrilium operarum.*

Inſula inexhauſtis chalybum generoſa metallis,

videbatur copioſiores requirere. Impeditum foret, & forte minus capax latinæ dictionis, ſi inſtrumentum omne, iſthuc neceſſarium, ſuis nominibus, ex vſu, atque neceſſitate, vellemus deſignare. Suffecerit dixiſſe, cum VIRGILIO. (*l.*)

Quod ſubter ſpecus & Cyclopum exeſa caminis
Antra atnea tonant, validique incudibus ictus,
Auditi referunt gemitum ſtriduntque cauernis
Strictura chalybum, & fornacibus ignis anhelat,
Illi inter ſeſe magna vi brachia tollunt
In numerum, verſantque tenaci forcipe ferrum. (*m.*)

Neque ſegniores ſunt materiariorum operæ, qui meatus fodinarum, non ſatis a petrarum concamerationibus conſolidatos, perpetuo opere, dies ac noctes, fulciunt muniuntque. Nempe, palos hi pangunt, & cum parietes puteorum ac cuniculorum, tignis vndiquaque contabulant; tum ſcalas alibi, per quas reptandum eſt metallicis, ita curant, ne vitium capiant, fallantque deſcendentium adſcendentiumue veſtigia. Tunc & antliis, per quas educuntur aquæ metallicæ, adtendunt, vt partim nouas, hic illicue ad regulam committant, partim inſtaurent veteres, ad operas, ſine ceſſatione, tolerandas. Hæc, per abditos fodinarum receſſus faciunt. Sub dio, nec modus, nec finis vllus eſt, fabrilium e materia operum: vbi, nunc in moles deriuandi ſunt, & intra canales coercendi aquarum riui; nunc iuga ea (*n.*) inſtauranda, quibus, ingenti fragore, per centenos aliquot paſſus, impelluntur machinæ, exhauriendis ex imo aquis, præcipuo artificio factæ: vt ſexcentos labores alios taceamus. Certe, ſi tot retro ſeculorum interualla remetiaris, & tecum exiſtimaueris, quantum trabium, per hebdomades ſingulas, in ſecturas huiates immittatur, ſuoque loco opportune defigatur; quantum findatur, & paſſim inædificetur extus; vix ſiluoſum *Carpathum*, operoſiſſimis ſubſtructionibus ſufficere potuiſſe, credideris: ſuffecere tamen, vel ipſæ *Carpathi* radices, neque, quod ſperamus, ſi ceſſarint igniariæ machinæ, deficient perpetuo. *materiariorum.*

§. LIII.

CEteroquin, ſubterranea hæc opera, intus & extus, non vnis, ſunt inſtructa machinis, quarum ope, id quod eſt, in tantis *Fodinarum hiatium machinæ:*

k.) VIRGILIVS, Aen. X. 174.
l.) Aeneid. VIII, 481.
m.) Idem GEORG. IV. 174.
n.) Ab artificioſa eorum compage, Germanis: *Die Waſſerkünde dicuntur*, longo, per decliuia glabri montis, ordine, productæ.

Digitized by Google

molitionibus neceſſarium, ſine ceſſatione perficitur. Quæ ſub dio viſuntur, puteis ſunt ſuperſtructæ, pleræque autem ita fabricatæ, vt miraculorum modum referant. Non eſt inſtituto noſtro conſentaneum, ſeu verbis adumbrare, ſeu iconibus exprimere, ſingulas: aliis eam diligentiam (*o.*) occupandam relinquimus. Iuuat, non ſiluiſſe, Auſtriacorum regum prouidentia, cum primis elaboratum eſſe, ne, cum metallis *Hungariæ* reliquis, tum *Schemnicienſibus* in primis, ad ſollicitam procurationem, quidquam deeſſet. Quamobrem, ſi quid machinarum, *Herciniæ*, *Saxoniæ*, *Sueciæ*, vel *Bohemiæ* ſecturæ, cum fructu inſtruxerunt, huc illud, ingenti profuſione ſumtuum, illatum voluerunt reges optimi; ſucceſſu feliciore nunc, impeditiore alias. Ad eandem hanc rei metallicæ curam retuleris, puteos & cuniculos non vno loco, in fodinarum profunda, immenſo labore pertuſos, & opportunis machinis præmunitos. In his ſunt: *Beatæ Virginis Deiparæ*, (*p.*) venæ *Xenodochiali* a meridie impoſita: cui vicina, quam ELEONORAE (*q.*) ſacram dixerant, ſed collapſa iam, ab aquilone adſederat. His accenſendæ ſunt: Diuorum LEOPOLDI, CAROLI, IOSEPHI; & verſus orientem, ELISABETHAE, GEORGII, SIGISMVNDI atque ANDREAE; (*r.*) in ipſo item ciuitatis ſinu, quæ eſt ad tabernam (*s.*) mercatoriam. Et hæ quidem omnes, ad *Xenodochialis* & *Spiritalis* putei miniſteria pertinent. *Piberiano* illi, præter ſuam ipſius machinam, puteo per ſolidum ſaxum depreſſo, incubantem, (*t.*) FERDINANDI III. Auguſtæ AMALIAE, & cui a *Salicibus* denominatio eſt, operas, & opportunitates alias, miniſtrant. Sunt & ſecturæ illi, quæ a ſigillis (*u.*) nomen mutuata eſt, ſuæ machinæ; vetus altera, altera CHRISTINAE Auguſtæ; ſicuti ex *ſeptem fodinis* (*v.*) vnica illa, quæ THERESIAE vocabulo cognita eſt. Plerarumque, in his machinis putei, in profundam altitudinem pertingunt; ſed *Magdaleneo*, & *Carolino*, nullus profundius: cum hic quidem, CLVIII. ille CLXV. perticis metallicis, definiatur. Potiorum miniſteria huc faciunt, vt foſſilia, terram, limum, ſaxaque egerant; aliæ tamen *pneumaticæ* etiam ſunt, ſeu *ſpiritales*: in quibus *Joſephi* quidem, & *Magdalenæ*, acceptum ſub dio, aerem vegetum, in puteos inſpirant, & per ſecturarum anfractus, ne operis deſit reſpirandi facultas, varie diffundunt: quem demum, metallicis grauidatum halitibus, *Leopoldina*, & *Carolina*, venis *Xenodochialibus* inædificatæ, reddunt iterum, & in apricum exſpirant. Eſt porro, præcipuus puteorum iſtiusmodi vſus, in exhauriendis fodinarum aquis: quarum illuuiones, ſi incidant, vti metallicis operis, extra omnem modum, damnoſæ ſunt; ita multum vrburariis, ſeſqui re-

Auſtriacorum regum, in his curandis, prouidentia:

putei, & cuniculi, varie impreſſi: horum nomina:

altitudo:

vſus, ad aerem vegetum inſpirandum:

aquas exhauriendas:

o.) Vide Theatrum Machinarum LEOPOLDI. Et IOHANNIS FRIDERICI WEIDLERI Tractatum de Machinis Hydraulicis, toto terrarum orbe, maximis. Witteb. MDCCXXXIII.

p.) MARIAE *Mutter* GOTTES *Schacht.*

q.) ELEONORAE - *Schacht.*

r.) Singulis, & Germanica nomina a Diuis ſunt petita. Dicuntur enim LEOPOLDI, CAROLI, IOSEPHI, &c. *Schacht.*

s.) KAVFF - HAVSS - *Schacht.*

t.) FERDINANDI, AMALIEN, und *Weiden*-Schacht.

u.) *Siegelsberger* alter, vnd CHRISTINEN-Schacht.

v.) *Sieben Weiber*, oder THERESIEN-Schacht.

retro ſeculo, & moleſtiarum crearunt, & ſumtuum. Conſummabatur, nimirum ſeculum XVI. cum lentis primum ſcatebris, mox vndoſioribus riuis, hic & alibi, atque in *Piberiana* æraria potiſſimum, profundum ſecturarum offunderetur, expellerentur operæ, venæ autem, etiam ditiſſimæ, aquis prorſus haurirentur. Subitum damnoſumque in primis diluuium, cum ſubita ope indigeret; non ætati, non ſexui parſum; quin immo, concurſatum diu noctuque eſt, ad exhauriendas omni inſtrumento, cochleis maxime, aquas ſubterraneas. Sed, nec quidquam tamen, tumultuario eo labore, & impetu potius, quam conſilio ſuſcepto, proficiebatur: immo aduerſum eſt, irritatam quaſi abyſſum, non iam ſcaturiuiſſe, ſed vomuiſſe aquas; eratque metus, ne opima fodinarum regio penitus offuſa, omnes in poſterum operas, ac perpetuo quidem, reſpuat. Atque, increſcebat omnino infelix eluuio, dum initio demum ſeculi XVII. neceſſitate magiſtra edocti, ad emiſſarium quendam (*x.*) cuniculum, parciore ſcatente aqua, machinam exædificauerunt, operarum præfecti, cuius impulſu, aquæ illæ metallicæ, ſyphonum beneficio, in apricum prolicerentur. Verum, quantumuis vtile fuerit egregium inuentum iſtud; quando, eædem illæ aquæ, quas ex fodinarum profundo exhauriebant manuariæ operæ, inſigni hoc inſtituto, alias inde, & quaſi mutua opera, in apricum protrahebant; tamen, tantæ exſorbendæ altitudini, haud ſufficiebat omnino. Ergo, vt maior, in exinanienda pertinaci abyſſo ea, virium contentio adhiberetur, hominum indefeſſo labori, equorum adhibita ſunt miniſteria. Ignorabatur tunc, machinarum ſubdialium, quales nunc ab equis verſantur, modus. Proinde, inſutos culeis equos, ductariis catenis, in eas fodinæ regiones immittebant, (*y.*) vbi adhibendi iumenti, atque educendæ aquæ, qualiſcunque opportunitas ſuppetebat: nunquam inde emerſuros poſtea, niſi cum a refractario labore necati, ad caninam ſepulturam, extrahebantur. At enim vero, ad irritum cadebat, male excogitatum auxilium; eo, quod non poterant durare iumenta, ſecluſa a libero aere; quinimmo, ſubterraneis illis halitibus ante conficiebantur, quam inuſitato duroque labori, poterant conſueſcere. Tunc vero, exciti ex *Bohemia* metallis, eodem illo anno, opifices, machinas hydraulicas, quas male noſtri, intra ſecturarum ſpecus moliebantur, ſub dio conſtituunt; quodque deſiderari in iis potuit, *Saxones*, poſtea, & emendant, & in maius prouehunt. Durat hodieque, vtile, at ſumtuoſum profecto machinarum genus. quibus, ſi non penitus abrogandis, ſaltem diminuendis, vt impenſæ parceretur, multum a præfectorum ſingulis, *Cameragraffios* dicunt, operæ nauatum eſt: noſtra in primis ætate a STERNBACHIO; & dum hæc in litteras referimus, a MITROWSKYO, viro, ad inſtaurandam ſecturarum felicitatem, nato.

illuuionum ſubterraneorum initia, & incrementa:

inſtituta eis educendis, varia inſtrumenta:

ſed irrita:

equorum miniſteria, intra ſecturarum viſcera, fruſtra adhibita:

dum a metallariis Bohemis, Saxonibus poſtea, machina hydraulica, ſub dio, excitarentur.

§. LIV.

x.) Germanis, *Die Schmidt-Rinnen* dictum.

y.) Hinc puteo illi tunc nomen: Der *Eyſern Sayl-Schacht*. Memorabile hoc auxilium, anno MDCXV. IX. Cal. Martii, pertentatum fuiſſe, metallicæ ephemerides, memorant.

§. LIV.

Nouum machinarum pyraulicarum *genus:*

IAm, poſt hydraulicas illas machinas, quæ equorum partim opera, partim collectarum per lacus, opportune poſitos, aquarum impulſu, opus hucusque faciebant; *pyraulicæ* ſunt additæ, ſucceſſu, ad prodigium vſque felici. De earum, in *Hungaria* origine, in *Regiomonti*, vrbis apud Barſchienſes metallicæ, hiſtoria compendio egimus.

Potterus *Anglus earum auctor:*

Potterus gente *Anglus*, homo cetera, neque doctus, neque metallurgiæ peritus, *Viennam* primo, poſtea ad recolenda *Regiomontana* metalla, ita iubente Cæſare, anno forte MDCCXXII. molem eam intulit. quæ, quod exhauriendo illic *puteo veteri*, perennibus aquis dudum offuſo, ob frequentia vitia, haud ſufficiebat, abrogata illic eſt, ingenti, nouæ, quæ ad faciendos ſumtus coaluerat, ſocietatis diſpendio. Ne vero, inuſitati operis ac pretii machina, inutiliter diſperiret; non pauci erant, qui *Schemnicium* deportandam putarent, adhibendamque ad *Windſchachti* operas. Terrebat alios, infelix apud *Regiomontum* molitio illa; quodque inſignis ligni cædui, circa *Schemnicium* inopia eſſet, ab ea deſtinatione prorſus retentabat. Tandem, rationibus rite ſubductis, pedibus in eam ſententiam itum eſt, vti emendatis *Anglici* operis næuis, *Schemnicii* eius fieret periculum. Ergo, mandatur, machinæ in melius reformatio,

correctior Baro de Fiſcher:

Ioſepho Emanueli, Libero Baroni de Fiſcher, palatino, Auguſti Cæſaris, architecto; iam ante, omnium vitiorum molis eius gnaro. Atque ceſſit omnino ex animi ſententia, diu multumque diſputata deſtinatio; vt iam in medio machinarum *Piberianarum*, caput extollant, magnisque hauſtibus, tantum *in minuta* ſingula, aquarum exſorbeant, quantum qui oculis non vſurpauit, animo haud concipiet. Dabimus eius imaginem, &, quo eſt in hauriendo robore, genuinam indolem, verbis nonneminis expreſſam:

earum deſcriptio.

Fornaci vaporifera ardenti, ingens ahenum, diligenter inaedificatum, ſupercubat, duas partes tertias, aquis repletum: in eo vapor occluditur, operculo ſphærico, vt conſimilem ſemper extenſionem conſeruet. Orificium eius ſummum, cylindrus aneus circumuenit, diametro ampliore, vel contractiore, prout aqua profundior, vel copioſior ex imo educenda eſt, preſſaque aeris columna, aquea propellenda. Hinc fiſtula obſeruatur, per quam vapor ex aheno, cylindrum ingreditur. Os huius, intra ahenum, axis rectoris, ſiue epiſtomii, aperit & occludit, & hoc ipſo motum totius machinæ moderatur: efficit enim, vt exhalatio aquæ ſe diffundat, emboluſque in cylindro aſcendat; mox vero, iniectu aquæ frigidæ vapor condenſetur, vacuumque ſpatium relinquat, vt imbolus aëris pondere grauatus, delabatur. In hanc rem valuula plumbea prodeſt, quæ vaporem ex aheno prorumpentem, promouet, cum indidem emittitur. Eſt autem emboli pars ima, circularis lamina, cauum cylindri exaquans, corio vndique veſtita. Super embolum, ſemper digitis aliquot, aqua eſt offuſa, ne aer intra cylindrum deſuper penetret. Ita vero, dum vapor in cylindrum ad-

adſurgit, victa preſſione ponderis aerei, brachium tigni vnius librantis adtollitur, a pondere brachii alterius, & cum porro vacuum exoritur, deſcendit iterum, & pondere prementis aeris adducitur: vt proinde vis mouens vaporis embolum eleuet, pondus vero aereum reſtituat & reponat, & ſic porro. Quære ſi potes, *Oedipum* lector, qui hæc tibi ænigmata, pro eo; ac ſatis eſt, explicet. Nobis quidem, qui ſemel iterumque, machinam ipſam, *Regiomonti* tunc opus vrgentem, diligentiſſime ſpectauimus, adtentione opus fuit, haud ſuperficiaria, vt, explicante magiſtro, molis efficacitatem hanc mente perciperemus. Plures iam in *Windſchachtenſibus* his ſecturis, opportunis locis, exædificatas videas. quarum prima XXV. M. nummum ſumtu condita, anno MDCCXXIV. menſe *Januario* opus exorſa eſt; ea, rectorum peritia, atque ſucceſſu operarum, vt, quatuor ſocias alias, nihil dubitarint addere, ad quos tantarum molium procuratio adtinet. Et durant ſane adhuc, non tantum; ſed ingentem etiam limoſæ ac ſordidæ aquæ copiam, ex vaſta illa puteorum abyſſo, ad regionem vsque cuniculi emiſſarii, proliciunt: quæ hinc modico emanans riuulo, in alueum, ſub dio, cogitur, & in molas inducitur, triturandis venis paſſim per vallis decliuum poſitas: dum hinc deiecta longiore mæandro in *Ipolam*, elabatur. Aquam inde *Schemnicienſem* dicunt accolæ, quæ riuorum aliorum incurſu, in eum modum, cælo pluuio, aut diffugientibus niuibus, turgeſcit, vt damnoſis illuuionibus, qua per deprella fertur, agrum non ſecus corrumpat, quam vndoſi quique amnes, facere conſueuerunt. Sed, quid quæſo ex machinis iſtis, compendii? RICHTERVS ſic habet: *Aquæ ſub menſuram coactæ, decies octies mille ſexagena ſextaria, hebdomadaria, tantum ſunt effuſa:* de hydraulicarum machinis & impenſa ita loquitur: *quæ nihilominus, millia totidem, quater exacta, ſemunciarum argenti percuſſi, in annuas expenſas exegerunt, per pyraulicas nimium imminutas.*

plures harum ſunt ad ſecturam Wind ſchachtenſem.

§. LV.

HAe, tantæ molitiones, atque inuſitata opera, PLVTONI ipſi bellum minantia, quantum inde a retruſa memoria, diuitiarum ediderint, vix eſt, qui vel cogitatione adſequatur. Si vetuſtis ſchedis credimus, vniuerſam, inde a primis incunabulis, auri argentique vim, ſola *Piberiana*, in commune profudit. Vtar, in deſignandis reditibus, verbis RICHTERI noſtri, ne lapſum me credant, quibus volupe eſt, dictis alienis, fidem derogare. *Argentaria* Piberiana, *ſpem fidiſſimam redituum, nunquam non accendit, ſeculum vero XVII. venas eius exſoluit, & explicuit, opibusque regiis conſpicuam in celebritate conſtituit. Enaſcentis eius infantia, anno mox ſecundo, alma gleba, per continuatos annos, in dies, centum & ſeptuaginta libras numularias, largita eſt. Aetate robuſta anno duo de quinquageſimo, quindecim annis, proſperrima ſorte perſeuerans, ingentem vim auri & argenti publico contulit. Et cum aetate ſenuiſſet, effœtaque viluiſſet,*

Reditus Piberianæ *argentariæ, olim ditiſſimi:*

eorum, ex veteribus ſchedis, ſupputatio:

ab ignominia ſe vindicans, metallo ditiſſima, opulentiorem magis, quam vnquam ante, ſemet præbuit: vicennium quippe, cum anno MDCXCIII. finitum, quindecim decadibus, nummuum vncialium, fiſcum regium locupletauit. En, ſuppares *Croeſi* opulentiæ diuitias! quas equidem *Americanis* quibusuis, multis modis potiores habuerim: quippe, ſine cuiusquam offenſa & deprædatione, ſolius matris naturæ indulgentia, iuſta contentione veſtigantibus, adtributas. Sed, fides dictis præſtruenda eſt. Ita vero libri rerum metallicarum, apud *Schemnicienſes*, vt vetera taceamus, de ætatis noſtræ copia hac, in litteras relatum habent. *librorum metallicorum, in eandem rem, fides:* *Am allermeiſten aber anno MDCXC. iſt Schemnitzer Gold gefallen* 1872. *Marck, ein und ein halbes Piſet: welches* 132425. *Ducaten gegeben. Item, aus der Silber-Müntz ſind gefallen* 121517. *Marck,* 37. *Piſet; oder Gulden* 2851815. *ohne der minderen Gewerckſchafft, ſo ſich wenigſtens auf* 40000. *Ducaten und* 800000. *Gulden erſtrecket hat.* Et paucis interiectis: *Die Gewercke haben bey Ober-Pieberſtolln, auf* 164. *in einem Jahr bis* 60000. *Thaler überſchuſſ, und ſolches bey drey Jahr nach einander genoſſen.* Reddam hæc latine, in eorum, e ciuibus noſtris, gratiam, qui, cum vrbes alias, tum montanas quoque, propemodum inter inutilia terræ pondera, habent; vt intelligant, quantis vel vnicum *Schemnicium*, opibus cumularit olim *Hungariam*, poſſetque cumulare adhuc, niſi noſtra ipſorum culpa, fatorum indignatione prouocata, *Gryphos*, cuſtodiendis theſauris iſtis, dudum admouiſſemus. *In primis* inquiunt monimenta Schemnicienſium, *anno MDCXC. auri apud Schemnicienſes* 1872. *marcæ,* (z.) *& medium Piſetum prouenere; quod* 132425. *ducatos præbuit. Item, ex moneta argentea, rediere* 121517. *marcæ, &* 37. *Piſeta, ſeu floreni* 2851815. *non accenſis ſocietatibus metallicis minoribus, quæ minimum* 40000. *aureos, &* 800000. *florenos indeptæ ſunt.* Eſt poſt pauca. *Societas metallica, ad ſuperiorem Piberianam fodinam, in ſortem* 164. *vnico anno* 60000. *imperiales lucri recepit: triennio integro eodem illo reditu, perfruita.* Hic adtexenda ſunt, quæ, vindicatus ex ſcrutis, *codex rationum* ad poſteros tranſcripſit, de anni MDCLXXII. vsque ad annum LXXX. opulentis venis Schemnicienſium: *almam nimirum Piberianam, annuis reditibus, quadringenta viginti ſeptem millia, & ſexcentas argenti libras numularias; auri autem quinque mille trecentas & quindecim, ſemilibras, munifice fuiſſe largitam.* Tanti eſt, aureos iſtiusmodi montium ſinus, colere, docte, adſidue, ſcrupuloſe, & quod caput rei eſt, perpetua cum confidentia, in interiorum harum reconditarumque opum arbitro, ac diſpenſatore DEO. Ceterum, digna viſa fuit, *Piberiana* hæc argentaria, quam auſpiciis *Mitrowskianis*, inſigni opificio fabrefactam, noſtra nunc ætas, in aprico, adſpectaret, mirareturque infinitos operum *auraria Piberianæ effigies, magno artificio facta:*

z.) De MARCA Hungarica auri, vide TRIPARTITVM Parte II. Tit. LXXIII. & quæ vniuerſim de *Marca*, congeſſere diligentiſſimi editores Gloſſarii du FRESNE, Tomo IV. p. 501. ſequ. edit. Pariſienſis, Anno 1733. fol.

rum eius receſſus, qui tantos hucusque theſauros, & profudere, & ſpondent impoſterum, modo ii eſſe vellemus, quibus, ditis hæc munera, tuto credi poſſent, & cum fructu. Opus nempe eſt, *Johannis Baptiſtæ Gall*, eiusdem fodinæ præfecti, artificioſe & ita factum, vt totius æraríæ ſyſtema, æneorum filorum complexione, euidentiſſime repræſentetur: iucundo ſane ſpectaculo: quippe quod, & oculos paſcere, & exſaturare animum luſtrantium poſſit. Videas enim, ſinuoſos venarum proceſſus omnes, retruſa huc & illuc diuertigia, meatus item, rectos, obliquos, decliues, tranſuerſos, & cuniculos ac puteos ſingulos, ad menſuras decempedarum minorum, adcuratione exquiſitiſſima, deſignatos, vt, quibus cognita ſunt *Plutonis* hæc adyta, illic ſe verſari, opinentur; quibus autem acceſſa fuere numquam, totam eam operum molem, animo concipere queant, &, quid quoque loco dignum animaduerſione eſt, cum iucunditate obſeruare. Expreſſam, ſuperne, & montium ſpeciem refert, prout, vel abrupti, vel miteſcentes, atque ludentibus varie iugis, commiſi ſunt. Geminum, ſcitiſſimi operis exemplar exſtat; alterum, anno MDCCXXXVIII. *technophilacio* Auguſti CAESARIS illatum; alterum, inter *Schemnicienſis* ærarii cimelia, repoſitum.

eius exemplar geminum.

§. LVI.

CEteroquin, non vna hæc *Piberiana* ſectura eſt, quæ metallicorum operas diſtineat; plures ſunt hodieque, in quibus percolendis, multum, & laboris collocatur, & impenſæ. Bipartito eas ſupra diſpertieramus. Nam aliæ quidem *Piberianæ; Xenodochiali*, aliæ ſunt adfines. Illius regione: *Siegelsberg, Waſſer-Schacht, Thereſiæ-Schacht, Klingenſtolln, Pachrnſtolln-Tieffe & Glantzenberg* continentur: hanc, qua ſe *Boreæ*, pone vrbem inſinuat, S. S. *Triadis, Trium Regum, Pacheriana ſocietatis* puteus; & qua in aquilonium propagatur altius, *S. Michaelis*; inde, *D. Georgii, Ierubini*, & *Moræ* cuniculi, multa adſiduitate cauantur. Hinc, in heſperiam plagam, omnis moles ſecedit, ac dextorſum quidem fodinis, ſub *Coloniæ Windiſchleüten, Renaſcentis ſpei Diuinæ*, & *D. Antonii* adpellatione; ſiniſtrorſum vero, ſub diuorum, *Paulli, Jacobi, Joſephi, Omnium SS.* vt bene vertat omen; *antri Opaci*, & *S. Johannis*, nominibus, opimioribus his, illis tenuioribus, frequentatur. Neque ſilenda eſt, *Guilielmi Galiſonii*, ſeculi ſuperioris molitio, quam is, in vaſta ſilua, *Starcker-Wald* (*a.*) Germanis dicta, magno conatu, at ſpe maiore ineſcatus, ſuſceperat. Cuniculo ipſi, quem recluſerat *D. Andreæ* nomen inditum, qui vulgo *Andreæ Stolln in Galiſon*, dicebatur. Diu, & operas fatigabat *Galiſonius*, & conceptam animo, opimi ſucceſſus fiduciam: cum ad vltimum, vanæ ſpes, non ære modo, ſed meliore etiam valetudine, bonum illum fraudarent. Ergo, ne ad incitas redigeretur penitus, manum ab opere, tunc ſubduxit, cum id

Auraria reliqua Schemnicienſium: *earum poſitus, ac regiones:*

Galiſonii *molitio:*

a.) Silua illa dudum exciſa eſt funditus, nomen eius adhuc ſuperat.

Digitized by Google

inſtauratur a Voikhio:

maxime putabat eſſe tempeſtiuum. Nihil, *Galiſonii* veſtigiis territus *Johannes Baptiſta Voikhius*, auri, ab argento apud *Aerarium*, diſcriminator, operas inſtaurat, & ne ſe ipſum fraudaret, meliore ſucceſſu, contentione multo, quam *Galiſonius* pertinaciore, in opus incumbit. At enim vero, cum diu ſatis elaborauiſſet, nouercante vſus fortuna, nullum aliud operæ fecit pretium; quam quod patrimonio ſenſim prodacto, in ſummas rei familiaris anguſtias, diras imprecante vxore, præcipitarit. Sed ille, propoſiti, ad propudioſam vsque paupertatem tenax, non modo non ceſſauit ab opere; ſed corrogato etiam, qua poterat, ære alieno, nihil in terebrando cuniculo reſidui fecit. Verum, in irritum recidere conatus omnes, iamque a metallariis deſertus, vix habebat, quo vitam truderet miſer; cum annulum ſignatorium, qui vnus, ex ea opum clade, ſuperabat, pignori opponit, metallicos ad reſumendas operas conuocat, & de ſucceſſu feliciore, mente præſaga, opima quæque ſpondet. Inſtaurato vixdum labore, en! aperiunt ſe venæ, non diuites modo, ſed eo ſimul habitu procurſantes, qui conſtantem pollicerentur opulentiam. Ac creuere omnino, effoſſi in dies metalli redditus, tanta vbertate, vt anno MDCXLVII. non grande modo æs alienum, quo ſe implicuerat, penitus diſſolueret; ſed etiam rei familiaris damna, feliciter repararet. Vitæ reliquum, commode poſtea transegit, vtque ſuæ huius fortunæ, & diuinæ, in emendanda ea benignitatis, documentum ad poſteros exſtaret, munifica largitione, familiam ſacram, quæ ad D. Nicolavm Viennæ colit, eximie locupletauit. Hæc eſſe conſueuerunt eorum fata, qui ſe totos metallicis ſtudiis permiſerunt, vt nunc ad puluiſculum redigantur, nunc iterum, ditentur ſubito: raro autem ad ſeros nepotes, eundem opulentiæ tenorem adſeruent. Poſt *Galiſonii* prodigioſam hanc ſecturam, *Roeſeliana* altera, multæ apud credulum, ac cupidum vulgus, exſpectationis, memoranda eſt. Cultam fuiſſe olim, a *Barbara*, quam meminimus, *Roeſelia*: & itineri, quod *Schemnicio*, ad thermas *Sklenenſes* ducit, adſitam, diuque, haud ſine ditiſſimo fœnore, a ſucceſſoribus operis cauatam: dum metu tumultuantis *Bethlenii*, obturato aditu, penitus deſereretur, in poſteros olim, ſi detegeretur, opes ſuas, profuſura. Aiunt vero, lapidem, ad fodinæ os admotum, humanæ faciei ſimulacro, ſignauiſſe eos, qui venam occulluerunt: quo reperto indicio, facile fore in aurariam ipſam incidere, & ditari ex eius prouentibus. Tametſi vero, tota hæc res, fabulæ ſimillima eſt; tamen, quod auorum ſermonibus, ad poſteros fuit propagata, multorum adhuc auiditatem ſollicitat, cupide, dum ſe dat occaſio, ſcrutantium, ſi forte in aditum cuniculi poſſent impingere. Suam fecit fabellam, Edvardvs Browns Anglus: quam excuſſimus quidem (*b.*) alibi; nequimus tamen, quin & hoc loco, eandem retexamus. *Officinæ*

ſucceſſu, poſt multa pecuniarum damna, vltra modum felici:

de ſectura Röſeliana, *fabella:*

Brownii *Angli, narratio.*

b.) Prodromo operi., Hung. Nouæ, Lib. III. Phyſico, de Thermis Szklenenſibus, Memb. I. §. II. pag. 129.

cina Vitraria inquit, ſeu *Glas-Hütten*, *Hungarico milliari*, *ſeptem Anglicis*, Schemnicio *diſiungitur*. *Erant olim hoc loco, auri venæ, quas tamen inde ab impreſſione* GABRIELIS BETHLEN, *ita temporum iniuria obliterauit, vt earum puteos atque cuniculos, adcolæ cogantur ignorare. Poſſeſſorem enim venarum iſtarum, aditus cum cura obturauiſſe aiunt, ferramentorum, quibus metalla effodiuntur, ſignis, arborum corticibus inciſis, vt eſſent indicio, haud procul inde fodinas abeſſe. Illud pro certo habent, ſicubi lapis humana inſignitus facie, erutus fuerit, non procul inde fodinarum aditus, ſub grandioris obiectu lapidis, inquiri debere.* Hæc (*c.*) ille, ex vulgari metallicorum ſermone collegerat. TOLLIVS, alium, in thermarum huiatium vicinia, cuniculum, non reperit modo, ſed ſubiit etiam: *Brownifiani* haud meminit. *Et hic*, inquit, *(d.) ductum ſubterraneum ingreſſus ſum, auro eruendo inchoatum; ſed increpabundus, adcolarum auiditatem, qui calidarum opportunitate, negligentiſſime habita, aurum heic, loco omnino alieno, quærerent: quid agas his hominibus*, ait, *nil niſi aurum adpetentibus & quærentibus? Indolui ſane, genio loci, nec bene precari potui, fruſtra ibidem aurum quærentibus metallurgis.* Ergo, ſteriles venarum huius oræ montes, iudicauit TOLLIVS; quod & *Schemnicienſes*, rei metallicæ conſulti, faciunt. Nam, ſunt omnino, non vna ταυτόχρονα, ex quibus exiſtimare poſſunt metallurgi, de montium habitu, turgeſcant, an minus? venarum ductibus. qua de re GEORGIVS AGRICOLA, conſulendus eſt, qui in voluptate habent, rimari hæc iſtiusmodi myſteria.

§. LVII.

Priſcarum ſectarum nomina:

NOn vacat iam, ſed neque adtinet ad inſtitutum, reliqua, quæ ſunt in metallis *Schemnicienſium*, obſeruatu digna, oratione exſequi. Iſtud potius agendum eſt, vt ab obliuione vindicemus, ſecturarum illarum nomina, quas ſeculo adhuc ſuperiore, operis fuiſſe frequentatas, relati in litteras actus metallici commemorant. Numerus earum trecentenario maior eſt, deſignandus eo adcuratius, quo pluris, & poſterorum domi, & foris exterorum, intereſt, nouiſſe, quibus locis, quantisque ſpatiis, olim cultæ circumſcriptæque fuerint fodinæ *Schemnicienſes*. Hinc certe conſtabit noſtris hominibus, vbi operi admouenda ſit manus, ſi velint veterum opera recolere. Extranei autem, tum demum, de præſtantia, & vaſtitate metallorum *Schemnicienſium*, rite exiſtimabunt, quando tantarum molitionum, vel ſola nomina, adtentius relegent. Vtemur autem in deſignandis iis, lingua *Saxonum* huiatium vernacula; ne, ſi latine rederentur popularia nomina; quod & poſſet quodammodo fieri; peregrinitatem induceremus, rebus vulgo notiſſimis. Fas præterea fuerit, ſituum rationes ſequi, vt conſtet, quomodo venæ, aut

cur ea vindicet ab obliuione, auctor:

c.) Itinerarii fui, quod Anglice primum, Belgice poſtea, denique Germanice prodiit, Noribergæ, A. MDCXXXVI.

forma quadrip. Libri II. Parte V. cap. IV. pag. 173.

d.) Loco toties citato, p. 170.

committantur, aut diſcriminentur inuicem. Reliqua adcuratio, huc adtinebit, vt terminos metallicos, quibus campus ſingularum fodinarum definitur; Germanis *Schürff* dicti; puteos item, & cuniculos, indicemus. Sit ergo!

	Schürff. Termini.	Schacht. Putei.	Stolln. Cunic.
Klein Glantzberg, *über dem Waſſer bey des Sattlers Haus, hat* -	III.	I.	I.
Elendt, *liegt über dem Lorberiſchen Elendt, im Grund hinauff, über Pockens Gart, dem Waſſer nach, der Alten-Burg zu.* - - -	VII.	I.	I.
Haſenfuſs, *gegen Elend über: allda führt man das Waſſer in dem Prenneriſchen Mayerhoff.* - -	VI.	I.	—
Goldene Sonne, *ober der gruebeten Wieſe, neben dem Scharffen-Berg.*	III.	I.	I.
5. Grubete Wieſe, *unter der Goldenen Sonn, unterm Scharffen-Berg.*	X.	II.	—
Sanct. Moyſes, *beym Teych gegen der Alten-Burg zu.* - -	XV.	I.	I.
Neü-Weeg, *oder* Bärn-Tatzen, *liegt unter der Alten-Burg, beym neüen Weeg.* - - -	V.	II.	—
Hindtere Mohr, *liegt über Creützens Garten.* - - -	VIII.	III.	I.
Gülden Einhorn, *liegt in des Peter Pern Garten, wo das Breü-Haus iſt.*	III.	—	I.
10. Marcus-Schacht, *unter dem Roſen-Strauch.* - - -	V.	II.	—
Ober Gott-Helff, *liegt im Sieglsberg über dem Loch.* - -	XV.	IV.	I.
Auff dem Alten Handl, *bey dem Steinern Schacht.* - -	VI.	—	—
Unter dem Puchen *auf der Eben.*	XVIII.	—	—
Sanct Oſwald, *liegt zwiſchen dem Grünſtoln, und hinterm Röſsl, dem Pieberſtollner Cram gegen über.*	VI.	I.	I.
15. Hinter Röſsl, *liegt über dem Gericht bey St. Oſwaldt.* - -	V.	IV.	—
St. Georgen *im Ziegen-Grund gegen Hanſens Mayerhoff.* - -	VII.	—	I. *e.*
Waſſer Stoln, *im Ziegen-Grund, un-*			

ter

e.) Vbi ad num. tertium *e.* adpoſitum vides lector, id *Erb-Stoln*, ſiue *Decumanum cuniculum* notat; ſicuti *s. Such-Stoln*, ſeu *cuniculum veſtigatorium.*

	Schürff. Termin.	Schacht. Putei.	Stolln. Cunic.
ter dem Georgen Stolln, bey Wentzel Wittichs Garten. -	III.	—	I.
Aich-Ruck, *liegt im Rosf-Grund.*	XIV.	XII.	I.
Groſs-Puchen, *liegt unter der Fuchs-Löcher-Höhe, gegen den ſtarcken Wald zu.* - - -	V.	—	I. *s.*
20. Neüfang, *in Rosf-Grunde, zwiſchen dem Haaſen-Sprung und der Stadt-Wieſe.* - - -	V.	—	I.
Rosf-Grunder-Erb-Stolln, *unter der Stadt-Wieſe, über dem Haaſen-Sprung, dem Schütters-Berg zu.*	XX.	III.	I. *e.*
Auff dem Eiſen-Stein, *im Rosf-Grunde, gegen dem Reppiſch.* -	IV.	—	I.
Unter-Engl-Schar, *beym Kirſchen-Baum, über dem Schütters-Berg, unter dem Rummlſtolln.* -	XIV.	I.	I.
Nahmen-Gottes, *am Habersberg.*	VI.	I.	I.
25. Stolln, *neben der Kunabin Haus im Schüttersberg.* - -	V.	II.	—
Paul Fludings Erbſtolln. -	V.	I.	I. *e.*
Hoffnung, *bey der groſſen Aichen,* und *Vogl-Hübl.* - - -	IV.	—	I.
Ober Kukus-Berg. - -	IV.	—	—
Hertzogs-Wieſe, *bey der Brett-Mühl.*	III.	—	I.
30. Küt-Stolln in der Höll. -	IV.	—	I.
Rumblſtolln, *liegt zwiſchen dem Hoff und Schüttersberg, unter dem Melchior Gapl.* - - -	XII.	—	II.
Löwen-Fuſs, *zwiſchen dem Kirſchbaum und Kukusberg.* - -	IV.	I.	—
Kirſchenbaum, *beym Rabenſtein.*	IV.	—	I.
Gulden Huffeiſen, *liegt hinter dem Hoff unter dem Weeg, ſo man in die Hodritsh reitet, vor dem Eiſenſteiner Weeg.* - - -	IV.	—	I. *s.*
35. Himmelreich, *unter der Winduieſs, in der finſtern Kher.* -	IX.	I.	I. *e.*
Falckenſtein, *liegt über dem Herren-Loch.* - - -	LXXV.	I.	I.
Alt Stolln, *bey der Hintern Schwell.*	V.	—	—
Heilig Dreyfaltigkeit, *am Hoff über dem Melchior Gapl und Rumblſtolln auff der Wieſe.* - -	V.	I.	I.

	Schürff. Termin.	Schacht. Putei.	Stolln. Cunic.
Hoffer Erbſtolln, *auff dem Hoff beym Birn-Baum unterm Weeg.* -	VIII.	V.	I. *e.*
40. Kühl-Berg, *in der Peltſcher Gaſſe, in des Georg Putſchen Garten.*	VI.	I.	I.
Natter-Grund, *am Steinfels nächſt beym Küſel-Berg.* - -	III.	—	I.
Thoman Goldſchmied-Stolln, *in der Peltſcher Gaſſen, in des Pacharcky Haus.* - - -	IV.	I.	I.
Natter-Grund, *am Bleygang unter dem Kühlberg bey der Piereklin Haus, in der Peltſchen Gaſſe.* - -	III.	—	—
Ober Sackwein, *liegt unter dem Paradeiſs.* - - -	IV.	—	I.
45. Lilyen-Schacht, *unter dem Paradeiſs, neben dem Sack-Wein.* -	III.	I.	I.
Schwalben-Schacht, *beym Tränck-Trog, oberhalb der Weiden.*	V.	II.	—
Sieben-Gruben, *über dem Tränck-Trog im liegend.* - -	IX.	—	—
Roſenkrantzer Einigkeit, *oberhalb St. Jacobs Schacht.* - -	X.	V.	I.
Lilgen-Krantz, *oberhalb St. Jacobs Schacht.* - - -	IX.	I.	I.
50. Klingen-Schacht, *neben dem Roſenſtrauch.* - - -	VI.	—	—
Glantzenberger Erb-Stolln. -	I.	—	—
Auff der Klufft, *am Glantzenberg.*	IV.	—	—
Herren-Loch, *im Leger-Grund, über der Vichteriſchen Mühl, dem Waſſer nach hinauff auff lincker Seite.*	X.	II.	I. *e.*
Pleygang, *am Glantzenberg.* -	IV.	—	—
55. Riſpenck, *in der Peltſchen-Gaſſe.*	IV.	—	—
Riſpenck, *hinter den Neühandl-Schacht.*	IV.	—	—
Riſpenck, *im Hanget, liegt auch daſelbſt.* - - -	IV.	—	—
Bey der weiſſen Waiden, *liegt oberhalb des Pachſtollns.* - -	IV.	—	—
Ober-Weyden, *beym Tränck-Trog, hinter Weidner Schacht.* -	IV.	—	I.
60. Fleyſcher Bergwerck, *unterm Roſen-Strauch.* - - -	IV.	II.	—
Roſen-Strauch, *über dem Fleiſcher Berg-Werck.* - -	V.	II.	I.

Ober-

	Schürff. Termini.	Schacht. Putei.	Stolln. Cunic.
Ober-Weyden, *beym Neühanget Schacht.*	IV.	—	—
Auff der Ebendt. - -	IV.	—	—
Unter dem Ebendt. - -	IV.	—	—
65. Unter Tannatig-Kram. -	IV.	—	—
Kleinhardt äſpen Rabenſtein, *iſt hinterm Hoff, oder der Weyden hinter Hangetſchacht.* - -	V.	—	II.
Klein oder mitter Gotthelff, *im Siegelsberg, überm Loch.* -	IV.	—	I.
Spitaler Höhe. - -	IX.	—	—
Küe Stolln, *in Fuchſen Loch, hinter der Weißlichen.* - -	XXIV.	—	—
70. Vogl-Hübl, *beym Starcken-Wald, beym Fleyſchers Berg-Werck, unterm Roſenſtrauch.* - -	XXIV.	II.	—
Ruhe Stolln, *oberhalb des Klingen-Stolln, beym Bründl.* -	V.	I.	—
Weyden und Grün-Stolln, *unter Greger Saltzers Garten ob der Schmiden.*	XV.	—	II. *e.*
Rachn-Stolln, *iſt hernach faſt niedergelegen, daſs auch anno* 1648. *kaum das Mundloch gefunden worden, da es* Iohann Auguſt Ehrnreiter *auffgemacht. Iſt unter dem Pieberſtollen-Kram.* - - -	—	—	II.
Heilig Drey-König-Stolln, *in der Nachbarſchafft des Pachen-Stolln, ein altes Berg-Werck, und anno* 1660. *ohngefähr wieder gewältiget, als es von anno* 1631. *verfallen.*	XIV.	—	—
75. Troſt Gottes, *liegt herwerths des Klingen-Stolln, und neben des Greger Saltzers Garten, unter dem Steig.*	IV.	—	I.
Unter Grün-Steig, *iſt neben dem alten Pachnſtolln-Kram.* -	IV.	—	—
Baym Stein, auff dem Röſsl, *oberhalb den Pachenſtolln.* - -	V.	—	—
Paradeiſs, *iſt im ſehr hohen Gebürge, ein uraltes Berg-Werck mit viel ausgehauenen Zachen. Nachdem es gantz verlegen, haben es verſchiedene arme Waldburger, um anno* 1660.			

	Schürff. Termin.	Schacht. Putei.	Stolln. Cunic.
auffgemachet, und einen Segen genoſſen. - - -	—	—	—
Ober Röſsl, *liegt oberhalb des Gerichts, bey der Kher, über den Troſt-Gottes.*	IV.	III.	—
80. Krampen-Schacht, *über dem Troſt Gottes, gegen dem Pieberſtolln über, unter den Ober-Röſsl.* -	IV.	I.	—
Hans Saliſchach, *liegt unter groſſen Röſsl.* - - -	III.	I.	—
Unter Röſſel, *neben dem Sali-Schacht.*	X.	—	I.
Vorder Röſſel, *hinterwerts dem Unter Röſſel, gegen dem Frauen-Berger Thor.*	IX.	II.	I.
Quirini Stolln, *ober Heiligen Drey-König-Stolln.* - -	XII.	—	—
85. Öſcher-Hübl, *in der Höll, beym Stübl.* - - - -	VIII.	III.	—
Ober-Öſcher-Hübl, *in Aich-Wald in der Höll.* - - -	XVIII.	III.	I.
Apffel-Baum-Stolln. - -	II.	—	—
Unter Stephani-Stolln. - -	III.	—	I.
Füllen-Beütl, *beym finſtern Orth, über Petzichen Haus in der Hodriſch.*	XII.	—	II.
90. überm Sommer. - -	V.	—	I.
Klein-Urban-Hübl, *liegt über der Petrinckin, auff der lincken Hand im Riegl.* - - - -	V.	I.	I. *e.*
Groſs-Urban-Hübl. - -	V.	—	I. *e.*
Urban-Hübel, *beym Teich.* -	V.	I.	—
Handl Hodritſch *und* Pueſen-Loch.	XX.	X.	I.
95. Gottes-Berath, *im Schüttersberg über dem Birn-Baum auff der Höhe.*	VIII.	—	—
Seegen-Gottes, *unterhalb dem Gottes-Berath.* - - -	III.	—	—
Seegen-Gottes, *gegenüber dem Haaſen-Sprung über dem Gottes-Berath.*	XX.	—	—
Birn-Garten. - - -	XXXV.	—	—
Klug Albrecht Erbſtolln, *in Schüttersberg.*	XVIII.	XVII.	I. *e.*
100. St. Anna Stolln, *auff Kupfer-Ertz in der Höll.* - - -	LXXXIV.	—	—
St. Lorentz-Stolln. - -	LVII.	—	—
St. Iohanni Stolln, *im Roſs-Grund.*	XVIII.	I.	II.
St. Iohannes, *gegen über im Roſs-Grund.*	XVIII.	—	—
Ober-Brunn-Wies, *liegt zwiſchen Hoff und Schüttersberg und dem Haberberg.*	II.	—	

	Schürff. Termini.	Schacht. Putei.	Stolln. Cunic.
105. Eichenſtein-Küſs, *bey der Tanne.*	XV.	—	—
Graffen-Schacht. - -	II.	I.	—
Wilden-Mann, *in der Höll.* -	I.	—	—
Roſen-Stolln, *Kieſsbergwerck, liegt im Roſs-Grund, unter dem Kranichſtolln.*	IV.	I.	I.
Kuntzen-Stolln. - -	IX.	—	—
110. Klein-Papl, *in der Hodritſch vor der Krumpmaulin Haus.* -	III.	I.	—
St. Catharein, *über dem Klein-Papl* (*f.*)	III.	—	—
Tann-Reiſs. - - -	III.	I.	—
Finſter-Orter lange Höhe, *liegt gegen dem Finſter-Orter-Erbſtolln über.*	IV.	I.	I.
Auff der Klufft, *unter dem Fiſcher-Stolln, bey Weit Carls Stolln, über den finſter Orth, in Schwabens Garten.*	III.	I.	—
115. Ober Harlas, *beym Schieſs-Haus in der Hodrits.* - -	V.	—	—
Aich-Gran-Ruck, *liegt im Roſsgrund.*	XV.	I.	I.
Vogl-Hübl, *beym Kirſchenbaum, unter der Weyden.* - -	III.	—	—
Thier-Garten, *unter den Vogl-Hübl.*	XI.	I.	I.
Röhren-Stolln, *über Altallerheiligen.*	IX.	IV.	I.
120. Nitschen-Stolln, *gegen den Aichruck gegen über, in der Hodritsch.*	IX.	—	—
Erdbeer-Erbſtolln. - -	XXVIII.	—	—
Teütſch-Leüten, *im Roſs-Grund.*	CXL.	—	—
Ober-Pieber-Stolln. -	LI.	—	—
Matthias Stolln, am fordern Gang.	CV.	—	—
125. - - - - - *am Gräffiſchen Gang.*	LXII.	—	—
Finſtrer Orth. - -	LXXXII.	—	—
Krebs-Grund, 16. *Claffter ober den Brenners Stolln.* - -	CXVII.	—	—
Dilner Erbſtolln, *und* Leopold Wilhelm Schacht. - -	XL.	—	—
Heilig Dreyfaltigkeit Erb-Stolln, *angefangen anno* 1549. -	XXX.	—	—
130. Jerubin-Stolln. - -	XIII.	—	—
Dauid Stolln. - -	CLXVIII.	—	—
Stephani Stolln. - -	XXV.	V.	II.
Allerheiligen Neürath Schacht, *in der Hodritsch.* - - -	IV.	III.	I.

f.) St. Catharein, Rettling-Schacht, König-Schacht, Klein-Papl, Tannreiſs, St. Nicolai, *liegen alle ober dem Preſsenloch, in ſelbigen gantzen Riegl.*

	Schürff. Termini.	Schacht. Putei.	Stolln. Cunic.
Hülff-Gottes, *in der Höll.* -	CVIII.	—	—
135. Seegen-Gottes, *in Roſs-Grund.*	XCIX.	—	—
Kornberg. - - -	XVIII.	—	—
Schmitten Rinn. - -	XV.	—	—
Mohr, *über Ierubin Stolln, iſt ein Erb-ſtolln, hat IV. Wind-Löcher, und.*	—	—	I. e.
Linden-Stolln. - -			
140. Sicoua-Stolln. - -	XXXVIII.	—	—
Vorder-Papl. - - -	LII.	II.	II.
Plöſcher. - - -	XC.	—	—
Kieſer Erbſtolln. - -	XXXVIII.	—	—
Kherling, *beym Nuſs- und Birn-Baum, nächſt dem Stephani Stolln.* -	VI.	VI.	II.
150. Thier-Stolln *und* Alt Sieben Gruben, *in der Peltſchen-Gaſſe.* -	Pflöck Pali. XIII.	II.	II.
Hart Aſpen, *über dem Loch in Sieglers-berg, über den Alten Wolff-Schacht, gegen den Steinern-Schacht.*	I.	II.	—
Wetter-Ring. - -	XVIII.	IX.	II.
Roſen-Stolln, *Kieſs-Berg-Werck im Roſsgrund, unter dem Kranich-ſtolln.*	II.	I.	I.
Mitter-Mohr. - -	X.	I.	—
155. Prenner Schacht, *iſt auff dem Hoff, neben dem Lærberiſchen Schacht.*	X.	—	—
Gotthelff, *neben dem guldenen Huffeiſen.*	XII.	—	I.
Mitter Engel-Schaar. -	III.	I.	—
Kukus-Berg. - - -	II.	I.	I. s.
Groſs Rabenſtein, *unter dem Kirſch-Baum auff der rechten Seite.*	IV.	—	—
160. Scheider Bergwerck, *über dem Ku-kus-Berg.* - - -	—	III.	I.
Melchior Papl, *zwiſchen dem Hoff und Schütterberg über dem Rumblſtolln.*	II.	II.	—
Glantzenberg im Hanget, *über den klein Haaſen-Fuſs.* - -	—	V.	I.
Mitter Tannatig. - -	II.	I.	—
Erlein-Grund. - -	X.	—	—
165. Auff dem Obern Sommer, *in der Hodritſch, bey Michaeli Schacht.*	VII.	II.	I.
Gallander, *liegt neben dem Georg Hi-ckels Garten.* - -	IX.	II.	I. e.
Rieb. - - - -	III.	III.	II.

Ca-

	Pflöck Pali.	Schacht. Putei.	Stolln. Cunic.
Capaun-Wieſen, *neben dem Kuntzenſtolln.* - - -	VI.	I.	—
Kuntzen-Stolln. - -	IX.	VII.	II.
170. Chriſtels Bergwerck. -	II.	I.	I.
Klein Galander. - -	III.	I.	I.
Ober und Unter Rieb. -	III.	—	—
Unter dem alten Kherling. -	III.	I.	I.
Kherling, *an dem alten Steig und Papl.*	II.	I.	I.
175. Alt Aichruck, *neben der Nitſchen.*	I.	—	I.
Paurlaufferin-Schacht, *untern Tannen Reiſs.* - - -	I.	I.	I.
Schwalben Heerd. - -	I.	I.	—
Im Gründl, *gegen dem Aichruck.*	II.	—	I.
In der Aichen. - -	II.	—	I.
180. Kapaun-Wieſen, *von der Iglshoffe-rinn, neben dem Kuntzen-Stollen.*	III.	—	—
Schützwand, *hinter Matyaſchiſchen und ober Roſenberger.* - -	III.	I.	—
Im Rollen, *neben der Schütz-Wand.*	III.	—	—
Hohe Nacht, *neben St. Nicolaus.*	III.	I.	—
Lucas Warinsky, *Eiſenſtein, unter dem alten Kherling.* - -	II.	I.	I. e.
185. Reulingſchacht. - -	I.	III.	—
Küniginſchacht. - -	III.	I.	—
Glücks-Rad, *neben dem Tannreiſs.*	III.	I.	—
St. Nicolaus, *über St. Catharein.*	III.	I.	I.
Troſtberg, *unterm alten Mann und Lorberiſchem.* - -	IX.	I.	II.
190. Freüdenſtolln, *liegt gegen St. Wolffgang, über Unverzagt-Stolln.*	III. XXXV.	— —	— I.
Beym Kieſſe Bergwerck, *liegt im Roſs-Grund, neben dem Kiesgrund.*	V.	II.	I.
Neben den Ackern, *liegt gegen den Stephaniſchen über im Riegl.* -	III.	—	I.
Klug Albrecht-Stolln, *in der Höll.*	III.	I.	II.
195. Trentſcher Eiſenſtein der Untere, *liegt über dem Florian.* -	III.	III.	—
Weit Carls-Stolln, *über dem Finſtern Orth im Schwaben-Garten.*	I.	I.	—
Hülff-Gottes. - -	IX.	II.	I.
Ebers Baum. - - -	III.	II.	I.
Schrantzenberg. - -	III.	II.	I.
200. Groſspuchen. - -	IV.	—	I.
Fürſtenkopff, *liegt über der Stadt-Wieſe.*	IX.	I.	I.

	Pflöck Pali.	Schacht. Putei.	Stolln. Cunic.
Roth Tsubernick. - -			
Unter Tsuhubernik. - -			
Erdbeer-Stolln. *Drey Bergwercke. In dieſes Feld iſt keinem andern einzuſitzen erlaubet worden.* -	XXVIII.	VI.	VI.
205. Zacharias-Schacht. - -	IX.	I.	—
St. Paul, *liegt über dem Gilgenſtolln im Kroppe-Grund.* - -	IX.	—	III.
Mitter Fuchſen-Loch. -	—	IX.	I. e.
Kraut-Garten, *liegt in des Baltzer Taillers Bergmeiſters Garten.*	III.	—	—
Bärnkopff, *liegt hinter der alten Burg.*	V.	—	I.
210. Auff der Letten im ſtarcken Wald, *gegen den Ober Pieberſtollner Kram ob den Pachenſtolln.* - -	XIII.	I.	II.
Lilgelſtolln, *und* Schacht, *liegt hinterm Siegelsberg.* - - -	XXIV.	VII.	I.
Jacob-Schacht, auff der Linden, *ober dem St. Anna-Schacht gegen der Stadt zu.* - - -	VI.	I.	I.
Freüdenberg, *ober dem Wilhelmſtolln, im Roſs-Grund, unter der Singer-Schacht.* - - -	III.	—	I.
Kratz-Beer-Leüten, *gegen der Meel-Beer-Leüten über, zwiſchen dem Apffelbaum der Hodritſch zu.*	IX.	—	I.
215. Ritter-Stolln, *gegen den Wittiberſtolln über.* - - -	III.	—	I.
Kranich-Stolln, *in Roſs-Grund bey des Heübolds Mühl, gleich bey der Brucken, auff der Rechten Hand.*	I.	—	I.
Wittiber-Stolln, *gegen den Reichlbeerſtolln über Grund nach, hinauff gegen Khalenberg.* - -	III.	—	I.
Stephani-Schacht, *in Schüttersberg über das Hirtenhäusl, über des Georg Hickls Haus.* - -	XII.	I.	—
Habersberg, *liegt ober der Oberbrunn-Wieſe, über Hoff gegen der Prenneriſchen Wieſe.* - -	III.	I.	—
220. Glückhs-Rad, *in der Finſtern Kher, ober den Weeg.* - -	I.	I.	—
Aichhorn, *neben dem Kukus-Berg.*	II.	I.	I.

Neü-

Digitized by Google

	Pflöck Pali.	Schacht. Putei.	Stolln. Cunic.
Neü-Geboth, *neben dem Habersberg.*	IX.	—	I.
Singerſchacht, *im Roſsgrundt unterm Roſenſtrauch.* - -	III.	I.	—
Gans-Schacht, *in Schüttersberg ob den Leüt-Haus.* - -	II.	II.	—
225. Birnbaumer Erbſtolln, *über dem Schüttersberg, neben dem Weeg der Stadt zu.* - - -	IX.	—	I.
Schurff am Hoff, *liegt bey dem groſſen Halden auffm Hoff.* - -	III.	II.	I.
Kratz-Beer-Leuten. - -	III.	—	—
Finſter Kher. - - -	II.	—	I.
St. Nicolaus, *bey der Prenneriſchen Wieſe, über der Heiligen Dreyfaltigkeit auffm Hoff.* - -	III.	—	I.
230. Groſs-Rabenſtein, *unter der Weyde-Wieſ, ober Allerheiligen.* -	I.	—	—
Habersberg auff dem Hoff, *über der unteren Brunn-Wieſe.* -	I.	—	—
Jungfrau Kopff. - -	III.	—	—
Am Hoff, *hinter der Bretſchneiderin Haus.* - - -	III.	—	I.
Tannatig, *liegt über dem Eiſernen Sayl, unter St. Iacobs Schacht.* -	XXII.	II.	II.
235. Fevelfahrt, *bey dem Fordern Mohr.*	IV.	I.	I.
Ober-Mohr. - - -	XV.	II.	I.
Iupiter, *gegen den Roſs-Grund, dem Erbſtolln über, auff der andern Seiten.*	VIII.	—	II. s.
Klein Haaſenfuſs, *iſt über dem Lorberiſchen Elendt, gegen den Glantzen-Berg hinauff.* - -	V.	—	I.
Mitter Glantzen-Berg, *unter des Waſſer-Manns Haus.* - -	I.	I.	—
240. Ziegen-Rock, *bey Leonhards Meyerhoff.* - - -	IX.	—	I.
Schutz-Wand, *unter Schabab im Leger-Grund, über dem Herren-Loch, dem Waſſer nach herauff.* -	III.	I.	I.
Vorder-Mohr. - -	VI.	IV.	—
Eſchen-Hübl. - - -	III.	—	—
Nicuſch Stempfen Bergwerck.	I.	—	I.
245. Alt Eiſenſtein. - -	III.	I.	I.
Schüttersberger-Leüten. -	II.	I.	I.

Roſs-

	Pflöck Pali.	Schacht. Putei.	Stolln. Cunic.
Roſs-Grund auff Kieſe. -	III.	—	I.
Bey den ſieben Weibern. -	L.	I.	II.
Im Elendt. - -	XV.	I.	I.
250. Unterm Kirſchen-Baum, *bey der Klopff.* - - -			
Küttl-Stolln, *auff der Ebene, über dem Rieberſtolln, unter dem Vogl-Hübl.* - - -	I.	II.	—
Auff der Eben, *über dem Piberſtolln, unter dem Vogl-Hübl.* -	VI.	II.	—
Haaſen-Fuſs, im Fuchſen-Loch.	II.	II.	—
Auff dem Kieſel-Bergwerck, *neben dem Nachtigall-Stolln.* -	III.	I.	—
255. Am Erbſtolln, *im Hohenbergers Garten.* - - -	III.	—	I.
Keilling, *beym Paradeys.* -	III.	I.	—
St. Jacobs-Schacht, *iſt über dem Eiſernen Sayl.* - -	VI.	II.	—
Vorder ſieben Gruben, *liegt unter dem Scharffen-Berg.* - -	III.	I.	—
Wein-Reben. - -	XVIII.	—	—
260. Ober Marcus-Feld. -	—	—	—
Fuchs-Löcher-Höhe, *und* Nachtigall-Stolln. - - -	III.	—	I. e.
Auff der Klufft, *hinter dem Auguſtin Maurer.* - - -	III.	—	I.
Unter der Groſſ-Mauer, *auff der Alten-Burg, ober dem Teich.* -	III.	—	—
Harten Schacht, *liegt unter dem Paradeiſs.* - - -	III.	I.	—
265. Stadt-Schrancken, *liegt auff dem Schendelsberg, iſt ein Kieſs-Bergwerck.*	III.	—	—
Nachtigalln-Stolln, *iſt zwiſchen den zwey Mohrn, und oberhalb des Ochſen-Kopffs.* - - -	IV.	—	I.
Quitten-Schacht, *zwiſchen dem Roſenſtolln, und Neü-Handlungs-Schacht.*	IV.	I.	—
Natter-Grund, *hinter den Alten Schloſs, gegen dem Kieſſel-Bergwerck gelegen.*	VI.	I.	I.
Fronna-Stolln, *unter dem Kherling.*	III.	—	I.
270. Aich-Ruck. - -	IV.	—	—
Fladen, *unter dem Andreæ-Schacht, gegen den Prenner-Stolln zu.* -	III.	—	I.

Vor-

Digitized by Google

	Pflöck Pali.	Schacht. Putei.	Stolln. Cunic.
Vorder-Grund, *hinterm Schieſs-Haus des Scholtzen Garten.* - -	III.	—	I.
Wolffgang, *hinter der Marter, gegen den Freüden-Stolln über.* -	III.	I.	I.
Unverzagt Eiſenſtein, *ober der Hütten in dem andern Gehäng hinab.*	IX.	—	I.
275. Wilhelm-Schacht, *neben dem Finſterorther-Kram, unter dem Chriſtopher-Schacht.* - - -	II.	II.	—
Erdbeer-Weixel. - - -	V.	III.	I.
St. Anne-Schacht. - - -	V.	II.	I.
Mond-Schein. - - - -	II.	I.	—
Groſs-Weyden. - - - -	III.	III.	—
280. Klein Soll-Weyden. - -	I.	I.	—
Mohr, *nächſt am Lehen am Vogl-Hübl.*	III.	III.	—
Fiſcher Bergwerck, *über Ihro Maieſt. Puchwerck.* - - - - -	II.	—	I.
Alt allerheiligen, *in Hodritſch über den Gallander.* - - - - -	XV.	VIII.	II.
Straka-Stolln, *liegt neben dem Stephani-Stolln, über dem Eiſengrund, über dem Klein Gapl.* - - -	VI.	I.	II.
285. Klein Gapl, *liegt neben dem Weeg, da man auff den groſſen Gang gehet, über dem Stephani Stolln.* - - -	VI.	—	II.
Beym Neüen Weeg, *unterm Finſtern Orth, unter der Tränck.* -	VI.	III.	I.
Luchſen-Stollen, *zwiſchen der Erdbeer-Weixel, und der Leiten, übern Prenner-Stollen.* - - - - -	IV.	I.	I.
Himmelreich, *liegt in der Finſter Kher.*	III.	I.	II.
Altmann, *iſt über dem Troſtberg neben dem Kherling.* - - - - -	VI.	I.	I.
290. Proſchoffszky, *über dem Altenmann und Lorberiſch, beym Kherling.*	III.	I.	II.
Klein Urban-Hübel, *über den Petrikken, auff der lincken Hand im Riegl.*	II.	I.	I.
Küſs-Grund, *gegen des Samſons-Bergwerck, unterm Küſs über.* -	IX.	II.	II.
Quitten-Stolln, *beym Weeg unterm Groſs Röſsl.* - - - - -	—	I.	II.
Georgen-Stolln, *in der Hodritſch.*	III.	—	—
295. Leonhard Nicuſch Erbſtolln, *unter dem Vogel-Hübl.* - - -	XXVII.	I.	II.

	Pflöck Pali.	Schacht. Putei.	Stolln. Cunic.
Groſs Urban-Hübl, *überm Lukatſoh-Schacht und Petrik, auff der rechten Hand.* - - -	III.	I.	I.
Auff der Henn. - -	III.	I.	I.
Neben dem negſten Fladen. -	XII.	I.	II.
Sommer Erbſtolln. - -	XLIV.	I.	II.
300. Trentſcher Eiſenſtein der obere, *iſt über dem andern Eiſenſtein, ſo über dem Florian iſt.* - -	XLIX.	II.	I.
Beym Sommer-Stolln, *die Schürff von Matth. Bratwurſt.* - -	IX.	—	I.
Unverzagt, *und* Siwiſch Eiſenſtein, *ober Ihro Majeſt. Schmeltz-Hütten in der Hodritſch.* - -	III.	—	I.
Unter Sikora Stolln. - -	III.	—	I.
Greiffen-Stolln, *zwiſchen dem Haaſen-ſprung, und Reichlbeer-Stolln, auff der lincken Hand gegen der Stadt zu.*	IX.	—	I.
305. Gugugs-Berg, *unterm Hoff, gegen den Rabenſtein.* - -	XV.	I.	I.
Ierubin-Stolln. - -	X.	—	—
Mitter Fuchſenloch. - -	IX.	—	I.
Finſterkher, *jetzo* Joſephi Stolln.			
Windiſchleüten.			
310. Prenner-Stolln, *in Krebs-Grund.*			
Fiſcher-Stolln, *im Krebs-Grund.*			
Groſs-Gang, *und* Kayſer-Stolln *im ſelben.*			
St. Maria-Stolln, *im Roſs-Grund.*			
St. Maria Himmel-Fahrt, *oder* Kysla *unter der Hodritſch.*			
315. Thomas Lang Bergwerck, *oder* Melanka-Bana.			

Hæ ſunt illæ ſecturæ, quibus ager *Schemnicienſis* non tantum; ſed & vrbs ipſa, partim gloriabatur olim, partim gloriatur adhuc. quas vel recenſuiſſe, operoſum nobis viſum eſt: quid ergo, exiſtimandum fuerit, de laborioſiſſimo earum cultu? Crederes, non vrbem modo vnicam, & huius ciues; ſed orbem fere, fatigare potuiſſe, ampliſſima hæc, & ſumtuoſa opera. Quidquid eius ſit, documento hæc erunt, cum *Hungaris*, male haud raro ſua bona metientibus; tum alienigenis, rerum Hungaricarum curioſis: ſi quam vrbem aliam, *Schemnicium* certe, optime, inde a retruſiſſima illa ætate, vsque ad noſtra hæc tempora, meruiſſe de *Hungaria*. Iam, ne ingra-

ti

ti ex hoc opulentiæ theatro, decedamus, pia ERASMI ROTERODAMI, vota, conſulto heic interſerimus. *Vtinam*, inquit ille (*g.*) *animis eo ſtudio feramur in cælum, quo ſcrutamur terram: non quod improbem hanc induſtriam; nobis enim terra gignit, quidquid gignit; ſed quod hæ venæ, quantumuis fœcundæ, beatum facere hominem adeo non poſſunt, vt non paucos, operæ & impendii, pœnituerit.* SOLA DIVINARVM LITTERARVM VENA, VERE LOCVPLETAT HOMINEM.

§. LVIII.

Ruris Schemnicienſium reliqui, natura: agri & prata anguſta:

RElíquum *Schemnicienſium* rus, vti per ſalebroſa montium ſuſpenſum eſt; ita refugit omnino opportunitatis alterius, quam quæ a metallis venit, commendationem. Ergo anguſti hic ſunt agri frumentarii, iique effœti, & niſi multa grauidentur lætificatione, plane ſteriles. Prata, qua ſunt per valles depreſſi & explicati ſitus, herbeſcunt quidem ſic ſatis vbertim, præbentque fœnum probum & pabulis hibernis in primis idoneum; ſed cuius copia, tam eſt tenuis, vt vix aliquot herilibus, ne dicam metallicis ſtabulis, ſufficiat. Hortorum contra, multo, quam reris, & exquiſitior eſt cultus, & faſtoſior. quod in aſpera hac regione, eo plus habet admirationis, quo minus, ſeu cælum, *Floræ*, ſeu ſolum exſuccum, arboribus fauet: vtraque tamen inhoſpitali hac regione, pulchre proficiunt; quia curantur ſollicitiſſime. Mirabamur aliquando hortos, per decliuia montium, ad eum modum inſtructos, vt in perlibrata planitie, nequiuiſſent, aut iucundius adparari, aut ordinatius. Nempe, defoſſa montis rigiditate, areas, ſuis diſcretas articulis, atque commiſſas gradibus, complanauere. Has demum, vel proceris arboribus, iuſtis hic interordiniis, ſparſim alibi, depoſitis, conſeuerunt; vel diſtinxerunt puluillis, quos varia florum, & odoriferarum herbarum genera, mira diuerſitate, conueſtiebant. Aderant non tantum voluptariæ ædiculæ, in quibus diſcumberent epulaturi, aut colluſuri inuicem; ſed etiam conditoria, & hibernæ apothecæ: quorſum, non tam exotica arborum genera, quam vernaculas florum radices fruticesque reponebant. qui demum, bruma in primis rigente, non ſecus efloreſcebant, quam id fieri adſolet,

hortorum olim cultus exquiſitiſſimus:

eorum illa celebra:

Omnia dum florent, dum formoſiſſimus annus.

Florum hæc cura, noſtra iam ætate in luxum abiiſſet, niſi impenſas, his locis, oppido ſuperuacaneas, temporum difficultas, aliorſum deriuaſſet. Hos iſtiusmodi ſeceſſus, quoties ſe dabat occaſio, feſtiuis conuictibus, frequentare, in præcipuis *Schemnicienſium* auocamentis tunc fuit, dum redundabant prouentibus metalla. Vix abiit ſerenior dies, quin per plures hortos, partim merendæ adponerentur conuenis hoſpitibus, partim cœnæ opiparæ, quas ſubinde, concentus ſymphoniacorum hilariores efficiebant. Id cum fiebat, aleam hi per vmbras,

(*g.*) In Epiſtola, ad CONRITZIOS fratres, anno MDXXIX. data, & GEORGII AGRICOLAE BERMANNO præmiſſa, editionis Baſileenſis, anni MDXLVI. folio.

Digitized by Google

isti, robustum illud lusus genus, quod deiiciendis ligneis conis instituitur, non lucrose minus, quam eximia quadam virium contentione, exercebant: serus demum, & in profundam noctem procliuis vesper, ita dissuebat amicas societates, vt mutuas sibi, in sequuturum diem, vel epulas, vel oblectamenta alia, condicerent. Iam, & hortorum, pristinus decor hic, emorientibus sensim familiis, intercidit, & tenuis rerum habitus, ad percolenda scrupulosius metalla, atque tolerandam, cum sollicitudine, vitam, curas hominum auocat. Ad iniurias porro, saltem incommoda agri *Schemnicienſis* retuleris, quod siticulosiores habeat positus, quam id, tractandorum metallorum ratio requirit. Accusant hanc naturæ, cetera liberalissimæ, parcitatem, cum ipsi *Schemnicienſes*, tum exteri etiam, metallurgiæ periti. Tollivm audiamus. *Aquæ subdiualis inopia laborant*, inquit (*h.*) *quæ molas circumagere valeat: vnde equorum superius, intus humana succedanea vtendum est opera, eaque sumtuosissima. Est autem ea penuria, hieme maxime, & æstate perfrequens; prout, vel frigus, vel æstus intenduntur. Vere igitur, & auctumno, illic opus cum maxime feruet, auctis, per liquescentes niues, aut imbres, torrentibus, hæc autem aquarum egestas, vt, vel in proxima loca effossi metalli magna pars deferatur, vel in cumulatiora profluuia reseruetur, efficit.* Inopiam hanc, oppido damnosam, vti inductis aliunde aquis, leuare possent, argentariarum præfecti, non vnis curis, sed ad irritum recidentibus, elaborauerunt. Et istud inibi meminit Tollivs: *in senatu fossorio* (consilium metallicum ita vocat) *sæpe, sed frustra agitatum, de* Cremniciensibvs *aquis, ad* Schemnicianas *fodinas deducendis; vetantibus, non tribunis plebis; sed, qui multo his auctoritate & potestate præstant, altissimis vndiquaque montibus.* Hæc tunc, in commune consulebantur. Nostra ætate, *Neosolienſem* amnem, cui *Bisztricza* nomen, quique ex altissimis montibus deruit, alueo accipiendum, dum adhuc altus manat, suadebant, viri hydraulices haud ignari: verum, deprehensum est, sublimiorem *Schemnicienſium* metallorum esse positum, quam vt lapsui *Bitztriczæ*, locus esse possit. Postea, & *Dobroniuenſem* riuum huc, per longas ambages inducendum, existimauere cupidi rei metallicæ homines; quod tamen consilium, ex iisdem, quas nunc diximus, causis, adhæsit. Præter aquarum hanc penuriam, siluarum, & ligni cædui pauperiem, in præcipuis *Schemnicienſium* incommodis, retuleris. quod iam non est opus exaggerare. Res certe carbonaria, aliunde petita, multum, ex fodinarum reditibus, detrahit, facitque liquandorum metallorum operas, non difficiles tantum, sed etiam sumtuosas. At vero, quis hæc singula, naturæ munificæ parenti, exprobrauerit sine crimine? Nos, manum tandem de tabula! quod & faciemus, in tanta scriptionum mole, lubentes profecto; si vrbi, iuxta & metallis *Schemnicienſibus*, diuites venas, his autem perpetuitatem, coniunctam, cum reliqua ciuitatis felicitate, toto animo, a Deo sumus deprecati. Felicter!

cessant sensim, suis de caussis:

quibus incommodis vrgeatur territorium Schemnicienſe:

aquarum subdialium inopia:

quomodo ei succurrendum voluerint rei metallicæ præsides:

siluarum pauperies:

historiæ vrbis clausula.

h.) Loco sæpius citato, p. 162.

II.

II.

Hiſtoria Liberæ Regiæ ac Montanæ Vrbis BÉLA-BÁNYA.

SYNOPSIS.

Vocabuli Béla-Bánya *origo* Slauica: *vrbicula non eſt opus* Belæ IV. *Hungaris veteribus* Fejér-Bánya: *cur? non eſt* montanarum *antiquiſſima.* §. I.

Situs vrbis: ædificia: horum exilitas, & eius cauſſa: ciuium indoles, dicteriis obnoxia. §. II.

Eius rei, ex Tollio, *exempla ridicula.* §. III.

Habitus vrbis immunitus eſt: auraria Belenſium: *princeps in his cuniculus, quando, & cur cauari cœptus: deſeritur: inſtauratur denuo: conatu ad irritum recidente: plebis Belenſium metallicæ, & ciuium occupatio: inſignia vrbica.* §. IV.

§. I.

NEmo, *Slauice* doctus, inficiabitur, vrbis vocabulum BÉLA-BÁNYA, *Slauicam* omnino referre originem: enim vero, *Bielá-Bánya* (*a.*) eius gentis lingua, *Fodinam Albam* ſignificat. Qui id nominis, a BELA IV. rege Hungariæ, arceſſunt, (*b.*) non tam rationem ſequuntur, quam vocis ſonum. Aiunt autem, BELAM, ſi non condidiſſe vrbem, ſaltem priuilegiis donatam, ex ſuo nomine adpellauiſſe. quod non eſt ita: cum docuerimus ſupra, ad SIGISMVNDI fere tempora, in iis vicis fuiſſe *Béla-Bányam*, qui vrbi *Schemnicienſi*, & ſacro, & ciuili iure, erant obnoxii. *Parochus* certe, ſicuti dictum eſt illic, eccleſiam *Béla-Banyenſem*, in *filialibus* cenſebat; vrbici autem magiſtratus, vico ipſi dominabantur. Accedit, priſcorum diplomatum & chartarum fides, in quibus *Hungarice*, frequenter *Fejér-Bánya*, hoc eſt, *Alba fodina*, vocitatur. quod non feciſſent eius ætatis homines, ſi a *Bela* rege, nomen tulliſſet vicus. Nimirum ita reor, *Slauos* illos, qui primitus *Schemnicium*, & huius metalla coluerunt, hic quoque, ſecturam habuiſſe, quam vt ab oppido ſuo *Bánya*, hoc eſt, *Schemnicio*, diſcriminarent, ab albo colore, *Bielá-Bánya* dixerunt; forte, quod egeſtus e cuniculis limus, atque rudus aliud, eum colorem referebat. Tunc vero, quia ſuas hic operas habebant *Schemnicienſes*, quæ ad vici modum, inſtructis ædiculis habitabant, non poterat euenire aliter, quam vt vicum & ſecturam, ſuo in agro inſtructam, ſuam, tractu temporis, facerent, ſuosque *curiones*, ad rem ſacram faciendam, in nouam hanc coloniam, miſſitarent: dum ius vtrum-

Vocabuli Béla-Bánya, *origo*, Slauica:

vrbicula non eſt opus Belæ IV.

Hungaris veteribus, Fejér-Bánya: *cur?*

a.) *Slaui* hodierni, ſimpliciter, BELA vocant.

b.) Vide Cereographiam Hungariæ, p. 166. BELA BANYA *Hungarice*, DILN *Germanice*, & *ipſa vrbium montanarum non poſtrema*, BELAM *regem, id nominis, vt conijcimus* IV. *conditorem habet eſt.* Id vero ſecus eſt!

non eſt montanarum antiquiſſima.

que, *Regum*, iuxta & *Archiepiſcoporum* conſenſione, atque indultu, adprobaretur *Schemnicienſibus*. Quæ cum ita ſunt; ſicuti ſunt omnino; fruſtra fuerint docti illi, qui *Béla-Bányam*, omnium vrbium montanarum vetuſtiſſimam eſſe, nihil dubitant adfirmare. Frölichio, apud *Schemnicienſes* fecimus ſatis: recentis ſcriptoris alterius (*c.*) opinionem recitaſſe, refutaſſe fuerit: *Ternas, hic Comitatus, e Montanis ciuitatibus, ſibi vendicat:* Schemnicium *ſcilicet*, Bélam-Bányam, & Bakabányam. *Harum autem duæ poſtremæ, vno hoc titulo memoratu dignæ cenſentur, quod ipſis cum Cremniczio, ſuper fodinarum antiquitate, diſceptatio ſit, minime contemnenda.* Ceteroquin, *Dilna* Germanis *Diln*, & rarius *Gylnicz*, vrbs noſtra, in publicis tabulis, dici conſueuit. quæ nobis nomina, tam ſunt obſcuræ originis, quam ſi *folia ſybillæ* eſſent: ergo, de his viderint alii.

§. II.

Situs vrbis:

Situs vrbiculæ inamœnus eſt & importunus. Nimirum, mons ſalebroſus, ac fere totus glaber, inter *Schemnicium*, & *Béla-Bányam*, ad eum modum intermittitur, vt occidentale quidem eius latus *Schemnicium*, orientale contra, & qua id in vallem

ædificia:

deſinit, *Dilna* ſubſederit. Aedes, nullo ordine, huc & illuc ſparſas vidimus, humiles plerasque omnes, ſi forum excipias, quod domos aliquot, ſolidi & ſpectatioris operis, adhuc oſtentat. Tametſi enim, nunquam non tenuis oppidi faciem retulit *Béla-Bánya;* noſtra tamen ætate, adeo decreuit, vt vix vrbis nomen, re alia tueatur, quam priſcis regum priuilegiis, quæ eadem habet omnino, cum reliquis *ciuitatibus montanis*. Neque id aliter euenire potuit; quando, metalla, longa retro ætate, non reſponderunt impenſæ, ager autem, qui vrbi obtigit, & anguſtus eſt, & ob aſperitatem agricolationis, cum difficilis, tum minus fructuoſæ. Neque tamen, ſeu ſiluis caret, ſeu iure compaſcuo. Ciuium indoles multum refert ſimplicitatis illius, quæ eſt in vitio poſita, quod dicacitati occaſionem dedit, apud hos, qui in more habent, non videre (*d.*)

harum exilitas, & eius cauſſa:

ciuium indoles, dicteriis obnoxia.

mantica, quod a tergo eſt.

Nam referri id omnino, in vicinorum conſuetudine oportet, quod non

Reſpicere ignoto diſcant pendentia tergo. (*e.*)

Ergo circumferuntur, factæ ad riſum, de *Dilnenſibus*, narratiunculæ. quas faceti illi homines, ne peregrinis quidem dubitant ingerere, vt propagentur latius.

§. III.

Eius rei, ex Tollio, *exempla ridicula.*

Tollivs certe, haud obferti ſplenis itinerator, has iſtiusmodi hiſtoriolas, inter ſua auocamenta, cum voluptate quadam retulit. (*f.*) quas, quia ille non dubitauit recitare, neque nos ta-

c.) Auctor eſt Topographiæ Magni Regni Hung. p. 151.

d.) Catvllvs XXII. 21.

e.) Horativs, Sermon. II, 299.

f.) Loco, toties citato, p. 164.

Digitized by Google

tacebimus, ne iucunditate lepidiſſimarum fabellarum, lectores fraudare voluiſſe videamur. *Interpone Tuis*, vt inquit ille morum magiſter, *interdum gaudia curis. Accipe igitur*, Perilluſtris Domine! verba ſunt TOLLII, *quæ mihi in diuerſorio, a duobus Sileſiis mercatoribus, ſocero & genero, inter alias fabulas, vt fit, dum cœnamus vna, narrata ſunt: verum, quæ mihi ad riſum ficta, adeoque incredibilia occurrebant, veris tamen eſſe veriora, poſtridie ab aliquammultis aliis, adfirmatum eſt; vt crederem, loci poſt paullo, vbi ea accidere, intuitus perſuaſit.* Dilhelmum (*g.*) *eſt oppidulum, medium circiter milliare,* Schemnicio *diſtans, & aurifodina, tenuioris licet mercatus, nobile, cuius permulti incolæ ſtrumis deformantur. In proximo colle, qui huic oppido adiacet, patibulum eſt: de quo infelici ligno, cum quidam ſuſpendendus eſſet, cui tam grandis ſtruma collum obſidebat, vt ipſius capitis magnitudinem, aut ſuperaret, aut æquaret: accidit, vt cum is a carnifice, laqueo, ſicuti putabat, recte adaptato, de ſcalis deiiceretur, laqueus, per cedentem ſtrumam vltra caput, decidentis corporis pondere, promoueretur, atque ita miſerum ſupplicii candidatum, absque noxa, humi dimitteret. Perturbatus, hoc inopino caſu, carnifex, & ad iudicem ſcabinosque ſuſpiciens:* Hoc mihi, *inquit*, Domini ſpectatiſſimi, hactenus, per vitæ meæ ætatem nunquam accidit! *Hic ſtrumoſius meus, mirificiſſima animi ſimplicitate:* Nec mihi! *ſubiicit, fuitque ea vox homini ſalutaris; ſuæ enim ſimplicitati donatus eſt.* Atque iſtud quidem, *ſtrumæ* factum eſt vitio, quod benignius fatum, in beneficium vertit, & eſſet homini tempus ad reſipiſcendum idoneum. Quod porro adtexit TOLLIVS, eo pertinet, vt cognoſcat lector, non vulgo modo; ſed primoribus etiam, & qui ciuitatulæ cum auctoritate moderantur, eandem illam ſimplicitatem, naturam informauiſſe. *Idem ille collis, vsque ad patibulum, cultiſſimus eſt, & vidi ipſe in eo latiſſimas ſegetes. Accidit igitur, vt quis plurium furtorum conuictus, ac confeſſus, reus, ad idem laquei ſupplicium damnaretur. At Iudex loci, qui tunc etiam, cum mihi hæc narrarentur, in viuis erat, cum videret ſegetem omnem, quæ tum forte, itidem haud procul a maturitate aberat, a concurrentibus vndique ſpectatoribus, conculcatum iri, damno tam grandi permotus; eſt enim collis ille, Iudici eius loci peculiaris; re rectius perpenſa, ſatius exiſtimauit, & hominis vitæ, & ſuæ ſegeti, quam ſpectatorum crudeliſſimæ voluptati, conſulere; præſertim, quia nulla vnquam de morte hominis, cunctatio longa eſt. Pro capitis ergo ſupplicio, virgarum titillatione contentus, miſellum dimiſit, Deam deinde ſegetiam, ſine vllo dubio, inter numina ſua tutelaria relaturum, quam adeo fauentem fuerat expertus.* Iſta, de ingenio *Béla-Banyenſium*, peregrinus ille. quæ, quidem in procliui eſſet locupletare, niſi potius duceremus, excuſare noſtros, quam, aut naturam redarguere, aut educationis vitia.

§. IV.

g.) DILNA eſt, ex qua *Dilhmum* fecit noſter.

§. IV.

Habitus vrbis immunitus eſt:

AD vrbem ipſam redeamus, aperta ea eſt atque inermis. Qua ab aquilone, per vallem *Kozelnicenſem* aditur, collinam portulam, ſed nullis inſtructam valuis, quod ſecura fuerunt tempora, cum hac iter faciebamus, obſeruauimus. Verſus *Schemnicium*, nihil ei munitionis eſt, præter aſperos poſitus, qui, vbi pone vrbem iniere, adtolluntur ſenſim, per varios articulos, dum montis cacumen adæquent. Aedes tamen ſacra, quod muro circumdata eſt, firmo, & areolis inſtructo, caſtelli modum refert: quippe quod, & poſitu eſt editiore, & cum ex ſe ampla, tum præmunitata etiam, robuſta neque humili turri. Cum florerent metalla, ſuas *Béla-Banyenſes*, aurarias excoluere, fructu ex metallorum more, opimiore nunc, iterumque tenuiore. Itaque, & puteos deprimebant, & agebant cuniculos. Quid? quod, ne reges quidem dubitarint olim, peculiares iſthic ſecturas, ſua ipſorum impenſa, eximio fructu, inſtituere. quos ſequuti, circumſitarum ciuitatum vrburarii, vltra, quam poſſis reri, fodinas huiates, illuſtrauerunt. Tunc vero ciuium fere omnium, præter ſedentarios illos, qui opificiis diſtinentur, occupatio, metallis eruendis, dabatur. In præcipuis *Béla-Banyenſium* operibus, *Decumanus* ille *cuniculus*, quem Germanice, *Dilner Erbſtollen*, vocant, referendus eſt. Cœpit is, anno MDXXIV. ſub LVDOVICO II. forte ALEXII TVRZONIS, qui tunc *Montanarum* vrbium reditus, cum *Fuggeris*, ex pacto, recipiebat, verſus *Schemnicium*, ingenti contentione agi. Eo deſtinatio pertinuit, vt *Schemnicienſium* princeps ille ductus, ſeu venæ, Germanis *Haupt-Gang*, ſubiri hinc, poſſent, efficique operæ, multo, quam hucusque fuerant, expeditiores fructuoſioresque. Atque, ſuccęſſura omnino credebatur molitio: quippe quæ, ad *Schemnicienſem* illam fodinam, cui a *ſeptem feminis*, nomen inditum eſt, iam penetrauerat; niſi puteorum, quos frequentes ſumtuoſosque, deprimere neceſſum fuit, nimietas, impenſas vltra omnem, neque exſuperandum facile modum, adauxiſſet. Qua re, factum eſt, vt cum ad MCCCLI. orgyias metallicas proceſſiſſet cuniculus; & paſſim XC. vnciarum aurarium æs, ſubinde erutum fuerit, a cultu ceſſari; ſaltem, lenteſcentibus operis, procurari debuerit: dum ingruente temporum iniquitate, prorſus deſereretur. Quod, vt factum eſt, res ſimul metallica *Dilnenſium*, vltra modum decreuit, ac propemodum, ei tantum fini curantur hodie, vt ne ciues, prærogatiuam *vrbis montanæ*, ſua culpa, penitus prodigerent. Ante quinque hæc luſtra, magno adparatu; ſed ſpe diuitum redituum, multo maiore, *decumanum* iſtum *cuniculum*, qui, multis retro annis, incultu ſqualuit, metallicum quoddam ſodalitium; cuius & ipſi nos pars fuimus; ſolemni ritu, adaperuit. Ac feruebant omnino, eo pertinaciore contentione operæ, quo in maiorem confidentiam venere, argentarii ſodales, fore, vt repurgatis, ſinuoſi cuniculi, ductibus, ad

aurariæ Belenſium:

princeps in his cuniculus: quando, & cur cauari cœptus:

deſeritur:

inſtauratur denuo:

ad focum aurariarum *Schemnicienſium* tandem pertingatur. Neque res ea, ſolis metallicorum promiſſis; vti ſunt in proliciendis ſumtibus, auariſſimi artifices; ſed experimento conſtabat: quando, per cuniculi latera, diuites hic & illic venæ, tametſi temporariæ, refodiebantur. Iam, vltra medium fere cuniculi, inſtauratio, nullo alio fructu, proceſſerat, quam quod fluctuare animo inciperent ſocii, etiamne tanta molimina, porro, eo, quo cœpta fuerunt, animo ac feruore, continuari oporteret. In hoc biuio *Herculis*, an *Pluti?* eramus; cum in *plumbaginem* incidunt metallarii, *æs* item *cyprium*, & venas *margaſitis* grauidatas. Tunc vero, opinionum primo, mox & ſententiarum diuortia, inter ſocios oriri; cum hi quidem, prorogandum (*b.*) opus, vrgendum illi, eo conſtantius exiſtimabant, quo magis veteribus ſchedis, in ſpem opimorum redituum vocabantur. Res tandem diutius agitata, eo terminabatur euentu, vt prorogaretur omnino ſumtuoſiſſima illa molitio; dum, aut certius indagari poſſent venarum ductus; aut ea ingruerent tempora, quibus, & largior impenſa ſufficeret ſociis, & animus coadunatior. Si fatendum ſit, quod res eſt, longe, cœptum illud, priuatorum opes exſuperabat; regii huc ſumtus depoſcebantur. Iam ſuſpenſis operis, ſqualet iterum ſectura operoſiſſima, idque vnice curatur, ne cuniculus prorſus corruat. Metallicæ *Dilnenſium* plebi, ne id quoque taceamus, cum præter tenues molitiunculas, vix ſuppetat, quod domi occipiat, *Schemnicienſibus* ea ſecturis, locat operas. Ciuium reliqui, aut rus, aſperum illud & ruſticationis duræ, colunt, aut artibus ſellulariis, loco tam importuno, vitam quomodocunque tolerant, an trudunt. Vrbis inſignia, (*i.*) *fodinarum conſuetas teſſeras, metallaque ſcrutantium arma, referunt. Thoracem* nempe *pelliceum nigrum, geminosque ſuper eo malleos aureos, in crucem obliqueque poſitos, cum globis itidem aureis, ſibi, quatuor ex angulis reſpondentibus; geminos item, ad latus duplex ligones, in campo cæruleo oſtentat.* quæ quidem ſimulacra, explicatione non indigent; indigent vero ciues, meliore fortuna: quam eis, liberali animo comprecamur.

conatus, ad irritum recidentes

plebis Bélenſium metallicæ, & ciuium occupatio;

inſignia vrbica.

SECTIO II.

De Arcibus Proceſſus Schemnicienſis.

PROOEMIVM.

CEminam, apud *Schemnicium*, arcem, ſupra deſignauimus. *Vetus* altera fuit, vrbi inædificata; *noua* altera, quæ editum collem, ſed

b.) *Germani*, vocabulo metallico, *Friſten* vocant, quando ſuſpenſis aliquandiu operis, fodinarum cultura, conſciis præfectis, in aliud tempus prorogatur, atque annua demum, apud magiſtratus, teſtificatione, ius idem inſtauratur. Adapertum denuo cuniculum ferunt. *Feliciter!*

i.) Verba ſunt, citatæ ſupra Cerographiæ,

ſed ſine munimentis, inſedit. quas iam non eſt opus recognoſcere. Arx Szitna, poſt *Schemnicienſes* illas, hac ora, vnica ſuperat, eo diligentius a nobis commemoranda, quo certius ei funus, ruinæ, atque incultus, minantur.

SYNOPSIS.

Arcis Szitna *poſitio : vocabuli ſignificatus & origo.* §. I.

Molis vetuſtas : opportunitas regionis defenſandæ : montis, cui arx inſedit, ingenium. §. II.

Subſtructionum ratio : arx, numquam in limitaneis cenſa fuit : fit rapinarum Melchioris Balaſſæ, *perfugium : eius rei, ex* Iſtvánffio, *narratio.* §. III.

Ferdinandi I. *concepta, aduerſus* Balaſſam, *indignatio, ſit arci exitioſa : belli,* Salmenſi *duce, in refractarium* Balaſſam, *adparatus.* §. IV.

Expeditionis ratio : Szitna, *obſidioni deſtinatur : & ex fortuita pugnæ prouentu, capitur.* §. V.

Balaſſa, *metu perculſus, relicta* Léva, *in Tranſiluaniam fugit :* Szitna, *ex comitiorum decreto, diruitur : ſtatuum, ob eam ſeueritatem, gratia* Ferdinando *dicta.* §. VI.

Szitnæ *fata, quæ hinc ſequuta ſunt, reliqua : fuit in poteſtate* Johannis Kruſith, *& vxoris ſuæ,* Catharinæ Pálffy : Adami Nagy, *ſubſeſſoris* Tökőliani, *edita hic ſæuities : eſt hodie* Szitna, *in* Kohóriorum *ditione.* §. VII.

§. I.

Arx Szitna.

Arcis Szitna *poſitio :*

Monti inædificata eſt, celſo illi, & hic quidem frequenti, ac fere graminoſa caluitie glabro; alibi, ſiluis & petris aſpero : quem luculenter, ſuo loco, deſcripſimus. Molis origines, iuxta & denominatio, tenebris ſunt obſita. Si ad vocabuli ſignificatum adtendas, *Slauicum* id eſt; ſiue a *Maharenſibus* profectum; ſiue inditum poſtea, cum *Slauicæ* ciuitatis gentes aliæ, iſthic incolebant. Eſt autem *Szitno*, dialecto illa, *inferorum* nomen, quod *Slaui* hodieque vſurpant, ſi quem ad *Tartara* (*a.*) deuoueant. Certe, *Szitno*, & *Peklo*, ita, non raro, in imprecationibus conuertunt, vt ſolemus voces *ſynonymas*, in ſermone alio: cum tamen, *Peklo*, orci ipſius, apud *Slauos* ſit nomen. Funeſtæ adpellationis rationem, ſcrupuloſius aliquando, ex viro, rerum iſtiusmodi conſultiſſimo, ſciſcitantibus, reſponſum eſt; a conditore, infauſtum vocabulum, moli hæſiſſe, cui *Sitan*, ſiue *Satan*, Hungaris *Szitna*,

vocabuli ſignificatus, & origo.

a.) Tales ſunt imprecandi formulæ : *Choy do ſzitna* : abi ad tartara. Item, *Do ſzitna ſtebou* : apage ad inferos!

Szitna, hoc eſt *Satane* fuerit agnomen, qui, quod nemini non (*b.*) aduerſabatur, ab his, quos iniuriis adfecerat, *Satan*, ac forte eius temporis dialecto *Sitan*; hoc vero eius perfugium, *Sitno*, ſeu *Szitna*, quaſi *Satanowo*, quod diaboli eſſet, adpellatus ſit. Pulchre hæc, ſed profecto ex ingenio ita dicuntur. Equidem, certiora non habeo, niſi iſtud ſit, quod, haud pridem nonnemo ſuggeſſit; a fœdo carcere, qui olim arci fuit inædificatus, denominationem profluxiſſe: quippe quem, ob ſqualorem, & immane profundum, *Szitno*, hoc eſt, *orcum* vocitarint hi, quos inde fatum benignius eliberauit, eo quod plerique huc immiſſi, (*c.*)

Victima nil miſerantis orci.

fiebant, ex carceris moleſtiis. Et ita eſt omnino; fuit hoc in more poſitum, barbaricis temporibus; vt ad decus id, quin & ad reformidationem arcium ſuarum, in primis pertinere exiſtimarent, earum conditores, ſi carceribus, quam formidoloſiſſimis, inſtruerentur. Quia enim, pleraque montani poſitus caſtra, eo fine educebantur, vt perfugio eſſent, adflictis nunc, iterumque latrocinantibus; congruum, cum fortuna ſua putabant inſeſſores illi, vt præſto eſſent, nulla non ſuppliciorum genera, in hos exercenda, qui ſibi, aut contraire fuiſſent auſi, aut nocere. Satis de his.

§. II.

Molis vetuſtas:

MOles ipſa, non vnum vetuſtatis præfert indicium. Præterquam enim, quod muros habet, vetere factos artificio; multa, per anfractuoſos ſubſtructionum ſeceſſus, monumenta oſtentat, ad priſcam illam ætatem, referenda. In his cenſetur lapis, apſidi ianuæ, *magnæ*, quam vocant, *culinæ*, inſtructus, & vulpis ſimulacro inſignitus; alter item, pro cellarii aditu reiectus, & auium inſculptus imaginibus. Atque, ſunt omnino, qui haud ſine ratione exiſtimant, ſtetiſſe arcem, ante *Hungarorum* aduentum. quam quidem opinationem, vt refellere non habeo; ita neque adprobauero temere: cum ea ſit montis, ad ſuſtentandas, cum totius prouinciæ commodo, munitiones, opportunitas, quam vix per plures *Comitatus* poſſis deſignare. Mons nimirum, ſua natura altus ac præruptus, longe lateque deſpicit. quod, quam ſit e re præſidiariorum, ad defenſandam regionem adtentorum, non eſt opus commemorare. Equidem, in ea ſum ſententia, ſitus hanc celſitatem; inuitaſſe conditores, vti arcem hic conſtituerent, non modo tutam futuram a graſſatorum agminibus; ſed id ſimul daturam vtilitatis, vti diſſita circumquaque regio, ingruentis periculi, ſigno edito, mature poſſit admoneri. quod vnum ſaluti fuiſſe, arcium iſtiusmodi accolis, non vno experimento, noſtri olim ciues, addidicere. Accedebat reliqua

opportunitas regionis defendendæ;

montis, cui

b.) Vox origine Hebraica, שָׂטָן, *aduerſatus fuit*, radicem habet. Certe, & *Slaui*, & *Hungari*, mutuato ab *Hebræis* vocabulo, Diabolum, *Schatan*, & *Sátány*, dicunt hodieque. quod, an in mentem venerit, eius ætatis, qua arx condebatur, hominibus, haud crediderim.

c.) HORATIVS Carm. Lib. II. Od. III, 24.

arx inſedit, ingenium.

montis commoditas: quippe qui, & qua maxime ſublimis eſt, fonticulis ſcatet aquæ ſaluberrimæ. Ob ipſam arcis portam, perennis fons, vbere adeo vena ſalit, vt non præſidiariorum modo potui; ſed iumentis etiam adaquandis, egregie ſufficere poſſe credatur, ſi toleranda eſſet obſidio. Fontium alter, altius, & vltra arcem, ſcatet, turricula ſuperſtructus. cuius aquas ſupra laudauimus. Montis porro latera & cacumina, eximia, probatiſſimi graminis copia, luxuriant: quæ, non modo fœniſecia præbent vberrima; ſed pabulationibus etiam domeſtici pecoris ſunt idonea. Id vero, quantæ iterum ſit opportunitatis, greges & armenta, ſub ipſo arcis obtutu, ſecure, & ad ſaginam vſque, paſcere poſſe? atque promere ad macellum, quoties id tulerit neceſſitas, illi exiſtimabant, qui arcium iſtiusmodi rebus dubiis, aut præfecti erant, aut præſidiarii. Neque ligni cædui modus deficit; quando hic atque illic, ſiluoſi, per montis decliuia, ſunt poſitus. Hæc ad ſitus naturam adtinuere.

§. III.

Subſtructionum ratio:

SVbſtructiones arcis, iam videamus. Quadrati eæ ſolidique ſunt operis, & cum conclauibus, ritu vetere factis, tum fornitibus inſtructæ, quibus commeatus partim, partim miles præſidiarius acciperetur. Munitiones, præter regulam, ita ſunt excitatæ, vt tutari quidem poſſint prætorium, aduerſus tumultuarias obſidiones; non item, ſi ex hodierno militaris ſcientiæ præſcripto, operibus claudi contingeret. Id, importunitatis habet plurimum, quod moli, mons alter multo celſior, immineat; vnde, tamquam de ſpecula, proſpici poſſit in arcem; ac forte etiam tormentis res agi. Mirari poſſis, quod opportuni adeo ſitus caſtrum, nunquam in limitaneis propugnaculis, quæ publico ſumtu communiri, perpetuæ legis fuit, recenſeatur. Equidem, in eam venio coniecturam, iacuiſſe tunc in ruderibus, vetuſtam illam molem, bellis forte ſuperioribus, aut deſertam, aut profecto euerſam. Auget ſuſpicionem, quod minoris momenti vicinæque munitiones, quoties id belli poſcebat neceſſitas, cum cura ſemper fuerint inſtauratæ; *Szitnæ* autem, ne mentio quidem vnquam habita: dum *Melchior Balaſſa*, vir acer, & ex temporum ingenio, prædandi cupidus, iſthic perfugium conſtitueret rapinarum. quæ res, quia bello domeſtico, alta cum *Turcis* pace, occaſionem dedit, repetenda eſt altius. In morem, ex belli *Turcici* conſuetudine, abierat, vti potentiores quique, non vicinos tantum, male haberent; ſed longe etiam lateque graſſarentur, agerent prædas, neque, ſeu ſacra, ſeu profana, intemerata relinquerent. quod bellicoſiſſimi quique, tunc in primis actitabant, cum ex pacis legibus, non licebat in hoſtico latrocinari. Hanc temporum, an ſuam ipſius indolem, ſequutus *Melchior Balaſſa*, mirum, quantum ediderit facinorum. quæ iam non recognoſcimus. Iſtud, quod ad *Szitnæ* hiſtoriam pertinet, quodque in litteras retulit ISTVÁNFFYVS, (*d.*) ſine famæ diſpendio, ne-

arx nunquam in limitaneis ſenſa fuit:

fit rapinarum Melchioris Balaſſæ, *perfugium:*

eius rei, ex Iſtvánffio, *narratio.*

d.) Lib. XVI. p. 283, 5.

qui-

quimus ſilere. *Cis Danubiana nobilitas ac ciuitates, quas montanas vocant, in quibus aurum & argentum effoditur*, Melchiorem Balaſſam, *ſimilium* (Matthiæ Baſonis,) *latrociniorum & rapinarum criminibus, haud falſo inſimulatum, accuſabant.* publicis nimirum comitiis, quæ FERDINANDVS I. ad diem *S. Catharinæ* feſtum, *Tyrnauiam*, anno (*e.*) MDXLVII. coegerat. *Léva* tunc in poteſtate *Balaſſii* fuerat, ſicut in arcis eius hiſtoria, prolixe meminimus. Hinc prolata ditione, *Csábrágum* primo, poſtea & montem *Szitna* occupat, ac communit. Ita hiſtoricus: SZITNYAM *montem, exſtructo in eius editiſſima parte caſtello, ſimili aſtu occupauit, & ex eo, ciuitates montanas, veluti continua obſidione fatigatas, ad rerum omnium deſperationem coegit.* reliqua. Crederes, *Balaſſam* arcis conditorem fuiſſe: quod & ita adparet, ISTVÁNFFIVM legentibus. Verum, inſtaurauiſſe tantum, idque feſtinato opere, priſcum rudus, exiſtimandus eſt; eo quod ait hiſtoricus: ſimili, ſicuti *Csábrágum*, aſtu, montem *Szitnyam*, occupauiſſe. Enimuero, nihil opus fuiſſet aſtu, ad montem occupandum, ſi munitionibus fuiſſet nudus; ſola militis procurſione, ſtatio illic capi poterat. Ergo, ita reor; fuiſſe præſidii aliquid, intra veteres arcis parietinas, cuius excubiis, vicini *Schemnicienſes*, & horum operæ, *Balaſſianarum* impreſſionum, mature admonerentur: atque hoc quidem qualicunque præſidio, aſtu hinc deturbato, rudera illa inſedit, & ex prædatorum manubiis, ad modum firmæ arcis, inſtaurauit.

§. IV.

HAc arcium acceſſione, *Ballaſſius*, & animo increuit, & graſſandi licentia. quæ res, non minus arci exitioſa accidit, quam inſeſſoribus. Namque, ea *rerum indignitate permotus* FERDINANDVS, vt verbis vtamur *Iſtvánffii* (*f.*) *ſeruandæ, inter ſuos quietis & tranquillitatis ſtudio*, Baſonem, & Balaſſium, *frequenter admonuit, vt ad meliora conſilia animum adplicarent; ſin vero nollent, ſe in eos, non legibus, quas enormibus factis ſpreuiſſent & conculcaſſent; ſed vi atque armis animaduerſurum. Verum, tantum abfuit, vt flagitiis modum ponerent, vt is, ſecretis conſiliis, ad Turcarum opem implorandam, miſſo, ad Nógrádi præfectum Mehmetbegum, Iohanne Rednecco, confugeret. Itaque*, FERDINANDVS, *iuſta ira exacerbatus, eos, vt qui contra leges, moresque maiorum, omnia temere, turbulenter, per vim, per furorem, feciſſent, publicis omnium ſuffragiis, proſcribendos curauit, &* Nicolao Comiti Salmenſi, *copiarum ſuarum duci, in mandatis dedit, vt coacto exercitu, & ſupplicio, de proſcriptis rebellibus ſumto, videret, ne quid reſpublica detrimenti caperet.* Egregia hac principis prouidentia, atque adſiduitate *Salmenſis*, breui, inſignis exercitus coactus eſt, ex iis potiſſimum prouincialibus, quos *Ballaſſii*

Ferdinandi I. *conceptæ, aduerſum* Balaſſam, *indignatio, & arci exitioſa.*

belli, Salmenſi *duce, in refractarium* Balaſſam, *adparatus.*

e.) Erronee SZENTIVANY, eadem iſta comitia, in annum ſequentem reponit. Ceterum, lex, quæ ex querelis illis ſancita fuit, Art. XII. expreſſa legitur. quam excuſſiſſe iuuat.

f.) Libro XVI. p. 284, 1.

hinc, *Baſonis* illinc facinora, in vindictam armauerant. In his, *Gömörienſes* potiſſimum & *Neogradienſes* cenſebantur. quibus *Franciſci Bebeci* equites; tunc & *Vincentii Gregoroczii*, *Lupi Péteſii*, *Gregorii Abſtemii*, cognomine *Litterati*, & *Matthiæ Martalini*, ſingulæ peditum centuriæ, accedebant. Et hæ quidem *Hungaricæ* fuerunt copiæ, quibus *Vrielem Majtény*, virum fortem, & militari ſcientia clarum, cum imperio, *Salmenſis*, præfecit; *Hiſpanicas* autem, ac *Germanicas*, cohortes, *Vlrico Eberſtorffio* regundas permiſit: cura commeatuum, *Auguſtino Sbardellato*, Epiſcopo *Váczienſi*, iam ante commendata. Cum autem metuendum erat, ne hos belli adparatus, male acciperet *Mehmetes Iahioglis*, Budæ a Solymanno præfectus, *Iohannes Deſsöffy*, legatus ad eum, nomine FERDINANDI, miſſus eſt, vti edoceret hominem; copias *Chriſtianorum*, nihil occepturas, quod induciis contrairet; in perduelles, hoc, quidquid eſt, exercitus, ductum iri: caueret proinde, ne maleferiatis hominibus, aut opem ferret, aut fugitiuis, iura hoſpitii impertiretur. Atque ille quidem, neutri parti fauturum ſe, data fide pollicitus, toto hoc ſubitaneo bello, requietum ſe geſſit.

§. V.

Expeditionis ratio:

EXpeditis, in hunc modum, omnibus, atque re tormentaria, & reliquo belli inſtrumento, ducis iuſſu, gnauiter conquiſitis, in expeditionem itum eſt. Tres arces, easque vicinas, præſidio munitas, *Ballaſſa* inſidebat, *Lévam*, *Szitnam*, & *Csábrágum*; operoſæ futuras obſidionis, ſi, & cauſſa belli iuſtior fuiſſet refractariis, & in defenſandis maleficiis, impauidus animus. *Szitnam*, primo omnium, obſideri placuit, vt deiectis inde *Balaſſianis*: hinc *Levenſes*, *Csábrágienſes* illinc, in terrorem coniicerentur, fierentque in deditionem procliuiores. Rem, ſicuti geſta eſt, memorabimus. *Salmenſis*, inquit ISTVÁNFFYVS, *caſtra lento itinere promouet, ac* Eberſtorffium, *cum* Germanis peditibus, *adiuncto ei*, Bartholomæo Horvatinoviczio, *præmittit, & vt* Sitnyam, *admotis tormentis obſideant, iubet. Qui, cum eo veniſſent, ita copias partiri placuit, vt* Eberſtorffus, *cum* Germanis, *ad adtrahenda in excelſum montis cacumen, tormenta, relinqueretur; ipſe* Horvatinovitzius, *cum* Hungaris, *& ſuo peculiari equitatu, in montem conſcenderet, ac, vbinam collocanda tormenta, & quanam parte mœnia verberanda eſſent, propius diſpiceret. quo conſilio adprobato ab omnibus*, Bartholomæus, *in conſpectum arcis conſcendit. Præerat ei* Lucas Macrius, *cum iuſta manu militum, quorum maior pars, ex Hajdonibus, prædæ adſuetis, conſtabat. Inter eos*, Vrbanus Bacus *cognomine, centurio, noſtros conſpicatus, contineri nequiuit, quin ad dimicandum, cum ſua centuria, egrederetur. Pugna atrox oritur; ſed noſtris, tam numero, quam virtute, ſuperioribus*, Szitniani *funduntur, multi occumbunt*, Vrbanus *vulneratur, & capitur, ac vna cum eo milites LVI. & ſigna duo, cum ſigniferis, in noſtrorum poteſtatem veniunt.*

Szitna, obſidioni deſtinatur:

Vix

Vix tertia pars, e prælio, in arcem præcipiti fuga fertur. Nec mora, qui in præſidio erant, ſociorum clade perculſi, vel renitente Macrio, *de deditione proloqui cœpere. cum quibus haud cunctanter transactum eſt, & qui ſupererant, dedita arce, incolumes dimittuntur, ea lege, ne ſub pœna capitis, contra* FERDINANDVM, *arma ferre auſint. Hunc in modum* Bartholomæus, *arce potitus*, Eberſtorffio, *eam eſſe in poteſtate, nunciat, & ne in prouehendis tormentis, ſe ac milites, inani labore fatiget, admonet: ſimul* Salmenſem, *de his, quæ egerat, certiorem reddit.* Ita, nec tentata obſidione, *Szitna* intercepta tunc fuit, vt moneret perduellionis ſocios, peſſime deſtinationes omnes cadere, quas iniquitas ac furor, aduerſus iuſtum principem, & publicam ſecuritatem, impie ſuggeſſerunt.

& ex fortuita pugna prouentu, capitur.

§. VI.

EO, ſubita hæc arcis deditio valuit, vt *Balaſſa* ipſe, qui ſe defenſandæ *Lévæ*, feroci animo adparabat, metu perculſus, in *Tranſiluaniam* euaderet. Ita porro hiſtoricus: *Aduentu* Salmenſis, *per exploratores cognito*, Balaſſius, *qui hactenus ſpe ſumma defendenda* Lévæ, *hoſtium aduentum exſpectauerat, cum* Szitnam, *tam alto montis cacumini impoſitam, militeque, & rebus neceſſariis, tantopere munitam, hoſtibus, tam repente ceſſiſſe miraretur, fractum animum deſpondit, & relictis in præſidio ſuis, in* Tranſiluaniam *profugit: quo antea coniugem & liberos præmiſerat.* Etiamne præſidio *Szitnam* muniendam curarit *Salmenſis*, & quis repertæ in arce, prædæ modus fuerit? non meminit ISTVÁNFFIVS. Vulgo perhibent, iſthuc, male partos theſauros, *Balaſſium* congeſſiſſe. quod mihi non videtur credibile, ob vafrum & perſpicax viri ingenium: quippe cui, euentus belli dubii, ſuo ipſius documento, pridem erant cogniti. Procliuius eſt opinari, cum vxore & liberis, neruum ſimul rerum gerendarum, in *Tranſiluaniam*, tempeſtiue dimiſiſſe. Interim, hæſit accolis, patrum illa narratio: ineſſe arci, magnam theſaurorum vim, pridem reconditam, cui gryphes adtendant, ne poſſint ex ſuis adytis refodi. Addunt comentum, an hiſtoriam, in iis ipſis tabulis, quas *donationales* vocant noſtri, ſanctionem interſertam eſſe; ſi retegi dictos theſauros contingat, totos eos, ærario regio, repræſentari oportere. Alioquin, poſt arcem, eum in modum, anno MDCLVIII. exeunte *Aprili*, interceptam, ex comitiorum lege (*g.*) quæ *Piſonii*, adulto iam auctumno, FERDINANDVS I. concelebrauerat, id ſtatuerunt ordines, vti *Szitna*, cum pluribus caſtellis aliis, diueretur. Sententia comitii hæc eſt: *Quod caſtella: Szabadſalva, Gách, Ordó, Gyulaközy, Taſnád-Lónya, Némethi, Helmetz, Zethény,* SZITHNYA, *Káuás, & alia, tam in Sclauonia, quam in Hungaria, nouiter, & ſine permiſſione regiæ Maieſtatis erecta, per Comitatus illos, qui ex locis illis mala patiuntur, vbique diruantur, iuxta priores conſtitutiones.* cetera. Etiamne vero, hoc

Balaſſa, *metu perculſus, relicta* Léva, *in Tranſiluaniam fugit:*

Szitna, *ex comitiorum decreto, diruitur:*

g.) Articulo XLVI.

hoc eodem anno, SZITNAM demoliti ſint prouinciales, non habeo adfirmare. Id, vt credas, *Melchioris*, ad *Tranſiluanum* perfugium, videtur ſuadere; ſiue demum regis vindictam ſpectes, ſiue circumſitæ regionis vltionem, quam tot malis inundauerat *Balaſſius*. Certe, ſequentis anni MDL. comitio, *Piſonii* iterum habito, conceptiſſimis verbis, ſtatus & ordines, gratias, optimo ſuo regi, FERDINANDO I. dixere *(b.)* quod ſeueritatem in latrocinantes, ex priorum comitiorum decreto, armis exercuerit. Non poſſumus non, gratiarum eam actionem adſcribere, vt conſtet, quantopere abominati fuerint, latrocinandi eam prauitatem, *Hungari*, quibus, cum vniuerſim patriæ caritas penitus hæſerat, tum præcipue, intemerata perſtitit, regiæ dignitatis ſacro ſancta exiſtimatio. *Ceterum, quod Maieſtas ſua, copioſe recenſuit, ea, quæ proxima æſtate, iuſſu ſuo, a ſuis præfectis & copiis, puniendis inobedientibus, ac publicæ quietis turbatoribus, ad communem omnium vtilitatem, feliciter geſta ſunt; ſeque inpoſterum offert, diligenter curaturam, ne quis ſubditus ſeſe impune audeat efferre, contra fideles, & obedientes: agunt pro eodem, ordines & ſtatus regni, Maieſtati ſuæ gratias immenſas, affirmantque, omnibus paſſim fidelibus ſuæ Maieſtatis, ex proxima expeditione, non mediocrem vtilitatem redundaſſe, plurimumque momenti, ad vnionem pacemque & tranquillitatem reſtituendam poſitum eſſe, in hac ipſa inobedientiæ punitione, quemadmodum antehac, ſæpe ab ipſis ordinibus, Maieſtati ſuæ, eſt id memoratum.* Egregie profecte, dignoque ad poſteritatem, exemplo!

ſtatuum, ob eam ſeueritatem, gratiæ, Ferdinando *dictæ.*

§. VII.

Szitnæ *fata, quæ hinc ſequuta ſunt, reliqua:*

DEpulſo, ad eum, quem fuſe narrauimus, modum, a *Szitnæ* inſeſſu, *Balaſſio*, ad heros, arcis & ditionis poſſeſſio, rediit. At quinam ii fuerint, neſcio dicere. Sunt, qui in fiſci iura recidiſſe aiant. quod ſane in procliui eſt ſtatuere. Hoc conſtat apud accolas, non prorſus deſertam manſiſſe arcem, tunc præcipue, cum impune graſſantes *Turcæ*, longe lateque euaſtabant regionem. Rebus enim trepidis, numquam non perfugio fuiſſe, imbelli multitudini, perpetuæ patrum, ad noſtram vsque ætatem, narrationes memoriæ prodiderunt. Nempe, imminente hoſte, & dum erat tempeſtiuum, huc, ruſticorum non minus, quam nobilium, fugitiua agmina, cum reculis, & pignoribus, confugiebant; armentis, per ſiluarum luſtra, ne præda fierent hoſti auidiſſimo, huc & illuc, propulſis, & cum cura obſeruatis. Quæ vna arcis opportunitas, heros non tantum; ſed accolas ſimul omnes, facile, ad reædificandum rudus, potuit inducere: priſco illo, quem recordati ſumus non raro, *Hungarorum* inſtituto; vt, ſi primorum aliquis, loco ad muniendum idoneo, rege, atque ordinibus conſciis, aut nouam arcem in-

b.) Articulo VII. Exercita vero fuit ſeueritudo ea, cum in profugi *Balaſſii* reliquias; tum in *Iohannem Baſó.* de quo, ad *Marányi* hiſtoriam, in *Comitatu Gömörienſi*, erit dicendi locus.

inſtrueret, aut inſtauraret, vetuſtate, vel belli iniuriis collapſam, certatim ad operas, tamquam ad ſublata ſigna, plebs concurreret, locaretque gratuito operas. quarum demum ea fuit merces, vt, ſi res ingruerent timidæ, iſthuc, tamquam ad tutiſſima perfugia, ſe ſuosque potuerint recipere. Poſt tria, a capta arce luſtra, in *Iohannis Kruſith*, & vxoris ſuæ, poteſtate fuiſſe *Szitnam*, litteræ *Catharinæ Pálffi*, quas ad *Carponenſes* magiſtratus dedit, vti nuptiis familiarium ſuorum, adeſſe velint, condidici. Epiſtolæ fragmentum, quod iſthuc pertinet, tale eſt: *Legitimo*, inquit, *matrimonio*, *nobilem puellam*, Catharinam Somogyi, *&c. deſponſaui in vxorem*, egregio Matthiæ Keretztúri. *Cum autem, per veterem iam inde conſuetudinem, apud Chriſtianos ſit obſeruatum, nuptias honeſtorum, maxime vero amicorum, & neceſſariorum, hominum conuentu celebrari debere; D. D. V. V. rogamus, vt noſtris nuptiis, hic in* ARCE NOSTRA SZITNA, *quinta die menſis Nouembris, Dominica ante Feſtum D. Martini, celebrandis, intereſſe velint, ſimulque cum dominabus coniugibus cariſſimis, earum feſtiuitatem, celebriorem ornatioremque reddere, nobisque, ad ſummum, præſentia veſtra, latitiæ cumulum gratiſſimum addere. Quod ſi fecerint V. D. officio amicitiæ recompenſare ſtudebimus*, reliqua. *Datum ex* ZITHNA, *anno* CHRISTI MDLXIV. d. XXII. Octobris. CATHARINA PÁLFFY, *de Erdeöd*, JOHANNIS KRVSITH conſors. Hæc ſilere noluimus. Seſqui ſeculum poſtea, inter has, cum herorum, tum vaſtitatis viciſſitudines, abiit, donec tumultuantibus *Tökölianis*, cum prædatoriis ſuis turmis, *Adamus* quidam *Nagy*, arcem inſedit, & late perlagatus regionem, non prædas modo, ſed captiuos etiam, *Germanos* potiſſimum, iſthuc egit. Multum, a ſanguinolento homine, tota circum vicinia, immanitatis editum eſt; quod omne tamen, non æquabat crudelitatis eum modum, quem in maleficiorum ſuorum, infelici arce illa, quaſi ludibundus exercebat. Captiuos nimirum, diriſſime habitos antea, vel per prærupta petræ, cui *Szitna* inſedit, præcipites dabat, vel filiis permittebat, vti vibrandarum framearum artem, ſibi pararent. Hi ergo, trepidis partim, partim dubiis ictibus, capite truncabant miſeros, patre, nunc facinus collaudante, nunc proſequente muneribus. Adeo, difficile eſt modum ponere fæuitiei, vbi ſemel imum pectus inſedit. Iſta, de arce, & huius fatis, dicere habuimus. Iam, ægre hucusque ſuſtentata, prona eſt in ruinam, paretque, cum admenſa ditione, genti *Kohóriorum*. Abit *Schemnicio*, medio, in meridianum ſolem, milliari, eſtque longe ac late conſpicua.

fuit in poteſtate Iohannis Kruſith:

Adami Nagy, *ſubſeſſoris* Tököliani, *edita hic fauitiæ:*

eſt hodie Szitna, in Kohóriorum *ditione.*

SECTIO III.

DE

Oppidis Proceſſus Schemnicienſis.

PROOEMIVM.

T pauca, & tenuia ſunt *Proceſſus* huius oppida; recenſenda tamen, ne videamur, non feciſſe ſatis noſtro inſtituto: quod iſthuc omnino pertinet, vt non ea modo, quæ famam habent, in litteras referamus; ſed expromamus etiam minima quæque, & fere infra hiſtoriæ dignitatem poſita. Ergo, tria, quæ occurrunt, oppida, vno faſce complectemur.

SYNOPSIS.

I. Szebeklib, *colonia eſt Germanica, ob* Slauorum *iniurias,* Schemnicio *huc delata: rei geſtæ hiſtoria: nominis* Szebeklib *origo.* §. I.

Oppidi incrementa, & horum cauſæ: fuit olim regum proprium: Benedictinorum *poſtea: nunc* Capituli Strigonienſis: *copioſum & elegans fuiſſe, rudera loquuntur: clades oppido a* Roſgonio, *tum & a* Turcis, *illata.* §. II.

Reliquiæ Saxonicæ coloniæ, ſuperant hodieque: Gellyo *impoſtor, nequiter deluſit* Szebeklibenſes. §. III.

Vaferrimi facinoris occaſio: de dracone, *agrum ſuum euaſtante, ſomniant Szebeklibenſes:* necromantam *arceſſendum ſtatuunt, qui depellat belluam:* Gellyo, *talem ſe impie ſimulat: ad Szebeklibenſes venit: dolum exorditur: vaferrimis artibus vtitur: diem, deducendo* draconi *edicit: actum eum, doloſiſſime inſtruit: oppidanos nequiter deludit.* §. IV.

Agri Szebeklibenſium *indoles: oppidanorum occupatio: nundinarum frequentia: ineſt oppido prætorium prouinciale.* §. V.

II. Némethy: *loci vocabulum, Germanicam olim fuiſſe coloniam, indicat: donatur, haud pridem, oppidi prærogatiua: nundinæ huiates: oppidanorum ruſticatio.*

III. Saágh: *magni olim nominis cœnobium oppidumque: ſacri inſtituti auctores: oppidi & caſtelli clades: inſidebatur*

a mi-

a milite præſidiario: reflore-ſcere haud potuit: eſt iam in poteſtate cœnobii Jeſuitarum Neoſolienſis.

I. OPPIDVM SZEBEKLIB.

COlonia eſt *Germanica*, tunc deducta *Schemnitzio*, quando illic, *Slauis* & *Saxonibus*, nuper, in *Hungariam* excitis, male conueniebat. Nam, fuit omnino, inter vtramque gentem, ſicuti apud *Schemnicium* memorauimus, æmulatio perpetua, quæ demum in lites, & alternantia exſilia, deſinebat. Nunc enim *Slaui Saxonibus*, nunc hi illis, cogebantur cedere; donec confirmati penitus *Saxones*, demigrare coactis *Slauis*, ſedes ſibi per vrbes *montanas*, atque *Schemnicii* potiſſimum, adfirmarent. Sub idem tempus, cum pars *Saxonum*, *Schemnicio* cogeretur decedere, penes *Slauos* ſumma rei fuerat. Hi ergo, ex nupero hoſpitio deiecti, &, quod fit, a *Slauis*, multis onuſti probris, reculas conuaſant obtrectatoribus ſuis, quorum inuidia, ad demigrandi hanc neceſſitatem redigebantur, ſua ipſorum lingua, quam tunc cœperant condiſcere, excelſo animo obiectantes: *Nagdeme mi ſebe klebi.* (*a.*) Iſtud volebant; tametſi iniuriis *Slauorum* depellantur *Schemnicio*; ea tamen ſe confidentia eſſe; fore, vt ne ſibi, annona vnquam, & reliqua vitæ opportunitas, deſit, vbi vbi demum fortunarum ſedes, auſpicato collocarint. Sic animata, demigrationis eius ſocietas, cum vnius fere diei confeciſſet iter, in hanc ſolitudinem, vbi iam *Szebeklib* viſitur, delata, iſthic, ne longius cogeretur vagari, domicilium ſtatuere decreuit. Et ſucceſſit omnino deſtinatio, quando caſulis poſitis, agrum hic frumentarium, vitiferos colles alibi, inſtrui poſſe, ſagaciter prouiderunt. Itaque, ex ſuo illo omine, nouam coloniam hanc, vt ægre facerent *Slauis* Schemnicienſibus, *Sebekleby*, vna omnium conſenſione adpellauerunt; tamquam, qui vbere in penu reſiderint, ſuam, non longe poſt, rempublicam exorſuri. Hæc ita vulgi ſermonibus teruntur. quæ non adſcripſiſſe, crimini nobis fuiſſet datum; tamquam quibus antiquæ illæ res, neque cognitæ eſſent, neque dignæ explicatu.

Szebeklib, colonia eſt Germanica. ob Slauorum iniurias, Schemnicio huc delata:

rei geſta hiſtoria:

nominis Szebeklib, origo.

§. II.

HIs originibus, ſi tamen veræ ſunt, profecta oppidi incrementa, inualuere ſenſim, adeo, vt ciuitatulæ modum, & copia incolarum referret, & cultu reliquo. Neque id euenire poterat aliter, in frequenti illa *Saxonum* ad *Hungaros*, commigratione. Tunc enim, quod vrbes montanæ, inſeſſæ iam, & præterea copioſæ, aduenas non caperent; eſſentque præterea, in hoſpitibus iſtis, quibus vi-

Oppidi incrementa: & horum cauſſa:

a.) Si verba verbis reddas, iſtud fuerit: *Inueniemus nobis panes*, ſeu *victum*. phraſi non plane *Slauica*. Germanice forte dixiſſent: *Wir werden wol noch Brodt für uns finden.*

ta ruſtica magis probaretur, quam metallaria: oppida vicoſque, hic atque illic condebant, ſubigebant agrum frumentarium, ponebantque vitem & arbores, cum ſibi, tum poſteritati profuturas. Quæ quidem deſtinationes eorum, atque operæ, eo feliciores habebant ſucceſſus; quo magis colonorum indiga fuit regio. *Sebeklibum* certe, *Klib*, Germanis dictum, his rebus non incolas modo accepit ſolertes, & agri vtriusque, frumentarii atque vineatici, ſtudioſos; ſed relatum etiam in iis oppidis eſt, quæ regum benignitate, iuribus donata peculiaribus, *priuilegiata* ſolemus adpellare. Ac fuit ſane regibus olim proprium, dum translata in alios poſſeſſione, variorum hæredii adſcriberetur, veniretque demum in familiæ *S. Benedicti*, & poſt adtritas huius fortunas, in *Capituli Strigonienſis*, poteſtatem: in cuius ditione eſt hodieque, ea nimirum, quam cœnobium *S. Benedicti* ſupra *Granum*, admenſam habet. Si rudera, quæ per oppidum paſſim viſuntur, murorum item parietinas, hic & illic, cum porticuum veſtigiis exſtantes, velis exiſtimare; facile fuerit de priſtino *Sebeklibi* cultu, & *Saxonica* elegantia ac munditie, cogitare. Primam oppido vaſtitatem inflixit, *Roſgonius* præſul *Agrienſis*; de cuius impreſſione, ad *Schemnicium* diximus. Seculum interceſſit, dum *Turcæ*, ac *Tartari*, cladem in oppido edidere iterum, numquam poſtea reparandam. *Præterita æſtate*, anni MDLV. ſchedæ inquiunt, *oppidum* Sebeklyb *Turcæ combuſſerunt, ciues abduxerunt & occiderunt.* Iam tunc ergo, *Saxonum* vetus illa colonia, ſi non deleta, certe paſſa eſt plurimum.

fuit olim regum proprium: Benedictinorum *poſtea: iam* Capituli Strigonienſis: *opioſum, & elegans fuiſſe, rudera loquuntur*: *clades oppido a* Roſgonio: *tum & a* Turcis, *illata.*

§. III.

Reliquiæ Saxonicæ *coloniæ, ſuperant hodieque: harum dialectus inficeta*:

NObis, id dignum admiratione viſum eſt; quod ſuperent adhuc in oppido, *Saxonicæ* illius coloniæ homines, *Germanice*, at craſſo inficetoque ore, loquentes. Mihi quidem huiatis dialecti inſueto, difficile fuit, cum ciue *Klibenſi*, ſermonem conferre. Vir erat, ſeptuagenario maior, cum *Sempronia* ſua, ætatis propemodum paris, in thermis *Wihnenſibus*, valetudinis an ſenii gratia, lauans. Ex hoc ego, cum ſociis, tanquam cordato ſene, cogniturum me ſperabam; etiamne conſtaret ſibi, dolus ille malus, quo GELLYO, *(b.)* in-

Gellyo,

b.) Fuit, famoſiſſimus hic GELLYO, patria *Carpouenſis*, natione *Slauus*, a natura, ad dolos texendos factus. quos, facetis partim, partim ſeriis etiam ac meditatis actibus, vaferrime norat conueſtire. Primos adoleſcentiæ annos, domi, *Vetuſolii* demum, atque *Neoſolii*, melioribus litteris, non tam informarat, quam deprauauerat: quippe, ingenio, quomodocunque exculto, in omnem abuſus nequitiam. Nihil enim, niſi quod, ridiculum, vafrum, & nullo non artificio excogitatum, ſeu dixit vnquam, ſeu fecit. His ergo progymnaſmatis, egregie ſcilicet exercitus, in peregrinationem ſe dedit, & diu, per exteras regiones, academias, aulas atque emporia, vagatus, nunc militem, nunc ſtudioſum medicum, cauſſarum patronum, gladiatorem, & agyrtam ſimulans, præclara ſui, ſi diis placet, documenta, ſine exſtanti tamen cuiusquam offenſa, edebat. Tandem, redux in patriam, his iſtiusmodi artibus paraſiticis totum ſe permiſit, dum detrita, inter nugarum myriadas, ætate, morboſus, vtinam vero & melior, fieri cœpiſſet: anno demum MDCCXII. *Neoſolii* a morte occupatus, & ritu ſolemni elatus. Adeo, ne ætate quidem noſtra, MARCOLFVS defuit Hungariæ!

insignis ille morosophus, *Sebeklibenses* circumuenerit. Subrisit senex meus, meque, si de veritate excogitati nequiter facinoris, velim fieri certior, ad oppidanos, vt illic singula cognoscerem adcuratius, modesta cum præfatione, ablegauit: monitione simul addita; vti adtenderem mihi, ne sciscitanti, elabendi ex oppido facultas negaretur. Perrexi interrogare: *quid tunc mihi euenturum opinaretur?* respondit: *eadem illa verbera ac vibices, quos, maleficio suo* GELLYO *meruerat.* Tunc ego: *non itaque amplius fabulam esse oportere; sed veram historiam, quæ in peruagato omnium sermone versaretur, de ingeniosissimo illo scurræ facinore.* Ille, nihil diffiteri ausus, ne adfirmauisse rem crederetur; tametsi adfirmarit omnino; senili cachinno, colloquio finem fecit.

impostor, nequiter delusit Szebekliben. ses.

§. IV.

RES, ne ignarus abeat lector, istiusmodi est. Pluribus retro annis, non vna calamitas, quam grandinosi imbres & tempestates aliæ, effuderant, agrum adflixerat *Sebeklibensium.* Ergo cœpere suspicari, annon ruris hæ clades, in annos singulos subinde, & frequentius, & damnosius redeuntes, *Draconis*, qui in antro quodam montium suorum, pridem delitescere credebatur, iniuriæ sint ac maleficia. Re diutius, senatu frequenti, disputata, in eam, patres conscripti, sententiam inere; nemini, præter maligniſſimam bestiam illam, tot mala imputari debere: ergo, dandam esse operam, vti proliceretur inde, relegareturque ad garamantas. quæ res, cum sine consilio & opera *necromantæ* confici haud possit, elaborandum esse, vti eius farinæ homo, propositis præmiis, vndecunque & procul omni mora, arcesseretur. Forte, *Csábrági* tunc, apud arcis dominum, *Comitem Wolffgangum Kohárium*, strenue parasitabatur, GELLYO, cum senatus illud consultum, conuiuali sermone exagitatum sæpius, illicuit dolosissimum scurram, vti comminiscereturaliquid, quod, & famam mereretur olim, & *Sebeklibenses*, non argento modo emungeret; sed faceret etiam ridiculos. Id, simul intellexere, quibus volupe est, has istiusmodi scenas instruere, non adprobant modo vafrum consilium, sed auctoramentis etiam propositis, accendunt venalis nequitiæ hominem; vti, quod pulchre destinauit, audacter, & sine cunctatione, exsequeretur. Atque, successit omnino dolosum institutum. Vestibus enim, quas *Hungaricas* gerebat, positis, *necromantæ* habitum sumit, totumque se, ex ingenio istorum hominum, apte adeo effingit, vt, qui non norant impostorem, artis eius magistrum iurassent. Erat enim, longo vsu, egregie doctus, in omnes se formas transfundere. Nec mora: aduenit ad *Sebeklibenses*, longum laboriosumque iter, quod oppidanorum caussa emensus sit, memorat; ostensum sibi, in *magica* sua *laterna* DRACONEM, infaustum *Sebeklibensium* hospitem, degerat; nulla lucri spe, sed nuda commiseratione adductum, huc se accessisse, vti nocentis-

Vaferrimi facinoris occasio:

de draconе, *egrum suum suaſiante fœminiant* Szebeklibenses;

necromantam *arcessendum statuunt, qui depellat belluam:*

Gellyo, *talem se impiſſimum lat:*

ad Szebeklibenſes *venit: dolum exordiuntur*

ſima beſtia illa, agrum oppidi exoneraret, auerruncaret ſequuturas certo certius calamitates. Si ergo, ſuæ ipſorum ſalutis, ſi agrorum vinearumque, quin & vniuerſæ circum vicinitatis cura, vti in tantis malis bonos ciues decet, tangerentur; paratum ſe fore, ad belluam illam, incantationibus ſuis, ex antro, ſine cuiusquam noxa, proliciendam, atque iniectis rite frenis, inſtitutoque, per ſummam aeris regionem, volatu, in transmarinam regionem deducendam: vix tantillum eſſe, quo immenſum hoc beneficium remunerandum foret. Agerent ergo, paciſci ſecum maturarent, antequam, noua iterum, nulloque poſtea pretio reparanda damna, agro ſuo, virulentus ille *draco*, inferat. Cælo delapſum, pium & opportunum adeo hominem, venerati *Sebeklibenſes*, lautiſſima ei præmia paciſcuntur; ſi, quod liberaliter pollicitus eſt, re ipſa, quam primum conficeret. Ergo, ſollicito, vti præſeferebat, animo, nihil cunctatus facinus adoritur; vtque rei geſtæ fides eo fieret adprobatior, oppidanam multitudinem omnem, ad infelix illud antrum, vbi draco nidulari credebatur, ſecum educit; cerimonias inſolentes, vt credulos faceret ſpectatores, vaferrime comminiſcitur, & tremebundo ſimilis, ſpeluncæ os ſubit, editoque murmure, rem ſe *necromanticam* facere, nequiter ſimulat. Stetere eminus oppidani, adtonitis ſimiles; cum ille, ex ſpecu prorepit, atque draconis malignitatem, propalam accuſat; quodque tenacem ſuæ huius ſedis aduerterit, difficilem eius futuram depulſionem, ficta ad ludificandum oratione, triſtis prædicit. Tunc vero *Sebeklibenſes*, rogare, orare, obſecrareque hominem; cœptis ne deſiſteret, pergeret edomare, ſuis artibus, belluam, dum ad emigrandum inducta, ſe metu, agros, calamitate, feliciter liberet. Iam, vltra gentandi tempus, dies proceſſerat, cum impoſtor Gellyo, fercula vinumque poſcit, beneque demum, & paſtus, & inuitatus, quaſi nouos hauſiſſet ſpiritus, ſuos iſtos, optime de ſe ſperare iubet. Tum in os antri, ſe iterum immittit, & fictas cerimonias, laborioſiſſima geſticulatione, ad ſudorem vsque, repetit, denuoque, in apricum prodit. Mirantibus oppidanis, quod tota facie maderet, Draconis id adflatui, adſcribit, vinumque ſibi miniſtrari denuo mandat; quo ſitim inde conceptam, reſtingueret. Septidui ſpatio, vt volunt aliqui, his dolis ludebat *Sebeklibenſes* nequam, cum recepta iam mercede; (certam nimirum pecuniæ ſummam, & veſtes decore factas, pactus fuerat;) diem edicit, quo draco, ſuis incantamentis euictus, nidum ſit relicturus, ſeque feſſore euolaturus, quo eum voluerit inflectere. Ergo, adeſſent omnes, qui inuſitati ſpectaculi teſtes eſſe cuperent. Vt dies præſtitutus illuxit, conduplicatis ſuis illis ritibus, veſtem *Hungaricam*, ſago ſimillimam, indutus, vt expeditior eſſet per aera volatus, ſtentoria voce, ſignum, prolecti ſub dium, draconis, promulgat: *ſimul horreſcere ſibi, ſtareque comas, aures huc & illuc moueri, conſpicati fuerint, præcipiti fuga, qua quisque poſſet euadere, ſalutem quærerent; tum enim flam-*

vaferrimis artibus, vsitur:

diem, deducendo draconi, edicit:

actum enim dolosissime instruit:

flammas, pleno victu, vomiturum in ſe draconem, metuendumque fore, ne obeſa nimium bellua, antequam ſecum altius in aera euolet, humi delapſa, cladem in multitudine edat, longe omnium funeſtiſſimam. Vix hæc edixerat, cum nudos calcaribus cothurnos conſpicatus, errorem extemplo emendari oportere, ringenti ſimilis, conclamat; cum ſua pernicie, opificis eam negligentiam coniunctam profeſſus: quippe qui, vbi ſemel frenato draconi inſederit, non vrgere tantum calcaribus, dum penitus adſueſcat volatui; ſed armatis ſimul calcibus, in ſquamoſa eius latera, infixis, ſaluti ſuæ conſulere debeat; ne excuſſus forte, *Icari* fieret ſimilis. Vbi inſtructos rite calceos acceperat, triſte quid & inconditum, voce trepida, modulatus, antro ſe vltimum, paſſis manibus, admouet, ibique, adſpectante oppidanorum caterua, erigere horridos crines, mox aures, huc & illuc (*c.*) motitare, egreſſum draconis, mugitu magis, quam voce humana, proclamare. Quo viſo auditoque oppidani, qua quemque fors ferebat, per ſaxa, per cliuos, præcipites deruunt; *necromantam*, ſolum ſibi, cum *dracone* ementito, relinquunt. Vt ſolitudinem aduertit GELLVO, in dumos ſe furtim iniicit, atque per ſaltuoſa montium, *Csábrágum*, vnde venerat, ſine dracone, incolumis euadit, remque præclare adminiſtratam, exaggerata oratione ad hos retulit, quorum conſilio, ſcena hæc inſtructa fuit. Sed in viam redeamus.

oppidanoſ, nequiter deludit.

§. V.

RUs *Szebeklibenſibus* obtigit, neque extra modum aſperum; ſed neque fœcundum adeo, quin larga indigeat lætificatione. Atque, ſunt omnino *Szebeklibenſes*, ſtrenui agricolæ. qua vna ſolertia, egregie ſe poſſunt tueri, aduerſus horum iniurias, qui ingenio eos eſſe beotico, non ipſi modo credunt, ſed etiam probris diffamant paſſim. Nam, quod impoſtori (*d.*) illi, ſemel, iterum ac tertium fidem habuerunt, non tam id ſtupori tribuendum eſt, quam ingenuæ ſimplicitati illi, quæ eſt inter vafritiem, & ſuſpicacem animum, media. Conſtat vero ruſticatio huias, occupatione gemina, frumentaria altera, altera vineatica: qua vtraque, laudatiſſime defunguntur. Quibus nullus eſt agri modus, ſedentariam vitam, inter operas mechanicas, degunt. horum inſignis eſt paucitas, & tarditas in opificiis, quam tamen eximie poſſent acuere, annui mercatus: quippe, non frequentes modo, ſed fructuoſi etiam his, qui eos in rem ſuam ſciunt vertere. Concelebrantur autem, diebus *D. Paulli*; Dominica *Iudica*; *S. S. Philippi Iacobi*; *Johannis Baptiſtæ*; D. *Mariæ Magdalenæ*; *Exaltationis S. Crucis*; ac denique *S. Catharinæ*. Nundinarum ſingulas, boarii mercatus anteeunt: frequentes olim, & mul-

Agri Szebeklibenſium indoles;

oppidanorum occupatio;

nundinarum frequentia.

c.) Natura, an arte, id obtinuerat, vt aures, ritu aſinorum, verſare, ſetoſum caput, horridum reddere potuerit.

d.) Rediit namque, vt dolum cumularet dolis, ad *Szebeklibenſes*, GELLVO, nouisque eos impoſturis; nunc quæſtoris bellici; nunc mercici vſus vatramento, mirifice deluſit. Iliada ſcribi oporteret, ſi actus hominis omnes, in litteras referre vellent, otioſi.

multi fructus, quos tamen, temporum iniquitas maximopere diminuit. Annis superioribus, prætorium hic, publico *Comitatus* sumtu, instructum est; vt esset, vbi, & ad comitia coirent prouinciales, & tabularium, firmis tutisque fornicibus, possent deponere. Censetur oppidum, in ditione *S. Benedicti:* id quod supra diximus. Submouetur *Schemnicio*, duobus fere in occasum milliaribus. Iam & *Slauos*, in ciuitatem admittunt *Saxones*, tot temporum iniuriis adtenuati. Sermo & his inficetus, ac tota prouincia *Hontensi*, facile rudissimus.

Inest oppido prætorium prouinciale.

II. Oppidvm Némethy.

Loci vocabulum, Germanicam *olim fuisse coloniam, indicat:*

Ipsum oppidi nomen indicio est, *Germanicam* primitus coloniam fuisse. Nam, *Német*, lingua Hungarica, *Germanum* significat, a *Slauis* mutuato vocabulo, quibus *Nemecz* dicitur. Id vero, ex *Nemetum*, Germanicæ ciuitatis populorum adpellatione, factum esse, res ipsa loquitur. Fuerunt autem *Nemetes*, Rheni adcolæ, quod non est opus doctis inculcare. Vicus, *Némethy*, ad nostrorum vsque ætatem fuit, copiosus sane, & omni ad rusticandum opportunitate, circumfusus. Hunc, herorum in incolas propensio, ita commendauit Augusto Cæsari, ac Regi, Carolo VI. vt, nec quidquam contraeuntibus prouincialibus, in *oppiais priuilegiatis*, iam tum, anno MDCCXXXI. referretur, ea nimirum lege: vt ciues quidem suis iuribus potirentur, heriles tamen prouentus, vetere instituto, in annos singulos, in fiscum redirent. Cum vero difficile sit, hac tempestate, qua florentissimæ vrbes sensim decrescunt, hæc istiusmodi, noua oppida inualescere; consultum putauerunt *Némethiensium* fortunæ rerum domini, si nundinis celebritas conciliaretur oppido. Ergo, sex mercatus solemnes, cum foro boario, in annos singulos, eadem regis benignitate indultos accepere oppidani. Incidunt hi in *secundam Domin. Epiphaniæ;* Dominicam *Lætare;* dies *S. Alberto; S. S. Triadi; Transfigurationi I. C.* & *OO. Sanctorum* festos. Tenues horum adhuc sunt exortus; ob *Schemniczii*, a quo duobus fere milliaribus, dissidet & *Carponæ*, nimiam fere vicinitatem. Oppidanorum ea hodieque occupatio est, qua tunc distinebantur, cum erant in rusticanis vicis recensiti; re nimirum frumentaria vineaticaque, non vitam modo tolerarant, sed referunt etiam fructum, rei auctitandæ idoneum. Feliciter!

Donatur haud pridem, oppidi prærogatiua:

nundina huiates:

oppidanorum rusticatio.

III. Oppidvm & Castellvm Saágh.

Saágh, magni olim nominis cœnobium oppidumque:

Magna olim fama claruit oppidum Saágh, ob *Præposituram Ordinis Præmonstratensium* B. Mariæ Virginis. Valebat nempe, non minus opibus, quam venerabili *Conuentu*, loco-que ideo *authentico*. Innumera superant diplomata, quæ isthic recognita adfirmataque fuere. Meminit eius *Præposituræ* Pázmány,

(e.)

(e.) exordiorum non item, quod ego extra modum admiror, quando conſtat, maiores ſuos *Hunt-Páznan*, præpoſituram eam, anno MCCLXVIII. condidiſſe: id vero, quis credat potuiſſe virum ſagaciſſimum ignorare? Floruit ſacrum inſtitutum, dum bellis *Turcicis*, quæ oræ huic limitaneæ, cum primis funeſta exſtitere. Tunc caſtellum, quin & oppidum, non vna ſtrage adflictum eſt, immo peſſundatum penitus. Huc referenda eſt clades illa, quæ ab *Ali Eunucho*, cœnobio non minus, quam oppido, anno MDLII. illata eſt. Vi ille partim, partim noſtrorum pauore, *Drégely* arcem, *Szetsénum*, *Buſſam*, *Salgonem*, *Hollókönem*, & *Bujákum*, vno quaſi venatu, interceperat; cum ad *Gyarmathum* & *Saágum* delatus, frequentes eius anni victorias cumulaturus, vtrumque, igni ferroque delet. *Saághum*, *collegii* Monachorum Benedictinorum *caſtellum*, *ad ripam Hippoli fluminis*, *amæno loco ſitum*, *ac Gyarmathum*, Balaſſianæ *familiæ domicilium*, *perterritis iis*, *qui in præſidio erant*, *ac diffugientibus*, *primo direpta a Turcis*, *ac poſtea ſubiectis ignibus concremata*, *funditus conflagrarunt*: verba ſunt ISTVÁNFFII. (f.) Iacuit poſtea in cineribus *Saágum*, atque decreuiſſet omnino, in vicum ignobilem, niſi loci opportunitas, belli item rationes, ſuaſiſſent inſtaurandum. Ac habebat omnino, ſua præſidia, atque *Capitaneos*, ad omnem rei fortiter agendæ occaſionem intentos. *Georgium Tury* (g.) nominat ISTVÁNFFIVS: quippe qui poſt direptam, a Turcis *Léuam*, opem *Balaſſio* laturus, adcurrerit. *Balaſſius* inquit *conſcenſo equo*, *cum ſuis militibus*, & Georgio Turio, *qui auditis tormentorum bombis*, *e propinquo Saághi caſtello*, *aduolauerat*, Turcas *inſequi cœpit*. At, ne ea quidem prouidentia, fortunam oppidi reparare potuit; quando, bella ex bellis nata, totam hanc regionem, arces, oppida, ac vicos ſubinde refloreſcentes, nouis calamitatibus adfligebant. Inter has conuerſiones, ſeſqui ſeculum abiit, dum *Buda* recuperata, atque hoſte longius reiecto, cum tota vicinia, *Saághum* quoque cœpit reſpirare; tametſi, florem priſtinum recuperare potuerit numquam. Tenue eſt enim hodieque oppidum; ſed quod tamen frequentatur nundinis. Ager ei obtigit opportunus, pratis graminoſis, & nulla non, ad ruſticandum, commoditate præditus. Paret hodie, cum adſcripta ditione, *Cœnobio S. I. Neoſolienſi.*

ſacri inſtituti auctores:

oppidi, & caſtelli clades:

infidebatur a milite præſidiario:

refloreſcere haud potuit:

eſt iam in poteſtate cœnobii Ieſuitarum Neoſolienſis.

SECTIO IV.
De Vicis Proceſſus Schemnicienſis.

BIſariam vici *Proceſſus* huius, diſpeſcendi erunt; vt primo quidem, eos cognoſcamus, qui ſunt ſuis adſcripti ditionibus; tunc poſtea illos, qui varie poſſidentur a nobi-

e.) APPENDICE II. Synodi Diœceſ. Strigonienſis, p. 110. TIMON, ad annum MDLX. Præpoſitum, *Matthæum Pekloſlayum*, ab OLAHO Strigonienſi Pontifice, iſthic confirmatum, memorat.

f.) Libro XVIII. p. 332, 13. vbi notandus eſt error, quod, *Benedictinis* caſtellum adſcribat; cum tamen *Pramonſtratenſium* fuiſſe, certum ſit.

g.) Libro XVI. p. 275, 31.

litate, deſignemus. Idque præter morem noſtrum, nude & ſine ſi-tuum atque opportunitatum importunitatumue, commemoratione: quippe quum nemo fuerit, qui eas voluiſſet ex vero deſignare.

1.) *Kolpach*, Germanis, *Goldbach* dictus, quod auriferum riuum ſignificat. Abit *Schemnicio*, toto in ſeptentriones, milliari.

2.) *Perg*, Germanis *Siegelsberg*. Nominis rationem, in rebus *Schemnicienſium* expromſimus. Recedit ab vrbe, medio in meridie milliari.

3.) *Viſzokâ*, Germanice *Hochberg*, quod vtrumque vocabulum, altum montanumque ſitum denotat. *Germanicum* certe in veteribus tabulis occurrit; *Slauicum* illud vulgo obtinuit. Obſidet *Schemnicio* a ſole meridiano.

4.) *Gyekeſs*, ſeu *Dekiſs*, reprimitur ab vrbe, in meridiem, milliari vno.

Atque hi quidem vici in ditione Száſzkôienſi, *Germanice* Sachſenſtein *cenſentur. cuius notitiam in* Comitatu Bárſchienſi *dedimus.*

5.) *Felsô-Sipek*, quem & *Nagy-Sipek* vocitari accepimus. Sedet, medio, inter *Schemnicium* & arcem *Drégely*, itinere; hoc eſt: hinc, in aquilonem, in meridiem illinc, duobus milliaribus, ſeiunctus. Reſedit, intra colles, agros inde nactus ſteriles, & largo grauidandos lætamine, ſi ſementem, cum fœnore, colono reddi oporteat. Accedit ad ſitus hanc iniquitatem, ſiluarum inopia, quarum loco dumos, alendo foco, cædunt incolæ, qui *Slaui* ſunt omnes. Riuus, qui hac tenet curſum, *Schemnicienſis* eſt.

6.) *Kemencze*, agro eſt plano, neque infœcundo. Potitur ſiluoſis montibus, qui opportuna ſunt ferarum luſtra, quæ, dum eſt opus venationes præbent numeroſas, non minus, quam varias. Nam, ceruos quidem alunt, damas, & apros: vt ſilueſtria auium genera ſileamus. Quod ſiluæ ſunt glandiferæ, ſaginandis porcorum gregibus, ſi ita fert anni ratio, pabulum ſufficiunt. Amniculus, hac delapſus, fundulorum, non minus, quam cancrorum ferax eſt. Quando, & quorum, ſeu iure, ſeu beneficio, in *Archiepiſcoporum Strigonienſium* iuribus eſſe cœperit, tabulis doceri poſſet, quæ ſuperant in archiuo, ſi id vſus poſceret. Seiungitur *Schemniczio*, in meridiem, milliaribus fere quinque.

7.) *Bernecze*, montibus ſubſitus, duobus, a *Drégely* arce, milliaribus, in occaſum ſolis, ſubmotus. Ager vici, partim plano ſe terreno exporrigit; partim per collinos ſitus ſuſpenſus eſt. Hunc, deraſis ſiluis, parauere incolæ, vt rem frumentariam facerent vberiorem. Itaque, non eſt vndiquaque fertilis ager. Contra ea, prata, fœnum præbent bonum, & hibernis pabulationibus, idoneum. Montium ſaltus, & venatione, qualem in *Kemencze* vidimus, & armentorum paſcuis, valent. Fluuiolus, qui terrenum huias perluit, anonymus quidem eſt, haud tamen cancrorum & piſciculorum inops.

Tres

Digitized by Google

Tres hi vici ditionis ſunt Archiepiſcopatus Strigonienſis, *quos ideo, nulla eius iniuria, vberius poteramus deſcribere.*

8.) *Pocsuwaldo*, milliari *Schemnicio*, in meridiem repreſſus, de quo tamen, nihil habemus dicere, quam quod vnicus ſit hoc *Proceſſu*, dominationis *Léveníis* vicus. Iſtud addimus, *Slauicum* eius nomen, ab *auſcultatione* manauiſſe.

9.) *Liſſow*, hic quoque in meridiem abit; ſed tribus, ab vrbe milliaribus, remotior. Vitem alit, eximii fructus, eſtque in poteſtate *Gyurcsánii*, & familiæ *Ambró*.

10.) *Beluja*, in vallem, arci ſubſitam *Szitnenſi*, reiectus, milliari ab vrbe diſſidet.

11.) *Deuitse*,
12.) *Kormosó*,
13.) *Zibrito*,
14.) *Stepholto*,
15.) *Illia*.
16.) *Szent-Antal*.
17.) *Prents-Falu*.
18.) *Szitna-Lehota*.

Vici hi omnes ſunt *Comitum Kohári*, in vicinia *Schemnicii*, alii aliis viciniores remotioresue. Quo ſint habitu, indagare non potuimus. De *Szent-Antal*, latine S. *Antonius*, ſatis conſtat, caſtello inſtructum eſſe, ad hodiernæ elegantiæ atque opportunitatis modum educto. Submouetur, *Schemnicio*, quarta milliaris parte, ſub ſolem meridianum.

19.) *Méz-Nevelő*, vicus, nominis oppido elegantis: quippe quod, mellis procreatorem officinamque ſignificat, forte, a re apiaria, hic aliquando diligentius procurata.

20.) *Szalatnya*, vicorum vterque, ditioni *Csábrágienſi* adſcriptus eſt: præterquam, quod huius partem aliquam *Baroſſii* capiant.

21.) *Alsó-Rakoncza*, Slauis *Dolné Rekincſicza*.
22.) *Gyerk*.
23.) *Pham*.

24.) *Baráti*, ad ditionem *S. Benedicti*, cum oppidis *Szebeklib*, & *Némethy*, adtinere accepimus. Vinum *Rakoncenſe*, modicæ laudis eſt; quia calcinoſum.

25.) *Tesmag*, tribus ab vrbe milliaribus, ad orientem ſemotus.

26.) *Egeg*, Slauis *Hokowecz*, eodem fere interuallo & poſitu.

27.) *Nádaſt*, tertio, ab vrbe *Schemnicienſi*, lapide, intra amœnam vallem ſepoſitus. Ea fertur eſſe aeris ſalubritate, quæ, ab hominum memoria, & tunc peſtilens contagium reſpuerit, dum per totam circum viciniam, fœde graſſaretur: id quod, cum alias, tum anno MDCX. aduerſum eſt.

Tres hi vici, *Saághenſi* Præpoſituræ, qua nunc, cum oppido, *Societatis* Iesv *Neoſolienſis Tertioratus*, quem vocant, potitur, adſcripti ſunt.

28.) *Alsó-Szemeréd*.
29.) *Wiſsk*.
30.) *Pereſzlény*, quatuor, & quod excurrit milliaribus, ab vr-

be in orientem repreſſi, parent, præter *Kohários*, Comitibus *Forgáchiis*, *Franciſco* puta, & *Ioſepho* fratribus.

31.) *Nagy-Terény*, Comitum *Berényi* poſſeſſio.

32.) *Apát-Maróth*, a poſſeſſore prænomen tulit: quippe qui, *Abbatiæ Piliſienſi Ciſtercienſium* iuris eſt.

Hucusque, primorum vici fuere; qui ad nobilitatem adtinent, recenſendi nunc erunt.

33.) *Paláſt*, Slauis, *Plieſſowcze*, natalibus, vetuſtæ gentis *Paláſti de eadem*, celebris vicus. Hanc nunc, præcipue ornat, FRANCISCVS, Cæſari & Regi Auguſto, nunc Reginæ MARIÆ THERESIÆ, a conſiliis, in Excelſa Cancellaria Regia Hungarica, aulicis. Vir, prudentia, moderatione animi, & in rebus agendis, fide atque integritate, principi gratioſus, collegis acceptus, clientibus carus: quam ei dignationem, fauſtam, felicem, diuturnamque, precamur ex animo. Nobilitauit *Paláſtum*, *Taiffeli* cum *Turcis* prælium, infelix omnino, & duci ipſi exitiale. Fuſe id, atque more ſuo, eleganter, ISTVÁNFFYVS deſcripſit, noſtra hic opera, in compendium mittendus. Occupauerat, *Aly Eunuchus*, Budæ tunc præfectus, finitimas circumquaque arces, non tam ſua virtute, quam ignobili noſtrorum pauore. Quo ille ſucceſſu, elatus, ne, quod æſtatis plurimum ſuperabat, inglorius prodegiſſe videretur, exercitum redintegrat, atque in campis *Rákoſch*, caſtra metatus, in nouam ſe expeditionem parat. FERDINANDVS ergo, iuſtum & ipſe exercitum, dum adhuc opportunum videbatur, comparat, ſummamque belli, *Erasmo* TAIFFEL, præfecto *Jaurinenſi*, inauſpicato committit. Opportune acciderat, vt ſub idem tempus *Sforția Pallauicinus*, quatuor mille quingentos pedites, ex Italia; *Marcellus* item *Detricus*, tria *Germanorum* millia, adducerent. quibus, quingenti leuis armaturæ equites *Hungari*, acceſſere. Ergo, coadunatis copiis, & *Georgio Keglevithio*, *Paullo Ratkaio*, *Franciſco Deſſöffy*, *Michaele Dombay*, *Franciſco Sándor*, & pluribus aliis, præclari nominis ductoribus, in caſtra acceptis, profectionem eo conſilio edicit, vt arces, nuper a *Turcis* captas, ante recuperaret, quam nouis eas munitionibus, hoſtis validiores redderet: *Auguſtino Sbardellato*, epiſcopo *Váczienſi*, cura commeatuum, quos bello *Szitnenſi*, præclare adminiſtrauerat, iterum demandata. Probabat ſe deſtinatio, ducibus reliquis; iſtud tamen ſerio conſulentibus *Hungaris*, vti prouincialem ſuperioris Pannoniæ militem, iam tum ad *Fileckum*, cum omni bellico adparatu confluentem, exſpectaret, idoneisque ſupplementis auctо exercitu, præclari aliquid facinoris occiperet. At ille, *Carponenſium*, & *Vigleſchienſium*, *Morauorum* item, & *Bohemorum*, quantulacunque acceſſione lætus, non exſpectatis *Filekienſibus* copiis, quæ ad ſeptem millia excreuerant; ſed nec receptis tormentis, *Zolio*, & *Biſtricia*, *Kékkönem*, atque hinc *Bozokum* vsque prouectis, caſtra, quæ ad *Egegum* poſuerat, promouet, *Drégelum*, ante omnia, e *Turcarum* poteſtate vindicaturus. Eo audito *Eunuchus* e campis *Ráka-*

Koſchianis mouet, atque properatis itineribus, noſtris occurrendum ſtatuit, iamque ad *Sziluaſſum* forte peruenerat, cum *Taiffelus*, inſtructa quaſi acie, *Egego* profectus, ad *Paláſtum* venit, & in eius campis, qui vineta & montes, ad orientem reſpiciunt, caſtra collocat. *Eunuchus* interim, millenaria ſuorum ala, ad explorandum noſtrorum caſtra, procurrere iuſſa, ſequenti luce, quæ *D. Laurentio* ſacra fuit, noſtros, *Arslane* quodam duce, adoritur. Acris inde, & ſanguinolenta pugna iniit, dimicatumque eſt marte dubio, donec, reiecti hoſtes, ad ſuos abire, noſtris ſimul, dato receptui ſigno, in caſtra redeuntibus. Hæc decretoriam pugnam antegreſſa ſunt. Nunc, quemadmodum ea, altero poſt die, ſucceſſerit, videamus. *Sequenti die*, inquit ISTVÁNFFIVS, *collaudatis equitibus*, Taiffelus & Sfortia, *peditatum* Germanicum, & Italicas *cohortes promouent, èisque, hinc equites cataphractos, illinc leuiorem, qui e Iaurino venerat, equitatum, in ſubſidiis collocant, & falconibus principia firmant, ac in irruentes hoſtes obuertunt. Ibi, tormentis, vtrinque in mutuam cædem exploſis, Mars crudelem in modum ſæuit, & ex vtraque acie acriter pugnantes, plurimi cadunt; ſtante adhuc victoria in ancipiti: cum diro, nec opinato caſu, puluis tormentarius, in partibus noſtrorum, fortuito incidente ſcintilla ſuccenditur, & terribili edito fragore, aliquot tormenta, eorumque magiſtros, & militum nonnullos, miſerabilem in modum laceratos, per aera, in ſublime iactando, diſpergit. Ea re animaduerſa Turcæ, ingenti ſublato clamore, in noſtros perturbatos, & repentino caſu territos, irrumpunt, & certamen, magno animorum ardore, inſtaurant. Noſtris animus concidit, & primum omnium legio Germanica, turpi fuga ſe committit, nec vt in pugnam redeat, vlla vi, a ducibus retineri poteſt. Equites ad eorum ſubſidia collocati, & ceteri omnes, vna profugiunt; denique cataphracti Germani, ſociorum clade perturbati, terga vertunt, & quo quisque poteſt, effuſo curſu feruntur.* TAIFFELVS, *ſuos retentare conatus, a circumfuſo & confertо hoſte, capitur, & Sbardellatus, acriter pugnans interficitur. Nec procul ab eo Nicolaus Boſſanus, Chriſtophorus Roſonius, & Lupus Sulius, feruente certamine, cadunt.* Iſte prælii euentus fuerat. Adhuc autem in pugna, cum ſuis, perſiſtebat *Sfortia*, cum & hic, ab hoſte circumuentus, & in orbem pugnare coactus, atque dextram grauiter ſauciatus, hoſti ſe dedit: Italorum fortiſſimis deſideratis. Tantum eſt, ducem nanciſci imprudentem, & deſertum a fortuna. Quid hinc *Taiffelo*, & captiuorum multitudini, quæ ad quatuor millia cenſebatur, acciderit, docuimus (*a.*) alibi. Atque, hæc erant, quæ anno MDLII. ad *Paláſtum*, geſta fuere. Eſt vero hodie inſignis hic vicus, Gentis *Paláſtiorum*, & quadam ſui parte, *Comitum Kohárÿ*. Prætorium, quod hic, laudatus nunc *Franciſcus Paláſti*, eduxit, hac regione commoditatis eſt inuſitatæ. Subſtructum eſt enim ſitu eleuatiore, ad formam trianguli, cuius frons, ſoli meridiano oppoſita, iucundum habet proſpectum.

a.) Tomo V. Operis, in Hiſtoria LAVRINI, §. XX.

ctum. Ipſa moles gemina contignatione adſurgit, habetque conclauia, *Viennenſis*, cum elegantiæ, tum opportunitatum, æmula.

34.) *Felsö-Rakoncza*, *Paláſtiorum* partim, partim Comitum *Kohári.*

35.) *Bagyán*, eſt in ditione *Baroſſiorum.*

36.) *Klaſzitá*, hodie *Semberiis* & *Gerhardiis* paret.

37.) *Alsó-Sipek*, eorundem *Semberiorum* eſt.

38.) *Bács-Falu*, itidem.

39.) *Daráſſi*, inter plures diſpertitus; nam & *Semberiis* de *Felsö-Szúd*, & de eadem, paret; & *Radvanſzkiis*, atque viduæ *Maſkovicziana.*

40.) *Ledény*, *Gécziorum* & *Törökiorum.*

41.) *Közép-Thúr*, eſt in poteſtate *Franciſci Paláſti*, & aliorum.

42.) *Kis-Thúr*, *Szentkeresztiorum*, & qui hic colunt nobilium.

43.) *Felsö-Thúr*, Kellionum eſt, & *Beniczkiorum.*

44.) *Tompa*, iuris eſt *Pongrácziani*, *Boroſſiani*, & *Hellembachiani.*

45. *Horváthy*, familiæ cognominis *Horváthy de Diſznós* partim, partim *Baronum ab Hellenbach.*

46.) *Mere*, patet *Semberiis*, & *Marániis.*

47.) *Teſzér*, *Jánokyorum*, *Radvanſzkiorum*, & *Apaffiorum.*

48.) *Gyúgy*, hæredum *Szúlyovszkiorum*, nunc in poteſtate *Semberiorum* eſt.

49.) *Kis-Terény*, gentis itidem *Semberi* de Felsö-Szúd, & familiæ *Liptay*, de *Szombath-Helly.*

50.) *Szúd*, eximius vicus, neque tam incolarum copia, quam præſtantia vinetorum, memorandus: quippe quæ, vinum toto Comitatu, gignunt generoſiſſimum. Fuit olim, gentis *Duló*, qua emortua, ab indulgentiſſimo Cæſare & Rege CAROLO VI. ob præclara merita, *Samueli Semberi* ſeniori, adtributus, inque eius titulis, vt de *Felsö-Szúd* dicantur, relatus eſt. Nunc, iure hæreditario, in *Iohannis* & *Samuelis*, fratrum germanorum poteſtate eſt.

51.) *Felsö Szemeréd*, hæredum, *Georgii* L. B. ab *Hellenbach.*

52.) *Udvarnok*, eſt in poteſtate, *Gabrielis Prónay*, *Lenkeiorum*, & *Blaskoviczianorum.*

53.) *Házas-Maróth*, iuris *Törökiani*, & *Zmeſkaliani.*

54.) *Etſeth*, eſt in ditione *Kis-Tapolſanenſi*, nunc *Johanni*, & *Samueli Semberiis de Felsö-Szúd*, parere accepimus. Hæc vicorum, huius proceſſus ſit mentio: plura ſcrutentur alii, *Minerua* magis propitia.

MEM-

MEMBRVM II.

DE

Proceſſu Báthenſi.

PROOEMIVM.

EXimia *Comitatus Hontenſis*, portio, eaque, cum ſitu iucunda, tum opportunitatibus aliis, præcipue inſignis, *Proceſſu* hoc *Báthenſi*, continetur. Nam, vbi a Libera Regia Montanaque Vrbe, *Bakabánya*, ab aquilone in meridiem ſinuari cœpit, ſex plus minus, milliaribus *Hungaricis*, ad oppidum vsque *Maros*, aduerſa *Wiſſegrádi* ripa, *Danubio* adſidens, procurrit, nuſquam fere milliari latior. Vtroque limite, ſeptentrionali altero; altero meridionali, montibus inſurgit, ſaltuoſis illis, & paſſim glandiferis. Spatium, quod intermittitur, reliquum, hilari quadam ſiluarum, & camporum, collium item, & vallicularum varietate interſtinguitur. Qua in aquilones vergit regio, *Slauorum* habet colonias; ſed qua in meridiem demergitur, *Hungaros* alit; paucis adhuc e *Saxonum* priſcis illis aduenis, ſuperantibus. Acceſſere, annis ſuperioribus, *Sueui*, per herorum, a quibus exciti ſunt, fundos, hic & alibi, ſparſi. Accepit nomen ab oppido *Báth*.

SECTIO I.

De Libera Regia, Montanaque Vrbe Baka-Bánya, ſeu Buggantz.

SYNOPSIS.

BAKA-BÁNYAE *origines, ad* Saxones *deferendæ: vulgata, in eam rem, narratiuncula: & de vocabuli etymo, coniectura.* §. I.

An Bakabánya, *poſſit, de antiquitate, cum* Cremnicio *certare? diſputat auctor.* §. II.

Vrbis, poſt prima exordia, lenta incrementa: & cur? poſ-

ſitus opportunus: valuit ſectarum laude ſub Saxonibus: *cuniculus* S. Iacobi *præcipuus: item* S. Georgii: *primam vrbs cladem, a* Rosgonio, *epiſcopo* Agrienſi, *accepit: fata cetera: decreſcit ciuitatula: accipit præſidium.* §. III.

Reſpirat, ſub Ferdinando I. Maximiliano; Rudolpho: *fit munitio limitanea, inſideturque a milite præſidiario: honorifica eius, ex* Gabelmanno *mentio: vrbis iniuriæ, ex* Botskaiano *tumultu: ex ſeditionibus item reliquis.* §. IV.

Mala, a Turcis *vrbi, & eius circum vicinia, inflicta: munitur ideo, publico regni ſumtu: leges in eam rem perlatæ: in iis exſequendis, damnoſa tarditas.* §. V.

Turcæ, *non ſatis munitam vrbem, inuadunt, expilant, & igni concrematam, incolis exinaniunt:* Slauorum *hinc ſupplementa adſciſcuntur: fruſtraneus, in recolendis aurariis huiatibus,* Neoſolienſis *ſocietatis conatus: ciuium occupationes: reliquus vrbiculæ habitus, ex* Parſchitio *deſcriptus: inſignia.* §. VI.

§. I.

Bakabányæ *origines, ad* Saxones *referendæ:*

BAKABÁNYA, Germanis *Puggantz*, Slauis *Bukanetz*, vnica *Proceſſus Bathénſis* vrbs eſt, ob aurarias, in *montanarum* ciuitatum numero, relata. Vnde acceperit nomen, non eſt in procliui exiſtimare, neque nos multum, in re obſcura, elaborandum putamus. *Saxonum* fuiſſe coloniam metallicam, in confeſſo eſt apud omnes, qui antiquitates *Montanarum vrbium*, rimari amant. Aiunt nimirum, duos fratres, ex *Saxonia*, diuitum venarum fama excitos, ſedem iſthic poſuiſſe, admotisque operis, cœpiſſe, puteos hic deprimere, agere alibi cuniculos, vti experimenta caperent, futurorum ſucceſſuum. Alii confidenter addunt, fratrum alteri *Bug*, alteri *Gans*, nomen fuiſſe: quod demum poſitæ vrbiculæ ita hæſerit, vt coadunatis vocabulis *Buggans*, diceretur. Non inuideremus hanc fratribus celebritatem, ſi tam certo, hoc, quidquid eſt originum, ex regum tabulis, poſſet doceri, quam id præfidenter adfirmatur. Interim, non deſunt, qui ex priori vocabulo *Bug*, Hungaricum, parua conuerſione, *Bak*, & addito fodinæ nomine, *Bánya*, tandem *Baka-Bánya*, ingenioſe deriuant, an extorquent. Nobis perinde eſt, quemadmodum lector velit ſentire; quando haud ſuppetit, vnde, ſine formidine erroris, hoc nominis queat arceſſi.

vulgata, in eam rem, narratiunculæ: & de vocabuli etymo, coniecturæ.

§. II.

An Bakabánya, *poſſit, de anti-*

ISTud, nequimus cum *Cremnicienſium*, & *Schemnicienſium*, antiquitate conciliare, quod nuperus ſcriptor non dubitauit in litte-

ras

Digitized by Google

ras (*a.*) referre : *Ternas*, inquit, *hic Comitatus e montanis ciuitatibus ſibi vendicat* : SCHEMNICIVM *ſcilicet*, BÉLA-BÁNYAM, & BAKABÁNYAM. *Harum autem duæ poſtremæ, vno hoc titulo, hodie memoratu dignæ cenſentur, quod ipſis cum* CREMNICIO, *ſuper fodinarum antiquitate, diſceptatio ſit minime contemnenda.* De diſceptatione, quæ *Cremnicienſibus*, cum noſtra hac vrbe, de ſecturarum antiquitate intercedat, nihil ſane, *Cremnicii* hiſtoriam veſtigantibus, occurrit; *Béla Bányam* vero, quia in vicis olim *Schemnicienſium* cenſebatur, fruſtra litem hanc, & cum ſua ipſius dedignatione, moturam fuiſſe, certum eſt. Pergit ille: *Mihi e peruetuſtis litteris, de* SCHEMNICIENSIVM *fodinarum detectione, certum eſt, a* BAKABANYENSIBVS *ciuibus, metallicas venas, ibidem primum repertas, excolique cœptas. Quibus e tabulis pariter didici, præcipuos metallicarum venarum cultores, Germanicæ Slauicæque nationis fuiſſe.* De gente, *Germanica*, an *Slauica* fuerit, quæ *Schemnicii* venas primum cœpit ſcrutari, plus ſatis, in eius vrbis deſignatione, diximus; vt iam, cramben bis, ac ſæpius coctam, adpoſituri eſſemus, ſi rem accurate diſputatam, in nouam litem implicaremus denuo. Præcipuam, apud doctos, & harum rerum cupidos lectores, auctor ille iniiſſet gratiam, ſi veteres, quas aduocat, litteras, quod alias feciſſe eum meminimus, ſaltem in compendio, luce publica donauiſſet. Niſi enim, *Regum*, *Archiepiſcoporum*, aut magiſtratuum aliorum, *Palatinorum* forte, vel *Magiſtrorum Tauernicalium*, & ſic porro, ſint tabulæ, vix apud eruditos merebuntur fidem. quibus ſolemne eſt, veteres eiusmodi ſchedas, cum eius ætatis, de qua loquuntur, habitu, quam ſcrupuloſiſſime conferre, quod & ipſi nos fecimus in *Schemnicii (b.)* hiſtoria; nequid vetuſtis eiusmodi litteris temere crederemus. Si, in tota re, veri forte quidpiam fuerit, iſtud euenisſe arbitror : increſcente ſecturarum *Schemnicienſium*, & mole, & opulentia, in operarum ſocietatem veniſſe *Bakabanyenſes* : quippe quibus, venæ ſufficiebant parciores. Accedit ad ſubruendam hanc *Baka-Banyenſium*, nimiam vltra modum antiquitatem; quod nullum, priſcæ alicuius ſubſtructionis veſtigium, ſiue in vrbe ipſa, ſiue in agro, ſuperet hodie; quod tamen eſſe oporteret, ſicuti eſt omnino apud *Schemnicienſes*, ſi his illos, antiquiores velles pronunciare.

§. III.

Vrbis, poſt prima exordia, lenta incrementa: & cur?

ISta, ad origines *Baka-Bánya* pertinuere, tam diu futura dubia, donec regum tabulis, adfirmentur refellanturue. Quod ad nouæ vrbis incrementa adtinet, lentorum ea fuiſſe profectuum oportuit, quando neque mole, neque ædificiis, inualuit, dum Saturnia illa regna, adhuc beatam faciebant *Hungariam*. Metallorum ego id exilitati adtribuerim, quæ, & paucioribus operis coli poterant; neque ad quærenda ciuitatis iura, exteros illiciebant: id quod, apud re-

a.) Topographiæ Magni Regni Hung. auctor, pag. 151.

b.) Ad §. III. & IV. eodem hoc Tomo, p. 567.

reliquas vrbes metallicas, non frequenter minus euenit, quam inſigni cum acceſſione, & ciuium, & opum vrbicarum: opportunitas enim vero, vrbi laxius, & amœnius ponendæ, quam, ſeu *Cremnicium*, ſeu *Schemnicium* conſedit, non defuiſſet, ſi exſtitiſſent, quibus collibuiſſet fortunarum ſedes, iſthic collocare. Præter agrum enim frumentarium, non omnino effoetum, vineatico ſimul cultu, haud ſpernendi fructus, hodieque valet. quæ quidem commoditas, ob aſperos poſitus, nulli, reliquarum vrbium montanarum, obtigit. Haud tamen inficiamur, cum a *Saxonibus* habitaretur *Baka-Bánya*, eximias ei ſecturas fuiſſe, & cum auri, tum argenti venis, turgeſcentes, fructuoſasque. quas metallicæ partim ſocietates, partim opimiores ciuium, eo adtentius curabant, quo maioris tunc fiebant hoſpites iſtiusmodi, qui adlatas peregre in *Hungariam* opes, egregio publico commodabant. Aurariarum præcipuus, *S. Iacobi* cuniculus fuerat, egregiorum, eo vsque redituum, dum ſcite, & ſine ceſſatione, cauari potuit: nam, & late, per ſinuoſos flexus, propagatum fuiſſe accepimus; &, ex ea laxitate, capacem numeroſiorum lucroſarumque operarum. Suppar huic alter eſt habitus, quem *S. Georgii* cuniculum adpellauero, tam etſi non tam ſubſtructionum mole valuerit, quam reditibus. Vterque, in duram & refractariam petram imprimebatur. quæ demum, ſi lautioribus fuit venis, arte ſolita eliquabatur; ſin parcioribus, tudibus ſubdebatur ad triturandum eluendumque. Iſto habitu, vrbs, cum metallicis operis, diutius floruiſſe perhibetur. Primam ei cladem, *Rozgoniana* illa, quam apud *Schemnicium* meminimus, impreſſio, adtulit. Conualuit tamen poſtea ciuitatula, ſub MATTHIA *Coruino*, cœperatque obliuiſci ſanguinolentarum iniuriarum; dum rege optimo emortuo, in periculum denuo vocaretur vrbis fortuna; cum ob res, ſub WLADISLAO, proterue in montanis adminiſtratas ab his, qui deſidioſa regis indulgentia abutebantur; tum ob ſequutum LVDOVICI II. occaſum. Ergo, diminui ſenſim, tenuem ex ſe ciuitatem, neceſſe fuit. qua re, & id fiebat, vt lentius iam, in curanda metalla incumberetur. Auxere, præter hanc temporum iniquitatem, vrbis mala, diuerſiſſima *Hungarorum* ſtudia, & quæ inde oriebantur, *Ferdinandeorum* hinc, *Zápolitanorum* illinc, graſſationes. quibus arcendis, & vt ciuicæ turbæ, perfugium pararetur, templum, ad caſtelli modum, circummuniri cœptum fuiſſe aiunt, ALEXII TVRZONIS, qui tunc, pactis, cum rege conditionibus, aurarias curabat, prouidentia.

poſitus opportunus:

valuit, ſe-Aurarum laude, ſub Saxonibus:

cuniculus S. Iacobi, *præcipuus:*

item, S. Georgii:

primam vrbi cladem, a Rosgonio, *epiſcopo* Agrienſi, *accepit: fata eius cetera:*

decreſcit ciuitatula:

accipit præſidium.

§. IV.

IOHANNE rege, fatis functo, cum ſolus iam rerum potiretur FERDINANDVS, ſua, cum vrbibus metallicis reliquis, tum *Baka-Bánya*, halcyonia rediere. Nam eſt hoc omnino in confeſſo apud omnes, vix vnquam beatius egiſſe ciuitates montanas, quam ſub regibus Auſtriacis, *Ferdinando* puta, *Maximiliano*, & *Rudolpho*: quippe qui,

Reſpirat ſub Ferdinando I. Maximiliano, *&* Rudolpho:

qui, probe intelligebant, quantum ad procurandam communem opulentiam, metallicorum miniſteria ſocietatesque, momenti habeant. Abierat, ſub opimorum regum imperio, pars ſeculi XVI. maxima, cum perpetua fere *Bakabanyenſium* felicitate coniuncta; dum inualeſcentibus *Turcis*, & quæ hinc conſequuta ſunt, nouarum rerum ſtudiis, miſceri iterum cœpit *Hungaria*. Alioquin, iam tum *Maximiliani*, & *Rudolphi* ætate, in limitaneis munitionibus, quæ Chriſtianorum tenebantur præſidiis, *Bakabánya*, habebatur. Habet eius mentionem, NICOLAVS GABELMANNVS (*c.*) loco, non minus honorifico, quam ad poſteritatem memorando. *Monomachiam*, anno MDLXXXI. ad Calendas Maii, noſtri cum *Turcis*, non longe ab vrbe *Carpona*, mutuis pactis, inſtituerant. Huc, *Franciſco Dobone*, filio *Stephani*, duce, cum ex circumſitis arcibus vrbibusque miles confluxiſſet, ſimul, & *Bakabanyenſium*, pedites, equitesque, adfuere; de his poeta:

ſit munitiß limitanea, inſidenturque a milito præſidiario:

honorifico eius, ex Gabelmanno, *mentio:*

DOBBÓ, *abauis attauisque potens fortiſſimus heros,*
Nec genere indignus, nec belli ignarus & hoſtis.
Primus hic ante omnes magna ſtipante caterua
Inſigni ſublimis equo adueniebat, apertum
Hoſtem nec quidquam ignorans, formidine Martis
Incerti: hunc ſequitur vicinis plurima pubes
Arcibus imperio parens, non falſa monentis.
Nam longum: diues quondam Puckana *iuuentam*
Egregiam miſit: tercentum in equis, peditesque
Centum.

Hæc ille. Addit in margine: PVCKANA, (Bakabánya, *ſeu* Puggantz) *ciuitas metallica in Carpatho, & propugnaculum ſimul.* Quæ nos admonent omnino; iam tum, & metallorum reditus, diminui cœpiſſe, apud *Bakabanyenſes*, & vrbiculam, quod opportuno eſſet poſitu, ad arcendos a montanis *Turcas*, haud leuiter communitam fuiſſe, atque a milite præſidiario inſeſſam, acri ac numeroſo: quippe quæ, tercentos equites, pedites centum, in monomachiam potuerit mittere. Perpetuæ his, cum hoſte, aut velitationes fuere, aut iuſta prælia. Ergo, non potuit non, inter hæc *Martis* auocamenta, *Plati* ſtudium ſegneſcere, & ſi non prorſus interrumpi metallicæ operæ, ſaltem rebus adeo trepidis, reddi languidiores, minusque fructuoſæ. Poſt hanc ætatem, *Botskaianus* turbo in primis fuit, qui, cum anno MDCV. Hungariam, atque *montanas vrbes* præcipue, conuerruit, difficile dictu eſt, quantis tunc cladibus, cum ciues, tum metalla fuerint adflicta. Præterquam enim, quod *Hajdonum* rapinis, patebant omnia; robuſtiſſimi quique metallicorum, & ad faciendum opus maxime idonei, ad iuuandas, actis cuniculis, arcium obſidiones, gregatim abducebantur; id quod damnoſiſſimæ, in ſcrutandis metallis, ceſſationis & occaſio fuit, & cauſſa numquam reparandi detrimenti. Redibant poſtea, mala eadem, quoties, nouæ e *Tranſiluania* tempeſtates, in

vrbis iniuria, ex Botskaiano *tumultu:*

ex ſeditionibus item reliquit.

c.) Monomachiæ Hungaricæ, Lib. II. p. 14. b. ſequ.

Hungariam effundebantur. Nihil certe mitius, ſub *Gabriele Bethlenio*, *Georgio Rakocio*, *Emerico Tököly*; vt nuperæ ſeditionis infortunia taceamus, cum *Bakabanyenſibus*, actum eſt.

§. V.

Mala, a Turcis, *vrbi, & eius circum vicinia, inflicta: munitur ideo, publico regni ſumtu: leges, in eam rem perlatæ:*

DOmeſticæ hæ, & a ciuibus illatæ iniuriæ fuerunt; quas *Turcæ* ſubinde, mirum in modum, cumulabant: eo tamen ciuibus forte æquiores; quod hi quidem, libertatis obtentu, patriam perdebant, illi more ſuo, tetram, nefariam, crudelemque tyrannidem, adfectabant aperte, & nulla non vi. Dici vix poteſt, quantis vrbem, & huius circum viciniam, impreſſionibus, fere in dies ſingulos, fatigarit nefarius hoſtis. Ordines profecto regni, calamitatem eam, cum vrbe ipſa, tum a montanis ciuitatibus reliquis, auerruncaturi, legem, publicis comitiis, anno MDLXXVIII. rogauere: *Ad* Bakabánya, *Comitatus* Thúrócz *&* Arva, *laborent. cuius oppidi munitio, ſi finita fuerit, dicti Comitatus ad* Ujvár *iterum applicentur.* quæ demum lex, de munienda vrbe, ſanciebatur ſæpius. Anno certe MDCXLVII. (*d.*) decretum eſt, vti valido præſidio quamprimum, communiretur. Ea ſic habet: *Quia* Baka-Bánya, *vna ex montanis ciuitatibus, adeo ſit Turcarum incurſioni expoſita, vt niſi de aliquo ſubſidio ipſi prouideatur, timendum, ne paullo poſt, vel in Turcarum poteſtatem deueniat, vel alioquin etiam penitus ruinetur, cum ingenti damno montanarum ciuitatum, & partium illarum: Supplicant igitur Status & Ordines, Sua Maieſtati, dignetur Sua Maieſtas, ante nominata ciuitati, de aliquo certo præſidiario milite prouidere, eorumque ſolutionem, ex prouentibus montanarum ciuitatum ordinare, ſiquidem, eatum dicta ciuitas, propugnaculum eſſet.* Hæc tunc rogabantur; vt ex procliui ſit exiſtimare, ſola ciuium virtute, vrbem diutius fuiſſe defenſatam. Atque ita eſt omnino, fuit *Baka-Bánya*, iuxta cum *Carpona*, montanarum vrbium propugnaculum. quæ res, neceſſitatem ciuibus imponebat, vt migrata ſecturarum cura, arma tractare, propulſareque hoſtem, a ſuis & vicinorum ceruicibus, cogerentur. Iisdem iſtis comitiis, muniendæ *Baka-Bánya*, curam vni *Proceſſuum Hontenſium*, (*e.*) demandauere Status: Ad Baka-Bánya inquiunt, *vnus Proceſſus Comitatus Hontenſis, nimirum, egregii Michaelis Bánffy.* Biennium interim abiit, dum Cæſar Ferdinandvs III. iterata ſanctione, momentoſæ eius rei, anno MDCXLIX. (*f.*) ab Ordinibus precario admoneretur. *Cum ex periclitante ciuitate* Baka-Bánya, *reliquæ etiam montanæ ciuitates, & conſequenter fodinæ regiæ, periclitarentur; proinde Sua Sacratiſſima Maieſtas, Articulum CXLIII. anni MDCXLVII. effectuare, ipſique ciuitati, de certo præſidio militari, prout etiam ſe ſe, benigne obtulit, prouidere clementer dignabitur.* Nimirum, non tantum non diminuebantur vrbis pericula; ſed fiebant

in iis exſe-

etiam

d.) Articulo CXLIII.
e.) Articulo CLIII.
f.) Articulo XLIX.

etiam in dies grauiora, quæ ideo, adtentos ad montanarum vrbium ſecuritatem, Ordines reddebant: at quod mirere, irrito ſucceſſu; vt anno demum MDCLV. *(g.)* *equites quinquaginta*, totidemque *pedites*, publico iterum comitiorum decreto, vrbi, quomodocunque iam communitæ, præſidio deſignari oportuerit. Sed ea quoque ſanctio, ad irritum recidit, vt iterari omnino debuerit, anno MDCLIX. *(h.)* haud ſine querela: *De equitibus in Carpenenſi ciuitate; item militibus in* Báka-Bánya, reliqua, *præcitatus Articulus III. anni MDCLV. iam tandem effectuetur.* *quendis, dammoſæ tarditas.*

§. VI.

ATque iſta cunctatione, immo ſupina fuit negligentia, accidit, vt poſt captum *Ujuarinum*, anno MDCLXIV. male cuſtoditam, atque inermen fere ciuitatem, *Turcæ* cum *Tartaris*, ſubita impreſſione, adorirentur, obtruncatisque portarum excubatoribus, ante perrumperent, quam ad ferendam opem, reiiciendosque hoſtes, concurſari potuit. Adparabat, nimirum, bellicam expeditionem *Suſa*, iamque *Nitriam* interceperat, *Léuam* inde expugnaturus; cum *Turcæ* Levenſes, ſiue vt *Zrinianos*, ad *Quinque Eccleſias*, atque *Eſzekum*, (*i.*) ſucceſſus, vlciſcerentur; ſiue, vt *Suſæ* deſtinationes, quomodocunque labefactarent, adſcitis *Ujuarino* ſociis, *Bakabányam* diripiendam ſtatuunt, prius quam in conſpectum ſe daret *Germanorum* exercitus. Quod & ita euenit. In vrbem enim illapſi, obuios quosque, ſine ætatis aut ſexus diſcrimine, cædunt, expilatisque, tota ciuitate, ædibus, tectis ignem iniiciunt, diuque graſſati, ciuium plerosque omnes, barbara feritate concidunt, octoginta captiuis, in quibus Slauorum concionator, *Vietoris* ei nomen fuit, numerabatur, ſecum raptatis. Sanguinolenta hac clade, quicquid e *Saxonibus* ſuperabat adhuc, aut fœdum in modum contrucidatum, aut in duriſſimam ſeruitutem, abductum fuit. Ergo, *Slauos*, e vicinis *Comitatibus*, in ſupplementa, ad vrbem confluere oportuit: gnauum quidem genus; ſed cui potior, vtriusque agricolationis, frumentariæ & vineaticæ, ratio fuit, quam eruendorum metallorum. Factum proinde his rebus eſt, vt migrata fere penitus, ſecturarum cura, ex montana vrbe, horreum fieret ruſticum. Venas certe, qui iam ſcrutetur, vix quisquam ſuperat amplius: ſi qualemcunque prouidentiam magiſtratus excipias; qua fit, vt paucæ quædam operæ, adhuc ſuſtententur, ne penitus, iure vrbis metallicæ excidant ciues. Meminit *Bakabanyenſium* metallorum, TOLLIVS. *(k.)* BOCCANTIVM, *oppidum eſt, vbi argentum effoditur, multo auro admixto: item aurum purum, in ſaxo rubro delitescens, quod ex eo confracto contuſoque ſudibus, adfuſa aqua elicitur.* Turcæ; *non ſatis munitam vrbem,* *inuadunt, expilant, & igni concrematam, incolis exinaniunt:* Slauorum *hinc ſupplementa adſciſcuntur; ingenti rei metallariæ detrimento:*

Uuuu 3 Ad-

g.) Articulo III.
h.) Articulo IV.
i.) Hiberna is expeditione, *Quinque Eccleſias*, interceperat exuſſeratque famoſum *Eſzeky* pontem. WAGNERVS Lib. II. pag. 143.
k.) Epiſtola Itineraria V. p. 165.

Adde GEORGIVM AGRICOLAM, *(l.)* qui vtramque hanc *Bakabanyenſis* metalli indolem, memorat: & quod argentum auro ſit maritatum, &, quod rubro vtrumque lapide, contineantur. Annis ſuperioribus, *Neoſolienſes* vrburarii, in ſocietatem coiuerant, ei fini inſtitutam, vt *Bakabanyenſium*, deſertas aurarias, omni ſolertia, recolerent; ſed, cum res ea, non minus ſumtuoſa, quam ob aquarum, quibus tudes metallici impellerentur, penuriam, extra modum difficilis eſſet damnoſaque, molitio tota, iterum intercidit. Ciues itaque præter ruſticas occupationes, de quibus diximus iam, vinum illud *factitium*, cui vulgo *Pálinka* nomen, excoquunt e farre, tanta copia, vt habeant, quod longe lateque, per fora vicosque, venum circumferant. Reliquam vrbis opportunitatem, PARSCHITIVS ſic deſcribit: *Templum habet elegantis ſtructuræ, mœnibus, inſtar propugnaculi, incinctum. Colit vineas quoque modici prouentus, ſeritque vbertim cepas, allia, olera, cucumeres; pomariis, & reliqua ad victum commoditate, affatim inſtructa. quorſum, montes, ſiluas, agros, & prata retuleris.* Anno MDCCX. poſt *Rákóczianos*, ex montanis vrbibus, depulſos, *Cæſariani*, præſidio *Bakabányam* tenuere, ſarcitis quomodocunque munitionibus. Inſignia vrbis, nouus ſcriptor, ad hunc modum deſcripſit: BAKABÁNYA, *voce patria*, Buggans, *e ſeptem Montanis Liberis Regiisque ciuitatibus vna, auri argentique fodinis nobilis, D. Nicolaum patronum, pro inſignibus vendicat. Media diui effigies, ſuperiore campo nigro elucet; inferiorem petra obtinet. cuius ſinum ac venas, foſſoriæ operæ, repetitis malleorum ictibus, rimari conſpiciuntur.* Nundinis quoque frequentatur *Baka-Bánya*, quarum ei iura, priſci reges indulſerunt. Coeunt, ſcilicet, *Dominica* ante *ſeptuageſimam*; die *B. Georgii Martyris*, memoriali; porro *Viſitationis* B. V. MARIAE; denique, die *S. Nicolai*, quem primi conditores, patronum, delegerunt. Tantum erat, quod de *Baka-Bánya* potuimus expromere.

Fruſtraneus in recolendis aurariis huiatibus, Neoſolienſis *ſocietatis, conatus:*

eiuium occupationes:

reliquus vrbicula habitus, ex Parſchitio, *deſcriptus:*

inſignia.

SECTIO II.

De Oppidis & Arcibus Proceſſus Báthenſis.

PROOEMIVM.

VT partiendi moleſtiam euitemus, Oppida, quorum duo ſunt, & arcem, huius Proceſſus vnicam eodem faſce, complectemur. Et in oppidis quidem, *Báth*, atque *Börsöny*, cenſentur: arcis *Drégely*, memoriam triſte rudus adſeruat. Pauca de ſingulis habebimus dicere. SY-

l.) De Natura Foſſilium, Lib. X. p. m. 364. &, de Veteribus & Nouis Metallis, Lib. II. p. 404.

SYNOPSIS.

I. Báth: *natales oppidi priſcos eſſe volunt, & ad* Opos Báthor, *referendos.* §. I.
Eidem, laudem quoque tribuunt, edis, D. Martini *exſtructæ: herorum oppidi ſucceſſio & catalogus.* §. II.
Oppidi opportunitas: nundinæ annuæ: fora hebdomadaria; frumentaria ſunt potiſſimum: agri vbertas, vini & frumenti prouentu inſignis: ciues priſci, Germani fuerunt; atque hi metallarii: eorum lingua, Frau-Marck *dicitur oppidum.* §. III.
Eius nominis rationes expromuntur: incolæ hodierni, Slaui *iam ſunt, pauci* Hungari: *exciderunt veteribus priuilegiis.* §. IV.
II. Börsöny: *colonia itidem Germanica fuit, eademque metallaria: ceſſauit iam ſectuarum cultus: & cur? oppidi fata: ciuium operæ: eſt in* Archiepiſcopi Strigonienſis *ditione: oppidi ſitus: aucupii, & venationis eximia circum commoditas eſt: auctoris, de recolendis metallis* Börsönienſibus, *vota.*

I. Oppidvm Bath.

§. I.

BÁTH, vetus eſt oppidum, &, ſi coniectatoribus, fidem adhibuerimus, quantum ad eius exordia adtinet, in iis referendum, quæ poſt conſtitutam *Hungarorum* rempublicam, cœperunt excitari. Sunt, (*a.*) nempe, qui *Opos Báthorem* illum, qui Geysæ & Salomonis ætate, ob inſigne robur, & bellicæ virtutis gloriam, maximopere inclaruit, oppidi conditorem veteribus ſchedis freti, haud ſine veroſimilitudinis ſpecie, fuiſſe contendunt. Magna de viri fortitudine, apud ſcriptores Hungaricos, gloriatio eſt: quippe qui, gemina pugna ſingulari, (*b.*) victor abierit; bis ſubierit portas obſeſſorum; clade vtrobique edita, quæ iam non vacat adſcribere. Id conſtat ſibi, ab audacia nomen fortiſſimo militi hæſiſſe, quod inde, in *Báthoreorum* (*c.*) gentem,

Natales oppidi priſcos eſſe volunt, & ad Opos Báthor *referendos.*

a.) Liberali manu & animo, has mecum communicauit, R. Iosephvs Carolvs Zbisko *de Kis Kolaczin*, vir, ſi quis ordinis ſui alius, antiquitatum patriæ amans: tunc ſacerdotio apud *Dioſzegienſes*, in Piſonienſium prouincia, fungens: quippe qui, *Báthonia*, nobili loco in lucem editus, atque educatus liberaliter, multum operæ, in cognoſcendis patriæ ſuæ originibus, collocauit. Iam *Ujvarienſis* Vice-Archi-Diaconus eſt.

b.) Prior ei, cum giganteæ magnitudinis Bohemo fuit, Thuróczivs, Chron. Hung. Parte II. Cap. XLVIII. p. 53, 58. Poſterior, cum Petro, *Geyſa* ducis forti ac glorioſo milite, idem, c. LIII. p. 59, 4. Portas autem & munitiones, ad *Albam Græcam* primum, ibid. Cap. L. p. 56, 1. poſtea ad *Nitriam*, c. LIV. p. 62, 30. ſubiit. Fuit, comes fugæ Salomonis, p. 60, 30. Singula, hæc ficta, ad exaggerandum oratione, Bonfinivs quoque memorat, Dec. II. Lib. III.

c.) De Bathoreae gentis origine, vide fabulantem Bonfinivm, Dec. I. Lib. I. pag. 5.

Digitized by Google

tem, ad regiæ vsque dignitatis fastigium, euectam, propagatum est: cum ipse filius *Martini*, de genere *Wencellini* fuisse perhibeatur, cuius postea, rebus pacatis, agnomen *de Báth*, hoc est, a nostro isthoc oppido, arcessitum fuerit. quod viderint alii. Ceterum, *Wencellini* genus, quale, & vnde sit profectum, THÚRÓCZIVS (*d.*) litteris mandauit. *Ascendit quoque de Bauaria*, Wencellinus, *videlicet* Vazunburg, *qui cum* S. Stephano, *in Symigio*, Cupam *ducem interfecit: capitaneus enim exercitus exstitit eodem die. Ex istis*, Iako, *nascitur, principum & origo.*

§. II.

Eidem, laudem quoque tribuunt edis, D. Martini, *exstruendæ:*

ILlustria ergo *Báthi* sunt exordia, si fides veteribus illis schedis, habenda est. Addunt, eundem *Opus Báthor*, quod patre *Martino* sit natus, ædem sacram, in eius diui honorem, ex manubiis, in suo hoc oppido, condidisse. *In honorem*, inquiunt schedæ, S. MARTINI, militis, *posteaque Turonensis episcopi*, OPVS BÁTHOR, *qua miles, & qua filius* Martini Báthor, *ecclesiam in oppido suo* Báth *exstruxit, & Abbatia, dicta de Bátha condecorauit. quæ iniuria temporum, & iniquitate rerum collapsa, ne nomen quidem retinet. Nunc, adtrita solum vestigia*, Altariæ Corporis Christi, *sub turri, & insula*, Abbatialis, *in curia* Schneideriana, *alias* Weissiana, *exhibet, diligenter scrutantibus.* De educto, a *Báthore*, dedicatoque *S. Martino*, templo, si rite se habent reliqua, nemini litem mouerim: quæ de *Abbatia de Báth* dicuntur, palam est, non isthuc, sed ad *Tholnensem* illam *Abbatiam*, referri oportere, de qua PÁZMANY (*e.*) Cardinalis: BÁTA, *S. Michaelis Archangeli, in Diœcesi Quinqueecclesiensi, Comitatu Tolnensi.* Hæc monenda erant. Ego ita existimarim, infulæ, quod adhuc in *curia* illa, superat, insigne, non tam sedem *Abbatis* notauisse, quam prætorii eius possessionem, ad hanc illamue *Abbatiam* pertinentem. Ceteroquin, templum ipsum *D. Martini*, capax est omnino numerosæ concionis, & mole substructum non ineleganti. quæ tamen, ob vetustatis vitia, instaurationis est indiga. Iam ad heros oppidi, quod adtinet, post *Opus* fata, *Báthoreorum* ditioni accenseri oportuit; dum *Levensi* dominationi adscriberetur: id vero, qua, seu ætate, seu ratione, euenerit, non est facile eruderatu. Istud certum, regibus paruisse olim, a quibus, non vna prærogatiua donatum fuisse constat: donec in *Levensem* dynastiam transiret; idque permutatione facta, dum rex quidem LVDOVICVS II. genti *de Leva Báthum;* hi regi *Nádas*, cum vicis aliis, mutuo traderent. Toties ergo variasse dominos, quoties, *Léva*, in nouorum veniebat potestatem, certum est. Ea de re, laudatus amicus: *Fuit* Báthouia *olim quidem gentis de Léva; post hos*, & Melchiorem Balassam exactum, Dobonum de *Ruszka, patris nomine* Stephani, & Francisci *filii. Iis e-*

Heroum oppidi successio & catalogus.

mor-

d.) Loco citato, p. 34. cap. XII.

e.) Appendice II. p. 10. in Catalogo ABBATIARVM S. BENEDICTI.

Digitized by Google

mortuis iure nuptiarum, Siegefridi Kollonits; *demum* Emerici Iakuſchich, de Orboua; tandem Comitum Csáky: dum ad vltimum, Leopoldi M. *indulgentia, iure perenni, in manus Principis* P. Eszterházy, *Regni Hungariæ Palatini, perueniret: cuius hæredibus, paret hodieque, curiis duabus exceptis, quarum altera* Weiſſiani, *iam his exſtinctis*, Schneideriani; *altera* Zbiskoiani *iuris eſt. Hanc* Andreas Zbisko, de Kis-Kolacſin, *per defectum ſeminis* Léſſiani, *elaborante ſimul* Comite Paullo Csáky, *clementiſſima donatione* Leopoldi M. *ſuam fecit.*

§. III.

HAbitus oppidi, ſic ſatis cultus eſt copioſusque, ad quam eius fortunam, cum agri, eximia ad ruſticandum opportunitas, tum nundinarum, & *hebdomadariorum* mercatuum frequentia, permultum ſane momenti adferunt. Et nundinæ quidem annuæ, *Dominica Palmarum*; *Rogate*, diebus, S. S. *Laurentii*, & *Martini*, feſtis; denique *Dominica III. Aduentus*, regum indultu, ſolent concelebrari; tanta concurſantis multitudinis, ad emendum vendendumue, auiditate, quantam, vix in celebrioribus *Hungariæ* vrbibus, facile obſeruaueris. At fora *hebdomadaria*, in ſingulos dies *Lunæ*, aguntur, ſuntque frumentaria potiſſimum. Huc, nimirum *Hontenſes*, omne frumenti genus conuehunt, vt iure annonarium emporium, *Báthouienſium* hæc celebritas dici poſſit. Nempe, inſtitorum ordo quidam, iſthic, & in vicinia circum, regnat, quos, ex *Germanico* vocabulo: *Die Tauſcher*, Hungari, *Tötséres*, Slaui *Tauſſari*, adpellant. Mira horum, cum in coëmendo, tum in vendendo frumento, induſtria eſt, quandoque etiam cum dolo malo coniuncta; vt iam nomen illud, in conuicium fere abierit, apud multos. Quidquid hoc, ſeu veri, ſeu ficti ſit criminis, *Schemnicienſes* profecto, & egena frumenti vicinia, hinc præcipue annonam accipiunt. Accedit, ad oppidi felicitatem, agri vbertas, & agricolationi vtrique, vineaticæ frumentariæque in primis amica. De vino huiate, prædicari accepimus, iure id quodam ſuo, ad *ſecundam notam*, referri poſſe, vbi, & annus viti fauit, & ſollicite caſteque, inſtituta eſt vindemiatio. Ceres præterea, agrum nacta reſolutum, neque non fœcundum, egregie colono reſpondet; niſi cæli contraiuerint iniuriæ. Fit ergo his rebus, vt oppidani plerique omnes, ruſticatione malint distineri, quam ſedentariis operis: quæ ne ipſæ tamen deſunt in oppido. Priſca illa ætate, *Germani* fuere ciues, ac hi fere metallarii, qui apud *Bakabanyenſes*, opus, aut feciſſe, aut impenſa iuuiſſe, perhibentur. Quid? quod officinæ monetariæ, veſtigium oſtentent adhuc, qui ſunt antiquarum rerum ſtudioſi. Forte, liquatorum potius furni erant, non monetarii. quod iam in medio relinquimus. Interim, hanc Germanorum coloniam, nomen item oppidi Teutonicum, *Frau-Marck*, exiſtimantibus, facile ſuſpicio exoritur, de *Báthoriorum* illa, quam nunc meminimus, originum veritate. qua de re promam, quid ſentiam.

Oppidi opportunitas:

nundinæ annuæ;

fora hebdomadaria *frumentaria ſunt potiſſimum:*

agri vbertas vini, & frumenti prouentus inſignis:

ciues priſci, Germani, *fuerunt, atque hi fere metallarii:*

eorum lingua, Frau-Marck *dicitur oppidum.*

§. IV.

Eius nominis rationes exprimuntur:

SVa, reginis, cum alibi, tum in montibus præcipue auriferis, olim prædia, fundi, vici, immo & vrbes fuere. In promtu eſt *Riuulini* ſiue *Riuuli Dominarum*, metallicæ, in prouincia *Szatmarienſi*, vrbis exemplum. *Reginarum* ea priſcis temporibus, vna cum fodinarum reditibus, fuit propria; id quod in vrbis hiſtoria docebimus. Ergo, enatum inde nomen, vt cum Hungari *Nagybányam*, ſeu *fodinam magnam*, adpellent, latine, *Riuulum Dominarum*, hoc eſt, ſi Germanice reddas, *Frauen-Bächlein*, vocent: quod ex vrbis metallis, vtilitas omnis ac fructus, vbere quaſi riuo, in reginam redundarit. Ad hunc ergo modum, *Báthi*, Germanicum nomen enatum, auguror. Nempe ad reginas adtinuiſſe puto, oppidum; ſiue, vt vicina metalla, operis tributariis augeret; ſiue, vt eſſet, vbi diuerſarentur, ſi intra hos montes digredi eas contigeret. Certe, vt iis adſentiar, qui vocabulum *Dominæ*, in Germanica illa adpellatione, a diuiniſſima VIRGINE MARIA, arceſſunt, in animum inducere non poſſum: quando, nullum, toto oppido, veſtigium adparet, quod ei denominationi locum feciſſe credi poſſet. Iam, exſtinctis *Germanis* ciuibus, *Slaui* oppidum colunt; rariores *Hungari:* vtrique autem, ita factis ædibus habitant, vt adpareat ſatis, quos olim habuerint anteceſſores: *Germanos* nempe, commode agere ſolitos. Id dolent oppidani, quod exciderint, peculiaribus iis iuribus, quæ olim ab indulgentia regum acceperant; ſiue id demum, ſua ipſorum incuria, ſiue alieno factum arbitratu eſt. Fræna, aliquando momordiſſe *Báthenſes* oportuit, ſi perlatam, eam in rem legem, penitus exiſtimes. quæ ſic habet: (*f.*) *Siquidem Dominis terreſtribus, oppidorum* Pásztó & BÁTH, *contra priuilegia ſubditorum, iam antecedenter legibus prouiſum eſt: ideoque, quantum priuilegiis talibus, vel per contradictionem, aut per contrarium vſum derogatum eſt; ea tenus, & in futurum, iure ſuo dominali, quo ante talium priuilegiorum confirmationem vtebantur, iisdem frui licebit, quam diu, iudicialiter ſecus non determinabitur.* Hæc, tunc decreta fuere, quæ quidem iis, quo iam ſit habitu, non habemus dicere. Satis de *Báthouia.*

Incola hodierni Slaui *iam ſunt pauci* Hungari:

exciderunt veteribus priuilegiis.

II. OPPIDVM BÖRSÖNY.

Börsöny, colonia, itidem Germanica *fuit, eademque metallaria:*

BÖRSÖNY, Germanis *Pilſen*, vetus *Saxonum* colonia, quam eruendorum metallorum ſtudia; ſiue ex interiore *Saxonia;* ſiue, quod creditu procliuius eſt, ex vrbibus montanis, iſthuc exciuere. Ac fuit omnino, metallicum oppidum, noh copioſum modo; ſed opulentum etiam, cum florerent adhuc aurariarum operæ: nam, iſtud metalli genus, erutum iſthic fuiſſe, relatum accepimus. Exſtant hodieque, metallarii eius laboris, inſignia paſſim veſtigia, quæ, ſurgente ſeculo, hac profecti, ob iter ſpectauimus, cepimusque inde

f.) Anni MDCCXV. Articulo XCV.

Digitized by Google

de argumentum, ſtudioſe non minus, quam fructuoſe, fodinas olim hic fuiſſe cultas. quæ iam dudum, aut, ob venarum pauperiem, aut certe, ob acerbiſſimas, temporum retro actorum, iniurias, obturatæ ſunt. Quia enim, vicinas, in omnem plagam, arces habuit, variis fortunæ caſibus iactabatur oppidum. Circum clauditur nempe, quaſi indagine quadam, *Strigonio*, *Damaſzto*, *Dregélo*, *Wiſſegrádo*, *Nógrádo*, item *Váczia*, *Gyarmatho*, *Szétsénio*, & militari caſtello, *Saag*. Ergo, quoties, ſeu hoſtes, ſeu noſtri, arcibus iſtis imminebant, ſuſcipiebantque obſidiones, peſſundari, cum oppidum ipſum, tum metallica opera, neceſſum fuit. In more tunc habuere adflictiſſimi ciues, vti ferarum ritu, intra montium luſtra, ſe, ſuos, & armenta gregesque pecorum, omni, qua poterant, prouidentia, reconderent; vbi demum, mutatis ſubinde ſedibus, tam diu latitabant, dum ſpes adfulgeret, qualiscunque tranquillitatis. Tum vero, ſorecum more, duriſſima quæque paſſi, prorepebant ex montanis iſtiusmodi perfugiis: cum interim, inane oppidum, miles pabulabundus, aut exuſſit, aut alio maleficio, peſſumdedit. Quamobrem, toties inſtaurari oppidum debuit, quoties bellorum mala, reſederunt aliquantiſper. Quid? quod & tunc, cum vtrinque pax refocillata, noſtros, iuxta & *Turcas*, retentare ab rapinis, debuerat, aperta circum regio, gementibus oppidanis, furtiuis impreſſionibus, ſæpe iterumque, ad incitas redigeretur. Ita ſe habuerunt fata oppidi, ſæpius ad vaſtitatem redacti; vt mirum haud ſit, decreuiſſe iam ad vici tenuioris modum, cura metallorum migrata penitus. Incolæ profecto, metallicarum operarum obliti, an pertæſi, opus ruſticum, cum frumentarium illud, tum vineaticum exercent. Vtroque autem pulchre proficiunt; ſed vinearum præcipue, quæ vinum fundunt, haud ignobile. Id mirere, potuiſſe, ex tot cladibus, *Saxonica* illius, de qua diximus, coloniæ, reliquias ſuperare. *Germanice* loquuntur adhuc, at inficeta dialecto. Iam & *Slani*, in ſupplementa ciuium adſciſcuntur. Adſcribitur oppidum, inde ab immemorabili tempore, *Archiepiſcopis Strigonienſibus*, quorum beneficio, oppidi prærogatiuam, a regibus aiunt impetratam: nam priſca ætate, in vicis cenſebatur. Ex diplomatibus tabularii *Archiepiſcopatus Strigonienſis*, edocti ſumus, retectis, auri & argenti venis, Sigismvndvm regem fuiſſe, qui earum ſcrutandarum facultatem, *Archiepiſcopis* fecerit, ad annum MCCCCXVI. quam, non ipſe modum Sigismvndvs, ratam iterum, anno ſequenti, habuit; ſed gener etiam ſuus, Albertvs: cuius quidem tabulæ, anno MCCCCXXXIX. in eandem rem ſunt perſcriptæ. Sedet oppidum, intra montes, poſitu, neque obſcuro, neque aperto nimis. Riuus hac intercurrens, cancris & fundulis amicus eſt; præter naturam fluuiorum, qui per metallicos alueos, labuntur. Sed, hæc quidem piſcatio, exilis eſt omnino: vberior aucupii eſſet modus, ſi cum cura ſciteque inſtitueretur. Vtraque, montani venatus ſuperant; quia enim ſiluoſa circum ſunt omnia, vix vllum feræ genus fuerit, quod hic non pulleſcat, cerui nimirum, damæ, apri & lepo-

ceſſauit iam ſectarum cultus, & cur?

oppidi fata:

ciuium opera:

eſt in Archiepiſcopi Strigonienſis, ditione:

oppidi ſitus:

auctoris, de recolendis metallis Börsöni-enſibus, vota.

rum agmina. Ergo, viuarium hic, *Pontifex Strigonienſis*, arte quaſi inſtructum habet, venationis inexhauſtæ. Ceteroquin, optandum eſt, vt ſint homines, qui *Börsönienſes* hos montes ſcrutentur denuo : non quod permulti lucripetarum fecere, noſtra hac ætate, deſultoriis operis; ſed, qui pertinaci quadam contentione, eo vsque, in opus incumberent, dum venis potirentur, quarum reditus, diuturniores impenſas, largo cum fœnore, diſſoluerent. quod, quia vltra priuatorum fortunas eſt; his eam mentem precamur, quibus non modo, quod ſatis eſt; verum etiam, quod ſuperuacuum poſſet videri, perpetuo, & ſine paupertatis formidine, ſufficit. Nam, ſunt profecto, montes *Börsönienſes*, & horum adfines, metallis ita grauidati, vt peritiſſimum metallurgices virum, non ſine ratione adfirmantem audierim aliquando; poſſe, iſthic, fecturas inſtrui, *Schemnicienſibus*, ſiue molem ſpectes, ſiue reditus, nihilo deteriores. quas ego tamen opes, poſteritati adſeruari exiſtimauerim : dum veniant meliores, quam nos ſumus, homines, & cum his, *Saturnia regna*.

SECTIO III.

De Vicis Proceſſus Báthenſis.

EAndem, in his deſignandis, rationem ſequemur, quam tenuimus ſuperius; vt ditionum ſingularum vicos, ante omnia; poſtea, qui ſunt in nobilitatis poteſtate, memoremus.

1. *Füzes-Gyarmath*, ita dicitur, vt ab *Ipoly-Gyarmath*, oppido *Balaſſiorum*, quod eſt apud *Neogradienſes*, diſcriminaretur. Adſedit *Grano* amni, latere orientali, ad fluuium *Székencze*. Situ eſt eleuatiore, hinc ædes quoque ſacra, quæ ineſt vico, longe lateque viſitur. Ager, qui admenſus ei eſt, frumentarius potiſſimum, commodam præbet ruſticationem, ob collinos hic, depreſſos alibi, poſitus. Itaque veſcuntur incolæ pane laudatiſſimo. Prata contra, non raro, vtriusque amnis eluuionibus, obruuntur. Inſignis hic cancrorum, quos *Hungari nigros* adpellant, captura eſt. Gaudet ſimul, prouentu *Salis Nitri*. quod curate excoquunt, earum operarum ſtudioſi. Circumſidetur vicis pluribus; ab oriente trans collem, *Szánto* eſt, acidularum præſtantia nobilis, atque *Deméndd* a meridie, *Felsö-Fegyvernek*; ab occidente, *Szent György*, & *Óvár*; denique ab aquilone *Ladány*. Varie hinc ſparguntur:

2.) *Kövesd*,
3.) *Bajtha*,
4.) *Leled*,
5.) *Szalka*,
6.) *Kis-Ölved*, &
7. *Szete*.

Vici hi omnes, ad Archiepiſcopatum Strigonienſem, *ac præcipue quidem ditionem* Nagy-Sallóienſem, adtinent.

8.) *Al-*

8.) *Alsó-Fegyvernek.*
9.) *Zokolya,*
10.) *Felsó-Almas,*
11.) *Alsó-Tóth-Baka,*
12.) *Drzſenye,*
13.) *Cſank,*
14.) *Zalaba,*
15.) *Páſztow,*
16.) *Szakállos-Perücsény.*
17.) *Mikolya.*
18.) *Elles-Falva.* Sunt hi in *Lévenſi* dominatione. Ita tamen, vt, *Felsó-Almás*, *Alsó-Tóth-Baka*, & *Drzſenye:* ille in *Radvanſzkiorum;* hic in *Ujfaluſiana* viduæ; iſte in *Alexandri Szulyowſzky*, pignore ſint adhuc: breui, quæ eſt præfectorum ſolertia, reluendi.

19.) *Hellemba,*
20.) *Szob,*
21.) *Letkes,*
22.) *Tülgyes.*
23.) *Kis-Keſzi.*
24.) *Pasd,* Hi ſinguli accenſentur ditioni Damaſzdienſi.
25.) *Proſenicz,* &
26.) *Alsó-Almás*, Præpoſituræ Saághienſis fuere olim; iam iure hæreditario, *Societati* Iesv, quæ eſt *Neoſolii*, ſunt adtributi. Vicini ſunt pagi. quorum ille, vix ducentis paſſibus *Báthovia* ſubmotus eſt, generoſi vini prouentu, tota prouincia, in primis clarus, & inſigni caſtello inſeſſus.

27.) *Kis Gyarmath*, ſpectat ad dominationem *Bátorkeſzienſem*, quæ eſt in *Comitatu Strigonienſi*, atque in gentis *Pálffiana* hærediis.

28.) *Maroſs*, Slauis, *Maruſſa*, extimum huius *Proceſſus*, in ſolem meridionalem, oppidum, an vicus? Inſedit in *Danubii* ripa, aduerſus *Wiſſegrádum.* Istvánfyvs certe, oppidum (*a.*) vocauit. Atque fuit omnino, cultum olim & ad ciuitatulæ modum, ob regiæ vicinitatem, inſtructum. Nempe, Carolo I. & huius filio Lvdovico I. denique Matthia Coruinio, iſthic diuerſantibus, quod vrbs *Wiſſegradenſis*, fere omnis, regiis palatiis, hortis villisque, publicis præterea ædibus aliis, inſeſſa fuit penitus; obſidens opportune *Maroſſum*, prætoriis partim, partim voluptuariis ſeceſſibus, familiares aulæ proceres inædificauerant, vt haberent, ſua in obtutu regiæ, auocamenta. quæ & plura fuere oppido, & omnia ita facta, vt & reges illicerent, & horum comitatum. Præterquam enim, quod *Danubius*, eodem, atque egregie laxo profundoque alueo, vrbem, & oppidum, intercurrens, piſcatus ſufficiebat, iucundos non minus, quam vberes; ſiluoſi montes, qui a tergo *Maroſſi* adſurgunt, variisque inde, atque amœne ſe ſe miſcentibus iugis, longe lateque diſcurrunt, inexhauſtorum fuere venatuum: vt aucupii genera varia, ſileamus. Erat, proximum oppido, caſtanetum, fructus eximii, Italico ritu, a Carolo I. conſitum, & varie propagatis ambulacris, apricationibus, iterumque vmbraculis, ad depellendum ſolem, ex viuis frondibus contextis, per montis decliuia, inſtructum. quæ ſingula tamen, ſilueſcebant poſtea, cum barbari arcem occupauere; vt noſtra ætate, vix quidquam, ex iucundo hoc arboreto, præter pullu-

a.) Libro XIV. p. 249., 33.

laſcentes ſtipites, obſeruare queas. Enim vero, eadem, qua *Wiſſegrádum*, fortuna, *Maroſſum* eſſe oportuit. Fuit olim, in vrbis, & cum hac, in regum ditione; quam *Corona Bona*; leges patriæ vocant: dum depulſis, vniuerſa regione, hoſtibus, LEOPOLDI M. indulgentia, *Comitibus Starembergiis*, tota *Wiſſegradienſis* dominatio, perpetuo iure adſcriberetur. Itaque, amiſſa, cum flore priſtino, tum oppidi prærogatiua, in vicum abiit *Maroſſum*. Ferunt, vere ne, an falſo? ambigo; eſſe *Maroſſo*, retruſam, intra montes, ſalinariam ſpecum quandam, ex qua incolæ, furtiuis foſſionibus, tantum ſalis expromant, quantum ſufficiat rei familiari, & pecuariæ; ſed quam illi, iurata mutuo fide, clam habeant. Nolim hæc, in miſerorum inuidiam contorqueri; ſi tamen rei quidquam eſt, argumentum inde capio, poſſe, iisdem, ſaltem vicinis montibus, & metalla generari, & ſalem foſſilem. quod negant aliqui. Sed, in mediterranea prouinciæ, ab amnico hoc collimitio, redeamus.

29.) *Félsö-Thót-Baka*, eſt in *Zelizenſi* ditione, paretque, cum *Eſzterházíis Comitibus*; tum *Baronibus Amade* de *Varkony*. Huc porro pertinent:

30. *Nagy Peſzek*, &

31.) *Kis-Salló*: cum contra ea;

32.) *Kis-Peſzek* ad *Berényios* Comites;

33.) *Szántó* vero, ad *Abbatiam Ciſtercienſium Piliſſienſem*, adtineant. Hic fons ille laudatiſſimarum acidularum, ſcatet, quinquaginta admodum paſſibus, ab vico ſeiunctus. Fons ipſe, ſesqui orgyiam altus, lentus ebullit, ad collis radicem. Id mirere, quod præter incolas, qui magna auiditate, aquis iſtis, tota anni tempeſtate, ad potum vtuntur; armenta quoque, cum ex agro paſcuo, hac, ad ſtabula redeunt, cupide ad fontem adcurrere, potareque acidas ad ſatietatem, immo & ſaginam: pingueſcunt enim, fiuntque, multo, quam pecudes aliæ, toroſiora. quod equidem, *ſalibus medicatis*, qui in aquis inſunt, adpetentiam pabuli cientibus, tribuerim. Enim vero, ſuppares ſunt prorſus *Selteranis*, & naturæ prorſus conſimilis; neque alio differunt, quam quod pondo vnum aquarum *Selteranarum*, tantum *ſalis alcalici* contineat, quantum *Szántóienſium*, pondo duo, artem admouentibus, exhibent. Ergo, ſi pondo tria, totidem *drachmis ſalis amaricantis*, maritentur; aut quinque pondo, ſolitarie hauriantur, egregie aluum mouent; bibunturque, non ſecure modo; verum, magno etiam valetudinis commodo, cum ab aliis, tum a phtyſicis quoque; maxime, ſi æſtiuis menſibus, cura ſolliciore, potionibus medicatis, adhibeantur. Sunt, & aliæ, in agro huiate, acidæ; ſed acerbi nimis, & *pontici* ſaporis. Qua, ex collino fonte demanant, lapideſcunt copioſe; collemque ideo exaggeratiorem efficiunt, ſcaturigine ſimul, in annos ſingulos, altius promota. (*b.*) Quod

b) Et hæc quidem, IVSTVS IOHANNES TORKOSS, Doct. Med. & Liberæ Regiæque Ciuitatis Poſonienſis, Phyſicus Ordinarius laudatiſſimus, nos docuit: quippe, naturam fontis, more quodam ſuo, non vno documento, ſemel atque iterum ſcrutatus, vt his conſuleret, qui ſe, curæ ſuæ permittere, conſueuerunt.

Quod ab his, vicorum reliquum eſt, & paſſim, toto *Proceſſu* ſpargitur, varie id nobiles familiæ, poſſident.

34.) *Felsö-Sember*, Baroſſiorum.

35.) *Alſo-Sember*, Szulyowſzkiorum.

36.) *Diſznós*, Horváthiorum de eadem *Diſznós*. Nomen, diuitem porcorum vicum ſignificat: nam *Diſznó*, porci nomen eſt apud *Hungaros*.

37.) *Horby*, nobilium iſthic degentium vicus.

38.) *Téſa*, Foglariorum, de eadem *Téſa*.

39.) *Varsány*, Simoniorum, Jánokyorum, aliorum.

40.) *Bagonya*, Liptayorum, & Jánokyorum.

41.) *Felsö-Fegyvernek*, Szúlyowszkyorum.

42.) *Naſzdray*, PP. Paullinorum.

43.) *Kalna-Borſó*, Slauis *Brhlowcze*. Vicus omnino memorandus, in primis, quod domos plerasque omnes, ſaxo habeat inciſas, quibus idem illud ſaxum, extus tecta, parietes intus, menſas ſcamnaque, rudi arte elaborata, exhibet. Eſt *Kreſzmariorum*.

44.) *Tegzes-Borſó*, eosdem, & heros habet nobiles, & iuris ſui, incolas.

45.) *Kis-Kér*, nobilium æque, iſthic colentium.

46.) *Nagy-Kéreskény*, Simonyiorum, & Goſztoniorum.

47.) *Kis-Kereskény*, Succeſſorum *Kövarianorum*.

48.) *Magyarad*, poſſeſſio *Volffgangi Goſztoni*, qui dum hæc ſcribimus, magna prouincialium adprobatione, *Vice-Comitis* axioma tuetur. Vicinus, ac fere ad teli iactum, ab ortu *Szánto* adſedit, vnde fit, vt *Szántoienſes* acidulæ, quas nunc deſcripſimus, *Magyaradenſes*, non raro dicantur. Scatent hic *Therma*, quas ſupra meminimus, neque iam poſſumus ſilere. Has, vallicula, cum tenuium aquarum riuulo, ab acidulis *Szantoienſibus*, diſcriminat. Sunt eæ ſaporis aciduli, odoris ſulphuroſi, coloris albicantis quidem, ſed turbidi. Sub ingreſſum, frigidæ ſunt lauaturis; at, vbi diuturnior fuerit inſeſſus, tepidiores ſenſim, etiam a delicatioris cuticulæ hominibus, ſentiuntur: certe, qui iis, more agreſtium, pluribus horis innatant, notabili calore eferueſcunt. Scaturigo calidarum, in colliculo eſt, quem, ex calcario lapide, longa retro annorum intercapedine, concreuiſſe putarim: nam turgeſcunt omnino calce natiua. In eiusdem collis radice, ſpecus adaperitur, in quo, ſi propius acceſſeris, exſtans, & tanquam in capaci aheno, bullientis aquæ ſonus auditur. Intus, tametſi frigeat antrum, ſulphur gignitur, flauum, nitidum, purum ac molle, quod, decempeda extractum, & libero aëri expoſitum, ſuapte natura exardeſcit. Hæret autem, per concamerationes, & latera antri; adcreſcitque, ex eius aquæ vaporibus, quæ ſubtus ebullit. Proinde, tantus ſpecui, ex ſulphure hoc, fœtor ineſt, vt ſubiri quidem, ſine metu ſuffocationis, poſſit a nemine. (c.)

49.) *Bél*,

c.) Eodem, quem nunc meminimus, auctore.

49.) *Bél*, familiarum *Dvornokowitſch*, & *Madecsáni*, vicus, nobis, fato, haud vero conſilio, cognominis. quod non erat ſilendum.

50.) *Lonthó*, herorum eorundem.

51.) *Százd*, partito iure; ad ſucceſſores *Georgii L. B. ab Heltenbach*, & hæredes *Stephani Diſznoſi*, adtinet.

52.) *Deménd*, eſt in poteſtate ſucceſſorum *Deméndiorum*, cuius familiæ origines & occaſus, in *Epiſcoporum Nitrienſium* hiſtoria, (*d.*) & ad vici Trentſinienſis *Prawoticz* mentionem, exhibebimus.

53.) *Dalmad*, variarum familiarum, *Plaskovicziana*, *Semberiana*, & reliquarum iſthic colentium.

54.) *Nemes-Oroſz*, vicinus *Füzes-Gyarmatho*. Ea frui libertate aiunt, vt nihil in eum *Comitatus* iuris habeat. Hucusque, vici fuere *Proceſſus Báthenſis*.

MEMBRUM III.

De Proceſſu Bozokienſi.

PROOEMIVM.



ITa vocant *Comitatus Hontenſis* portionem hanc, ab arce, & oppido *Bozok*. Quæ, vbi e vicinia, Liberæ Regiæque vrbis *Carponenſis* iniit, ad *Drégelii* vsque arcem, hoc eſt, ex aquilone, in meridiem, vltra tria milliaria decurrit; vix vnquam ſeſqui milliario, niſi, vbi huc & illuc ſinuatur, latior. Qua, in aquilones reprimitur, *Slauorum; Hungarorum* contra frequentatur coloniis, qua in meridiem definit. Tenuior *Proceſſibus* reliquis eſt, cum terrarum ſpatiis, tum habitatoribus etiam: arces tamen habet plures. Nunc prouinciam ipſam luſtraſſe iuuat.

SECTIO I.

De Arcibus & Oppidis Proceſſus Bozokienſis.

SYNOPSIS.

I. Bozok, *olim ſacrum inſtitutum*, Præmonſtratenſium *ordinis*, *cum* Præpoſitura: *vltimus* Præſul: *ceſſat*,

d.) Eodem hoc Tomo IV. p. 319. in Benedicto.

ſat, ex temporum iniquitate ordo, Bozoko, *profanis tradito: redimitur, a* Georgio Szétsénio, *ſacraturque* S. Ieſu Tyrnauienſi: *munitur bellis* Turcicis, *publica regni impenſa:* Emerici Balaſſæ, *aſſecla* Tökölíani, *edita iſthic crudelitas: oppidi* Bozok, *habitus hodiernus: nundinæ.*

II. CSÁBRÁGVM, *incognitæ originis: eius ſitus montanus: inſidetur per vim, a* Melchiore Balaſſa: *domatur, Salmenſis ductu: rei geſtæ hiſtoria, ex* Iſtvánffyo *depromta.* §. I.

Csábrági *fata reliqua: ſit limitaneum aduerſus* Turcas *præſidium: eſt iam in poteſtate* Kohárıorum: *occupatur a tumultuantibus* Rákóczianis: *& expilatur:* Bercsénii, *in* Stephani Kohárii *pietatem, auariſſimum dicterium.* §. II.

Auctoris, de Kohárıana *gente, commentariolum:* PETRVS KOHÁRI, *familiæ pater, bellica virtute emergit, ſit, vicaria poteſtate,* Ujvárini *præfectus: traditur, ob negatam arcis deditionem, a milite præſidiario,* Bethlenianis: *conſequuta hinc viri captiuitas:* STEPHANVS I. Petri *filius, paternarum virtutum hæres: eius, ad* Lévam, *occaſus, ex* Wagnero *memoratur:* Stephani *filii, atque in his* STEPHANVS II. §. III.

Eius laudes ingenuæ: adminiſtrati, bello & pace, magiſtratus: ſit prætor regni: reliquum vitæ inſtitutum: eius hæres, ANDREAS, *ex fratre* Wolffgango *nepos.* §. IV.

WOLFFGANGI *res: matrimonium, & filii: horum fata:* ANDREAS, *nunc familiæ caput.* §. V.

III. *Arcis* Drégely *etymon: poſitio opportuna: molis partitio: ratio ſubſtructionum: arcis, & adſcriptæ ei ditionis, poſſeſſor,* Archiepiſcopus Strigonienſis. §. I.

Bello ciuili munitur ab heris: ſit propugnaculum limitaneum: obſidetur a Turcis: Zondii, *arcis præfecti, virtus: prouidentia militaris: in propulſando hoſtium adſultu, ardor & occaſus: funus ab hoſte curatum.* §. II.

Arcem ſic occupatam, Turcæ, *quadraginta annis, inſederunt: recuperatur a* Nicolao Pálffio: *eius poſſeſſio, pace* Sitva-Torokenſi, *Chriſtianis adfirmatur: munitur, ſumtu communi: iterumque furtiuo adſultu, capitur a* Turcis: *fruſtra repetitur a* Cæſare: *iam triſte rudus eſt, dignum, quod ad voluptuarios ſeceſſus reædificetur.* §. III.

I. Arx et Oppidvm Bozok.

Bozok, olim *ſacrum inſtitutum* Præmonſtratenſium *ordinis eum* Præpoſitura:

FVit olim Bozokvm, Slauis *Bzowik*, *Præmonſtratenſium Præpoſitura*, quam Lambertvs, Comes, Regni Hungariæ Palatinus, idemque S. Ladislai, ex ſorore, nepos, poſt initia ſeculi duodecimi, fundauiſſe perhibetur. Ita Caspar Longelinvs (*a.*) in Palatinorum Regni Hung. Catalogo: Lambertvs, *Comes Palatinus Regni Hungariæ VIII. fundator Præpoſituræ* S. Stephani in Bozok *Ordinis Præmonſtratenſis*, *de quo* Bonfinivs *aliique*. Floruit, ſub Stephano II. & Bela II. cæco. Hanc poſtea ſedem, opimus ille ordo, ad arcis modum inſtruxerat; vt non cœnobium modo, cum æde ſacra haberet; ſed poſſet etiam latrunculorum incurſus reprimere. Quod, neceſſe omnino fuit facere, in ea temporum, an hominum, malignitate; qua, ne ſacris quidem viris; ne dicam, horum cœnobiis, ſecuritas dabatur ab his, quibus quæſtus omnis, reditusque, ex rapinis fiebant. Meminit præter Pázmanyvm (*b.*) Bozokienſis *huius Præpoſituræ*; Timon item ad annum M. DL. vbi ſimul vltimi, ſed extorris *Præpoſiti Bozokienſis*, fatum memorat. *(c.) Curator arcis* Csábrágienſis, *quem Proviſorem in Hungaria dicunt*, Matthiam Zavarienſem, *extorrem Præpoſitum Bozokienſem poſtremum ex ordine Præmonſtratenſi mortifere vulnerauit.* Ergo, iam tum, ſacra *Præmonſtratenſium* familia, ſua, an aliorum culpa, ad eam paucitatem redacta *Bozoki* fuit, vt ne *Præpoſito* ipſi, locus in cœnobio fuerit reſiduus; quinimmo, extorris ac vagus, morte ſanguinolenta, conficeretur, ab homine vicino, atque ex eius ætatis more, alieni, extra modum cupido. Cui vero, in rapinam ceſſerit tunc *Bozokum*, non habeo dicere: Iſtud, apud eundem Timonem (*d.*) ad annum MDLIX. reperio: *Obiit* Sigismundus Balaſſa, *qui ex quo tempore* Ferdinando *adhæſit, nullis facinoribus conſpicuus exſtitit. Octennio poſt, vxor eius mortua eſt, quæ* Præpoſituram Bozokienſem, *fratri ſuo*, Georgio Fánchio *legauit*. Ergo, ita opinor, emortuis forte, aut dilapſis *Præmonſtratenſibus*, ne inique, a prædatoribus vſurparetur arx, & huius ditio, ſummo ſuo iure, Ferdinandvm, vtraque, in ſuam redegiſſe poteſtatem; poſteaque redeunti ad ſaniora conſilia, *Sigismundo Balaſſæ*, donauiſſe; vt auctoramenta inde caperet, fidei, nunquam poſtea contemerandæ. Varie hinc iactabatur *Bozokum*; dum a Georgio Szeleptsénio Strigonienſi Pontifice, anno MDCLXXXV. ea lege in *Societatem* Iesv *Tyrnauienſem* tranſcriberetur, vt *Seminario B. Virginis*, quod alias *Mariano Szeleptsénianum* adpellatur, liberaliter nutriendo, ſeruiret. Concordant eruditi *Tyrnauienſes*. (*e.*) *Rebus ſubinde Collegii, vt ne profeſſoribus; ſeminarii vero, Ma-*

vltimus Præſul:

oſſat; *ex temporum iniquitate*, ordo:

Bozoko, *profanis tradito*:

eſtimatur, *a* Georgio Szeleptsénio, *ſacraturque* S. I. Tyrnauienſi:

a.) Petri de Reva Coronæ Hungariæ adtextus. p. 153. Fol. edit. Francof.
b.) Ad Synodum Strigonienſ. Append. II. pag. 110.
c.) Epitome Chronologica rerum Hungar. p. 156. fine, edit. *Caſſouienſis*, fol. Anno MDCCXXXVI.
d.) Inibi, pag. 179.
e.) In, de Progreſſu Vniuerſitatis Tyrnauienſis, Parte II. p. 50.

Mariano-Szeleptsèniani, vt ne ſcholaribus, neceſſaria ad humanum vſum deeſſent, auctis: BOZOKINO *nempe, in vtrorumque ſubſidium, ſuprema Celſiſſimi Principis Georgii Szeleptsény voluntate tranſcripto.* Et paullo poſt: *Quam non parce, fons hic beneficentiæ,* Szeleptsényus *fluxerit, vel extrema Præſulis voluntas doceat; qua* BOZOKINVM, *vt iam memorauimus, Seminario B. Virginis adtribuit: vt patrii ibidem iuuenes, bonis artibus excolendi, alerentur, quos, diſciplinarum liberalium capacem nactos indolem, maiorum egeſtas, vel certe, ſi ſectarii eſſent, culpata parentum negligentia, a proſequendo litteras arceret.* Et eſt omnino, hodieque, cum oppido cognomine, & vicis circiter quatuordecim, in Patrum poteſtate. quam illi ditionem, ad eum modum adminiſtrant, vt & *Seminarii* rebus, & ruſticæ plebi, quantum eius hac temporum difficultate fieri poteſt, egregie conſulatur. Dudum eſt, cum ob belli *Turcici* incommoda, hoſtiumque viciniam, publicis, ex comitiorum decreto, ſumtibus muniendum *Bozokum*, Status & Ordines voluerunt. *Bozok*, inquit anni MDLXXVIII. lex (*f.*) *ex pecunia gratuitorum laborum, ſi quæ ſunt minutæ reparationes faciendæ, iuuetur: donec, de eius plenaria fortificatione, integre decernatur.* Et longa, (*g.*) poſt ætate: *Ad* BOZOK, inquit lex, muniendum, laborabunt, *pertinentia eiusdem, & Præpoſituræ Sághienſis, cum Abatia de Pilis.* quæ demum prouidentia, deiectis *Buda* Turcis, ceſſauit penitus; cum non eſſet, cur muniretur amplius, caſtrum, extra periculi aleam poſitum. Tumultuante *Tökölio*, ab *Emerico Balaſſa*, anno MDCLXXVIII. captiuorum, qui in arce detinebantur, maleficio, interceptam, PARSCHITZIVS (*h.*) memorat: *In hac arce*, inquit, PATER DOBIS, *arcis præfectus*, Stephanus Mora *Capitaneus, & anonymus*, Plebanus Carponenſis, *ciuili bello, per captiuos arcis proditi, & per* Emericum Balaſſam *capti, atque capite diminuti fuerunt.* Adeo tunc, vix ſuperabat veſtigium per *Hungariam*, quod ciuium ſanguine fœdatum haud fuiſſet. Habitus oppidi, quod arci adiacet, neque tenuis eſt extra modum, neque lautior, quam id fortuna ciuium, agricolatione fere ſola viuentium, admittit. Frequentatur adhuc nundinis, quantum ſcimus, *Dominica Quaſimodogeniti*, & diebus *S. Stephano* regi, atque *D. Barbaræ*, ſacris. Seiungitur *Carpona*, vnius horæ itinere.

munitur, bellis Turcicis, *publica regni impenſa:*

Emerici Balaſſæ, *aſſecla* Tökölianí, *edita ibhis crudelitas:*

oppidi Bozok *habitus hodierni:*

nundinæ.

II. ARX CSÁBRÁG.

ANtiqua eſt, neque cognitæ originis, *Csábrági* moles, atque, pro montano poſitu, ita facta, vt coniici inde poſſit, non tam voluptuarii receſſus gratia; quod fit ſæpe; quam defenſandæ priuatæ publicæue rei cauſſa, eductam fuiſſe olim. Situm arcis, ISTVÁNFYVS (*i.*) deſignauit: CSÁBRÁGVM, inquit, *in colle conſtructum, ſatis quidem alto editoque iacet; ſed cum vndique, maiora montium cul-*

Csábrági *incognitæ originis:*

eius ſitus montanus:

f.) Articulo XXVII.
g.) Anno MDCLXXXI. Art. VII.
h.) In Hiſtoria Comitatuum *Manuſcripta.*
i.) Libro XVI. p. 286. ſequ.

Digitized by Google

mina ſuperemineant, vt tormentis ex omni parte concuti poſſit. Omnino, importuno ad defenſandum poſitu eſt. Neſcio, an ſuperet antiquior arcis mentio, apud rerum Hungaricarum ſcriptores, quam, quæ ei *Melchioris Balaſſæ* molitionibus conciliata fuit. De his ad *Lévam* & *Sitnam* diximus. Inſederat ille arcem, vt late graſſanti licentiæ, perfugio nunc eſſet, nunc iterum præſidio. Csábrágvm, vtimur verbis Istvánffii, *eiectis per vim,* Petri Pálffii *curatoribus, occupauit, ac prædonibus, præſidio impoſitis, vicina loca rapinis ac latrociniis, infeſta reddere non ceſſabat.* Mos nempe tunc fuit, oppido perditus, & bene conſtitutæ reipublicæ, non minus noxius, quam infamis; aliena inuadere, occupare, & non vſurpare tantum priuatim; ſed vertere etiam in publicam perniciem. Ergo, vt auerruncaret, a metallicis vrbibus præcipue, calamitoſam hanc tempeſtatem, Ferdinandvs I. vna eademque militari expeditione, ductu *Salmenſis* ſuſcepta, tria hæc prædatorum luſtra, *Lévam* puta, *Sitnam* & *Csábrágum*, perdomanda voluit. Primo omnium, *Sitna*, poſt cruentam, cum præſidiariis, velitationem; *Léva* deinde feroci ac ſanguinolento adſultu, cecidere; dum & *Csábrágum*, iam ante lenta concluſum obſidione, palmam victoribus tradere cogeretur. *Salmenſis*, ait iterum hiſtoricus, *Horvatinovicium*, poſt *Sitnam* deditam, *ad Csábrágum ire iubet, non tam eius oppugnandi cauſſa, quam vt obſidendo ac vigilando, neminem ingredi, aut portis exire, aut commeatum aliquem obſeſſis inferre permitteret, donec ipſe cum omnibus copiis ſubſequeretur.* Atque eo valuit omnino, ſagaciſſimi hæc ducis prouidentia, vt, poſt debellatos magna clade *Levenſes*, vana *Csábrágienſium* fuerit ferocia. Rem geſtam, ex Istvánffio iterum audiamus: *In hunc modum, poſtridie Iduum Maii*, Léva, *vi & armis in poteſtatem redacta, &* Vriele Majtinio, *ibi cum firmo præſidio relicto, ad* Csábrágum, *iam ante, a* Horvatinovicio, *obſidione, vt diximus, circumuallatum, exercitus ductus eſt.* Salmenſis, *conſtructis idoneo loco, aggeribus, & poſitis tormentis, antequam ea, aduerſus propugnantes diſploderentur, capita, Léva præſidiariis abſciſſa, ſupra corbes* vimineos, *longioribus infixa perticis, collocari iuſſit; vt a* Csábrágianis, *facile conſpicerentur: ac* Johannem Miræum, *vnum ex captiuis, propius ad arcem adduci, obſeſſisque proclamari iubet:* Lévam *captam, qui intus erant, pauciſſimis exceptis, omnes mactatos, occubuiſſe; eorum capita in exemplum adlata eſſe, eandem perniciem ipſos manere, ſi in pertinacia perſiſterent. Verum illi, ſummo ſilentio, dicta factaque eius transmiſere. Itaque, ira ſimul, & dolore exaſperatus, tormenta in arcem dirigi, & muros quaſſari iubet, qui, cum magna edita ſtrage, procidiſſent, obſeſſi, fractis animis, deditionis conditiones, quas paullo ante reſpuerant, amplecti, ac pertinaciæ finem imponere, decreuerunt, ac voce ſublata, e mœnibus proloqui cœperunt.* Salmenſis, *nullas accipere conditiones, nihil eorum verbis commoueri: poſtremo*, a Horvatinovicio, *aliisque ducibus Hungaris placatus, eos, absque omnibus conditionibus, arcem, atque arma omnia &*

ſar-

Inſidetur, per vim, a Melchiore Balaſſa:

domatur Salmenſis *ductu vti geſta hiſtoria, ex* Iſtvánffio *deprompta.*

farcinas, tradi poſtulauit : ni tradant, ſe eis vel inuitis, breui arcem *expugnaturum, eosque omnes, ſine vlla ſpe veniæ, laqueo puniturum, minatus eſt. Sic illi, ad extremas neceſſitatis difficultates redacti, & metu coacti, ad arbitrium victoris arcem dedidere. quos, quamquam vinculis ac compedibus conſtrictos, aliquamdiu detinuiſſet, confecto tamen bello, omnes dimiſit.*

§. II.

EX eo tempore, vix quidquam dignum memoratu, de *Csábrágo* legas: niſi quod heros mutarit frequentius, quos iam non moramur. Anno MDCXVIII. præſidium ei Hungaricum, poſtea vero MDCLXXXI. *(k.)* ſumtu publico muniendum decreuerunt Status & Ordines. Ad CSÁBRÁG, inquit lex, *veluti locum, multum Montanarum ſecuritati proficuum, laborent bona ad eandem arcem ſpectantia, vna cum poſſeſſione*, Devicze, *alias ad arcem* Sitnya *pertinente.* Eſt hodie, *Comitum Kohári*, hæredium, idemque in gentilitiis eorum titulis relatum, vt *de Csábrág* dicantur. Plerumque ſedes inclutæ gentis eſt, cui illi pro eo, atque id fert anni tempeſtas, & ipſi immorantur libenter, & rei ſuæ familiari cimeliisque, perfugia iſthic ponunt: id quod bellis ciuilibus, ac *Rákoczino* in primis tumultu, damnoſum *Kohárii*s exſtitit. *Stephanus Kohárius*, vir, & bello clariſſimus, & pace, arci dominabatur, cum *Rákócziana* illuuio, *Hungariam* inuaſit. Tenebantur iam, a rerum nouarum molitoribus, vrbes metallicæ; *Léva* autem, atroci paullo ante, *Hungarorum* clade, nobilitata, iterum in poteſtatem eorum reciderat: *Csábrágum*, præſidiariorum ſe virtute adhuc tuebatur. Ergo, obſidione vrgendam rati, ne remoram graſſationibus ſuis, poneret amplius, coactis hinc & illinc prouincialium, *Comitatenſes* vocant, cohortibus turmisque, ſub ipſum brumæ tempus, obſidionem exordiuntur. An tormentis arcem tentarint, non habeo dicere; ad vltimum certe, huc adegere præſidiarios, vt arcem, pactis qualibuscunque conditionibus, diutius defenſatum caſtrum, *Rákoczianorum* lubidini permitterent. Inerat *Csábrágo*, præter *Kohariana* gentis tabularium, multum auitæ partim, partim vicinorum, quos huc inopina belli procella compulerat, cum pretioſa, tum vulgaris ſupellectilis. Id omne, admiſſi ad arcem noui hoſpites, non vno vſi obtentu, auidiſſime diripiunt, ac ne tabulario quidem parcunt. Vidiſſe me recordor, grandes ciſtas, chartaceis theſauris oppletas, *Neoſolium* & deuectas, ac proterue reſeratas, atque aperto in inconclaui, ad fœda etiam miniſteria, vulgo patuiſſe; cui demum lubidini, an tempeſtiue ſatis, neſcio, a nonnemine, quem nouarum rerum torrens, vel inuitum abripuerat, cum cura obuiatum eſt. Fuit, *Stephano* II. *Kohário*, æquiſſimo diuinæ bonitatis æſtimatori, pium iſtud & dignum tanto viro ſymbolum: DAT DEVS CVI VVLT: cui ille nomen ſubſcribere ſolebat, STEPHANVS KO-

Csábrági, *ſata rei qua: ſit limitaneum, aduerſus* Turcas, *præſidium:*

eſt iam in poteſtate Kohário-rum:

occupatur a tumultuantibus Rákóczia-nis:

& expilatur:

k.) Articulo VII.

HÁRY, quod, vt derideret *Bertsénius*, cum per *Kohárianas* ditiones alibi, tum direpto *Csábrágo* in primis, adſcripto impio facinore nomineque ſic dehoneſtabat: ACCIPIT, VBI VVLT; *Nicolaus Bertsény*. Nimirum, ita decuit hominem, numinis, aut ignarum, aut certe oblitum; alieni autem longe omnium cupidiſſimum; vti diuinam quidem prouidentiam deſpueret, grandeque adeo ſcelus, nouo ſcelere alio cumularet.

Bertsénii, *in* Stephani Kóharii *pietatem, differimus auariſſimum.*

§. III.

Auctoris, de Kohárianа *gente, commentariolum:*

ARcis hæc, & gentis *Kohariana* mentio, ſuo quodam iure, poſcere a nobis videtur, vti decora eius compendio expromamus. Dedit inclutæ genti, cum origines, tum incrementa, virtus, & fides in bello, cum inuſitata rei militaris ſcientia coniuncta. Primus, qui hac laude emicuit, ſuisque poſteris viam ad ſummos honores opesque præiuit, PETRVS KOHÁRY fuit, *Léva*, quod ſciamus, in lucem editus. Poſuerat is belli tirocinia, ſub fortiſſimis *Hungariæ*, qui exeunte ſeculo decimo ſexto, inclaruerant, felici adeo ſucceſſu, vt ab imis ordinibus, per varios præfecturarum militiæ gradus, ſolius virtutis, & qui hanc, in nouo homine ſuſpiciebant, exiſtimatione ac iudicio, dum tandem *Hungaricæ* legioni, cum imperio præficeretur. quam is, ita ductabat, vt non vna velitatione, fuſis fugatiſque *Turcis*, inſigne ſibi decus, tota *Hungaria* pararit, meruerit præterea, vti *Ujvarino*, vicario cum imperio, periculoſiſſimis temporibus, præeſſet. Bellum, aduerſus FERDINANDVM II. anno MDCXL. *Gabriel Bethlen*, Tranſiluaniæ princeps, commouerat. Cuius furor, cum ad *Ujvarinum* vsque pertigiſſet, iamque a *Georgio Szétſio*, Gabrielis duce, obſidione premi cœpiſſet, *Petrus Kohary*, fidei, FERDINANDO, & patriæ datæ, memor, vltima quæque, in defenſanda arce experiri ſtatuit. Ac feciſſet omnino, difficilem hoſtibus oppugnationem, niſi præſidiarios, partim *Tranſiluanorum* pollicitationes, partim nouarum rerum ſtudia, rapuiſſent in transuerſum. Hi vero demum, cum a defenſandi *Ujvarini* ardore, *Kohárium* nequeunt abducere, tametſi rogatum territatumque diutius; tandem vinctum, perfido auſu, *Szétſio*, vna cum arce, & omni adparatu bellico, nefarie (*l.*) produnt. Tentauit non vna arte, herois captiui animum, *Szétſius*, ſi poſſet, a fide Cæſaris alienare; ſed adeo nihil profecit, vt tenaciorem etiam fecerit, FERDINANDI partium. Ergo, ira percitus, virum fortiſſimum facultatibus mulctat, cuiusque fidem laudare debuerat, compedibus vinctum, *Caſſoviam* dimittit, diuturnis ſqualidisque carceribus, illic poſtea macerandum. Fuit *Petro*, filius STEPHANVS, quem nobis *primum* vocare placet, vt a *ſecundo*, de quo mox dicemus, diſcriminemus. Caſtra & is inde a primis adoleſcentiæ annis ſequutus, ſub patre primum, dein ſub ducibus aliis, aduerſus *Turcas* militabat, euaſitque poſtea *in* eum,

PetrusKoháry, *familia pater, bellica virtute emergit:*

fit, vicaria poteſtate, Ujvarini *præfectus:*

traditur, ob negatam arcis deditionem, a milito præſidiario, Bethlenianis:

conſequuta hinc viri captiuitas:

STEPHANVS I. Petri *filius: paternarum virtutum hares:*

l.) ORTELIVS Parte II. p. 66. a. & minuti ſcriptores alii, paſſim. Recole, quæ, ad *Ujvarinum*, de his KOHARII fatis, diximus, eodem hoc Tomo IV. p. 348.

eum, & militem, & ducem, qui, ſi non maior patre, eius certe ſimillimus, cum in prœliis, tum in omni militiæ genere, a rerum peritis haberetur. Occubuit eo prœlio, quod *Suſa* ductu, ad *Lévam*, cum *Turcis*, inſigni reportata victoria, anno MDCLXIV. fuit commiſſum. Meminit fortiſſimi viri occaſus, WAGNERVS (*m.*) in eius pugnæ deſcriptione. *Miles*, inquit, *ſi vnquam, tum certo documentum dedit, quantum in vetere Teutone virium animorumque ineſſet. Neque* Hungari *in perſequendo hoſte velociores, quam in pugna conſtantiores fuere. Præcipua eorum iactura fuit,* KOHÁRIO *Comite, ſub primum* pugnæ æſtum, amiſſo, viro fortiſſimo, nec ſuis tantum, ſed familiæ quoque laudibus clariſſimo. Id, *Stephani* interitum egregie penſauit, quod fœcundo vſus matrimonio, quatuor poſt ſe filios reliquit; STEPHANVM II. JOHANNEM, *Gabrielem* & *Wolffgangum*. Ex his, *Johannes*, primis coniugii annis obiit: *Gabriel*, totum ſe familiæ *S. Franciſci* tradidit: *Wolffgangus* fœcundo traduce, poſteritati, quod infra monebimus, operatus eſt. STEPHANVS ſolus, militiæ nomen dedit, cum antea vltra, quam eſt in popularium noſtrorum moribus, in meliores litteras, multum & temporis, & ſtudii impendiſſet.

eius, ad Lévam, occaſus: ex Wagnero *memoratur:*

Stephani *filii, atque in his* STEPHANVS II.

§. IV.

PRofecto enim, in iis noſtræ ætatis, viris, non a ciuibus tantum ſuis, ſed a maximis etiam regibus, LEOPOLDO, IOSEPHO, & CAROLO III. quos fide non minus coluit, quam conſtanti obſequio, habitus eſt, quorum laudatiſſima opera, & bello vti potuerunt, & pace. Sane, *P. Scipionem Aemilianum*, non æmulari modo, verum toto etiam vitæ genere, exprimere viſus eſt. Enim vero (*n.*) auitis *Petri* Paternisque *Stephani* virtutibus ſimillimus, omnibus belli ac togæ dotibus, ingeniique ac ſtudiorum eminentiſſimus fuit ætatis ſuæ: qui nihil in vita, niſi laudandum aut fecit, aut ſenſit, aut dixit. Ergo, id ſuis iſtis virtutibus effecit, vt, ſi res ita poſceret, bello quidem ſummis ducibus; tranquilla patria, conſultiſſimis quibusque viris par, concordi omnium ſententia exiſtimaretur. Hinc magiſtratus, quos vtrobique, ingenti, & regum, & ordinum adprobatione, ſemper adminiſtrauit, arceſſendi ſunt. Vltimus horum, prætura fuit regni, ad quam anno MDCCXIV. CAROLI iudicio ſublectus eſt; quodque ex *Agrienſi* obſidione, dextram, plumbeæ glandis ictu, ad ſignandas, in eo magiſtratu, tabulas, impotem habuerit, nouo regis, & vniuerſi comitii inſtituto, lamina, *Kohárii* nomine inſculpta, qua id poſſet fieri, adtributa ei eſt. Digna memo-

Eius laudes ingenuae:

adminiſtrati, bello & pace, magiſtratus: ſub prætor regni:

m.) Libro II. p. 152. Adhuc in nouis hominibus, *Kohárius*, alter ſuæ gentis pater, cenſebatur. Adde ORTELIVM loco citato, p. 351. ſequenti, vbi SVSA, datis ad Cæſarem litteris, prælium deſcribit, atque occaſum *Kohárii* intempeſtiuum, queritur.

n.) C. VELLEI PATERCVLI Lib. I. Cap. XII. p. 85. edit. BVRMANNI, verba in rem noſtram vertimus.

moratu lex (o.) eſt, quam iisdem illis comitiis, perlatam recordamur: *Quia pratitulatus modernus Iudex Curiæ Regiæ, occaſione præteriti belli Turcici, ſub obſidione fortalitii Agrienſis, per Turcas eo tum poſſeſſi, grauiter in manu dextra vulneratus, adeoque vſu eiusdem priuatus, pro exigentia officii ſui, iuridicas & alias expeditiones ad inſtantiam cauſantium emanari ſolitas, propria manu ſubſcribere nequiret: hinc ne aliquis eatenus defectus, aut diſputationis, & inter cauſantes exceptionis, anſa emergere poſſit; altefata ſua Maieſtas Sacratiſſima, eidem Domino Comiti* Stephano Kohári, *Iudici Curiæ Regiæ, clementer indulſit; quatenus in lamina argentea, nomen ſuum inſculpi facere, eiusdemque in vniuerſis expeditionibus, ad præfatum Iudicatus Curiæ Regiæ officium, in vicem propriæ ſubſcriptionis, vti poſſit.* reliqua, in quibus, *ſubſcriptionis* iſtiusmodi vigor & auctoritas, atque mortuo *Stephano*, argenteæ illius laminæ abrogatio, ſcrupuloſe decernitur, ſanciturque.

reliquum vita inſtitutum:

Vitam duxit cælibem, tanta, abſtinentiæ, temperantiæ, parſimoniæ, & profuſæ, in ſacros Ordines, munificentiæ laude, vt noſtra quidem ætas, parem haud viderit, ſequuturæ autem, vix vnquam daturæ ſint virum conſimilem, in hac, qua ſumus morum corruptione, per dies ſingulos præcipitante in deterius: vbi, *diesque noctesque eſtur, bibitur, neque quisquam parſimoniam adhibet: ſagina plane eſt.* Vti ille apud (*p.*) Plavtvm. Ceterum Stephanvs Kohárv, octogenario fere maior, lenta ex ſenio, ſua tamen morte, vitæ gloriæque ſatur, anno MDCCXXX. *Csábrágum*, cuius ſeceſſu vnice delectabatur, nobilitauit, opesque omnes, & opimas per *Hungariam* ditiones, Andreæ, ex *Wolffgango* fratre, nepoti, teſtamento adſcripſit.

eius haeres Andreas *ex fratre* Wolffgango, *nepos.*

§. V.

Wolffgangi res:

SEd pergamus porro, *Kohariorum* imagines recenſere. Wolffgangvs, quartogenitus *Stephani* II. frater, an vnquam militiam, fuerit ſequutus, non habeo dicere. Saltem, noluit ei vitæ generi immori; ne ob *Stephani* cœlibatum, *Iohannis* mortem præmaturam, & *Gabrielis* ſacerdotium, gens *Kohariana*, intercideret penitus. Eo conſilio, *Ludovicam Mariam*, virginem pientiſſimam, e S. R. I. *Comitibus ab Hochentechtberg* duxit. Quatuor ex ea filios, & ipſe ſuſcepit. *Georgium*, *Iohannem* II. *Andream* & *Ignatium*. Militare his omnibus vitæ genus fuit, *Georgio* potiſſimum: quippe qui diutius, ſub *Guidone Starenbergio*, exercitus Hiſpanici, dum de eo regno, Carolvs III. aduerſus Philippvm V. bello decertaret, ſtipendia, tanta ſui apud omnes, adprobatione meruit, vt ſupremus, a præfecto illo, inter legionis ſuæ centuriones, diceretur. Atque, emerſiſſet omnino militiæ, ad maxima quæque

matrimonium, & filii: horum fata:

o.) Articulo XXXIX. anni MDCCXV. inierant comitia ea, anno MDCCXII. *Dominica in Albis*; atque, ob peſtilentiam, quæ *Piſonium* corripuerat, anno demum MDCCXIV. redintegrata; denique anno MDCCXV. finita fuere. Laudes Stephani Koharii, eiusdem articuli exordium habet, quas illic legi cupimus.

p.) *Moſtolaria*, Actu I. Sc. III. ver. 78. editionis Ioh. Frid. Gronovii, Tom. I. pag. 504.

quæque natus *Georgius*, niſi crudele fatum ante, virum fortem intercepiſſet, quam cum maturiori ætate, inſigniores ſimul præfecturas, adire potuerat. Nempe, ex *Hiſpania* redux, bello *Turcico*, quod anno MDCCXVI. infida gens commouerat, ad *Petervaradinum* in victore exercitu ſtrenuiſſime pugnans, occubuit. Sed *Johannem* quoque, annus ſequens abſtulit: quando morbo, ex militari apud *Belgradum* labore, contracto, e viuis poſtea exceſſit. Ita tunc, duos, e *Koháriis* fratres, breue, ſed victorioſum tamen bellum, e medio ſuſtulit. Quin immo, parum aberat, quin *Andreas* quoque, in Libitinæ rationes concederet: fauciatus enim & ipſe fuit, ſeruatus tamen eſt, non tam medicorum induſtria, quam ſingulari quodam numinis beneficio, vt eſſet, qui porro genus propagaret. quod & fit omnino: quippe qui, ex vxore, nata *Tauonathia*, plures, vtriusque ſexus liberos, auſpicato ſuſcepit. *Feliciter!* Hæc, de incluta *Kohário-rum* gente, ad *Csábrégi* mentionem, ſileri haud poterant, ſine famæ diſpendio.

ANDREAS, nunc familia caput.

III. ARX DRÉGELY.

ARcis vocabulum, ſi *Hungarice* velis ſcribere pronunciareque, *Derèghely*, egregium atque opportunum locum ſignificabit. Ita vero olim fuiſſe adpellatum, ex regni decretis (*q.*) argumentum capio. *Citra Danubium*, inquiunt, *caſtris*, *ac fortalitiis Saagh*, *Pásztó*, Drèghely, *Szétsén*, *Buják & Léva*, *& ſi quæ ſunt alia*, *præſidiis neceſſariis omnium generum*, *mature prouideat Sua Maieſtas Regia*. Vbi, ſi vocalem ſecundam, *e*, ſillabæ primæ interſeueris, *Derèg-Hely*, ſeu *Derék-Hely* inde naſcetur. Hanc vero adpellationem, ob idoneum munitionibus ſitum, & amœnum, per circumſitos montes, proſpectum, primos arcis conditores, loco indidiſſe, certum mihi eſt; tametſi, qui ii fuerint, non habeo tuto adfirmare. Poſitu eſt arduo petroſoque, atque hinc, tolerandis olim reiiciendisque obſidionibus, maxime opportuno. Moles ipſa, in geminam aream diſcriminabatur, cum fuit intemerata; *exteriorem* alteram, alteram *interiorem:* quarum hæc, portula adeo arcta adibatur, vt ſi a duobus vigilibus, quod hic in more fuit, inſideretur, nequiuerit, per medios intrare quisquam. Exterior illa, puteum habebat per viuum ſaxum, ad centum orgyias depreſſum, latum εἰς πάτους, quatuor, laticis perennis, & ad potandum ſalubris. Neque interior arcis regio, aquis caruit, nam & hic, ciſterna fuit inſtructa, profunda pedes vndecim, at laxitate fere gemina. Totam, quadrato e lapide, ita coagmentauerant conditores, vt vix commiſſuræ notari poſſint hodieque. Illud, in totius ſubſtructione molis, damnandum eſt, quod e laterculo educta fuerit, extra modum fragili, quique globorum iactibus, facile poterat conteri. Vnde fit, vt, cum alias muri lateritii, ex tempeſtatum iniuriis, dureſcant magis magisque, pa-

Arcis Drégely, *etymon:*

poſitio opportuna:

molis partitio:

ratio ſubſtructionum:

q.) Anni MDXLVI. Articulo XLIV.

arcis, & adſcripta ei ditionis poſſeſſor, Archiepiſcopus Strigonienſis.

parietinæ *Drégheliі*, exeſis lateribus, in ruinam fiant proniores. Arx ipſa, & adſcripta huic dominatio, veterrimo iure, in *Archiepiſcopatus Strigonienſis* hæredіis ſacris cenſetur hodieque; cum antea, in regum fuerit poteſtate. Primus, qui eam *Archiepiſcopis* adtribuit, ALBERTVS fuiſſe perhibetur. Atque ſuperſunt omnino diplomata in tabulario (*r.*) præſulis, quæ fidem poſſint conciliare: quippe qui, iteratis, anno MCCCCXXXVIII. tabulis; partim donauit arcem Archiepiſcopo, GEORGIO III. & gente *Palóch;* partim donatam, ſolemni formula, confirmauit. Recognouerunt, donationem regiam, hinc *Conuentus Saághienſis;* illinc *Capitulum Vaczienſe*, anno eodem. Suſpicantur quidam, SIGISMVNDVM, pignori arcem GEORGIO I. pontifici Strigonienſi, quem e *Comitibus de Hohenlohe*, IOHANNI II. *de Kaniſa*, in hanc ſedem ſurrogauerat, pignori oppoſuiſſe. quam poſtea, nouus, & adſcitus peregre ALBERTVS rex, vti ſe ordinibus ſacris adprobaret, ſingulari quadam popularitate ductus, *Georgio*, quem diximus, *de Palóch*, viro *Hungaro*, donarit. Id equidem, nolim temere inficiari; quando conſtat, ea ſæpe egeſtate fuiſſe SIGISMVNDVM, vt cogeretur, non arces modo, & harum prædia; verum vrbes, immo prouincias integras, pigneratas facere.

§. II.

Bello ciuili, munitur abaris:

TVnc vero, cum propriam habebant arcem, antiſtites *Strigonienſes*, ex temporum, quæ ſequuta ſunt, ingenio, triſti profecto & calamitoſo Hungariæ, caſtrum *Dréghely*, ſicuti vocant diplomata, accuratius munire, obſeruareque diligentius, occeperunt. Nempe, ſucceſſerat viduæ *Eliſabethæ* iuſſu, *Simone Rozgonio* poſthabito, GEORGIO III. qui anno MCCCCXXXIX. emortuus eſt DIONYSIVS *de Széts*, iam tum purpuratus: (*s.*) qui, quod LADISLAI poſtumi, partes, maſcule tuitus eſt, habebat ſane, cur ſe ſuaque hæredia, aduerſus WLADISLAI Poloni factionem, communiret: maxime, cum exorto ciuili bello, huc ventum erat, vt, qui pupillum ſequebantur, ne tunc quidem ceſſarunt *Wladislaum* infeſtare, cum *Hungaria* propemodum vniuerſa, conſtabiliendæ eius dignitati, qua largitionibus, qua armis, pergebat velificari. Poſt eam tempeſtatem, venatoriis *Archiepiſcoporum* ſeceſſibus, arx frequentabatur, nouis ſubinde, & ad commoditatem, & defenſandum, ſubſtructionibus aucta; dum poſt WLADISLAI I. cladem ad *Varnam*, & LVDOVICI II. internecionem, ex feceſſu voluptario, regionis circumpoſitæ propugnaculum fieret. *Archiepiſcoporum* tunc, ingraueſcentibus autem periculis, regiis demum præſidiis tenebatur *Dréghelyum*, habebaturque in limitaneis propugnaculis: ea potiſſimum tempeſtate, cum late graſſati *Turcæ*, compeſcendi fuerunt, ne id impune factitarent. Nam huc potiſſimum valuerunt, iſta huiusmodi præſidia, vt, aduerſa *Turcarum* impreſſione,

ſit propugnaculum limitaneum:

r.) Capſa S. numero VII.

s.) Vide BONFINIVM Dec. III. Lib. IV. pag. 419. ſequ.

preſſione, condicta mutuo ſigna, arcibus vicinis ederent, poſteaque coadunatis viribus, aut inſequerentur hoſtem, aut interciperent redeuntem, atque onuſtum præda: quæ res, non minutis tantum velitationibus; ſed iuſtis ſubinde prœliis, occaſionem, quotidie fere præbebat. Vſi ea opportunitate ſunt *Turcæ*, anno in primis MDLII. qui exitialis omnino *Drégheljo* accidit. Nemo, ISTVÁNFFIO (*t.*) rem geſtam, ſeu verius, ſeu diſertius, litteris mandauit: cuius ideo, & fidem ſequemur, & verba, in rem noſtram vertemus. ALII, inquit, *Eunuchus, Budæ præfectus, adductis inde tormentis, ac promotis caſtris, in quibus octo, aut decem millia militum erant, ad oppugnandum* DRÉGHELYVM *proficiſcitur. Id, in prœalto monte poſitum,* Paulli *Archiepiſcopi, biennio ante vitæ functi, ditionis erat, & a* Georgio Zondio, *viro acri & militari, ac collega eius* Gregorio Berfaluſio, *cuſtodiebatur; ſed is, per occaſionem inuiſendæ domus & familiæ, aberat, & ſolus* Zondius *domi res curabat. Cum Turcæ propius aduentaſſent, aggeres & vineas de nocte, celeriter e regione arcis perfecerunt, inque iis quatuor maiora tormenta, & ſex colubrinas mediocres, collocarunt, quibus arx, ſine ceſſatione, verberari cœpta eſt: nec multo poſt, turris prœalta, quæ porta imminebat, eique præſidio erat, vi tormentorum diruta deiectaque fuit, cuius caſu,* Zondius, Johannem Zóltaium, *legatum ſuum, oppreſſum exſtinctumque amiſit. Mœnia etiam arcis, quod vetuſta debiliaque eſſent, pilarumque ictibus quaſſarentur, adeo plerisque in locis vitia fecerant, vt* Zondius, *arcem retineri poſſe deſperaret.* Adeo, vel ipſa oppugnationis exordia, funeſta *Drégheljenſibus* fuerunt. *Alis* poſtea, chriſtiani *Oroſzfalvenſium* ſacerdotis vſus miniſterio; *Martino* nomen fuit; *Zondium*, a defenſandæ arcis feruore ac conſtantia dehortari, benignitatem omnem, ſi eam dederet, fidemque polliceri; contra, ſi pergeret agere pertinaciter, vltima quæque, ſeuere comminari. Ad quæ *Zondius* paucis reſpondit, *firmum ſibi eſſe animi propoſitum, honeſte potius occumbendi, quam, vt ab ipſo fraude circumuentus, in ſeruitutem redigatur, ac catenis collum, pedes compedibus oneratus, hinc inde, pro mancipio, venum ducatur.* His dictis, duos captiuos *Turcas*, ex multis acciri iubet, eosque veſtibus & pretioſiore lana purpurea, pecuniaque donatos, ad *Eunuchum* dimittit, vti pueros, quos ſibi educare non liceat, in ſuis famulis haberet, & bellicis laboribus, atque militari diſciplinæ adſuefaceret; *ſibi enim ſtare ſententiam, aut arcem ſeruare, aut viriliter mori.* Dimiſſis, cum his nunciis, ad *Eunuchum*, ſacerdote, & captiuis adoleſcentibus, primo omnium, ritu chriſtiano, militem Deo reconciliari mandat: poſtea, quidquid arci pretioſæ ſupellectilis inerat, veſtes, pecunias, vaſa argentea, belli inſtrumenta ad oſtentationem, ex more facta, in arcis veſtibulo, ad rogi modum, concumulat, ſuaque manu, ſubditis facibus, ne in hoſtium poteſtatem veniant, exurit. Inde, ſtabulum ingreſſus, militares equos, quorum inſignem numerum alebat,

obſidetur a Turcis:

Zondii, arcis præfecti virtus:

prouidentia militaris:

(*t*) Libro XVIII. p. 330. ſequ.

bat, lancea transadigit. Hoſtes interim, *Zondii* reſponſo, quale fortem virum decuit, in furorem acti, moliri ex templo adſultum, & cuneis factis, in portæ ruinas adniti, cœperunt. Ad hos ergo, maſcule reiiciendos, cum militem adcurrere, remque ſclopis ſtrenue gerere, qua voce, qua nutu, hortatur, ipſeque, in primis ordinibus, & ducis, & militis munere, fortiter defungitur, maiori primum glande, per genu traiicitur, cumque, in alterum prolapſus, rem fortiter vrgere, non deſinit, ab irrumpentium *Ianitſarorum* multitudine circumfuſus, pluribus globorum ictibus, ſternitur; occumbenti caput hoſtes præcidere, ad *Eunuchum*, oſtentandæ victoriæ cauſſa, miſſum. quod ille tamen, cum trunco redunitum, in aduerſo arci colle, militari funere, haſta & vexillo, in tumulum defixis, honeſtandum curauit; vt decoram pro patria mortem, oppetiiſſe, teſtificaretur. Hunc exitum habuit *Zondius*, ante actæ militiæ congruum, atque conſtantiæ laude, apud poſteros, memorabilem. quam tamen, reliqui arcium earum præfecti, in quas, eius æſtatis expeditione hoſtis arma mouerat, haud ſane ſunt æmulati: quando munitiora *Drégheljo* caſtra, aut infami fuga, ante hoſtium aduentum, deſeruere; aut, imbelli metu conſternati, non ſine ſummo dedecore, & rei chriſtianæ detrimento, hoſtibus tradidere. quod in arcibus *Neogradienſis* prouinciæ, diligenter adnotauimus.

in propulſando adſultu hoſtium, ardor, & occaſus:

ſuus; ab hoſte curatum.

§. III.

Arcem, ſic occupatam, quadraginta annis, Turcæ inſederunt:

ARcem, cruento adſultu occupatam, *Taiffelus*, exercitus *Ferdinandei*, per hanc oram, eo anno, dux, longe omnium infeliciſſimus, recuperandam ſtatuerat; ſed, quod, totam eam molitionem, anili vſus temeritate, cum exercitus internecione, ante, apud *Palaſtum*, corrupit, quam arx potuiſſet obſideri; *Drégheljum* ſane, integris poſtea annis quadraginta, in Turcarum fuit poteſtate. quod illi, non modo muniuerunt exquiſitius; ſed excitato ſimul ad *Ipolam* ligneo caſtello, quod *Drégely-Palánkam* dixere, difficiliorem expugnatu fecerunt. At enim, ea fuit anno MDXCIII. ſeneſcente, chriſtiani exercitus felicitas, vt *Fileko*, ductu *Tieffenbachii*, occupato, quidquid olim, ab *Achomate*, per *Neogradienſem* regionem arcium interceptum fuerat, pari celeritate, metuque hoſtium, in noſtrorum veniret poteſtatem. Tunc & *Drégheljum* a *Turcica* tyrannide, *Nicolaus Pálffy*, vir bellicoſiſſimus, incuſſa præſidiariis formidine, vindicauit. *Szétſinio vlterius profectus*, verba ſunt ISTVÁNFFII (*u.*) Drégelum, *edito in monte ſitum*, ac Palánkam, *quæ ad Ipolam flumen, amœno & opportuno loco a Turcis conſtructa erat, perterritis ac diffugientibus defenſoribus, vacuas reperit; easque facili negotio occupatas*, Egidio Magno *præfecto*, *viro forti*, *cuſtodiendas adtribuit; & ad XV. Calendas Januarias*, *incolumem & victorem exercitum*, *reduxit.* Atque neceſſum omnino fuit, inſeſſum ad hunc modum *Drégheljum* cum

recuperatur, a Nicolao Pálffio:

u.) Libro XXVII. extremo p. 620. Adde ORTELIVM Parte I. p. 141.

cum cura obſeruari, ob frequentes hoſtium impreſſiones. Vix enim in hiberna exercitum dimiſerat *Pálffius*, cum *Turcæ*, vltimo *Ianuarii* die, in conſpectum arcis, atque *Palankæ*, venere. Quatuor inſignes turmas, ſub totidem ſignis, ORTELIVS memorat. quas conſpicati noſtri, eruptione facta, ita reiecerunt, vt non ſtragem modo ederent, pro ſuorum paucitate, maiorem; ſed referrent etiam prædam, ſic ſatis lautam: equos puta, acinaces, & id genus, leuis armaturæ inſtrumenta. Sed, hæ iſtiusmodi velitationes, quotidianæ propemodum fuerunt. Adfirmata eſt regibus Hungariæ, & arcis, & *Palankæ*, intemerata poſſeſſio, pace, quæ ad *Situa-Torokum*, anno MDCVI. fuit conciliata. Conditio XV. ſic, in eam rem (*v.*) habet; *De villis deditiis, transactum eſt, vt illæ, quæ cum arcibus Filek*, Palanka, *a deditione & iugo Turcico liberatæ ſunt, nec in poſterum illis ſint deditiæ, aut tributariæ: poſtquam arces illæ, nunc in manibus noſtris habeantur, & ad illas, nemo Turcarum, aut ſpaharum, aliquid iuris habeat, vbicunque tandem habitent: nec illas ad deditionem compellant. Palankæ* hic tantum fit mentio; at enim, arcem ſimul *Drégheli* intelligi oportere, nemo non videt. Poſtea, quod multum intererat *Hungariæ*, quæ a *Turcarum* dominatione fuit reſidua, vti limitaneæ, aduerſus hoſtem, arces, probe communirentur, in leges (*x.*) publicas, *Drégheli*, & quæ huc adtinuit, *Palankæ*, operum inſtaurationem, tranſcriptam lego: *Trenchin ædificet Palankam, Drégely.* quæ demum ſanctiones confirmabantur, (*y.*) quoties id, & vſus poſcebat, & vrgebant ſtudioſi reipubl. chriſtianæ, Status atque Ordines. Etſi tamen hæc omnia curate fiebant; caueri tamen haud potuit, quin a *Turcis* arx occuparetur, ſub idem plane tempus, cum miſſi mutuo legati, pacem initam, conſolidarent. *Budenſes* nimirum præſidiarii; ſiue ne viderentur otio marceſcere; ſiue, vt acceptam, nuper ad *Palankam* (*z.*) ſuorum cladem, vlciſcerentur, arcem anno MDCXLIX. menſe *Septembri*, nec opinantibus, qui cuſtodiæ cauſſa inerant, nocte concubia, admotis ſcalis, occupant, & qua cæſis, qua ductis in captiuitatem præſidiariis, prorſus ſuam faciunt. Dedit, ſubita hæc impreſſio, cum *Drégheli* occaſu coniuncta, querelis locum. Aderat tunc, Imperatoris *Turcici* legatus, *Viennæ*, pacis, quæ in vicennium coaluerat, adfirmationem ſollicitaturus. Huic ergo, ad audientiam, iam alterum admiſſo, *Turcarum* iſta maleficia exprobrari iubet FERDINANDVS III. *Drégheliumque* repeti. Neque difficilem ſe barbarus præbuit, quin, miſſo, ad *Budenſem* præfectum, nuncio, querelas ei *Romanorum Imperatoris*, exponeret. At ille, vti ferox erat, & rebus chriſtianis, vltra omnem modum infeſtus, graſſationes, *Forgáchii*

poſſeſſio, pace Sitwa-Torokenſi, *Chriſtianis adfirmatur*

munitur, ſumtu communi

iteruntque, furtino adſultu, capitur a Turcis

repetitur, a Cæſare, fruſtra

v.) In Decretis Regni p. 124.

x.) Anno MDCVIII. Articulo XV. poſt coronationem.

y.) Vide, anni MDCXIII. Decretum, Artic. VIII. Anni MDCXXII. Art. XXXVI. An. MDCXXXV. Art. XC. An. MDCXLVII. Artic. CLIII. A. MDCLIX. Art. CXXX.

z.) Hic, prædatores *Turcas*, cum ab excurſione redirent, deprehenſos, *Adamus Forgách*, Ujvarini præfectus, male multauerat. ORTELIVS P. II. p. 162. a.

iam triſte rudus eſt, dignum, quod ad voluptuarios ſeceſſus readificaretur.

gáchii hinc, *Zrinii* (*a.*) illinc, cauſſatus, iure talionis *Dréghelyum*, ſuo iuſſu interceptum, adſerere. Quid poſtea *Dréghelyio* euenerit, non reperio dicere. Ita vero autumo, arcem peſſundatam, deſeruiſſe maleficentiſſimum hoſtem. quod & *Palankæ* eueniſſe exiſtimo, quam poſtea inſtaurandam cenſuerunt Status & Ordines, arce, in triſtes ſenſim ruinas, abeunte: digna tamen, quæ vel ſolius amœnitatis ac voluptarii ſeceſſus cauſſa, poſtliminio, a *Strigonienſi* pontifice, pro ſeculi elegantia, reædificaretur.

SECTIO II.

De Vicis Proceſſus Bozokienſis.

REs ita poſcit, vt cum & huius regiunculæ vici, pauciores ii, quam quos, in *Schemnicienſi* & *Báthenſi Proceſſibus* vidimus; partim ad ditiones referantur; partim, varie, inter magnates, & nobiles, ſint diſpertiti: eodem iſto ordine, in litteras eosdem referamus.

1. *Honth*, totius olim *Comitatus*, cui & nomen impertiuit, metropolis, iam vicus eſt tenuis, *Ipolæ* amni adpoſitus, cuius eluuionibus, prata ſunt obnoxia: nam ager frumentarius anguſtior, quam pro colonorum numero, collina eſt poſitione. *Slaui* ii ſunt plerique, admixtis ſimul *Hungaris*. Via militaris, quæ per montium latera huc ducit, *Szurdok-Honth* vocatur, ob difficile iter, ſi cælum ſit pluuium. Capiunt *Honthenſes* hi, partem aliquam, prædii *Aba*; vnde rei agrariæ fit quædam acceſſio.

2.) *Dréghely-Falua*, vix mille paſſibus, ab arce cognomine, ſub montes retruſus. Vicus olim frequens, cum arx intemerata fuit ab hoſte: iam tenuior eſt, coliturque ab *Hungaris*, ad rem ruſticam adtentis. Nam, & re frumentaria proficiunt, & cultu vineatico, coguntque, cum eſt amicus viti annus, vinum haud improbum, quodque renibus ac veſicæ ſalubre exiſtimant, ob vim *diureticam*.

3.) *Dréghely-Palánk*, Turcicum fuiſſe opus in arcis hiſtoria nunc meminimus ex *Iſtvánffyo*. Aggerem nimirum moliti fuerunt, alte eductum, communitumque vallis ac roboribus, varie ſibi innexis, & adgeſta iterum humo, ad maceriei modum, conſolidatis. Hunc, circumquaque foſſa obibat, lata profundaque, vt haberent hoſtes, vnde, non pontes modo *Hidvigenſes* defenſarent; ſed fatigarent etiam adſitam longe lateque regionem. Fata certe *Palankæ* huius, eadem ſemper, cum arce fuere. Nam *Turcis* metu depulſis, in noſtrorum venit poteſtatem, muniebaturque communi regionis impenſa; dum inſideri a præſidio *Hungarico* debuit. Atque opinamur omnino, diutius *Palankæ* munitiones, quam arcem ipſam, perdurauiſſe: quippe quæ, poſſundata a *Turcis*, haud reſtaurabatur poſtea; *Palanka* con-

a.) Idem p. 163. a.

contra, vsque ad *Budam* recuperatam, in limitaneis aggeribus habita, & præſidio tenebatur, & nouis inſtaurabatur operis, quoties id vſus poſcebat. Iam, detriti ſunt aggeres, facile, ſi res ferret, robori priſtino reſtituendi. quod nupero tumultu, *Rákoczianos* feciſſe, relatum accepimus. Colitur hodie, ad vici modum, confluentibus ſenſim, qui fortunarum ſedem iſthic ponunt. Nuper, coloniam hanc, EMERICVS princeps, pontifex *Strigonienſis*, templo, eleganti ſolidoque opere, educto, inſtruxit: parochia ſimul coædificata, quæ per vniuerſas *Archiepiſcopatus* ditiones, vix habet ſupparem. Rure eſt anguſto, quod & ipſum iuris eſt *Dréghely-Falvenſium.*

4.) *Hid-Vég*, a ponte, *Ipola* impoſito, nomen tulit.

Atque hi quidem quatuor vici, ad dominationem Archiepiſcopatus Strigonienſis, Dréghelyenſem, *veterrimo iure pertinent.*

5.) *Csal.*
6.) *Vecſe.*
7.) *Apova*, &
8.) *Csabrági-Varbók.*

in dominatione *Comitum Kohári Csábrághienſi*, cenſentur. *Bozokienſi*, contra ea, ditioni ſunt adſcripti.

9.) *Litava*,
10.) *Laczko.*
11.) *Szenobrad.*
12.) *Bozok-Lehotka*
13.) *Csékócz.*
14.) *Bozok oppidum.*
15.) *Unyatin.*
16.) *Felsö-Badin.*
17.) *Alsó-Badin.*
18.) *Szelcz.*
19.) *Trpin.*
20.) *Alsok.*
21.) *Ketske-Varbók.*
22.) *Felsö.*
23.) *Alsó-Mladonya.*

Hi omnes, ſicuti ad arcem Bozok *diximus, in* Societatis Iesv Tyrnauienſis, *poteſtate ſunt.*

24.) *Alsó-Palojta*, Slauis, *Dolné-Plachtincza*, adſcribitur *Præpoſitura Saagienſi*, qua *S. I. Neoſolienſis* potitur.

25.) *Csáb.*
26.) *Alsó-Pribely*, Slauis, *Dolné-Pribelycza*, &
27.) *Záhora*, dominationi *Diuinenſi* & *Kekóienſi*, quarum capita, apud *Neogradienſes* deſignauimus, adtributi inter C. *Zichios*, & *Balaſſios*, diſpertiti.

Quos nunc porro dicemus, varie, poſſidentur:

28.) *Felsö-Nyék.* 29.) *Alsó-Nyék*, & 30.) *Balogh*, partim *ſupremo Comiti*, partim *Baloghiis*, parent.

31.) *Ipoly-Keſzy*, familiis *Luka*, *Krisány*, *Farkas*, & familiis nobilium aliis, obnoxius.

32.) *Nagy-Cſalomia*, &

33.)

33.) *Kis-Cſalomia*; ille *Majteniorum*, & *Rádaiorum*; hic *Lovaſiorum*, *Zmeſtkaliorum*, & ſucceſſorum *Lubianorum*, imperata faciunt.

34.) *Kővar*, familiæ eiusdem nominis, gentilitiæ.

35.) *Drénо*, gentis *Paláſtiana*.

36.) *Terbegecz*, ad *Pongráczios* partim; partim ad hos adtinet, qui in iura *Kovariorum* ſucceſſerunt.

37.) *Kő-Koſzy*, eſt in *Baloghiorum*, & aliorum, qui hic degunt, nobilium cenſu.

38.) *Gyürky*, ſpectat ad nobiles iſthic degentes.

39.) *Szelény*, familiæ cognominis.

40.) *Keſzikócz*, eſt *Franciſci Paláſti* de eadem, *Dacsóiorum*, *Beniczkyorum*, & aliorum.

41.) *Felső-Palajta*, Slauis, *Horne-Plachtincze*, ſpectat ad *Tihanios*, *Ebeczkios*, & ſucceſſores familiæ *Palojtay*.

42.) *Közép-Palojta*, *Strednie-Plachtincze*, adſcribitur familiis, *Luka*, *Dacsó*, & *Ebeczky*.

43.) *Felsö-Pribely*, Slauis, *Horne-Pribelycze*, cenſetur in ditione, *Laſzkariorum*, *Pongrácziorum* & *Majténiorum*.

44.) *Prikled*, pertinet ad *Rádaios*.

45.) *Nénye*, eſt gentis *Luka* & *Beſztienſzky*.

46.) *Bátor-Falu*, cenſetur in poſſeſſionibus *Baloghiorum*, *Kubinyorum* & *Kovariorum*.

47.) *Szétsénke*, potiuntur vico *Liptoiani*, & *Szombatheliani* ſucceſſores.

48.) *Kelenye*, adtinet ad *Lukaios* & *Szmretſanios*.

49.) *Hruſſow*, in plurium eſt poteſtate; præter *Kohários* enim, dominatio *Bozokienſis*, tum & *Baloghii*, partem eius aliquam capiunt.

50.) *Nagy-Falu*, pertinet ad ſucceſſores familiæ *Liptai*.

51.) *Cſery*, potiuntur vico, præter *Martini Majtenii*, *Ladislai* quoque *Kubini* ſucceſſores.

52.) *Korpács-Varbók*, eſt in poteſtate hæredum *Szentzianorum*, & nobilium aliorum, iſthic degentium.

53.) *Felső-Dacsó-Lóm*.

54.) *Alsó-Dacsó-Lóm*.

55.) *Uj-Falu*.

56.) *Zeſzenye*, parent cum *Majteniis*, tum aliis.

57.) *Födémes*, diſpartita, inter *Comites Kohary*, & *Szmretſanios* poſſeſſio. Hæc, de Comitatu Hontenſi.

TA-

Digitized by Google

TABVLA ITINERARIA COMITATVS NAGY-HONT.

I. *In Comitatum* NEOGRADIENSEM.

1. Iter SCHEMNICIO, per *Sz-Antal*, *Prents-Falu*, ad oppidum *Némethy*. - - - - - mill. 2.

Inde, per *Teſzér*, *Terény*, *Mere*, *Horváthy*, ad vicum *Györk*. - - - - - mill. 2.

Porro, amne *Corpona*, per pontes, inter *Kis-Tür* & *Saág* erectos, *Saágum*; hinc, penes *Tesmag*, ad pontes *Ipola*, infra *Hidvég* poſitos, *Dréghely-Falvam* & *Palánkam*, ac denique *Nagy-Oroſzum*, primum *Neogradienſium* vicum. - - - mill. 2. $\frac{1}{4}$.

2. Iter SCHEMNICIO, ſuperiori tramite, *Saágum*. mill. 4. $\frac{1}{4}$.

Inde, per *Nagy-Falu*, ad *Balogh*, *Ipoly-Keſzi*, vel, ſi exundationes prohibuerint, per *Inam*, *Kovár*, ad *Balaſſa Gyarmath*, oppidum *Neogradienſe*. mill. 2. $\frac{1}{2}$.

3. Iter, idemque breuius, SCHEMNICIO per *Kolpach*, *Bábaſzék*, *Szutsán*, *Palojta*, *Kis-Kürtöſium*, vicum *Neogradienſem*. - - - - mill. 4. $\frac{1}{4}$.

II. *In Comitatum* BARSCHIENSEM.

1. SCHEMNICIO, per *Windſchacht*, ad *Bakabánya*, ſeu *Bohunitz*, via, regis ſumtu nuper inſtructa, ad oppidum *Báth*, inde per *Drſenye*, & *Solmoſs*, ad *Garam-Tót-Ujfalu*, atque hinc, *Ó-Barſchum*, traiecto ponte ſublicio, quo Granus iungitur, *Uj-Barſchum* in viam militarem. - - - mill. 3. $\frac{1}{2}$.

2. SCHEMNICIO, itidem per *Windſchacht*, *Gyekés*, ſeu *Dekis*, *Almás*, *Petsenicz*, *Batóuiam*, & hinc *Lévam*. mill. 3.

3. SCHEMNICIO, per *Hodritſch*, montano itinere *Zarnouiam*, via militari pone *Granum*, pluuio tempore, longe omnium difficillima, *Regiomontum*, vrbem metallicam. - - - - - mill. 3.

4. Schemnicio, ſuperato monte, per thermas *Szklenenſes*, & *Opátovcze* ad *Fanum S.Crucis*, atque hinc *Cremniczium.* - - - - - mill. 4.

III. *In Comitatum* Strigoniensem.

Schemnicio, per *Sz-Antal*, *Prents-Falu*, *Némethy*, *Teſzér*, *Terény*, *Mere*, *Egeg*, amne Schemnicienſi, ponte transmiſſo. - - - - mill. 3. $\frac{1}{2}$

Inde, per *Felsö-Szemeréd*, ad pontes *Wiſkienſes*, per *Vámos-Mikola*, *Páſztó*, Ipola vado traiecta, *Szalkam*, ac inde *Kövesdum*, atque *Danubio*, pontone traiecto, *Strigonium.* - - - - mill. 4.

Sin exundationes aquarum incidant, a *Vámos-Mikola*, ad *Töldes* declinandum erit iter, atque inde pontes *Szalkenſes* petendi, dum *Kövesdum* veniatur, & hinc *Strigonium.*

IV. *In Comitatum* Zoliensem.

Schemnicio, *Béla-Bányam*, ſeu *Dilnam*; inde per *Kozelnik*, vicum *Zolienſem*, arduo itinere, *Vetuſolium*, atque hinc *Neoſolium.* - - - mill. 5.

V. *In Diſtrictum* Kis-Hontensem.

Schemnicio, ad oppidum *Loſontz.* - - mill. 3.

Hinc, per *Kálno*, *Poltár*, *Rimaſzombathinum*, metropolin *Kis-Hontenſem.* - - - - mill. 3.

FINIS COMITATVS NAGY-HONTENSIS.

DI-

II.

DISTRICTVS KIS-HONTENSIS.

PROOEMIVM.

Vcuſque, principem *Comitatus* partem, quam *Nagy-Hont*, ſeu *Hont-Maius*, adpellant, quæque tribus *Proceſſibus*, vtpote, *Schemnicienſi*, *Báthenſi*, & *Bozokienſi*, definitur, pro inſtituti ratione, quantum eius licuit, expromſimus. Iam, res, iuraque prouinciæ, iſtud laboris, a noſtra hac diligentia, depoſcere ſibi videntur; vt partem *Comitatus* alteram, cui *Kis-Hont*, ſiue *Hont-Minus* nomen, pro eo, ſicuti æquum eſt, deſignemus. Quod & faciemus ſane lubentes; verum, eum in modum, vt, eandem partitionis rationem ſequamur, quam ſupra tenuimus. Hoc eſt: diſpeſcemus tractationem omnem, in *Generalem*, & *Specialem* partem. quarum illam, duobus membris, *Phyſico* altero, altero *Politico*; iſtam, tribus, pro re nata, *Sectionibus*, abſoluemus.

PARS GENERALIS.

MEMBRVM PRIVS

PHYSICVM.

DE

Natura ſitu atque Opportunitatibus, Diſtrictus Kis-Hont.

SYNOPSIS.

Nominis ratio, cum maiori Hont, *eadem: diuiditur a maiori, prouinciæ* Neogradienſis *intercurſu: eius,*

circumquaque limites: amplitudo: positionis habitus. §. I.
Montes Kis-Hontenſium *præcipui:* Taxouienſes: Klenocenſes: Kokavienſes: *montes humiliores:* Rima-Lehotenſes: Pilenſes: Hatſchavaienſes: Nyúſtenſes: Likérienſes: Brezóienſes: *regionis reliqua poſitio collina.* §. II.
Fluuiorum præcipuus, Rima: *eius ortus: procurſus: exitus, apud* Gömörienſes *in* Sajónem: Szuha, *& huius fontes, ac nomen: breuis eſt aluei: riuorum frequentia.* §. III.
Soli ingenium diuerſum: arationes duræ: latamenis vſus: ſegetum genera: fructus Hortenſes: vitis rara. §. IV.
Res, apud Kis-Hontenſes, *pecuaria, exilis, per montanos ſitus: lautior, ora meridionali: ouium ſtudium, in præcipuis eſt: porcorum copia: res apiaria, fructus inſignis.* §. V.
Ferarum genera: vrſorum, per montana luſtra, frequentia: lynces: luporum, in ouilia, immanitas: cerui, & damæ, rariores: leporum copia: aues ſilueſtres. §. VI.
Cæli ſalubritas: tempeſtatum, & pruinarum, mala: ferri prouentus, in regionis laudibus. §. VII.
Materia medica: fontes acidi. §. VIII.

§. I.

Nominis ratio, cum maiori Hont, eadem:

DE prouinciæ nomine, ſupra diximus, quod erat ſatis, cum maioris illius hiſtoriam expromeremus. *Minorem Hont* adpellant, quia maiorem illum, neque terrarum ſpatiis æquat, neque vicorum copia. Vix autem diuinando adſequare, qui factum ſit, vt, eiusdem nominis, iurium item, & magiſtratuum, *Comitatum*, ita, primi metatores, deſignarent, vt eximia *Neogradienſis* portio, inter *maiorem* illum, & *minorem* hunc, a meridie, verſus aquilonem, intermitteretur. Quod, quam ſit prouinciæ vtrique importunum, procliue diiudicatu eſt. Clauditur ab occidente, qua *Neogradienſium* limes deſinit, *Zolienſi;* inde, ſub aquilones, ad occidentem, quin meridiem etiam, a *Gömörienſi*, atque hinc, reflexis in occidentem finibus, a *Neogradienſi* comitatu. Longitudo eius protenditur *Taxouia*, *Rimaſzombatinum* vsque, milliaribus circiter tribus, latitudo, a *Szuha* ad *Tóth-Hegymek*, vno ſummum, milliari continetur. Arcta eidem planities eſt, eademque, non niſi, quam montes, & colles, latioribus hic & alibi, conuallibus definiunt. Sed, nec montes vnius ſunt generis: nam alii horreſcunt cliuis altioribus, diffuſioribusque; alii, in humiliores deſinunt, & nonnunquam collibus glabris diſtinguuntur.

diriminatur a maiori, prouincia Neogradienſis, *intercurſu: eius circumquaque limites: amplitudo:*

poſitionis habitus:

§. II.

§. II.

ET *Montium* quidem *horridiorum* præcipui ſunt: *Montes* Kis-Hontenſium, *præcipui* Taxouienſes:

I.) *Taxouienſes*, ſeu *Tiſzolczenſes*, qui ab oppido eius nominis, verſus occidentem, & ſeptentrionem protenſi, diuerſis, nunc lenioribus, nunc aſperioribus iugis, variant. Duo hi velut brachia expandunt, & vno quidem *Zolienſi* Comitatui, *Gömörienſi* altero, immerguntur. Vtrobique, continuis iugis, ſeriem dorſaque ſeruant; at, verſus *Comitatum Zolienſem* præcipue exaſperantur: cumque altiſſime proceſſere, limites conficiunt prouinciæ vtriusque, quos *Slaui*, *Diely*, quaſi diribitores diceres, adpellant. Qua glabros vertices habent lateraue, graminoſi ſunt, & ouium idonei ſtabulationibus. Fœnum ſane, quod iſthic colligitur, probum eſt, & herbis pene conſtans medicatis. Ergo, ſi alibi, per aperta hæc montium, egregie oues proficiunt, præbentque lactis, & opimi caſei, inſignem copiam. At, qua interſecantur vallibus, ſaxoſi ſunt, & petroſis lateribus. Madent tamen paſſim, ſed ſcatent etiam fontibus ſaluberrimis, quorum,

Quo plus ſunt pota, plus ſitiuntur aqua.

Veſtiuntur, nullo non ſilueſtris arboris genere, in his, *fraxinus* heic, *tiliæ*, & *fagus*, illic *abies*, *pinus*, & non plane nullis locis, *taxus* quoque dominatur. Quia varie finduntur, varia iis ſunt nomina, vndecumque petita. Qui ab aquilone, oppido *Taxouiæ*, propius accedunt, mineram habent ferri, multo, ex more, & efficaci magnete, maritatam.

II.) *Klenotzienſes*, prioribus in occaſum & meridiem connexi, ideoque, & ſitibus ſuppares, & opportunitatibus aliis. Diffunduntur ad duo fere milliaria, dum ad *Zolienſium* fines, ad occidentem, deſinant. Quo longius, a vico cognomine, recedunt, eo aſperiora in faſtigia adſurgunt. Eadem arborum, heic quoque, materies, per ſiluoſos receſſus increſcit, quam in *Taxouienſibus* memorauimus. Sed nec paſcuis, per glabra ſpatia, nec ferarum luſtris, qua ſaltus habent, ſunt inferiores: ouium contra fere etiam patientiores. Qua ad vicum accedunt propius, vti poſitionibus miteſcunt, ita, deraſa habent latera, ideoque agris frumentariis, pro regionis habitu, exculta. His, Klenotzienſes:

III.) *Kokavienſes* ſuccedunt, a vico *Kokava*, ſic adpellati. Late, in occidentem, meridiem & orientem, ſeſe exporrigunt; aſperrimis paſſim iugis horrentes, panduntque iter in prouinciam *Zollenſem*, tam opacis ſiluis, vt cælo etiam ſereno, ſolis radios, raro transmittant: amœniſſimis tamen nemoribus paſſim interſtinguuntur. Qua vallibus depreſſi ſunt, aſperiorem habent tranſitum; at vbi dorſis, late diffuſis, procurrunt, planos hic & illic, lucos pandunt, & pulcherrima pinorum, fraxinorum, abietumque proceritate, atque craſſitudine, miſcentur. Habent hi quoque, alendis ouibus, opportunitates eximias. Kokavienſes:

montes humiliores: IV.) Qui infra *Kokavam* procurrunt, ſenſim ex horridis faſtigiis, miteſcunt in colles, & quamquam paſſim ſilueſcunt, magna tamen ſui parte, aperti ſunt; quoque in meridiem abeunt profundius, eo magis reſpuunt abietem, & picearum genera alia. Increſcunt autem quercubus glandiferis, & quod eſt arboris reliquum. Pergunt, hoc habitu, vsque ad *Cseh-Brezó*, vicum *Neogradienſibus* limitaneum. Qua autem maxime excellunt, *Rima-Lehotenſes*, adpellantur. Aduerſo amnis *Rima*, latere,

Rima-Lehotenſes:

Pilenſes: V.) *Pilenſes*, vico *Pila* contermini, in collimitio *Comitatus Gömörienſis* adſurgunt in maiora faſtigia, & vti ſe diuidunt, ita perpetuis iugorum culminibus, aliis ſuper alia, altioribus, variant.

Hatſchavaienſes: VI.) *Hatſchavaienſes*, eodem tractu procurrunt in orientem, minoribus quidem iugis, ſed æque ſilueſtribus, materiaque ad lignandum copioſa. Crebris hi caluitiebus diſtinguuntur, quæ vti graminoſæ ſunt, ita præſtant, paſcendæ pecudi, opportunitatem.

Nyúſtenſes: VII.) *Nyúſtenſes*, a prioribus orti, procedunt ex eorundem latere, in diuerſiſſimos cliuos, exiliores hic, celſiores alibi: quemadmodum terræ permittit poſitio. Nusquam tamen arbores deſideraueris, ita, per opportuna locorum, ſilueſcunt.

Likérienſes: VIII.) *Likérienſes* hinc, in multiformes colles panduntur, ſed humiliori faſtigio, & dumetis magis, quam ſiluis, vel nemoribus, inſidentur. Qua ſubſident humilius, in tumulos abeunt, aratri, & ſegetum, patientes.

Brezóienſes: IX.) *Brezóienſes*, Likérienſibus multo ſunt humiliores: quippe, in tumulos depreſſi, quos querceta, amœna varietate, inueſtiunt. Deſinunt & hi, in *Gömörienſium* fines, eleganti, vtriusque prouinciæ, confinio.

regionis reliqua poſitio collina. X.) Quod per prouinciam terreni reliquum eſt, collibus id interſtinguitur, quos crebræ valles dirimunt, faciuntque loca, idonea vicis ponendis: quod, & riuis humectantur, & rus adaperiunt, cum amicum ſementi, tum aptum fœniſeciis.

§. III.

Fluuiorum *præcipuus* Rima:

FLuuiorum, qui tractum *Kis-Hont* pererrant, præcipuus eſt:

eius ortus: I.) Rima amnis, mediocris is quidem, ſed pronus in damnoſas eluuiones. Oritur ſupra *Taxouiam*, in montibus *Briznenſi* terreno limitaneis, quibus *Diely* nomen eſſe, nunc diximus. Emanat inde, per diuerſiſſimos vallium anfractus, pluresque riuos, ſtreperos non minus, quam perennes, in ſe colligit. Simul e ſaxoſis vallibus eluctatus eſt, ad ipſas montium, quas diximus radices, *Taxouiam*, atque hinc delapſus, *Pilam* vicum, *Füreſz* Hungaris dictum, interluit: Taxouienſibus, eo in primis vtilis, quod machinas, ferro elaborando factas, impellat. *Pila* digreſſus, verſo in orientem alueo, ad *Hatſchavam*, hinc ad *Nyúſtyam*, quam ab oriente ſubluit, admanat. *Klenoczenſium* illinc amniculo, qui ab occidente adlabitur, au-

progreſſus:

Digitized by Google

auctus, ad *Likér* fertur. Id, vbi ab oriente rigauit, recto magis, quam tortuoso alueo, ad *Rimabrezó* cursum tenet, cumque id medium interluisset, mæandris ludere incipit. Quo quidem habitu, *Rima-Bányam* interlabitur. Hinc elapsus, colli cuidam suffunditur, vbi partem riui *Kovátsiensis* alteram, alteram supra *Rima - Zaluzan*, auide haurit. Tum, multo iam auctior, inter eandem *Rima - Zaluzan*, & *Rimóczam*, quorum hic ab oriente, ab occidente ille, consedit, medius defluit. Isthinc, nouis iterum mæandris retentatus, demanat, versus vicum *Keczege*, eoque, ad teli iactum, occidentem versus relicto, vbi aliquantulum progressus est, infra collem *Ketzegensem*, cui *Getsóvá* nomen, diuaricato alueo, ramum vnum; in orientem, alterum in occidentem, dimittit. Quorum iste, *Uj-Rima*, ille *Ó-Rima* vocatur. Priorem, molarum caussa, quæ tamen iam pessum iuerunt, industria *Jánokianæ* gentis, deriuatum accepimus. Idem enim, *Rábóuiam* versus fertur, augeturque riuulo vici eiusdem cognomine; alter vero colles subluit *Szkálnokienses*; dum ad vicum *Felsó-Szkálnok*, perueniat. Inde per agrum *Alsó-Szkálnokiensem* delapsus, infra *Varbóczum*, cum *Uj-Rima*, iterum coit, augeturque riuo *Luznone*, postquam insulam, quarta parte milliaris longam, effecerat. Redunitus vero postea, mediam fere prouinciolam diuidit, factisque ambagibus, versus vicum *Bakos-Török*, quem a dextris, a sinistris vero *Orlai-Török*, longius hunc, illum propius, præterfluit, delabitur; tum vicum *Tserents*, orientali latere subit, atque sic ad oppidum *Rimaszombatense*, relicta ab occidente *Tamásfalua*, properat, illudque ab oriente adsidens, continuo eius latere occidentali, irrigat. Hinc rursus in orientem reflexus, versus vicum *Jánosi* cursum molitur, & vbi in *Comitatum Gömörienſem* transiuerat, penes *Lenádfaluam*, *Sajóni* immergitur. Rapidus est, qua per decliuia fertur, & modico quolibet imbre exundans, vere autem, solutis niuibus auctus, adeo excedit ripas, vt magno incolarum damno, qua labitur, vicos, & segetes, prataque, sæpe corrumpat. Quoad sui similis manat, abundat trutis; sed quam primum in limosiora delatus est, a natiua limpiditate degenerat, atque turbidus iam, alterius generis pisces, vti murænas, alburnos, mustellas seu mugiles, capitones, rarius lucios, alit. Cancris adfluit sane, saporis eximii; vt minuta piscículorum genera prætereamus. Fluuiorum alter,

exitus apud Gömörienſes, *in* Sajónem.

II.) *Szuha* est, qui nomen, seu adtulit, seu accepit, a vico *Szuha:* quippe supra quem, tenuia habet capita. quæ, sicuti redundant largius, si cælum sit pluuium; ita inarescunt fere, si rarius compluat. Hinc, de amnis indole coniicias. Nempe, eluuionibus nunc est noxius, nunc iterum aquarum, ad ariditatem fere, inops. Id quod, amni nomen ferunt conciliasse, vt *Szuchá*, hoc est, *aridus*, dicatur. Labitur a *Szuha*, ad *Fazekas*, hinc ad *Zaluzan*, & vbi hunc a sinistris rigauerat, torrente, ex montibus *Szuhanensibus* adlapso, locupletatur, manatque iuxta vicum *Osgyanienſem* a dextris, & ad

Szuha, *& huius fontis ac nomen:*

breuis eſt alueus.

ad *Darócz*, in agrum *Neogradienſem* egreditur. Quoad aquis proficit, patitur complura piſciculorum genera, amittit tamen viciſſim, qua ſit ſiticuloſior.

riuorum frequentia. III.) *Riuos*, qui intra montium conualles editi, demanant in apertam regionem, nequimus recenſere; quod, & multi ſunt, & varient ſubinde nomina, ex vicorum, quos vel adluunt, vel penitus rigant, adpellationibus. Rari ſunt vici, quibus non ſit riui quidpiam: vbi vero hi deficiunt, deprimuntur putei, aut ſcatent fontes, laticis eximii, atque vberis, qui, & pecudi adaquandæ ſufficiunt, & domeſticis vſibus aliis.

§. IV.

Soli ingenium diuerſum: SOlum regionis, varium eſt, ac multiplex. Qua eſt apertior & planior, humo etiam pinguiori lætatur, fertque frumentum, & pabulum, interdum & ſine lætamine: quibus locis fortiora aratra, & plura boum iuga poſcit, debetque ſexiiugis ſubigi. Certe, quod gignit triticum, ſingulari, præ ceteris, benignitate ſe commendat. Contra, quo magis, ſiluis, & montibus immergitur, eo ſit ager infœcundior & frigidior, eoque etiam ſementem patitur fouetque malignius. Solo enim, iis in locis, mox tenaci, & argilloſo eſt, mox glareoſo, & ſterili. Itaque,

arationes duræ:

Terque quaterque ſolum ſcindendum, glebaque verſis
Aeternum frangenda bidentibus, omne leuandum
Fronde nemus. (*a.*)

laboris vſus: Secus, vix quidquam proficit: vt, & cultu ſcrupuloſiore indigeat ager, & lætificatione, multo, quam reris, liberaliore, ſi colonus haud ſit defraudandus. Seminum genera, agro opimiore, ex æquo inualeſcunt omnia: at, vbi effoeta gleba eſt, ſiligo tantum, hordeum, auena, & pannicum, regnant. Legumina, hortenſes item, ſeu herbæ, ſeu radices, non tam incremento ſe commendant, quam coquendi facilitate, & ſaporis præſtantia. Qua planius ſe exporrigit regio, vti ſit ora meridionali, ſuum & *Pomonæ* decus eſt. Proueniunt nimirum, nulli non fructus, qui aerem huiatem non reformidant; modo eſſent, qui in ſerendis arboribus fructiferis, pluſculum operæ collocarent. Vitis, montani illi ſitus, prorſus impatientes ſunt. Ergo rarius, & illis tantum locis ponitur, quæ ei creduntur amica eſſe; verum & hic, ſine inſigni fructu.

ſegetum genera:

fructus hortenſes:

vitis rara.

§. V.

Res, apud Kis-Hontenſes, pecuaria, exilis, per montanos ſitus: IAm, quod ad rem pecuariam adtinet, variam hanc faciunt, ſituum diuerſitates. Qua montibus horret regio, boum genus exile fere eſt, capite torpido, contortis inique cornubus, pede curto, & gracili. Quæ vitia pecudis, valent quodammodo, ad regionis iniquitatem tolerandam. Quia enim, paſſim ſuſpenſus, per collium,

a.) VIRGILIVS Georg. Lib. II. V. 399. ſeqq.

lium, quin & montium latera, ager eſt, difficilius; obeſum & torroſum pecus, ruſticaretur. Quid? quod fœniſecia, fere per montes fiant, vbi ad conuehendum, per locorum illa præcipitia, pecude opus eſt gracili, quæque poſſit ſuſpenſo quaſi gradu, & ferre iugum, & trahere onera. Sunt tamen, in opimioribus ruſticis, qui bobus delectantur campeſtribus: quales ſunt in ora *Kis-Hontenſi* inferiore. Deſcripſimus hoc genus ſæpius, neque eſt facile quiſquam, qui eius habitum formamque ignoret. Idem, ſi inter armenta propagandum ſit, degenerat paullatim, ac tametſi colorem retineat, mole tamen ſit exilius, & viribus languidius. Alunt nihilominus tantum pecudis *Kis-Hontenſes*, quantum ſatis eſſe putant, cum ad ruſticandum, tum ad alendam familiam: paucioribus quæſtui eſſe poteſt res pecuaria, quam educaſſent domi. *Equi*, quos habent, & pauci ſunt, & multum diuerſo ingenio, ab *Hungaricis* illis, qui locis campeſtribus educantur. Satis eſt ruſtico, etiam non pauperi, par equorum, poſſe, quadrigis aut aratro, præiungere: niſi forte aurigatione quæſtum faciant; tunc enim, malunt equorum, quam boum miniſteria adhibere. quos tamen, in campeſtri fere *Hungaria* redimunt. In primis autem, montium incolæ *ouibus* ſtudent, quas per ſilueſtria ſtabula, magno numero, ad eum modum alunt, quem alibi, fuſe deſcripſimus. Itaque, abundant caſeo noſtri; ſed, qui tamen macillentus paſſim ſit, ob colligendi butyri compendia. quod ni eſſet, ſupparem credimus futurum *Briznenſium* illi, quem ſuo loco laudauimus. Alioquin, duorum & hic generum ſunt oues; *Bohemicæ* illæ, minutiore ſtatura, vellere autem molli & criſpo; atque *Hungaricæ*, longis cruribus, tortuoſis & diuaricatis cornubus, lanaque prolixa & pendula. prius illud, montes habent; campi poſterius. Iam, quod ad *porcos* adtinet, mira horum eſt vbertas: quod, cum ruſticorum ſolertiæ, tum opportunitatibus, quas ſiluæ glandiferæ ſufficiunt, tribuendum eſt. Ergo, non facile, hac regione, ſuccidia ruſticum defecerit. Sunt, qui lucelli aliquid, ex pecudis hoc genere, faciunt, dum ſaginatos greges, ineunte hieme, *Rimaſzombathinum*, ad mercatus propellunt. Reliquæ ruſticationis partes, non æque ſunt fructuoſæ, ſi *rem apiariam* eximas, quam, non plane nulli, pulchre & cum fructu, ſciunt procurare. Altilium, quia pretium vile eſt, tantum educant quantum ſuffecturum putant, cum alendo militi, tum tributariis etiam vſibus. Certe enim, & huic tractui, id cum primis deeſt ad felicitatem, quod vrbibus careat, vbi ruſticas, & domi natas merces, poſſent venundare.

lautior, ora meridionali;

ouium ſtudium, in præcipuis eſt;

porcorum copia;

res apiaria, fructus inſignis.

§. VI.

FErarum nullum non genus, egregie, per montanos ſiluoſosque poſitus, proficit. Atque in montibus quidem, frequens *vrſorum* fœtura eſt, & fere coniuncta cum incolarum periculo. Itaque, coeunt idoneis temporibus ad venandum, expeditiſimi

Ferarum genera: vrſorum, per montana luſtra, frequentia;

simi quique, non tam prædæ cupiditate, quam, vt diminuantur immanes bestiæ. Nam, sunt omnino montani incolæ, venationum periti non minus, quam studiosi. Intercipiuntur autem vrsi, partim glande, partim insidiis, quas varie instrui solere accepimus, per ea lustra, quæ ab vrsis insideri cognouerunt incolæ. Sunt & *lynces*, per siluarum abdita, rariores ii quidem; sed noxii, tenuiori ferarum generi. Occupantur non raro, in nidis, dum absunt, prædæ caussa, parentes. Exiliores ii sunt, quam consueuerunt esse alibi, pilo tamen decoro. *Lupos* ne meminisse quidem est opus; quod constet, nusquam ouile dari, nisi vicinum habeat lupum. Edunt non raro, per siluestria illa stabula, hieme potissimum, clades in ouibus damnosas: vt habeant sane opiliones, cur adtendant gregibus. Quin, & ad vicos descendunt nonnunquam, infestantque domestica armenta. Ergo, lupum hic occidisse, in iis facinoribus habetur, quæ sunt in primis in commune vtilia. *Martes*, *vulpes*, & *feles* siluestres, illic potissimum fœtificant, vbi densi sunt, ac inaccessi fere saltus nemoraue. *Cerui* & *damæ*, offenduntur per montana rarius, frequentius in depressiore illa regione, quæ est circa *Rimaszombatinum*. *Leporum* contra, inexhaustum est seminium; ab eo potissimum tempore, dum venandi licentia illa, refrænata est lege publica. Feræ hæ fuerunt. Neque desideres *aues siluestres*, quæ, partim per montes nidificant, partim per aperta nemora. Nullum erit genus, quod hic non fœtificet, si *Phasianum* excipias, qui cælo gaudet benigniore. *Attagines*, *rusticulæ* generis varii, *turdorum* item species, nusquam non sunt obuiæ: vt habeant sane, quod deiiciant, aut aucupentur, qui his auocamentis, domestica otia amant dispungere.

lynces:

luporum, *in ouilia, immanitas*:

cerui, & damæ, *rariores*: leporum *copia*:

aues siluestres.

§. VII.

Cali salubritas:

EX totius regionis habitu, pronum est, de aeris salubritate colligere. Nimirum, quia neque desidibus aquis putrescit, neque fœdatur vaporibus nociuis; contra, ventis, ex montana deiectis regione, perpetuo vigescit: non potest non eximie salubris esse. Istud fortassis posset accusari, quod, collectas intra sinus, vel illapsas, ex vlteriore *Carpatho*, tempestates, in depressam regionem, frequentius, & cum agrorum damno, montes effundant. Quid? quod diutinæ niues, funestent sæpe veris exordia, noxiis pruinis. Reliqua omnia, sic satis sunt temperata; nisi anni rationes, quod euenit quandoque, contraeant. Ad laudem regiunculæ, & istud retuleris, quod ferrum præbeat, probum id quidem, & si rite liquetur procudaturque, nullis non vsibus idoneum. *Taxouiæ* id fieri, supra meminimus, idque, *Cameræ Neosolienſis montanæ* procuratione sumtuque.

tempestatum, & pruinarum mala:

ferri *promontus, in regionis laudibus*:

§. VIII.

Materia medica:

ITa, cum sit comparata *Hontensis* hæc ora, fert materiam medicam,

cam, montibus familiarem. Sane, quæ ſunt herbæ, radices, frutices, *Liptouienſibus* atque *Zolienſibus* vernaculæ, hic quoque felici prouentu germinant. Anne vero tubera ferant montes, non potui indagare. Acidorum fontium; nam dulces velle numerare, ſuperuacuum fuerit; plures, iique ſaporis optimi ſcatent paſſim. In his ſunt: *Szuhenſes*, & *Pudekienſes*, *Fazekas-Zaluzanienſes*, *Suſſanienſes*, *Gelenienſes*, *Oſgyanienſes*, *Rima-Brezoienſes* & *Tiſzolczenſes*. Thermarum inops eſt regio. *fontes acidi.*

MEMBRVM POSTERIVS POLITICVM.

DE

Incolis & Magiſtratibus Tractus Kis-Hontenſis.

SYNOPSIS.

Priſci regionis incolæ: Hungari, *hodie pauciores: mores nobilium, & ciuium: ruſticorum indoles.* §. I.

Slauorum *ingenium ac lingua: diuerſitas in moribus, & rei familiaris procuratione: eorum occupatio: indoles hilaris: mores reliqui, circa natiuitatem: nuptias: liberorum educationem: ſepulturam: adoleſcentiæ vitulationes.* §. II.

Nobilium *inſtituta: valuere antehac, virtute bellica: vita inuicem, ob innexas adfinitates, concors: illuſtres familiæ.* §. III.

Habent Kis-Hontenſes, *Vice-Comites peculiares: eius inſtituti origo: publica comitiorum ſanctione perſcribitur.* §. IV.

Noua, in eam rem, lex perlata: ius, eligendi Vice-Comitis, *adtributum* Kis-Hontenſibus: *reliqua adminiſtrationis forma.* §. V.

Irrita, de coniungendo, Kis-Hontenſi Proceſſu, *cum* Neogradienſi *prouincia, conſilia: lex nouella, tollendis* Kis-Hontenſium, *querelis, perlata.* §. VI.

§. I.

INter primos regionis huius incolas, referimus haud immerito, *Jazyges*, *Sarmatas*. Quibus, pro migrationum ratione, *Vandali*, *Slaui*, *Hungari*, *Bohemique* miſcebantur. Crediderim tamen, a *Slauis*, poſt *Jazyges*, & *Sarmatas*, oram iſtam perpetuo fuiſſe inhabitatam. *Hungari* certe, licet, eo iam fere tempore huc aduenerunt, quo *Vrſus*, gentis dux, has partes obtinuit: tamen, potiores, metu *Turcarum*, in has ſunt coacti ſiluas: *Priſci regionis incolæ*

Hungari hodie pauciores: mores nobilium & ciuium:

quippe qui alias, per campestria habitare semper maluerunt. Hodie, vix prouinciolæ partem tertiam, *Hungari* inhabitant. quos tamen genuinam *Hunnorum* gentem esse, eo magis credas, quo tenaciores sunt pristinorum institutorum. Seueri enim sunt, manu & animo fortes, studiosi iustitiæ, honestatis obseruantes. Itaque, vicini licet *Slauis* sint, tamen, neque linguam eorum adfectant, neque mores. Raro *Hungarum* reperias, *Slauicam* linguam callentem. Sed ne *Germanicæ* quidem studerent, nisi *Germanorum* consuetudine, ad eandem discendam, inuitarentur. Hæc, nobilium, & ciuium est indoles. Rustici *Hungari*, & oris crassi sunt, & morum. Sermonem certe Hungaricum inepte pronunciant, vitam autem degunt, vltra modum agrestem. Quod non eo dictum volo, quasi vitiis se contaminent, aut facinoribus; sed quod expertes sint elegantiæ. Itaque, viuunt, suo quodam & inueterato ritu, nulla cultus ratione habita. Sunt corpore, ex gentis indole, compacto, eoque frigoris, æstus, & laboris, patiente. Nam solertiores omnino hic degunt, quam eos alibi vidimus: siue id, suo quodam instinctu faciunt, siue æmulatione *Slauorum*, quos habent vicinos. Est, & his in more positum, vt lubenter ducant tenellas, ac pene immaturas virgines; ipsi, ad sextum quandoque ætatis lustrum, prouecti: quam consuetudinem, oppido noxiam reipublicæ, alio loco, notauimus. Nuptiarum solemnia, magna obeunt adtentione, ne quid instituti patrii, per incuriam exoleſcat. In primis memorandum, quod ædes nuptiales, suspenso, de pertica, albo strophiolo, notant: quod & hilaritatis est indicium, & saluus quasi conductus quidam, pro his, qui intus hymænæa canunt. Vtuntur veste plerique alba, pauciores cærulea; neque tam curant viri, vt culti sint ipsi, quam vt femellas habeant, elegantius vestitas; sed sumtu tamen parabili. Scilicet, peplo vittatum caput obnubunt, quod per dorsum defluit. Reliqua vestis, aut rubra est, aut viridis; pes, e rubro, luteoue corio, decore cothurnatus.

rusticorum indoles.

§. II.

Slauorum ingenium, ac lingua:

Slaui, vti plures *Hungaris*, ita diuersi plane sunt, lingua atque moribus. *Taxouienses*, *Klenóczienses*, *Pilenses*, *Hacsauienses*, *Nyústienses*, *Kokauienses*, & *Likerienses*, eadem fere vtuntur dialecto, dum, ſs. pro c. & pro i. e. crassa dicendi ratione, sæpe commutant, vt: po *c'uoz'e*, *ſsuoz'e*, pro *Syr*, *Ser*, caseum dicunt. Contra *Rhaucienses*, *Banyenses*, *Ketzegienses*, *Cserentſienses*. reliqui, aliam rursus loquendi formam obtinent, adpellanturque, a vocula *Trpou*, quam molestе ingerunt sermoni, *Trpácy*. Omnes tamen sunt laborum patientes, & ad rem adtenti, superioresque illi, quam inferiores, morum cultiorum. Hi enim, torpescunt, agro benigniore; magis contra illi, excitantur soli difficultate ad operas varii generis, materiarias: præsertim, qui montes habitant retrusiores. Nam, qui aperta ora colunt, fictilibus magis operantur: vt rique autem, quod siue

diuersitas in moribus & rei familiaris procuratione: eorum occupatio:

ſiue materiariorum, ſiue fictilium operum, confecerunt, in campeſtrem regionem, ipſis *na Mezou*, Hungaris *Mezŏ* quod campum ſignificat, dictam, ad vendendum deuehunt. Qua quidem ratione, victus partem præcipuam parant; alioquin, ob ſterilitatem ſoli, vitam ducunt miſeram, & egenam. Sunt tamen honeſti non gnari minus, quam ſtudioſi. Neſcio, vitium ne gentis ſit, an benignioris naturæ indultus, quod rebus etiam duriſſimis, læta ſit tamen, & quæ ſciat, difficultates omnis generis, ſaltationibus, & hilari conuictu lenire. Celebrant nimirum, ſaliares ferias, cum eſuriales fas eſſet agere. Qui mos, quocunque te verteris, inter *Slauos* Hungariæ, ad eum modum inueterauit, vt ne tum quidem migrandum putent, cum in commune complorandum eſt. Quoties prolem, ſacro fonte ablutum ſuſcipiunt, conuiuiis indulgent; ad quæ, ſemotis viris, feminæ tantum coeunt; ſin autem immiſceri *Cornelium* quendam accidat, hunc illæ dicteriis exagitatum, ac obrutum quandoque vino *factitio*, ludibrio habent: vt terriculamento ſit viris, ne hæc feminarum ſacra, auſint contemerare. Inebriatæ demum, in tripudia erumpunt, quin & domum abeuntes, plateas cantibus opplent. Nubunt, pari, vt *Hungari*, ætatis flore; ſed, conſuetudine nuptiarum, plane diuerſa. Illis enim, ſine multa cerimonia, ritu patrio, ſponſas domum deducentibus; hi, tantas obeunt, vt difficile ſit percenſere ſingulas. Coitur primum, ſub dici *Saturni* crepuſculum, ad merendæ genus, quod illi, *na Kaſſu*, vocant. Huc, duarum miniſterio virginum, æquales ſponſæ, adſciſcuntur; adoleſcentibus, qui ſaltus ſint admininiſtri, ipſis *Paróbczy*, ſimul in epulum adhibitis. Laſciuiunt demum in ſeram noctem, abeuntque magna honeſtatis ſignificatione; neque id tamen, ſine cantilenarum ſonoro ſtrepitu. Vt dies *Solis* illuxit, ruſtico faſtu, vti ſunt parentum opes, inſtruuntur omnia. Itur, conſtituto tempore, cum tripudiis, ad ædem ſacram; copulantur illic, ſolemni ritu, ſponſi; reditur eodem ordine, cum fidium, & tibiarum vtricularium, ſtridore, ad ædes nuptiales. Tunc vero demum, diſcumbitur, ſaltatur, & nullum non lætitiæ agreſtis genus, editur. quod, vel recordari piget. Inter hæc ſacra hymenæi, octiduum ſubinde extrahitur, ſympoſiis, impenſa ſponſi inſtauratis ſæpius. Cum dies vnus alterue, ita inſanientibus abiit, facto agmine, quidquid eſt conuiuarum, ad ædes ſponſi abeunt, ſponſamque, iſthuc, profunda nocte, deducunt. quæ ſolemnia, *Na Domowuo*, adpellitant. Dici nequit, quanta vociferatione, quo vtricularium mugitu, cerimonia illa obeatur. Ineunt poſtea, apud ſponſi ædes, nouæ epulæ nuptiales, dum ſponſa, poſt longas ſaltationes, ritu peculiari, in thorum abducitur, an rapitur. Adſunt, altero poſt die, viri matronæque, qui nouos maritos conſalutant, & ſuis vſi formulis, adſciſcunt in conſortium. Hæc circa nuptias *Slaui* huiates factitant. Liberos educant, pari, vt ipſi viuunt, ſorte, puellis ad operas domeſticas, ad agreſtes pueris, adſuefactis. Atque inter eas

indoles hilaris:

mores reliqui, circa natiuitatem:

nuptias:

liberorum educationem:

ſepultu-ram:

vitæ, quamuis duras ſatis, occupationes, interdum diutius, quam vlli mortalium, & beatius viuunt. Mortui, more ſolito, efferuntur cum eiulatu, planctuque mœſtarum, quæ ad certas quaſi melodias, cum laudes defuncti, tum ſuas, inter eundum, calamitates, explicant; quin & iniurias illatas defuncto, acerbe exprobrant, & quiritantur. quod planctus genus, *Wikladat*, quaſi *explicationem* calamitatum ſuarum, adpellant. Quoad viuunt, variis lætitiæ intermiſtionibus, vitæ miſerias, leuant: iuniores maxime, & quibus *Parobcy* nomen eſt. Nimirum, diebus *Pentecoſtes*, regem e medio ſui deligunt, eoque, corona inficeta redimito, die altero, in choreas abeunt. Solemnitates eas, in horreis peragunt, præſidente vno ex ſenioribus, ne iuſto vitulentur inſolentius. Idem ſenior, regis quaſi interpres, ipſo tacente, verba, vbi opus, facit, atque reddit. Dum quis ſalutatum regem acceſſerit, id, manus ſtrophiolo obtectæ ſtipulatione, fieri fas eſt. Præterea, dum in ſaltum procedit rex, bacillum præfert, præcedente & ſequente eum ephœbo. quem ille bacillum ſubinde iactat: hunc, ſi volantem ephœbus manu celeri non exceperit, mollius ab ipſo rege, bacillo eodem percutitur. Quod reliquum eſt, accubiturus rex menſæ, inſidet ſuper puluillis, *Parobcys*, adtente miniſtrantibus: & aliis quidem, ex lege, præſto adſtantibus, aliis, in tecto excubantibus, liberaliterque inuitantibus, ſi qui ad eorum choros, & tripudia acceſſerint. Hæc de *Slauis* ruſticis.

adoleſcentia vitulatiua.

§. III.

Nobilium *inſtituta:*

AD *Nobiles*, quod adtinet, degunt hi vitam, dignam genere ſuo. Adoleſcentiam plerique omnes formant melioribus literis. quas vbi ex propoſiti rationibus perdidicere, *cauſſarum patronos*, tam diu ſequuntur, dum ius patrium, & fori conſuetudines, imbiberunt. Quod vitæ genus, ita non plane nullis adridet, vt nihil dubitent, in *aduocatis* cenſeri. At, quibus opimior poſſeſſionum modus eſt, ſatis habent addidiciſſe iura, vt, ſi res ferat, ſe ipſos, ſuaque poſſint defenſare. Dum confines arces, *Agria*, *Fülekinum*, reliquæ, a *Turcis* tenebantur, bellicæ virtutis laude claruerunt *Hontenſes*. Iam, quia repreſſo dudum hoſte, ceſſatio ab armis eſt, totos ſe rei familiari tradunt, priſcæ virtutis illius, non tam obliti, quam exſerendæ eius deſtituti occaſione. Conuiuunt autem mutuo, eo concordius, quo arctioribus conſanguinitatis, atque adfinitatum vinculis, ſunt coniuncti: niſi lites interceſſerint, quæ diſſocient tantiſper animos, cum perferatur ſententia. Eſt enim vero iſtud, inter offenſas amicitiarum, ponendum omnino in *Hungaria*, quod litibus diutinis & tenacibus, mutuo noſmet exerceamus. qui tamen inueteratus mos, exoleſcet ſenſim, decreſcente in annos ſingulos, litium numero. Præter *Nobiles*, inter quos diſpertitæ ſunt vicorum poſſeſſiones, illuſtres etiam familiæ, ornant prouinciolam. Præcipui in his ſunt, *Comites Kohárii:* ad quos & *Supremorum*, *Co-*

valuere antehac virtute bellica:

vita, inuicem, ob immanes adfinitates, concors:

illuſtres familiæ.

Comitum axioma, iure adtinet hæreditario. Sunt & *Forgáchiis*, atque *Vécſeiis*, *Nyáriis*, & *Vajaiis*, ſui poſſeſſionum modi.

§. IV.

PEculiare eſt apud *Kis-Hontenſes*, quod, tametſi, cum *Nagy-Hontenſibus*, eundem *Comitatum*, qua eius *Proceſſus* quartus, conſtituant; atque, eundem habeant *Supremum Comitem*; tamen, *Vice-Comitem*, lege publica, ſibi ſoleant peculiarem deligere: cuius rei origo, ne lateat lectores, altius eſt repetenda. Cum FERDINANDVS I. & IOHANNES de *Zápolya*, de regno, mutuo dimicarent, *Franciſcus Nyári*, & *Melchior Balaſſa*, irrequieti & militares viri, ita ſeiunxerant *Nagy*, & *Kis-Hontenſem*, prouincias, vt alter illic, iſthic alter, *Supremi Comitis* dignitatem vſurparet. Diſplicuit ea res Statibus, impulitque, vti rogata lege, *(a.)* coadunaretur iterum Comitatus. Audiamus legem: *Comitatus* Hontenſis, *violentia Comitum ſuorum partium diuerſarum*, Franciſci *videlicet* Nyári & Melchioris Balaſſa, *hiſce diſturbiorum temporibus, in duas partes diuiſus fuit. Qui quidem Comites, dum ne modo quidem patiantur Comitatum ipſum in vnionem venire, ita, vt adminiſtratio eiusdem Comitatus, ad inſtar aliorum Comitatuum, in eodem loco ſedis iuridica fieri poſſit. Tum igitur ex eo, tum, quia iidem Comites ad rite adminiſtrandum Comitatum ipſum, nondum iuraſſe dicuntur: ſtatutum eſt, vt Comites ipſi cum hic nunc præſentes ſint, aut iurent coram Maieſtate regia, aut officio priuentur, & loco eorum alii ſubſtituantur. Qui, ſi iurauerint, Maieſtas regia dignetur eis ſerio committere, ſub amiſſione officii ipſorum, vt Comitatum ipſum, citra vllam moram, ſublata diuiſione, in priſtinam vnionem venire, omnemque adminiſtrationem, in loco ſolito & antiquo, fieri patiantur, & deinceps ab omni tyrannide, quam hactenus eosdem Comites, in ipſo Comitatu exercuiſſe ferunt, abſtinere debeant: alioquin, non ſecus atque in rebelles, in eosdem Comites, animaduertatur.* Seuera profecto lex, ſed æqua tamen: quippe quæ, eo valuit, vt coadunarentur omnino laceratæ prouinciæ. Nam anno quidem ſequente, MDXLIII. *Franciſcus Nyári* de *Bedegh*, ſolus *Comes Comitatus Hontenſis* fuiſſe (*b.*) legitur: forte, quod abrogato altero, iſte viſus eſt potior. Mireris autem, & poſt redunitos *Hontenſes*, tamen non dubitaſſe Status & Ordines, diſiunctis nominibus, *Kis-Hontenſem*, & *Nagy-Hontenſem*, Comitatuum axiomate *(c.)* inſignire.

Habent Kis-Hontenſes, *Vice-Comites peculiares: eius inſtituti origo:*

publica eo nitiorum ſanctione perſcribitur.

§. V.

QVidquid eius ſit, non carpit moleſtiis, hæc prouinciarum vnio; quas vt lenirent Status, noua opus fuit ſanctione. *Ad humilem inſtantiam Nobilitatis* Proceſſus Kis-Hontenſis, *alias* Co-

Noua, in eam rem, lex, perlata:

a.) FERDINANDI I. Decreto V. A. MDXLII. Art. XXXVII.
b.) In Regiæ Maieſtatis ad Conſtitutiones Nouiſollenſes, reſponſione, Initio.
c.) Vide, A. MDCIV. Art. VIII. & A. MDCVIII. Art. XV. poſt Coronat.

Comitatui Nagy - Hontenſi *articulariter vniti, penesque eandem vnionem vlterius etiam relicti, & benignam Sacratiſſimæ Sua Maieſtatis annuentiam; eo quod ipſo, a prænotato corpore ſuo longinquius diſtante, prælibata eiusdem nobilitas, generalibus dicti Comitatus Congregationibus, publicisque tractatibus, in Libera ac Regia Ciuitate Carponenſi celebrari ſolitis, ex opportuno & commodo priuato intereſſe, aut abinde Judicum Parochialium, in medium ſui adminiſtranda pro iuſtitia, educendorum comparatione, hactenus, grauioribus cum impenſis potiri potuerit: Ad præuium benignum Sua Maieſtatis Sacratiſſimæ conſenſum, concluſum eſt:* quatenus in eodem Proceſſu Kis-Hontenſi, per ſupremos eiusdem Comitatus Comites, & dicti Proceſſus Vniuerſitatem, e gremio illius Nobilium, vnus Vice - Comes, cum creandis penes ſe Judicibus Nobilium, & Juratis aſſeſſoribus, de recepto ritu candidandus, & eligendus, totiesque, quoties neceſſum fuerit, inſtaurandus, ea autoritate, qua alter, antefati Comitatus Hontenſis Vice-Comes fungitur, coram ſe litigantibus partibus, ex æquo iuſtitiam adminiſtrare, publica illius Proceſſus neceſſitate ita ferente, inibi, pro eodem Generales Congregationes indicare, & celebrare valeat. *Generalium nihilominus aliarum Congregationum, factum omnium quatuor toties repetiti Comitatus Proceſſuum communiter & indiſcretim concernentium, publicatione, ad ſolitum, & communem Comitatus locum inſtituenda, penes ante lati Comitatus Vice-Comitem, & mutuam, cum altero quoque Kis-Hontenſi Vice-Comite, ad inuicem ſeruandam cointelligentiam; ſedium Judiciariarum vero, ex parte prænotati Kis - Hontenſis Diſtrictus, Cauſſarum, Citationum & Transmiſſionum, in medium eiusdem fienda publicatione & celebratione, penes parem correſpondentiam relicta.* Hæc anno MDCLXXXVII. ſancita (*d.*) fuere, magno, vti adparuit poſtea, prouincialium *Kis-Hontenſium*, compendio.

ius, eligendi Vice-Comitis, adtributum Kis-Hontenſibus:

reliqua adminiſtrationis forma.

§. VI.

Irrita, de coniungendo, Kis-Hontenſi Proceſſu, cum Neogradienſi prouincia, conſilia:

AT enim vero, vti ſunt, ſeu tempora, ſeu ingenia hominum, nouis res ea querelis, vndecunque profectis, exagita eſt. Erant, qui *Proceſſum Kis-Hontenſem*, tamquam longius, a reliquo Comitatus *Nagy - Hontenſis* corpore, ſeiunctum, cum *Neogradienſi* coadunandum putarent; ea nimirum lege, ſi *Neogradienſes*, *Proceſſum Kékőienſem*, eius loco, *Nagy-Hontenſibus*, conſentiente rege & regno, adtribuerint. Sed, eam conditionem, non modo non accepere *Neogradienſes*; tametſi res, publicis in comitiis, anno MDCCXXIX. diſputaretur, referreturque ad regem conſulto; verum, docuerunt etiam, neutri *Comitatuum* vtilem futuram, inſolitam eam permutationem; cum ob cauſſas alias, tum, ob tabulariorum, quæ ſunt cuique prouinciæ propria, emerſuram inde confuſionem. Quid? quod *Kékőienſis Proceſſus*, & terrarum ſpatiis, & vicorum incolarumque copia, *Kis-Hontenſem* hunc antecellat. Dedere interim, hæ con-

d.) Artic. XXV.

consiliorum rationes, & querelæ aliæ, condendæ partim, partim recognoscendæ (*e.*) legis, quam anno MDCLXXXVII. perlatam fuisse, nunc diximus, occasionem. Iuuat isthuc transcripsisse sanctionem, ne ignoretur ab his, quibus non sunt regni Hungariæ decreta in manibus: *Vt vlteriores* Processus Kis-Hontensis *querelæ, ac in promotionem earundem fieri solitæ expensæ, iurisdictionumque confusiones anteuerti valeant, accedente benigna Sua Maiestatis Sacratissimæ annuentia, determinatum est; quatenus memoratus* Processus, *vlterius quoque penes* Comitatum Hontensem *relinquatur, ea tamen modalitate, quod cum pro ratione necessitatis, Comitatibus, præter ordinarium, substitutum quoque Vice-Comitem habere permissum esset, alteruter eorundem Vice-Comitum, cum vno Judice Nobilium, & Vice-Notario, in sedibus Restauratoriis Comitatus, in loco, quo easdem Supremus Comes præfixerit, celebrandis, eligatur semper, ex mentionato Processu Kis-Hontensi, qui tam intra eundem Kis-Hontensem, in cunctis iuridicis negotiis, prouinciam eius concernentibus, quam etiam reliquis Comitatus Processibus, pro casu necessitatis procedere valeat, ex communique Comitatus cassa, proportionate salarium habeat. Et quia maximus hactenus dissensionum inter eosdem fomes fuisset, portarum coadunatio, exindeque antelatus Processus semet iniuriatum esse existimasset, ad easdem quoque dissensiones præscindendas, præmissa, tam Comitatus, quam & eiusdem Processus, iusta & æqua, per disinteressatos peragenda conscriptione (nisi ad inuicem absque eadem etiam eatenus conuenirent) eidem Processui a proportione Status, excindantur portæ, taliterque excisas habeat Portas. Præterea, necessitate toties quoties ita exigente, eiusdem Processus Composessores, inter se concurrere poterunt quidem, ea tamen, quæ inter se concluserint, in primitus celebranda Comitatus generali congregatione semper reportare obligabuntur, iurisdictione Comitatensi id ipsum exigente. Obtingens item contributionale, quarteria militaria, gratuitorum laborum, prout & transennarum, vecturarum, ac præiuncturarum adiustationes, sumptus item & expensæ, omnes quator Processus æqualiter tangentes, & concernentes, toties quoties, secundum portas, proportionate exscindentur, & limitabuntur, tam ad præmissa, quam & alia quæuis publica onera, Processus Kis-Hontensis proportionate concurret. Ne autem supra vires suas condescensionibus, vecturis & præiuncturis semet idem Processus grauatum querulari possit, dum notabilis quapiam condescensio eorsum veniret, aut vectura, & præiunctura maiori numero permutandæ essent, easdem dictus Processus, non nisi proportionate permutare obligabitur, residua vero pars, in vicino Comitatu, suam primo habeat permutationem: Vnde nec Bellici designare, neque Prouinciales Commissarii, easdem in maiori parte, pro repetito Processu assignare valebunt. Sedes Judiciaria porro, in Comitatu ternis, quarta autem vice, semper in Processu Kis-Hontensi celebrabuntur, in iisdemque, tam Comitatus, quam & eiusdem Processus causæ, indiscriminatim reuidebuntur: Ne autem*

lex nouella, tollendis Kis-Hontensium *querelis perlata.*

e.) Anni MDCCXXXIII. Art. XXII.

tem pro conſtitutionibus Procuratorum, & Plenipotentiariorum, ex eodem Proceſſu, ad Comitatum ſemper ire obligentur, tales conſtitutiones coram ibidem reſidente Vice-Comite, Judice Nobilium, & Jurato Aſſeſſore, rite peragi poterunt, easdem nihilominus, ad expediendum, in Congregationibus, aut Sedibus Judiciariis Comitatus reportabunt: vbi autem id commode fieri non poſſet, ſuper iisdem relationem in ſcriptis transmittent, ſuperquæ iſtiusmodi relatione, ſolitæ per Comitatum literæ teſtimoniales, extradandæ venient. Caterum generalibus congregationibus Comitatus, factum omnium quatuor Proceſſuum quoquomodo tangentibus, ſæpefatus Proceſſus intereſſe, taliaque negotia ſimul tractare obligabitur: ita & pro Ablegationibus Publicis, cum mutuo omnium quatuor Proceſſuum concurſu, apta ſubiecta eligentur. Vbi vero quapiam inſinuata, totum Comitatum tangentia, ordinarius Vice-Comes perceperit, eadem in partibus cum ſubſtituto communicabit, vt habita in tempore notitia, intuitu eorundem neceſſaria diſpoſitio in omnibus Proceſſibus fieri valeat. Ac denique eſto, toties fatus Proceſſus Kis-Hontenſis, ſeparatas ſuas portas, prævio modo excindendas, deinceps ſit habiturus, ſuper cunctis nihilominus Impoſitionibus, Perceptionibus, & Erogationibus ſuis, rite confectas rationes, ipſi Comitatui Hontenſi exhibere debebit, hic vero in conformitate Articuli 112. 1723. *Conſilium Regium Locumtenentiale, de tempore in tempus informabit. Ac in reliquo, idem* Proceſſus Kis-Hontenſis, *omnem reſpectum, debitamque obſeruantiam ergæ* Supremum Comitem *exhibere, diſpoſitionibusque eiusdem, conformiter ad leges patrias ſemet accomodare obligabitur.* Atque, hic eſt, adminiſtrandæ prouinciolæ *Kis-Hontenſis*, præſens habitus, quem non ſiluiſſe, lectoris intererat plurimum. Iam porro pergamus.

PARS SPECIALIS.

SECTIO I.

De Oppidis Diſtrictus Kis-Hontenſis.

PROOEMIVM.

CAret vrbibus, Tractus *Kis-Hontenſis.* quod ſane, in præcipuis prouinciolæ incomodis, deputandum eſt; cum palam ſit, eos *Hungariæ Comitatus*, optime habere, qui ciuitatibus inſeſſi, plurimum mercis ruſticæ, conſumunt. Sed, &

& oppida rariora ſunt *Kis-Hontenſibus*, quam pro regionis opportunitate. Duo horum ſuperant, quæ iam adibimus.

SYNOPSIS.

I. Rima-Szombathini *incerta origines: rationes nominis: colonia Hungarica fuit ſemper: heri oppidi, priſci & hodierni.* §. I.

Rimaſzombathini *habitus: ſitu eſt, pluuio cælo, extra modum lutulento: ædes oppidi, & prouincialium publica.* §. II.

Ruris circumfuſi ingenium, ruſticationi eximie idoneum. §. III.

Lingua incolis Hungarica eſt, multa elegantiæ: oppidi iura peculiaria: ſenatus, in adminiſtranda repub. integritas: oppidani, honeſti moris, longe obſeruantiſſimi. §. IV.

Degendæ vitæ ratio apud nobiles: apud ciues: agricolatio: mercaturæ ſtudia: fora domeſtica: magiſtratuum, in iis celebrandis, prouidentia: feminarum Rima-Szombathenſium *laus: vniuerſim, oppidanorum omnium.* §. V.

II. Tiszóltzi *nomen, a taxo petitum: oppidi poſitus, & modus: incolæ* Slaui *ſunt, operoſi agricolatores: ſtudent rei pecuariæ, ouibus in primis: ferri fodina huius: nundinæ? acidulæ.*

I. Rimaszombathinvm.

§. I.

Rima-Szombath Hungaris, Slauis, *Rimawskà-Szobota*, Germanis, *Groſs-Steffels-Dorff*, elegans & copioſum eſt oppidum, in ripa *Rimæ* fluuii orientali, ſeu ſiniſtra, loco plano, & hilari, quamuis ob ſoli ingenium, temporibus pluuiis, extra modum lutulento, poſitum. Origo eius incerta eſt; crediderim tamen, primo ſtatim *Hungarorum* aduentu, poſitum eſſe. Nomen, a ſitu accepit, quod ad *Rimam* adſidet; *Szombath* autem dicitur, quod præcipuæ cuidam *Hungarorum* coloniæ, requietam, & mercatibus idoneam ſedem, præſtiterit. Nam erat hoc omnino in more poſitum apud *Hungaros*, vt loca nundinis inſignia, *Szombath*, ſeu *Szombath-hely*, adpellarent: ſicuti (*a.*) docuimus alibi. Sed *Germanicum* oppidi nomen, vnde manarit, non eſt procliue dicere; niſi credas, a poſſeſſore quodam, cui *Stephano* fuit

Rimaſzombathini *incerta origines:*

rationes nominis:

a.) Tomo II. Operis, in Hiſtoria vrbis Tyrnauienſis, Cap. I. §. III. nota (*i.*) p. 9. Fuit hoc inſtitutum Belæ I. vt in diem *Sabbathi*, nundinæ indicerentur. Ita Thúróczivs, Chron. Parte II. Cap. XLV. p. 51, 54. *Iſta omnia fora, die* Sabbathi *conſtituit, pro vendendo & emendo.* Adde Bonfinivm, Dec. II. Lib. III. initio, pag. 203, 43.

nomen, *Steffels-Dorff*, hoc eſt *Stephanopolim*, fuiſſe vocitatam. Quoad priſtinam eiusdem memoriam recolere datum eſt, ſemper ab *Hungaris*, antiqui moris, & ad rem intentis, colebatur. In poſſeſſoribus, quos recordari potuimus, *Bebekii*, illuſtre nomen, olim fuiſſe leguntur, ad quos oppidum, vna cum *Fülekino*, adtinuit. His emortuis, *Bosnyákorum* gens ſucceſſit, diuque, non oppido tantum, ſed ditione etiam reliqua, potiebatur; dum *Kohárii* & *Forgáchii* Comites, opimam hæreditatem, ſuo quodam iure, adirent.

colonia Hungarica fuit ſemper: heri oppidi, piſci, & hodierni.

§. II.

Rimaſzombathini *habitus*:

HAbitus oppidi iſtiusmodi eſt. Medio foro templum reſedit, concionis capax numeroſæ. Huic, turris ab occidente adhæſit, mole ſic ſatis ſublimi, & idonea ad ſpeculandum, quæ circa oppidum fiunt. Ea omnia, murus circumdat, factus ſolide, atque ad eum modum, vt, & cœmeterium præſtet tutum, & cum eſt hoſtilium impreſſionum metus, perfugio ſit imbelli multitudini. Templo, forum vndiquaque circumfunditur, ſed laxioribus paullo ſpatiis, in occaſum & meridiem. De capacitate inde coniicias quod nundinis, hebdomadariis illis & annuis, commode accipiendis, ſufficiat. Ex foro, in omnes partes, vici & plateæ, domibus vndique copioſis, ſed humilibus, terſe tamen, intus & extus, incruſtatis, diffunduntur. Atque, eadem vicorum & domuum copioſitas, vndique a foro, plusquam mille paſſuum ſpatio, procurrit. Plateæ vbique latæ, & ordinis ſunt eximii; ſed ſolo ita molli, & bibulo, vt modico quouis imbrium lapſu, in cœnum reſoluatur profundum, ac pene impermeabile. Genu tenus paſſim transuadandum eſt, interdum, niſi ſubſtratis plancis, haud admittit veſtigia. quod maxime ea parte, qua ſolum demiſſius eſt, & *Rima* vicinius, obſeruauimus. Quare, non pediti tantum, ſed maxime currubus atque plauſtris, tantum ſæpe impedimentum, cœnoſis his plateis fit, vt nonunquam, hærendum ſit limoſis lacunis, rotas & iumenta detinentibus. Alioquin tempore ſicco, commodi ſunt vndiquaque tranſitus. Inter domos publicas, curia eminet, quæ orientali fori latere inſidet. Inibi ſunt & ædes ſcholarum paſtorumque. Eſt, & pro conciliis prouincialibus, domus. In priuatis, nobiliores habentur, *Törökiana*, *Sipoſiana*, reliquæ. Cæterum, nulla tam vilis, vt cum ædibus campeſtrium oppidorum conferri poſſit. Totum oppidum, foſſæ circumueniunt, & aggeres, non ii quidem validi. qui, ſi palis, atque loricis, communirentur, poſſent impetus quoque hoſtiles propulſare: nunc ſufficit, quod iumenta arceant, & noxios quoſque illapſus.

ſitu eſt plauio cælo, extramodum lutulento:

ædes oppidi. & prouincialium publicæ.

§. III.

Rimæ circumfuſi ingenium,

AB occidente, vti dictum eſt, amnis *Rima* oppidum ſubluit, & quodammodo præmunit, inſeruitque oppidanis, cum aliis op-

opportunitatibus, tum in primis, molarum beneficio, quas perenne rotat. Vltra, amœna in occidentem, & meridiem, planities porrigitur, ſolo aperto, ac pingui, frumentique multum feraci. Poſt eandem planitiem, ſtadiis plus minus XV. nemus eſt, & ſilueſtris, plana tamen, poſitio. Par oppido, & in orientem, ſolum eſt; ſed in ſeptentrionem, poſt ſtadia fere V. colles adſurgunt, & vineis, quam ſegetibus, aptiores tumuli. Proinde, nihil *Rimaſzombathienſibus*, deeſt ad ruſticationis commoditatem. qua ideo funguntur, & ſcrupuloſe, & cum laude inſignis ſolertiæ.

ruſticationi eximie idoneum.

§. IV.

INcolæ ſunt *Hungari*, lingua vtentes terſa, & copioſæ fluentisque elegantiæ. Neque enim lingua peregrina, vt alibi fit, permiſcetur. Etſi namque interſunt *Slaui*; Hungari tamen, adeo ſermonis ſui ſunt tenaces, vt, aut non diſcant alienum, aut ſi ſciant, nunquam, niſi ſumma vrgeat neceſſitas, ſermocinentur. Oppidanorum eximia eſt multitudo, quibus ſui præſunt magiſtratus, idque, priſca regum indulgentia, a quibus præter *ius gladii*, iura peculiaria habent, diplomatibus, ad poſteritatem perſcripta. Mira ſenatui, in adminiſtranda republica cura eſt, atque ſtudium. Coeunt nempe in ſenaculum, ad dies fere ſingulos, ſuntque ſcelerum, furtorum in primis, & laſciuiæ, ſeueri vltores. Itaque, in magna apud ſuos exiſtimatione ſunt viri ſenatorii ordinis: hi maxime, qui adminiſtrata ſemel iterumque prætura, laudem æquitatis & iuſtitiæ, meruerunt. Adtendit præterea ſenatus, & ad œconomiam publicam, tanta adcuratione, quantam vix repereris alibi. Tributa, ſic inter ciues partiuntur, vt ne locus ſit querelæ. Fit his rebus, vt difficillimis etiam temporibus, perdurent tamen oppidani, ferantque calamitates, non modo patienter, ſed etiam commode, prouti eſt rerum habitus. Publice, & priuatim, honeſti moris diſciplinam, vix vſquam obſeruari videas ſeuerius. Patres familias, liberos ita educant, ne detur corruptelæ occaſio. Veſtium luxus, choreæ, comiſſationes, & id genus propudia, in odio ſunt: quod credant, neminem ſaltare ſobrium, niſi forte inſaniat; ſicuti alicubi CICERO dixit. Id tamen dant nuptiarum ſolemnibus, vt liceat illic chorearum non nihil edere. quæ iam licentia, porro ſerpit, rapiturque ad occaſiones alias, atque eas potiſſimum, quibus ſolemnes dantur epulæ. Adeo, difficile eſt, modum ponere illecebroſæ vanitati.

Lingua incolis Hungarica *eſt, multa elegantia: oppidi iura peculiaria:*

ſenatus, in adminiſtranda republica, integritas:

oppidani, honeſti moris longe obſeruantiſſimi.

§. V.

DEgendæ vitæ ratio, varia oppidanis eſt. *Nobiles*, qui hic amant degere, ſua viuunt quadra. *Ciues* contra, præter quantulamcumque ruſticationis facultatem; ſed quæ, nec omnium eſt, nec modi ſupparis, hi mercatibus, opificiis illi, & rem faciunt, & trudunt vitam. Si ager tam obtigiſſet laxus oppido, quam eſt

Degendæ vitæ ratio, apud nobiles: apud ciues

opportunus; haberent *Rimaſzombathienſes*, eximiam agricolationis commoditatem. Sed, quia arctior is eſt, quam pro oppidanorum multitudine, neceſſe habent, compendia ſectari mercaturæ. cui, & oppidum accommode poſitum eſt, & congruunt ciuium ingenia. Medio fere loco, inter vrbes *montanas*, campeſtrem hinc, illinc ſuperiorem *Hungariam*, ſitum eſt *Rimaſzombathinum*. Ergo, in partes ſingulas, iter faciunt, & nunc euehunt merces, nunc reuehunt iterum, per vicinorum nundinas, ære permutandas. Sunt, quibus pecuarii mercatus placent, ac quandoque etiam lucroſi euadunt. Quin & hi, qui operas ſectantur ſellularias, quas fabrefecere merces, vagis nundinationibus, in rem ſuam norunt vertere. Hanc, cum omnium, tum ſingulorum induſtriam, domeſtica fora, cum primis reddunt fructuoſam. Plura horum ſunt; ſed vix aliud lucroſius illo, quod in diem VI. Januarii, *Epiphania* CHRISTI memorabilem, incidit. Id laudis habet plurimum, quod nundinas, in diem *Dominicum* forte incidentes, datis mature, circumquaque litteris, in profeſtum diem reiiciunt magiſtratus: ne profanent lucem diuinitus ſacratam. Quem morem, ſi vellemus paſſim ſequi, multis iniquitatibus, quæ his occaſionibus eueniunt, modum poneremus. Amictus, omnibus *Hungaricus* eſt: viuendi ratio, ad parſimoniæ quidem regulas adducta; neque tamen ſordida. Feminæ, modeſtiæ, & pudici moris, referunt plurimum. Præcipua his laus eſt, ſi probum, albumque panem coquere, ſi ædes intus munde habere, lectos faſtoſius inſtruere, & rem familiarem, caute nouerunt adminiſtrare. Reliquum curæ, educandis liberis, bene habendis maritis, & laudatiſſimis quibusque actibus, qui ad parandam retinendamque, honeſti nominis famam, adtinet, ſollicite impendunt. Ciues inter ſe litigant raro; ſin autem contingat diſſidere mutuo, niſi ſint, qui ſe mature ingerant, ad ferociam vſque graues ſunt aduerſariis. quod ne eueniat, conſanguinei, vicinique, tempeſtiue anteuertunt. Verbo, habet oppidum *Rimaſzombathenſe*, exemplar quoddam priſci moris *Hungarici*. quod, ne vitium accipiat, ab iis elegantiis, quas inuehi in gentem noſtram videas, ex animo precamur.

mercatura ſtudia:

fora domeſtica:

magiſtratuum, in iis celebrandis, prouidentia:

feminarum Rimaſzombathienſium laus:

vniuerſim, oppidanorum omnium.

II. TISZÓLTZ.

TIszóltz latine *Taxouiam*, germanice *Teißholtz*, Slauice *Tiszowniik*, vocant, nomine, vti adparet, a *taxo*, nobili arboris genere, deriuato: nam abundabant olim montes oppidi *taxorum* prouentu; qui præpoſtera lignatione, diminutus adeo eſt, vt raro iam, neque, niſi inter retruſos ſaltus, reperiatur. Subſitum eſt oppidum, montium radicibus, e quibus *Rima* demanat. Itaque, interluit amniculus oppidum, idque bifariam ſecat, vt citerior ædium ſeries, quæ & templum habet, in occidentem, in orientem vlterior abeat. Vterque ordo, domibus conſtat frequentibus, ſed materiatis negligentius. Tigna nimirum, ad cauearum modum compagi-

Tiſzóltsii nomen, a taxo petitum:

oppidi poſitus, & modus:

ginant, ea laxitate, qua domum cupiunt exædificatam. quæ, quod dolata non ſunt, neque cohærent ſatis adcurate, intus & extus, limo illiniunt, vt paries fiat denſior, & ad iniurias aeris reprimendas, magis idoneus. Poſtica ædium parte, quæ perpetuo tramite cum anteriore cohæret, ſtabula ſunt, & horrea: atque vltra hæc, horti paſſim, ſine induſtria conſiti. Aedium hic habitus, faciem oppido induit, vix ac ne vix quidem lautiorem, quam quæ vicorum eſſe ſolet. Oppidani, *Slaui* ſunt omnes, vitam agentes agreſtem, & ruſticatione perpetua diſtentam. Hanc, agrorum ſitus, ex ſe aſper & lapidoſus, operoſam reddit, neque tamen fraudantem colonum. Sciunt enim *Taxouienſes*, edomare malignitatem ruris ſui, aratione ſcrupuloſa hic; alibi, egeſtis ex agro lapidibus; vtrobique autem lætamine, liberalius adſperſo. Id niſi faciunt, meſſes habent macilentas. Serunt autem omne frumenti genus; ſiliginem tamen, & auenam, fere copioſiſſime. Addunt *pannicum* quoque, & legumina alia, recipiuntque poſtea ſementem, qualicunque cum fructu. In pecudibus educandis, tam ſunt ſolertes, quam qui maxime. Ergo, & iumenta habent, curandæ agricolationi neceſſaria, & ouium atque porcorum greges. Et oues quidem, per montana ac ſilueſtria ſtabula, eodem alunt ritu, quem deſignauimus alibi. Quam ob rem, & fœnum ſecant, iisdem locis, vbi ſtabulandum eſt gregibus. Caſeum certe, & lanam, cogunt, *Briznenſium* illi, quos habent limitaneos, conſimilem. Supra meminimus, ferri heic mineram erui, liquari, procudique. quibus operis, officina, vltra oppidum, in vallis aditu, excitata eſt. *Magnes*, qui in huiate fodina reperitur, multæ eſt exiſtimationis apud rerum peritos. Alioquin, & nundinis frequentatur oppidum, diebus *SS. Paulli*, *Sophiæ*, *Laurentii*, & *Emerici*. Habet fontem acidum, præcipuæ laudis, eo itinere, at ſitu in pratum depreſſo, quod *Muranum* ducit. quem anno MDCCIV. hac profecti, auide bibimus. Diſſidet Rimaſzombathino *Taxania*, tribus, in occaſum æſtiuum, milliaribus.

incolæ, Slaui ſunt, operoſi agricolatores:

ſtudent rei pecuariæ:

ouibus in primis:

ferri fodinæ huius:

nundinæ:

acidula:

SECTIO II.

De Arcibus & Caſtellis Diſtrictus Kis-Hontenſis.

PROOEMIVM.

Nermis eſt regio *Kis-Hontenſis*; ſiue id pacis confidentia factum eſt; ſiue retruſo prouinciolæ ſitu, cui non facile hoſtilis impreſſio ſit metuenda. quod ego tamen, non tam conſilio factum putarim, quam

fato

fato. Olim, *Huſſitis* graſſantibus, caſtella, idoneis locis fuiſſe excitata, rudera, heic & illic exſtantia, teſtantur. quæ iam veſtigabimus.

SYNOPSIS.

I. MARGITH-VÁRI *rudus.*
II. SZABATKA, *verbis* Iſtvánffii *deſcripta: capitur a noſtris, & ſolo æquatur.*
III. *Caſtelli* RÁHÓ *moles, & commoditates: eius conditor: poſſeſſorum ſeries.*
IV. OSGYÁNI *poſitus: poſſeſſores: nobilitatur clade Botskaianorum.*

I. MARGITH-VÁRA.

Margith-vári *rudus.*

RVdus eſt, intra montes *Szkalnoczienſes*, reſiduum. Nominis ratio indicat, arcis origines, a femina arceſſendas eſſe, cui *Margareta* nomen fuit. Quæ vero illa? fruſtra diuinabere. Dudum eſſe, cum in rudus abiit moles, ex parietinarum habitu, colligas. Incretæ ſunt nimirum, vaſtis arboribus. Auſim fere augurari, tum fuiſſe diſiectam, dum MATTHIAE Coruini, partim ductu, partim auſpiciis, *Huſſitæ*, tota regione, quam late inſederant, depulſi ſunt.

II. SZABATHKA.

Szabathka *verbis* Iſtvánffii, *deſcripta:*

ERat id, vt verbis ISTVÁNFFII (*b.*) vtamur, *caſtellum a Filecianis Turcis, in ripa Rimæ fluminis, opportuno, aduerſus noſtros, loco, conſtructum, ſiue verſus Caſſouiam, ſiue Sixonem, ſiue Agriam & Tokaium, infeſtis armis, excurrendum foret: ibi euntibus & redeuntibus, ſtationes, & hoſpitia opportuna, ac quietis receptacula præſto erant, & ad colubrinæ iactum propinquum habebatur Rimaſombathum, magno Szabathkanis Turcis adiumento, commodoque. Conſtabat duplici vallo, valde firmo, & propugnaculis validis, & in medio lapidea turris erecta erat, quadratæ, nec contemnendæ munitionis, foſſaque latæ, & aquis plena circumdabatur. Heic, quoties ad Sixonem pugnatum ſuperioribus annis fuit, ab hoſtium ducibus & copiis, quietis, quantum ſatis, ſumptum. Huc Bebekus, Magocſius, & Sárközius vno eodemque certamine capti; Georgius poſtremo Szélſius & Caſpar Putnokius, & innumeri alii, variis intercepti caſibus, deducti fuerunt, atque adeo, hinc variis excurſionibus adiacentes, & procul quoque diſſitæ regiones, crudeliter euaſtatæ.* Eam ob rem, *Tieffenbachius*, Caſſouiæ, & *Hungariæ ſuperioris*, præfectus, quum a *Pálffio*, victoriam ab *Albæ regali* nunciante, vt pari alacritatem Turcam ab induciis, ad arma, & apertum bellum prorumpentem, adgrederetur, monitus eſſet, accepto in ſocietatem *Sigismundo Rákóczio*, conuocatisque in caſtra, *Stephano Báthori, Franciſco Dobone, Stephano Homonnaio*, cognomento *Dru-*

b.) Lib. XXVII. p. 379.

Drugetho, & *Simone Forgáchio*, cum ipſorum copiis, militarem in modum inſtructis, *Szahathkam* conſtituit expugnandam. Cui, vbi adpropinquauit, confeſtim depreſſis foſſis, & aggeribus eductis, machinas admouit, datoque oppugnationis ſigno, deditionem primum *Turcis*, quorum CCCC. erant, omnium illis limitibus promtiſſimi, perſuadere adnitebatur; ſed, cum obſtinatos videret, continue vallum caſtelli verberat. Biduo, eam oppugnationem *Turcæ* fortiſſime ſuſtinuerunt, ne mentionem quidem deditionis, quam ingerebant noſtri, ferre volentes. Eo viſo, *Drugethus*, pilarum iactus congeminat, neque ceſſat prius, quam fiſſura in vallis fieret, adſultui accipiendo idonea. Procurrunt ergo, cum *Hungaris Germani*, atque munitionibus captis, in interiorem molem lapideam, hoſtes compellunt. qui demum de deditione paciſci, at ſero, occipiunt. *Noſtri* enim, vti eſt apud ISTVÁNFFYVM, *quod ſe vel inuitis hoſtibus loco potituros viderent, eo denegato acrius inſtare cæperunt; cæſisque ad internecionem hoſtibus, caſtellum tridui labore, in poteſtatem redactum, quod vi tormentorum adeo dirutum eſſet, vt retineri non poſſet, nec retento eo opus eſſe videretur, reductis tormentis, quæ intus erant, ſolo æquatum eſt.* Hæ munitionis eius, & origines, & fata exituſque fuere.

capitur a noſtris, & ſolo æquatur.

III. CASTELLVM RÁHÓ.

NObile eſt ædificium, in vico cognomine, poſitione collina, quadrata mole, conclauibus laxis, crebris, & opportunis, tecto ſolido. Quatuor eius angulos, totidem communiunt propugnacula. In medio habet aream, & in hac turrim eximiam, horologio olim inſignem. Circa caſtellum, ducitur foſſa cum aggere, capiendis aquis haud inidonea. Temporibus *Turcicis* erat confinii loco, quum *Fülekinum*, ab hoſte teneretur. Huic ergo, vt reſiſteret, a quinquagenis, vel ſexagenis militibus, ſumtu herorum obſeruabatur. Tumultibus autem proximis *Rakóczianis*, communitum, & præſidio inſeſſum fuit *Hungarorum*. cuius cauſſa, anno MDCCIX. menſe Nouembri, caſtra etiam infra oppidum, propter amnem poſita erant. Moles caſtelli, ad duas contignationes educta eſt. Solum tamen, cui inſiſtit, humidum, cellarum ſubſtructiones impediuit. Quocunque enim loco moueris humum, obuius & paratus humor exſudat, neque admittit ſtructuras. Habet tamen carceres, quibus captiui a prouincialibus adſeruari, & hoc loco, plecti olim ſolebant. Ipſum caſtellum, ædificauit *Franciſcus Jákóffi*, præfectus bonorum *Catharinæ Szétſi*, & *Capitaneus Muranenſis*, homo florens, & multarum facultatum: poſſedit enim arces, *Végleſs*, *Derents*, & complures alias. Eius ſorore, *Catharina Jákóffi* in matrimonium ducta, *Caſpar Jánóky*, in *Ráhónis* poſſeſſionem peruenit. Ex quo demum reliqui eius cohæredes, per filiam *Catharinam*, quam *Stephanus* ſenior *Palágyi* duxit, prodierunt. Nam, poſtquam ex hac *Stephanus*, alter, *Caſparus*, *Nicolaus* & *Clara*, quæ *Franciſco Bornemiſza* nupſerat, prodiſſent,

Caſtelli Ráhó moles & commoditates:

eius conditor:

poſſeſſorum ſeries.

diiſſent, caſtelli poſſeſſio, in plures ſpargi cœpit. *Caſparus* enim *Jánóki* genuit iuniorem *Caſparum*; & hic ducta ex gente *Szentiuaniana* vxore, *Sigismundum*, *Wolffgangum*, & *Annam Mariam Jánóki*. *Sigismundus* autem genuit *Ladislaum* hodiernum, ex *Catharina Bartakovics*; *Wolffgangus* vero, ex *Clara Mariaſſi*, *Annam Mariam Jánóki*; quæ primum *Paullo Kajali* viduo, deinde *Johanni Nagy*, nupſit, defecitque. *Caſparis* autem *Anna Maria*, nupſit *Johanni Görgei*, ex qua prognatus *Georgius Görgei* eſt. *Ladislaus* autem *Jánóki* ſuperſtes, duxit *Annam Mariam Okolicsáni*, *Paulli*, ex *Suſanna Rakſchâni*, filiam, tenetque nunc caſtellum idem *Rahouienſe*, cum memoratis hæredibus reliquis.

IV. CASTELLVM OSGYÁN.

Osgyáni poſitus:

INſidet orientali colli, in eiusdem nominis vico. Olim, arcis nomine ſuperbiebat; ſed, poſtquam diuerſis temporum iniuriis, ſemirutum eſt, media ſui parte eminens, ſpeciem tantum retinet, haud vero priſtinam fabricam. Alioqui, quadrato eſt opere, loco, & proſpectu ſatis amœno. Ab occaſu, deſpicit in ſubiectum vicum, ab oriente ſunt ſiluæ, & aperta, hinc & illinc, planities. Poſſidebant id olim *Bakoſiani*. quorum ſucceſſores, hodieque rerum potiuntur. Nobilitauit caſtellum, *Botskaianorum* clades, quam eis *Georgius Baſta*, iſthic inflixerat, ſicuti prolixe memorat ISTVÁNFFYVS (*c.*) Exercitum, in Tranſiluaniam *Baſta* ducebat, cum ex itinere, caſtra, ad *Filekum* metatus, condidicit, *Botskaianos*, duce *Blaſio Némethio*, caſtellum *Oſgyánum*, quod duorum millium paſſuum interuallo diſtabat, expugnaſſe, ibique poſitis caſtris, victores ſeſe gerere. Fuerunt ii, numero amplius quatuor millia; ſed quorum pars maxima, agreſti & incondita plebe conſtabat, inermi ea partim, partim qualibuscunque telis, vti ſunt, durati igne ſudes, & refixæ ad longuriones transuerſim falces, armata. Hos, vt adoriri *Baſta* decreuit: vires illi præ ſe ferre, prodire in aciem, & adgreſſionem *Germanorum*, non exſpectare tantum; ſed illis ferociter occurrere. Simul ad *Oſgyanenſem* riuum, manus conſeri cœptæ ſunt, ingens, in imperita multitudine, a *Sclopetariorum* ordinibus, ſtrages editur. quam, cum declinare, & commutare pugnæ genus, *Blaſius* iubet; *Haidones*, fugam parari exiſtimantes, acie præcipites deruunt, & qua ſors quemque ducebat, palantes ſparguntur: *Blaſius*, amiſſis duobus circiter millibus, cum paucis, in caſtellum ſe iniicit; cumque illic, admotis duabus machinis, acriter oppugnaretur, neque ſeruari id poſſe, animaduerteret; ferro, per medios *Cæſarianos*, viam, qua cum ſuis euaderet, adaperiendam, forti animo ſtatuit. At enim, a *Germanis* circumuenti cæſique ſunt infelices, paucis fuga elabentibus: capto adhuc *Blaſio*. quem *Baſta*, fœdo quodam ſupplicii genere, necari poſtea iuſſit. Ceteroquin, publicis regni ſumtibus, munitum ſubinde fuiſſe caſtellum, in regni (*d.*) decretis legas.

eius poſſeſſores:

nobilitatur clade Botskaianorum.

SECTIO

c.) Libro XXXIII. p. 817.

d.) Decr. A. MDCXLVII. Artic. CLIII.

SECTIO III.

De Vicis Diſtrictus Kis-Hontenſis.

IN vicis peragrandis, ducto a *Rimaſzombathino* initio, ita verſabimur, vt hos primum inuiſamus, qui dextro latere; illos poſtea, qui ſiniſtro ſunt collocati, aduerſo amne proficiſcentibus.

1.) *Zeberje*, Slauis *Zachorowcze*, recedit *Rima-Szombathino*, dimidio, in orientem brumalem, milliari, pari cum oppido ſoli, qualitate, ſitu collino, mediocri autem vico, incolis *Hungaris*. Sunt ei & vineæ, ſed fructuum, quam probi vini, feraciores. Paret ſucceſſoribus *Bakoſſianis*. Adfluit ei riuulus, quem proximi montes effundunt.

2.) *Alsó-Pokorágy*, Slauis *Nizny-Pokorád*, remouetur a *Zeberje*, quarta parte milliaris in ſeptentrionem. Incolitur ab *Hungaris*, pari vini & frumenti, prouentu; ſed diſpari fere cultu: quippe quod, rarioris ſtercorationis indigus ager eſt: vineis tamen paucioribus, quemadmodum & colonis. Pertinet ad B. *Vétsey*, & ſucceſſores *Adami Vaj*. in quibus præcipui ſunt, *Du Jarden*, & *Daniel Vaſs*.

3.) *Felsó-Pokorágy*, Slauis *Horny-Pokorád*; abeſt ad tormenti iactum, a priori in ſeptentrionem. Hic *Slaui* rerum potiuntur agricultura victitantes, & mercibus materiariis, quas a vicinis redemtas, deuectant ad *Hungaros*. Situs vici collinus eſt, ager, ſuperiori illo, ob lapidum mixtionem, ſterilior; ſed coloni copioſiores. Imperat eis B. *Vétsey*, & iidem *Vaj* ſucceſſores.

4.) *Cserentsény*, Slauis *Cserentſchani*, reducto verſus *Rimaſzombathum* ſitu, milliaris parte quarta, ab eodem oppido. Conſedit ad amnem *Rimam*, orientali latere. Ager ei eximius eſt, neque abſimilis *Rimaſzombathenſi*, licet parte quadam ſit ſterilior. Ipſe vicus, in plano iacet, incoliturque a *Slauis*, haud copioſis, & ſine vinearum cultu. Sunt in ditione *Vétſeiorum*, & *Du Jarden*.

5.) *Bakoſs Török*, Slauis *Bakoſs Terjakowcze*, traiecto amne, occurrit dimidio fere milliari, inter colles, plano loco poſitus. Terrenum eius, lapidibus impeditum, lætamine indiget: colitur autem a *Slauis*, qui figuli ſunt & materiarii. Pertinet ad ſucceſſores *Bakoſſianos*.

6.) *Orlai-Török*, in eadem amnis ripa, qua eſt oppidum *Rimaſzombathenſe*, vicus exiguus, agello collino, & lapidoſo, quem *Slaui* colunt, pari rerum venalium quæſtu, præter ruſticationem, rem facientes. Adſcribuntur ſucceſſoribus *Orlaianis*. *Slauis* dicitur *Orlai Terjakowcze*. Diſtat a priori *Török*, ad teli iactum in ſeptentrionem.

7.) *Tóthegymek*, Slauis *Záhorani*, nomen a ſitu accepit, quod trans montes, atque ſiluas medius, montano ſilueſtrique loco, conſedit. Itaque, agro etiam per colles ſuſpenſo eſt, eoque ſterili, incolis

item *Slauis*, præter agricolationem, ſubigendo corio vacantibus. Cerdonum coloniam diceres, ita heic opificium illud inualuit. Hinc, & tribum ſuam, *Ratkouienſibus*, in prouincia *Gömörienſi*, coniunctam habent. Slauis *Krptsári*, Hungaris autem *Botskoroſok*, adpellantur: eo, quod corium huias, peronibus formandis adhibetur; nam *Botskor* Hungaricum, & *Krpecz* Slauicum, peronem notat. Sunt in ditione ſucceſſorum *Paulli Györki*: ſecedunt autem a ſuperiori dimidio in aquilonem milliari.

8.) *Alsó-Szkálnok*, emenſis montibus verſus *Rimam*, eodem, quo *Rimaſzombathum*, amnis latere, conſedit. Agro eſt ſterili, ac partim plano, partim collino. Slauis *Nizny-Szkálnik*, iuribus *Szemereiorum* adſcriptus. Inquilini *Slaui* ſunt, agricolæ & cerdones. Nuper, vineas ponere occeperunt; ſed conatu irrito, ob cæli ſolique malignitatem. In horum montibus, viſuntur rudera, arcis *Margithuára*, verſus *Orlai-Török*, vti ſupra dictum eſt.

9.) *Felsö-Szkálnok*, Slauis *Wiſny-Szkálnik*, eodem margine *Rima*, altius paullo in aquilonem. Vicus tenuis, ſicuti priores omnes, collino & effœto agro, ob inſperſos lapides. Hinc & nomen Slauicum *Skálnik*. Montes vici decliuiores, verſus fines *Gömörienſes* porriguntur. Incolæ ſunt *Slaui*, qui, præter agriculturam, occupantur vectationibus mercium materiariarum, in regionem campeſtrem. Parent autem *Szemereianis*.

10.) *Varbócz*, Slauis *Wrbowcze*, transmiſſa *Rima* ad ramum eius, quem *Uj-Rimam* nominauimus, haud procul a confluente, occurrit: nam, infra eundem vicum, alueus *Rimæ* vterque, in vnum coit. Ipſe vicus exilis eſt, ſterili adhæc, & montani ſitus agro, ideoque, ob effœtam glebam, & immixtos lapides, colono iniquus. quare, ſoli melioris inopia, ad quæſtum & heic coguntur recurrere incolæ, iuuantque, qua poterunt, anguſtias domeſticas, mercatione rerum variarum, ſalis maxime. quem *Tokaino* auferentes, per nundinas oppidorum varias, vicosque, ſueuerunt circumuectare. *Slaui* ſunt & hi, ditioni *Ráhóuienſi* adſcripti.

11.) *Ráhó*, Slauis *Hrachowo*, vicus, caſtello, quod deſcripſimus, & ob nobilium familiarum, quæ hic poſuere ſedes, frequentiam, inſignis. Sedes certe ruſticas, vltra viginti, vix numerat. Habet autem plurimos opifices, ita cultos, vt oppidi ſpeciem præſeferant. Diſtat ab oppido *Rimaſzombatho*, milliari vno, in dextra *Rimæ* ripa, eſtque regione amœniore multo, quam meliore. Agrum enim argillaceum, & rubellum maxima parte, paſſim etiam albicantem, habet: apertum tamen, & pulchra ſoli variatione, patentem. Ipſe vicus, colli ſubeſt, cui caſtellum inſedit, & templum. In hoc cryptæ, & ſepulchra varia, *Jákóffiorum*, nec non vexilla emortualia, viſuntur.

12.) *Ketſege*, ad vnius teli iactum, ſupra *Ráhónem*, vltra monticulum quendam, leuidenſi nemore inueſtitum, difficilis itineris, ob ingentes lapides, quibus rumpendis, ſemel atque iterum, metallici ſunt adhibiti. *Slauis* vocatur *Kotzicha*. Haud procul abeſt a

Ri-

Rima, agello *Ráhouienſi* conſimili. Interluitur riuo, ex montibus orientalibus adlapſo, eſtque colonia *Slauica*, ditionis *Ráhóuienſis*. Incolæ egregii ſunt materiarii, educuntque longe & late, ſcrinia, quæ *Hungari* nominant *Szúſzék*.

13.) *Kraſzko*, Slauis *Kraſzkowo*, aſpero, inter montes, ſitu, dimidio milliari a *Ketſege*, arduo illuc, per montes, itinere ducente. Ager lapidoſus eſt, & propterea effœtus: incolæ, partim materiarii, & præcipue vietores; partim cerdones ſunt, *Slaui* omnes, ditionis *Nyáryana*.

14.) *Prjboy*, reducto ad *Rimam*, ſuperatis montibus, poſitu, vicus itidem *Slauicus*, ditionis *Ujlakiorum*. Diſtat a priori, milliari dimidio. Cui, parte altera amnis,

15.) *Rima-Zaluzan* obiicitur, vicus ſolo *Rimæ* alueo, diremtus. Hinc vnus vtriusque iudex, domini *Ráhóuienſes*, ager vtrobique idem, lapidoſus hic, argillaceus illic. Incolæ *Slaui* ſunt, & rei materiariæ, maxime ſcriniorum, opifices. quæ rubrica inducunt, poſteaque ruſtico opere, variis figuris inſculpunt.

16.) *Rima-Bánya*, in eodem, quo prior, *Rimæ* latere, tametſi partem eius aliquam, amnis, a quo nomen accepit, interluat. Situ eſt decliui ad amnem: templum tamen habet in colle: diſtat autem ad iactum tormenti, a priori, inter ſeptentrionem & occaſum. Incolæ, genus ſunt *Slauum*, vietorio opificio deditum. In primis, educunt labra, hauriendæ aquæ facta, Hungaris *Rotska*, a manubriis, *Rutskæ* Slauis, denominata. Sunt etiam, qui oues incipiunt alere. Ager vici ſterilis, & argillaceus, montibus, paſſim altius adſurgentibus, aſper. Dominantur ei ſucceſſores *Vaj*, *Vétſeiorum*, & *Nyáryani*.

17.) *Rima-Brezó*, Slauis *Brezowo*, ſecatur *Rimæ* alueo, agrum nactus argillaceum, & ſaxoſum. Sunt ei acidulæ, guſtus grati & ſalubris, in loco quodam erectiore, inter colles & arbores. *Slauorum* & hic colonia eſt, ditionis, cum priori, eiusdem: qui defectu ſoli arabilis, partim vietoria arte, partim mercatu, cum ſalis, tum tergorum bouinorum, ſuſtentantur. Adſunt & libertini, qui in eam rem incumbunt. Diſtat a priori, quarta parte milliaris, in aquilonem.

18.) *Likér*, tenuis nimium vicus *Rimæ* adpoſitus, *Ráhóuienſi* amnis latere. Diſcedit autem a *Brezowo*, quarta, ſed modica parte milliaris, territorio anguſto, eodemque argillaceo, & collino. Quod agri montoſum eſt, ouibus datur. Ipſi incolæ, ſcandularum exaſciandarum operis ſe occupant, parentque *Vétſeii* ſucceſſoribus.

19.) *Nyúſtya*, Slauis *Hnuſtia*, vicus *Kubinianorum*. Ruſticorum occupatio, præcipue agricolatione abſoluitur. Sunt tamen nonnulli, qui materiariam faciunt, & inſtrumenta, maxime coquendo pani neceſſaria. Diſcedit a *Likér*, quarta parte milliaris.

20.) *Hatſchava*, dimidio vltra *Rimam* milliari, in colle, ad ingentium montium radices, quas amnis idem ſubluit; ſitu, ex colle eodem, decliui ædicularum poſitu, verſus fluuium proiecto. Ager,

per colles ſuſpenſus, glareoſa argilla fœdus eſt. Incolæ, & hic materiarii, curant artem tornariam, quin & ephippia compingunt, multæ apud *Hungaros* adprobationis. Vicus, ex ſe mediocris, cui ſucceſſores *Nyáryani* dominantur.

21.) *Pila*, quarta parte milliaris ſupra *Hacſchavam*, ad *Rimam*, qui late vicum interfluit, hæreſcens. Incolæ *Slaui* ſunt, ouium alendarum in primis ſtudioſi. Adſcribuntur partim ærario *Neoſolienſi*, partim familiæ *Nyáry*. Ager, ex ingenio loci, ſterilis & effœtus: quippe ſaxoſus, ſuſpenſusque per montium latera. Hinc, relicto amne *Rima*,

22.) *Klenócz*, Slauis *Klenowczé*, *Pila* milliari vno, in occidentem trans montes, recedit. Vicus copioſus, amploque terreno, cuius agros frumentarios, per colles argillaceos, hinc illinc ſparſos, aſſiduis operis, & crebra lætificatione, oportet fœcundari. Quin & demeſſas ſegetes, ſufflaminatis, ob agrorum præcipitia, plauſtrorum rotis, conuehi neceſſe eſt. Seritur autem præcipue, vti tota hac regione, ſiligo, atque auena; ſed quæ tamen, ob intempeſtiuum frigus, matureſcit tardius, metiturque, haud raro, ad ignium fomenta. Ouium alendarum, eximius hic modus per montes ſuppetit. Ipſe vicus, decliui valliculæ, inter apertos colles argillaceos, *inſedit*, quos, vicumque, fluuiolus interfluit, molisque inſeruit materiariis, & fullonicis. Conficitur enim hic pannus albidus ille, & craſſus, lacernis ruſticanis idoneus. Adſcribitur *Kubiniis*, quorum nonnulli hic colunt.

23.) *Kokawa*, Hungaris *Kokova*, transiectis in meridiem montibus, a *Klenócz*, milliaris vnius iuteruallo, diſſidet, tenetque collem molliter accliuem. Colonia *Slauica* eſt, & copioſa; ſed *Klenóczienſi* tamen minor. Pari rei pannificæ & materiariæ artificio occupantur & hic incolæ: plurimi, ſcandulas exaſciant. Sed, quod agro meliore deſtituuntur, etiam eo, quod conſerunt, fraudantur ſæpius, ob importunum frigus. Potiuntur vico *Comites Forgáchii*, familia *Nyáry*.

24.) *Rima-Lehota*, vocatur ſic, non quod ad *Rimam* ſita ſit, ſed vt ab aliis *Lehotis*, diſtinguatur. Adſidet enim alii riuo, ex montibus ſuis deiecto, dimidio circiter milliari a *Kokava* in meridiem, ſitu intra montes retruſo. Incolæ itidem *Slaui* ſunt, quodque carent agro frumentario, qui ſufficeret, rotas fabricant, venduntque paſſim. Subſunt ditioni *Ráhóuienſi*.

25.) *Rimócza*, Slauis *Rimawicza*, vltra eundem riuulum, ſuperiori, in agro collino, & incolarum natione, & occupatione, ſuppar. Spectat ad dominium *Hajnátskóienſe*, quod eſt apud Neogradienſes.

26.) *Valykó*, Slauis *Valkowó*, viſitur trans ſiluas glandiferas, tertia parte milliaris a *Rimócza* ſecretus. Ager ei obtigit maligniſſimus, idemque anguſtus: quippe, ſiluis & montibus impeditus. Ob eam ergo viuendi difficultatem, miſeri agricolæ, natione *Slaui*, rotarum & curruum fabricatione, rem faciunt. Spectant potiori parte ad *Ráhó*.

27.) *Szelcze*, quarta parte milliaris, a *Valykó* in orientem ſecedit,

te-

tenetque vallem, intra ſiluas, vbi velut in luſtro iacet. Incolas habet rudes, *Slauonici*, ſed craſſi oris: qui tamen, rotarum, cadorum & doliorum, aliarumque rerum materiario opificio, vitam degunt. Agello pollent meliuſculo, tametſi adhuc argillaceo, & indigo maioris cultus. Eſt ditionis *Hajnátskóienſis*.

28.) *Pondelok*, diſtat a *Szelcze*, quarta parte milliaris: nomen a *die lunæ* petitum.

29.) *Szuha*, Slauis *Szucza*, in limitibus *Comitatus Neogradienſis*, ita vicini, vt vicus vterque, idem & vnus eſſe videatur. Vna enim interiecta via, inuicem diſtinguuntur. *Pondelok* amne *Szuha*, aliqua ſui parte interluitur; *Szuha* vero, ab eodem nomen ſortitus eſt. Parte maiori pertinet ad ditionem *Ráhóuienſem*. Agro eſt argillaceo & fingendis ollis idoneo: quapropter, figulinam rem exercent agricolæ. Vterque vicus, gaudet eximii gultus acidulis.

30.) *Fazékas-Zaluzſan*, Slauis *Hrncsárské Zaluzani*, eſt quarta parte milliaris, infra *Szuham*, inſideturque a meris fere figulis, & laterum coctoribus. Hinc vico nomen, ſitus planus, agro, prioribus nihilo deteriore, acidulis fere ſupparibus, ditionis parte maiore, *Ráhóuienſis*.

31.) *Suſan*, ſeu *Suſſani*, vicinus priori ad orientem, trans *Szuha* amniculum. Incolæ figuli & hic ſunt atque agricolæ. Scatet acidulis pergrati guſtus, pertinetque ad ditionem *Oſgyánienſem*.

32.) *Gelenć*, ſupra *Suſſan*, pagus olim haud contemnendus, ſed deſolatus ſub motibus *Rákóczianis*. Hodie, pro cenſu, agriculturam ſubmittit *Szelczenſibus*.

33.) *Osgyán* vicus mediocris, incolis *Hungaris*. Subiacet is ſuo caſtello, in occidentem, loco depreſſo, ſed amœno; vndique enim collibus, apertis hic, & agricolationi idoneis, ſilueſtribus illic & glandiferis; crebra ceraſorum intermixtione, circumcingitur. Diſtat ab oppido *Rimaſzombathenſi*, milliari in occidentem, quo opportune merces ruſticas deuehit. Occupantur & hic incolæ, figulino opificio, fictilia, quæ eduxerunt, paſſim per vlteriores vicos, venundantes. Sunt vico acidulæ, haud contemnendi ſaporis, in amœna apertaque, inter ſiluas, planitie. Habuit olim nundinas, inclaruitque cæde *Botskaianorum*, de qua ſupra diximus, quod ſatis eſt.

34.) *Magyar-Hegymeg*, medio milliari ab *Oſgyán*, ſic dictus, vt a *Tót-Hegymeg*, (quaſi *Hegy megett*) quem *Slaui*, incolunt diſcriminaretur. Vicus exilis, ab *Hungaris* cultus, terreno partim ſilueſtri, partim aperto, arenoſo tamen & ſterili. Refertur ad ditionem *Hajnácskóienſem*. *Hæc, de Diſtrictu Kis-Hontenſi.*

TA-

TABVLA ITINERARIA, TRACTVS KIS-HONTENSIS.

I. *In* NEOGRADIENSEM *Comitatum:*

1. *Rimaſzombathino*, per *Osgyán* - - mill. 1.
   Pincz. - - mill. 1.
2. *Rimaſzombathino*, per *Suſan.* - - mill. 1.
   Zelené. - - mill. 1.

II. *In* GÖMÖRIENSEM *Comitatum:*

1. *Rimaſzombathino*, in vicum *Jánoſi.* - mill. 1.
2. Indidem, ad *Felſö-Batka.* - - - - - mill. 1.
3. *Tiſzolczino*, ad *Murány*, per editam vallem. mill. 1.

III. *In* ZOLIENSEM *Comitatum:*

1. *Tiſzolczino*, *Briznam*, per montes *Dieli.* mill. 3.
2. *Klenóczo*, *Libetham*, per ſaltuoſos montes. mill. 3.
3. *Rimaſzombathino*, per fines *Comitatus Neogradienſis*, *Zelené*, *Kálnó*, *Szino-Bánya*, *Pjla*, *Detvam.* - - - - - - - - mill. 5.

TOMI QVARTI FINIS.

Digitized by Google